UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Visual Library

Th. 4739.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


M. II
10
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

St. Gallen

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

GALLIA VINDICATA,

IN QUA

TESTIMONIIS EXEMPLISQUE GALLICANÆ PRÆSERTIM ECCLESIÆ, QUÆ PRO REGALIA,

AC QUATUOR

PARISIENSIBUS PROPOSITIONIBUS

A

LUDOVICO MAIMBURGO,

Alijsque producta sunt,

REFUTANTUR.

Impressum Anno reparatæ Salutis
MDCLXXXVIII.

Collegii Soctis JESU Paderbornae 1697.
Dono p. Klepp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO AD LECTOREM.

En me iterum in acie protegendæ veritati accinctum! Causam repetendi certaminis Ludovicus Maimburgus suggessit, libríque recentissimè ab eo conscripti, quibus nemo veritatem pulchrioribus verbis, ac singulis ferè paginis professus est, nemo fœdavit turpioribus factis. Edidit ille ultimis vitæ suæ annis geminos libros; unum de Privilegijs Ecclesiæ Romanæ, ac Episcoporum; (a) *alterum de Pontificatu S. Gregorij Magni.* (b) *Primo cùm paucis folijs Primatum Romani Pontificis ostendisset, reliquum librum evertendis ejusdem Pontificij Primatûs præcipuis fundamentis, firmandísque quatuor Conventûs Parisiensis propositionibus studiosè impendit, ut proinde vel in ipso limine Lectorem deluserit, privilegijs, quæ titulo promiserat, toto libro deletis. In altero, quem de Pontificatu B. Gregorij scripsit, non alium sibi finem præscripsisse videtur, quàm ut Episcopos, ipsosque Pontifices doceret Regnantium imperijs subjacere, hoc est, Pastores ab ovibus duci, & medicos animarum, non ex artis præscripto, sed ægrotantium cupiditatibus remedia parare; magnâ utique Principum gratulatione, sed majori periculo, si imperarent, non obsequerentur medenti: quódque in D. Gregorio aut modestia, aut indulgentia fuit, tempori ac cavendis pejoribus accommodata, id Maimburgus necessitatem ac legem fecit, perinde ac si amisso navigio malis tabulâ Oceanum metiri, quia semel auxilio fuit naufragium passo. Ultimus hic liber fuit, quem Maimburgus in lucem emisit; nam alios paranti mors scribendi juxtà vivendíque finem indixit, & calamum jam intinctum excussit.*

(a) Traittè historique de l'establissement, & des prærogat: de l'Egliſ. de Rome 1685. (b) Hiſt. de Pontificat de S. Gregorie le Grand, an 1686. Par Monſ. Maimburg.

exeußit. Vixit Ludovicus Maimburgus quinquaginta ferè & quinque annos in Societate Jesu, quorum triginta dicendis sacris concionibus Parisijs impendit, sexdecim verò (postquam aut ætate fessus, aut quietem captans, suggestu abstinuit) scribendis libris, ac præsertim Ecclesiasticæ Historiæ, confutandisque hæreticis. Et primas quidem scriptiones quod attinet, sive Gallici sermonis florem, nativâ tantùm, nec quæsitâ venustate amœnum, sive copiam rerum spectes, evolvendíque res arcanas, ac Lectorem edocendi facilitatem, multorum gratiam, ac etiam Summi Pontificis Innocentij XI. approbationem meruêre, cui librum de magno Græcorum Schismate obtulerat. Sed hanc laudem corrupit posterioribus libris; in his enim ex industria, quæsitisque minimè necessarijs digressionbus, totus est in defloranda Pontificum auctoritate, eâque aut Regibus, aut Episcopis submittendâ. Incertum adhuc est, quid causæ fuerit, quæ hunc hominem tot titulis Pontifici Romano adstrictum in Vaticanum armaverit; an Regem demerendi studium? an cum Archi Episcopo Parisiensi amicitia, studiorúmque, ut ipse fatetur, communicatio? an Genius Societatis, fortunam, ac potentiam Gallicam amplexæ? sed Pontifici offensæ, à quo tot Theologiæ suæ Moralis capita, nec sine gemitu, parique æmulorum gaudio configi viderat? An denique quòd libros contra hæreticos, Græcósque à se conscriptos Roma majori encomio, quàm præmio exceperat? Planè quidquid id fuit, Maimburgi scriptiones commune votum & fama damnavit; nec enim debuit imtempestivis, ac minimè necessarijs quæstionibus pax inter Ecclesiam, Regnúmque turbari, ac hæreticis ridendi, seque obstinandi occasio præberi, quam ex domesticis jurgijs captârunt, præsertim Pontifice tam miti, Regnúmque amante, ac humanis affectibus vacuo. Sed hæc omnia aut ostentandi ingenij, aut aulam demulcendi impetus vicit. Vetuit Roma aliquos legi Maimburgi libros, qui maximè veritatem offenderant; sed eo

tanto

tanto magis talamum urgente, oblitóque quid & ipse, & Societas tota Romæ ac Religioni deberent ; meruit à Pontifice Societate excludi. Jussus Generalis imperium exequi, in hæc verba decrevit : Obsequentes jussui & mandato Sanctissimi Domini Nostri INNOCENTIJ XI. Patrem Ludovicum ex Societate nostra dimittimus, & pro dimisso ab omnibus habendum esse declaramus. *Hæsit tamen adhuc annum in Societate, protegente Rege : tandem excessit, sed irato ac minanti similis, & ferè qualis Hannibal ex Italia. Sic enim in Præfat. ad Historiam Calvinismi scribit :* Ainsi, n' estant plus Jesuite par l' ordre de N. S. P. & par la permission, que le Roy à donnée de l' executer ; je seray de la grace de sa Majestè, tout ce, qu'il luy plairà, pour la servir auec plus d' ardeur, & de Zele, & de libertè, que jamais.

Quæ latinè ita sonant. Cùm ergò ex Decreto Sanctitatis Suæ, Regísque permissione executionem admittentis, Societate excesserim, nec ampliùs ejus institutis obstrictum me sentiam, ero deinceps, quidquid Majestati Suæ placuerit, multóque quàm hactenus, majori zelo, ardore, ac libertate ejus servitio me addicam. *Præstitit Maimburgus promissa ; si enim servire Regi est bellum Ecclesiæ ac veritati inferre, nunquam Maimburgus, quàm duobus postremis libris enixiùs id fecit, quamquàm majori conatu, quàm eventu. Societate egressum ampla à Rege, Parisiensi Archi-Episcopo, aliisque amicis stipendia excepêre, ut mirum non sit, famam vulgâsse, post ejus mortem vicies millena Francorum superfuisse : ædes apud Canonicos Regulares S. Victoris delectæ. Vixit quatuor ab egressu annos : scribentem, aliósque libros prælo parantem, inter quos, uti ferunt, unum de Schismate Anglicano, apoplexia momento absolvit. Patres Carthusiani hæredes scripti : libri ac folia inchoata Regi cessêre. Tantillum temporis fluxit fruendi*

Principis gratiâ, quam tantis laboribus, tantáque omniumoffensione, ac forsan æternâ luit pœnitentiâ: ego requiem, quam vivus non habuit, defuncto precor. Scripsit Maimburgus calamo Catholicis æquè, ac Calvinistis infesto, mediam quandam viam inter utrósque molitus, quo effecit, ut odia ab utrisque mereretur; constabat enim eum non veritati, sed Regi scribere; si enim hujus gratiâ Pontificem, quanto magis Calvinum persequeretur? nec Religionis causâ Societates ac transactiones admittit; impudica est, quæ thalamum dividit: Una uni, aut tota, aut nulla. Meretricis sunt illæ voces: Nec mihi nec tibi, sed dividatur. *Quærit D. Augustinus, quæ causa Romanis fuerit, ut inter tot examina Deorum, quos adorabant, unum Deum Christianorum tot prodigijs celebrem templis suis excluserint? adeò ut teste Tertulliano,* (a) *cùm Tiberius ad Senatum retulisset de Christo in numerum Deorum recipiendo, Senatus respuerit. Hesiodus triginta millia Deorum in terra esse censuit:* (b) *Segetes ipsas duodecim Numinibus commendabant, videl: Sejæ, Segetiæ, Tutilenæ, Proserpinæ, Nodoto, Volutinæ, Patelenæ, Hostilinæ, Floræ, Lacturtiæ, Matutæ, Runcinæq;: & cùm domui custodiendæ unus homo sufficiat, Romani tres Deos præponebant, videlicet: Forculum foribus, Cardeam Cardini, Limentium Limini:* (c) *verbo, ut scripsit S. Leo:* Roma cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, si nullam respueret falsitatem. (d) *Cur igitur inter tot minutósq; Deos non etiam Christum accepit, non minori utiq; dignum veneratione, quàm Forculus & Limentius, ostiorum Dij custodésq;? Respondet D. Augustinus accommodatè proposito nostro.* Socratis sententia est, unumquémque Deum sic coli oportere, quemadmodùm se ipse colendum esse præceperit: proinde ista summa

(a) Tertull. Apologet. cap. 5. & 21. (b) Euseb. l. 5. Præparat. Evang. cap. 15.
(c) S. Augustin. l. 4. de Civit. c. 8. (d) S. Leo serm. 1. de SS. Apost. Petro & Paulo.

na necessitas facta est, non colendi Deum Hebræorum & Christianorum; quia si alio modo eum colere vellent, quàm se colendum ipse dixisset, non utique eum colerent, sed quod ipsi finxissent. Si autem illo modo colere vellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falsos Deos offenderent. (a) *Malè ergo Religioni consuluit, qui illam obtentu pacis inter Petrum Calvinúmq; divisit: nec composuit, sed auxit bellum.*

Sed ferri hoc poterat, si modò Maimburgus bonâ fide scripsisset. Taceo immensas illas, perpetuásq; assentationes, quibus nunc Regi suo, nunc Parisiensi Archiepiscopo effusè blanditur; & hunc alicubi non exæquat tantùm B. Gregorio, sed etiam præfert: quis fidat testi partium studia tam apertè professo? Sed demus hoc amori & gratitudini in Galliæ Regem, laudes pretio reddidit; illud saltem nulla ætas ignoscet, quòd singulis ferè paginis, tantóq; compulsu verborum, fidem, veritatem, candorémq; professus, nihil minus tamen, quàm hæc omnia cordi habuit, quoties occasio fuit causam suam promovendi nullâ veritatis curâ; exempla passim occurrunt, puderétq; cum mortuo luctari, nisi protegendæ veritatis necessitas urgeret, admonendíq; Lectoris; præsertim cùm superstent adhuc vivántq; libri, & istos ego, non personam confutem. Pauca libabo, ut ex fimbria pannum agnoscas. Primò, *omnia ferè argumenta, quæ Pontificum auctoritati opponit Maimburgus, sunt illa ipsa, quæ jam dudum à Calvinistis & Lutheranis, ac præsertim Centuriatoribus producta fuerant, ac millies à Catholicis refutata. Legat cui vacat, quæ Illyricus de Translatione Imperij, & quæ Maimburgus scripsêre; fatebitur nihil ab isto novi allatum esse, nec alio differre, quàm quòd iste Gallico, ille Latino sermone scripsit. Ubi ergo Maimburgus argumenta ab Illyrico contra Pontifices alla-*

(a) Augustin. lib. 1. de consensu Evang.

ta, & apud Bellarminum aut Baronium reperta ac confutata descripsit, miróq; verborum triumpho auxit (vix enim alium scriptorem reperias, qui sua glorioſius jactet) tacet interim, supprimitq; Catholicorum solutiones, ac responsa, quæ apud eosdem Auctores, ijsdémq; folijs legerat; quod quàm à fide, candoréque historico sit alienum, nemo non videt; quæ enim Religio, & cura veritatis, referre ab hæreticis dicta, tacere à Catholicis responsa? Sic in Historia de Imperij declinatione Baronium confutat, miseréque à suis Amanuensibus deceptum *dicit*, quòd Collegij Electoralis Innocentium IV. (*is obijt anno 1254.*) auctorem faciat. *Id verò ut probet, duo profert testimonia, Alberti videlicet Stadensis, & Martini Poloni. Albertus Stadensis (is Chronicon suum à mundo condito ad annum 1250. aut 1256. perduxit) ita loquitur:* Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem, Trevirensis, Moguntinus, Colonienſis, Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchgravius de Brandenburg, Rex Bohemiæ non eligit, quia non est Theutonicus. *Ergo infert Maimburgus: Collegium Electorale consensu,* & prætaxatione Principum, *non auctoritate Pontificum est institutum. Martini Poloni (qui anno 1278. aut 1279. dum possessionem Archiepiscopatûs Gnesnensis adiret, in itinere extinctus est) sunt hæc verba:* Et licèt isti tres Ottones per successionem generis regnaverint, tamen postea fuit institutum, ut per Officiales Imperij Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet, Moguntinus, Trevirensis, Colonienſis, Brandenburgensis, Palatinus, Dux Saxoniæ, Rex Bohemiæ. *Ex verbis illis Poloni:* Postea fuit institutum, ut per Officiales Imperij Imperator eligeretur, &c. *concludit Maimburgus, immediatè post Ottonem III. hoc est, ano 1002. vel dum is Romam profectus esset, hoc est, ano 996. Collegium Septemvirale institutum esse, non ergo sub Innocentio IV. & in primo Lugdunensi Concilio, hoc est, anno 1245.*

Utrám-

Utrámque objectionem apud Baronium ad annum 996. n. 67. & 69. Maimburgus legerat, (nam Baronium citat, refutátque) ijſque tanquam argumentis ſuis utitur impugnandæ Pontificum auctoritati: tacet tamen, diſſimulátque ſolutiones à Baronio ſolidè adhibitas, videlicet: licèt in Concilio Lugdunenſi I. ſub Innocentio III. Electores deſignati fuerint Archiepiſcopus Salisburgenſis & Duces Auſtriæ, Bavariæ, Brabantiæq;, Principum tamen conſenſu, & accedente Pontificum, ſive Innocentij IV. ſive Alexandri IV. auctoritate, ſucceſsiſſe Ducem Saxoniæ, Palatinum, & Brandeburgicum, præſertim cùm Auſtriæ & Bavariæ Duces ipſi ad Imperium aſpirarent malléntque inter eligendos, quàm electos cenſeri: non ergo negare Stadenſem, Collegium Electorale ab Innocentio IV. inſtitutum fuiſſe, ſed ſolùm Principum conſenſu primis Electoribus alios ſubſtitutos eſſe. Martinum Polonum quod attinet, cùm ſcribit: Poſt Ottonem III. inſtitutum eſſe, ut Imperator ab Officialibus Imperij, & Septemviris eligeretur; *non dicere quidem, à quo hæc inſtitutio manaverit, ſed nec negare à Pontifice manáſſe: nec illud adverbium* poſteà *innuere eam inſtitutionem immediatè poſt Imperia Ottonum contigiſſe; ſed abſolutè* poſt Ottones; *quod utique verum eſt, ſi dicamus in Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. factum id eſſe. En ſolutiones à Baronio datas! ſed Maimburgus eas callidè tacuit, cùm nihil haberet, quod opponeret. Quis jam non videt, non tam illi curam fuiſſe vera ſcribendi, quàm fallendi Lectorem? Si enim fallere non erat animus, cur dixit, quæ cauſæ ſuæ favebant, tacuit, quæ adverſabantur? Non hæ Hiſtorici, ſed Advocati ſunt partes, útque corporum, ſic veritatis imagines non magis detrahendo, quàm addendo fœdantur. Aliud hujus artificij paradigma in Hiſt. Lutheraniſmi reperies, ubi cùm probandum ſuſcepiſſet: debere Pontifices Imperatorum legibus, quamvis impias credant, acquieſcere; Exemplum Gregorij Magni producit, qui Mauritij legem, ne mili-*

tes Monasteria, nisi expletâ militiâ, ingrederentur; impiam esse, sacrilegámq; censuerat, & scripserat longâ ad Imperatorem epistolâ; & tamen ut Imperatori morem gereret, totâ Italiâ promulgavit; id Maimburgus more suo exaggerat; tacet tamen, quod maximè ad rei summam pertinebat, quódque causam Maimburgi maximè evertit, videlicet, Gregorium Mauritij legem correxisse, correctámque ac quibusdam additis conditionibus mitigatam promulgâsse; recitat Baronius hujus correctionis exemplar, quod utiq; Maimburgum non latuit, qui Baronium ad marginem citat; sed ne sententiam suam mutare cogeretur, maluit veritatem celare, quàm profiteri. Secundò. *Usq; adeò insectandi Pontifices, eorúmq; auctoritatem Principibus submittendi cupido Maimburgum abripuit, ut non puduerit non solùm argumenta, sed etiam exempla ab hæreticis & Luthero petere, & illa summis laudibus exornare, ac Pontifices admonere, ut Lutherum imitentur, Religionem Principum voluntati substernentem. Nemo mihi facilè id credat, quippe indignissimum facinus narranti: sed legat quicúnque fidem non habet, primam partem Lutheranismi, & inveniet nihil à me additum esse veritati. Narrat illic Carolum V. Imperatorem Augustam venisse, ac Electoribus Lutheri dogmata profitentibus imperásse, ut Cæsari assisterent Missam ritu Catholico audienti, Præconibus verò ut suggestu, ac concionibus abstinerent: Lutherum consultum esse, an Cæsari hæc imperanti obtemperare oporteret! eum verò respondisse, omnino oportere. Hæc cùm Maimburgus recitâsset, perinde ac si è sacris libris, vitíque Patrum oraculum deprompsisset, mox subjungit Gallicâ phrasi:* En, *inquit,* præclaram lectionem, cui meritò omnes auscultent, *adjungítque exemplum S. Gregorij, sed malâ fide relatum, ut suprà notavimus. Memini celebrem in Germania Principem, litterísque ac Religione præcipuum, ubi ad hunc locum devenit, adeò rei indignitate commotum, ut dcinceps Maimburgi libros abjecerit, eorúmque*

lectione

lectione sibi interdixerit, quæ occasio fuit, ut ad me is liber pervenerit. Videt hic lector, quàm cæca & inconsulta fuerit in hoc Scriptore, aut Principibus adulandi, aut Pontifices insectandi cupido, ut obvia quæq; arriperet, nullo delectu, ac etiam indigna. Tertiò. *Sed nec Religioni ducit unum pro alio asserere, quippe fraudis securus, inopiâ aut temporis, aut librorum, quæ paucis Lectorum ad manus sunt. Opponebatur Maimburgo exemplum Zachariæ Pontificis, qui Imperium Francicum suâ auctoritate à Merovingica stirpe, ad Carolinam transtulerat. Ut hoc argumento se expediat, respondet, asseveratque Maimburgus, Zachariam* non imperâsse, *sed tantùm* consuluisse; *& qui contrarium dicat,* ignorantiâ laborare rerum Gallicarum *(nam & hoc quóque solemne habet, ut sua magno fastu extollat, aliena pari neglectu habeat) Atqui Auctores omnes ac antiquissimi, & consuluisse Zachariam, & imperâsse dicunt, ejúsque auctoritate Translationem hanc factam. Eginhardus Caroli Magni Aulicus, & à secretis:* Hildericus Rex, *inquit,* jussu Stephani Romani Pontificis depositus acdetonsus, & in Monasterium detrusus est. *Et infrà:* Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatij Rex constitutus est. *Rhegino in Chronico:* Jussit Papa per Auctoritatem Apostolicam, Pipinum Regem creari, ne perverteretur Christianitatis ordo. *Annales Francici à Pythœo editi:* Anno DCCLII. Zacharias Papa ex Auctoritate Petri Apostoli mandat Populo Francorum, ut Pipinus, &c. *Abbas Urspergensis ad annum DCCXLII. circa finem:* Sic ergo Pipinus ex Præfecto Palatij auctoritate Apostolicâ sublimatus & unctus in Sedem Regni, absolutus per eundem Papam Stephanum à juramento, &c. *Hæc omnia & complura alia antiquissimorum testimonia, silentio Maimburgus premit, dissimulátque perinde, ac si nunquam legisset, cùm certissimum sit, lecta ab eo esse; & tamen conatur persuadere Lectoribus, Pontifices in hac translatione*

latione consilio tantùm, non imperio egisse. Eodem modo in libro, quem pro quatuor propositionibus scripsit, ut ostendat Concilium in rebus fidei decidendis supra Pontificem esse, exemplum allegat quinti Oecumenici Concilij, in quo contra Vigilij Constitutionem Patres tria Capitula damnárunt, quod postea Concilium à tota Ecclesia receptum est; constat ergo, *infert Maimburgus*, Concilium in rebus fidei decidendis supra Pontificem esse. *Atqui certum est, quæstionem de tribus Capitulis non fidem, sed Personas spectâsse, Theodorum videlicet, & Theodoretum, & Ibam, quorum jam vitâ functorum memoriam Chalcedonense Concilium absolverat, sed Quinta Synodus damnandam decreverat; & ipse S. Gregorius testatur eam causam non fidei, sed Personarum fuisse; alioquin si de fide ageretur, errâsset contra fidem Synodus Chalcedonensis, quæ pro tribus Capitulis pronuntiaverat: neque id Maimburgus ignoravit, cùm in libro de Pontificatu S. Gregorij, ubi latè hoc argumentum prosequitur, agnoscit citra fidem eam litem stetisse; qui ergo fieri potest, ut ex condemnatione trium Capitulorum concludatur, Concilium in rebus fidei supra Pontificem esse, cùm ipse Maimburgus non ignoraverit, non fidei causam, sed Personarum fuisse? Infinitus sim, si omnia persequar, quæ Maimburgum malæ fidei accusant, nec ignorantiâ tantùm, sed industriâ peccâsse; nec ego ea referrem (nam defunctis cineribus reverentiam habeo) nisi necessaria crederem prænonendo Lectori; quid enim si venenum ostendam jam labris admovendum? & forsitan si vita Maimburgo superfuisset, emendâsset, quæ odio aut amore peccaverat? nec dubito, nunc ea improbare, quando his affectibus vacuus, ac rerum vanitatem expertus dolet, respuítque præterita.*

GALLIA

GALLIA VINDICATA.

DISSERTATIO I.

§ I.

Quid Regalia, quæ ejus initia, quomodo extensa, & quibus titulis, ac rationibus innixa.

SUMMARIA.

1. Malè Catholicos, sacrósq; Doctores domesticis prælijs concurrere, cùm externa abundent; sed adulationi, privatísque cupiditatibus hoc deberi; exemplum in Ludovico Maimburgo, cujus artificia notantur.

2. Quid Regalia, & per quos gradus provecta? De Custodia, Infeudatione, Spolijs, & Collationibus Beneficiorum. Hæc omnia contra antiquos Canones fieri.

3. Regaliam úsque ad tertiam Regum Galliæ stirpem aut ignotam, aut pro abusu habitam esse clarissimis testimonijs evincitur. Libertas Cleri Gallicani olim Reges admonentis.

4. Regaliam sub finem sæculi XI. inductam: Error Maimburgi illam ex Concilio Lateranensi, & privilegio Calixti II. deducentis.

5. Ante Concilium Lugdunense solâ consuetudine jus Regaliæ stetisse, non ideò tamen aut licitum, aut concessum, quia toleratum.

6. Concilium Lugdunense Regaliam intra consuetudinem coër-

eet, precibus præsertim Gallicanæ Ecclesiæ; an eo Concilio ususfructus vacantium bonorum, & Collatio Beneficiorum concessa?

7. *Regaliam toto Regno extendere aliquoties à Regijs ministris tentatum est, adversante semper, & vincente Clero: Edicta Henrici III. & Henrici IV. & Ludovici XIII. & tandem Ludovici XIV. quo ultimo jus Regaliæ ad omnes Gallici Imperij Provincias extensum est.*

SÆpe mihi Catholicorum discordias, ac intestinas lites cogitanti, & quæ licèt calamis, non ferro agitentur: non ideò tamen minùs Rempublicam turbant, imò tantò magis, quantò sunt graviora animorum, quàm corporum vulnera; lubet exclamare: heu quàm inanibus, imò noxijs bellis occupamur, quando tot alia supersunt, & necessaria, & coronis digna, nullóque pugnantium damno! quanta ubique terrarum scelerum, ac errorum messis est, quæ falcem, ac calamos Catholicorum exspectat? quanti animarum fasces ideò pereuntium, quia medicis carent: quorum ope sublevandæ; quanta rerum cœlestium & ignorantia, & contemptus? in tribunalibus fraudes? in castris impudentia? in aulis scandala, & exempla vitiorum? his omnibus emendandis, quæ tantò majoris momenti, & curæ sunt, quòd æternitatem, ac cœlum spectant: omnium vigiliæ, & ingenia Doctorum sudare oporteret, eorum præsertim, qui rerum temporalium expertes, cœlo tantùm militare se profitentur: & tamen adulandi, blandiendíque cupido, perpetuum in aulis malum, adeò omnia pervasit, ut animarum, cœlíque curâ depositâ, non tantùm Regum vitia palpentur, sed etiam ea mederi volentibus bellum indicatur, & cùm medicos, ac remedia proscribunt, amare tamen ægrotum se dicunt; nec dicunt tantùm, sed etiam creduntur, imò præmia, ac stipendia latrocinij accipiunt, quia videlicet blandè perimunt, & venenum inter mella, rosásque propinant, duplici flagitio felices, & quia nocent, & quia placent. Olim regnantium peccata silentio, quod

quod metus, & reverentia indixerant, involvisse, tanti æstimabatur, ut sanctissimum Prophetam in has voces querelæ, & doloris plenas impulerit: *Væmihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.* (a) Nam ut SS. Hieronymus, Cyrillus observant, cùm Oziæ Rex Sacerdotij partes invaderet, & thus Deo adoleret; Isaias castigare Regem omiserat, metu, turpique conniventiâ victus, quam culpam priùs non agnovit, quàm divino tribunali assistens, & ideò licèt sanctus, licèt Choris Angelorum immixtus, miserum se tamen, & contaminatum professus est: quid, rogo, diceret si non tacuisset tantùm, sed etiam laudâsset, approbâsset, & pulcherrimis encomijs sacrilegium adjuvisset? & tamen hi sunt temporum nostrorum mores; & quod olim de Babylone prædictum est, jam etiam in Ecclesia Dei cum genitu videas: *Et respondebunt ibi Sirenes in delubris volupatis.* (b) Quod tu delubrum voluptatis hoc tempore reperias, in quo non adorari simul vitia, & cantare Sirenas audias? nulla ferè jam culpa est sine cantu, & Sirene, ac patrocinio adulantium: & ut nemo perire non amet, præluditur naufragijs, ac quod planè miserrimum est, illa quondam morum censura, & emendatrix Theologia; illa sacris pulpitis dicata eloquentia; illa ingenia sacris studijs, & variâ cognitione rerum instructa; illæ voces profligandis vitijs conductæ; hæc, inquam, omnia in obsequia regnantium translata, non tam cœlo, & veritati, quàm aulæ serviunt, delictis in tutelam, sinúmque receptis; verbo: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Inter hos meritò recenseas, qui in nupero Regaliæ negotio, quod Ecclesiam adeò turbavit, Regem sui officij monere non sunt ausi: enimverò nimiam hanc, & remissam conniventiam nec Regi, nec causæ quasi patrocinium immeritæ adscripseris: Rex enim ut indolis, animique excelsi, ita veritatis patientissimus, & æqui amantissimus est; nec unquam in alienam, & sacram messem falcem misisset, nisi consilijs eorum permotus, *qui lucem tenebras dicunt*, ac specie honesti cupiditates suas obvelant, quas palàm erubescunt. Causa verò tam æqua fuit, & à veritate tot præsidijs munita, ut nemo illam, quamvis provocatus, ausus sit calamo impetere, & ad ea respondere, quæ contra Regaliæ extensionem à nobis di-

 ceban-

(a) Isaiæ 6. (b) Isaiæ 13.

cebantur. Veritatem ergo nemo non agnovit, sed tamen, si duos excipias, nemo palàm tutari est ausus, omnibus auram, quæ ab aula spirabat, captantibus; ita nimirum ea causa apud plerósque vicit, non quæ melior, sed quæ palatio charior.

Sed nemo æque ut Ludovicus Maimburgus admirationem movit. Is in ea Religione consenuerat, quæ innumeris à sacra Sede beneficijs exornata est, quæ Pontificum Romanorum curâ, & officijs Galliæ, unde cum summo dedecore exulatum ierat, restituta fuit, repugnante quamvis Regio Senatu, nec minus Sorbonâ: (a) quæque se quarto voto defendendæ Romanæ Sedi adstrinxit: (b) audi Patres Societatis ita loquentes. *Tribus votis quartum Societas adjecit, & quidem solemne, quo Professi devovent se obsequio Romani Pontificis, ut quocunque terrarum Evangelij causâ eos jusserit proficisci, ad ejus nutum prompti sint, & expediti: neque detrectare hoc possunt imperium, quamvis ad Barbaros mittantur: neque infessa latronibus itinera: neque maria tempestatibus, simul & piratis infessa, neque scopuli, & syrtes, & naufragia, neque Barbarorum, & Hæreticorum secures Jesuitarum sanguine infectæ, ullam huic voto gratiam faciunt.* (c) Et alibi. *Multum interest Societatis Pontificum auctoritatem non vilipendi; an non est illa tota Bullatica, hoc est pendens à Pontificum Bullis? illius simplex Castitatis votum dirimere matrimonia, habet à Bulla: Scholares illius veros esse Religiosos, habet à Bulla: Religiosa cum Paupertate stare Religiosorum Dominium, habet à Bulla: inter Ordines mendicantes censeri, habet à Bulla:* (d) Et P. Danielem Papebrochium nomine totius Societatis in præfat. ad Tom. 1. Apr. *Multò sanè æquius est nos sanctæ Sedis Apostolicæ judicio, ac decretis obtemperare; nam Cœlites omnes, Deúmque ipsum attestamur, nos eandem sacrosanctam Sedem ut veritatis Magistram revereri, neque ab ejus scitis, jussísq; vel latum unguem declinare velle.* Et hæc quidem sunt sensa totius Societatis, quibus omnium ex eadem Societate Theologorum voces, & vota accedunt. Quis unquam crederet in schola, quæ Pontificis authoritatem tam altè, & ubique terrarum professa est, Ludovicum Maimburgum potuisse opiniones imbibere tam à vero, & Societatis mente alienas, ac supremæ Pontificis authoritati adversas? & tamen hâc tempestate nemo pejùs eo scripsit; Regio videlicet favori, ac præmijs copiosè propositis veritatem posthabuit.

Neque

(a) Vid. Thuan. lib. 136. & Decret. Sorbonæ de anno 1574. (b) Vid. Bullam Jul. 3. (c) Vide Imagin. 1. sæculi lib. 1. cap. 9. (d) Vide Prodrom. n. 68.

Neque enim huic Gallicæ Sireni propositum aliud fuisse, quàm Regiam gratiam captare, vel satis illæ Præfationes ad Regem omnes inscriptæ convincunt, laudibus, encomiisque adeò perfusæ, ac adulationibus intextæ, ut non dubitem etiam Principi molestas esse: sed mihi non tam Maimburgum, quàm causam ipsam prosequi animus est. Primo igitur libro de Regalia dicam, quam Maimburgus varijs locis sed cursim, ego quóque alio opere libavi; sed nihil, aut pauca de illius extensione, & universitate, quippe ad alia intentus, calamo in quatuor propositiones festinante.

II. Regalia ergo nihil aliud est, quàm *jus, & facultas Regibus concessa fructus, & proventus vacantis Episcopatûs (cujus electio ad Regem pertineat) percipendi, & beneficia, ac præbendas curæ animarum expertes, interim conferendi.* Quamvis enim jus Regaliæ, si latius sumatur, ex quatuor juribus confletur, videlicet: *eligendi, investiendi, beneficia vacantia conferendi, percipiendique fructus, ac proventus temporales* (a) hîc tamen de duobus tantùm ultimis agemus, quæ propriè ad Regaliam spectant, omissis Electionibus, & Investituris, de quibus alibi. Quamvis verò sola vacantium Ecclesiarum Custodia ad Principes olim pertineret, posteà tamen depositum, & Custodia in Dominium, usúmque transijt, vincente leges cupiditate. Imò ne Custodiam quidem sacri Canones Principibus sæcularibus permittebant, sed Oeconomis, quos defuncto Antistite Clerus legebat. (b) Transijt posteà, ut dixi, ad Principes Custodia, & post Custodiam usurpatio, quæ tamen priusquàm in legitimum jus, & privilegium evaderet, gravissimis Patrum, aliorúmque censuris vapulavit. (c) Dicemus ergo quibus incrementis in hanc usque diem jus Regaliæ adoleverit, ad eúmque apicem, quem modò obtinet, pervenerit; quippe non eâdem horâ invalescunt corruptelæ, sed more fluminum, decursu augentur, initijs verecundis, progressu immodico, ac legum omnium experte. Quæ causa fuit, ut plerique Regaliæ originem obscurissimam crediderint, & Nili fontibus supparem; eam siquidem, ut modò est, quærebant, cùm tamen, ut dixi, non semper eadem

(a) Vide Prælud. Reg. sacerd. §. 1. n. 13. (b) Vide Concil. Chalcedon. can. 26. Hispal. II. c. 9. Tolet. IV. c. 47. Nicæn. II. cap. XI. Ilerd. c. 16. Francford. can. 41. Pontigom c. 14. Trost. can. 14. & can. 22. 25. Caus. 16. q. 7. & S. Greg. lib. 2. epist. 22. (c) Vide Della Marca lib. 8. & Baron. ann. 996. & Regale Sacerd. fol. 70. & 71.

fuerit, sed à parvis, & vix observatis initijs, in immensum creverit, anguium modo quantò major, tantò nocentior.

Primò igitur jus Regaliæ nihil aliud, quàm jus Custodiæ fuit, & hoc nomine Custodiæ in Concilio Lugdunensi, aliísque Authoribus appellatum est. (a) Vacante ergo Ecclesiâ Episcopali, ejusdem fructus, ac proventus in Custodiam Principum cedebant, qui etiam ijs custodiendis Oeconomos dabant. Id quidem, ut vidimus, Canonibus vetitum, sed Principes, qui se omnium Ecclesiarum, vacantium præsertim (quo tempore magis injuriæ patebant) Advocatos, Defensorésque ferebant, hanc sibi curam deberi crediderant; obtentu ergo pietatis & Canones laxati, & fores cupiditati apertæ. Enimverò ut primùm in manus Principum sæcularium facultates Ecclesiæ pervenerunt, de modis cogitari cœptum est, quibus adhærerent, nec cupientibus defuêre. Regnantium liberalitate non solùm magnâ vi auri, gemmarúmque, ac pretiosæ suppellectilis Ecclesiæ auctæ fuerunt, sed etiam fedis, dominijs, latifundijs quàm plurimis (b) hæc omnia jure beneficiario à Principibus data. Feudorum origo à Longobardis ducitur gente Germana ad Albim, aut ut alij volunt, ad Visurgim sita, quæ causa est, ut totum jus feudale vocibus Germanis abundet. Hi ergo in Italiam profecti, deletis Gothis ducentos annos regnârunt, prædijs, ac latifundijs in milites loco stipendij divisis, eâ videlicet conditione, ut cùm opus esset, militiam adirent, & Dominis in bello adessent, qui etiam hodiernâ tempestate Timaritis Turcarum mos est. Constabat jus feudale moribus, & consuetudine potiùs, quàm jure scripto, & ita variè mutatum est: olim enim feuda, aut per modum ususfructûs, & precariò concedebantur, & morte finiebantur possessoris; aut non priùs ad hæredes transibant, quàm à Domino directo investirentur, (c) hoc interim fructus omnes vacantis feudi recipiente, unde natũ credimus *jus Relevij*: mortuo enim vasallo, velut in solatium translati in alios feudi redit ad Dominum directum, non verò ad hæredes jus omnes fructus sibi vendicandi, donec illi investiantur; id in multis Galliarum provincijs adhuc obtinet, videlicet Picardia, Campania, Neu-

(a) Vid. c. 13. de elect. in 6. Flod. in calce Hist. Rhem. Rigord. ad an. 1190. M. de Pamiers de la Reg. f. 18. Nangis in vit. B. Lud. (b) Vid. L. 1. C. de SS. Eccl. Possid. in vit. S. Augustı. cap. 22. Malmesbur. de gest: Reg. Ang. lib. 5. (c) Vide Rambeck in silva Feud. fol. 5. M. de Pamiers de la Regale. fol. 15.

Neuſtria, Andegavia, Turonia, Armorica, ſeu Britania minori, & Biturigia. (a) In reliquis Galliæ Provincijs, hæredes, non Dominus in feudum, fructúſque ſuccedunt, nullóque jure Relevij, ſola intra diem, & annum petendæ inveſtituræ neceſſitas ſupereſt. Cùm ergo multa feuda liberalitate Principum Eccleſijs Epiſcopalibus adjuncta eſſent, hinc ſumpta occaſio eſt, vacantium Eccleſiarum fructus, velut aperto feudo, uſurpandi, & ita jus Regaliæ à feudis originem duxit, quod etiam ex eo palàm fit; quòd nomen Regaliæ, Inveſtituræ, exhibitio juramenti, & homagij, aliæque ſolemnitates, quæ Regaliam comitantur, omnino feudum redoleant, & hoc ipſum cùm celebres hiſtorici, tum pleríque juriſconſulti docuêre, (b) jus videlicet Regaliæ, feudis deberi. Quæ etiam cauſa eſt, ut ſicut in feudis non ubique Galliarum defuncto Domino jus Relevij locum habuit, ita néque jus Regaliæ ex feudis natum. En alium igitur, & ſpecioſum quidem titulum vacantis Eccleſiæ fructus populandi, jus videlicet feudi. Sed néque hîc finis, ut in hydrope, ſitim potus accendebat. Supererant Decimæ, oblationes, ac munera fidelium, bona mobilia, ſupellex domeſtica; quo jure hæc occuparentur? nam & iſta Regaliæ acceſſerunt. Repertum eſt jus ſpolij; hocà Clericis cœptum, qui ſublato Antiſtite ædes diripiebant, legebántque velut ex naufragio ſpolia: & prædam agentibus Clericis cur Principes ceſſarent, & potentiâ, & beneficijs in Eccleſiam collatis multò potiores? Equidem & ſacri Canones, & leges Imperatorum in hujuſmodi prædones ſæpe, gravitérque armatæ ſunt, (c) ſed cohiberi abuſus non potuit: nam nec Principes metus legum tenebat, & iſtorum exempla minores ſequebantur. Abuſus ergo in uſum tranſijt; uſus verò, ut ferè ſolet in conniventiam, hæc in privilegium (concedi enim ſolent, quæ vetari non poſſunt) & indulgentiam neceſſitas fecit. Hic tertius Regaliæ

(a) Picardie, Campagne, Normandie, Anjou. Tourene, Bretagne, Berri (b) Vide Marc. lib. 8. cap. 22. Rigord. de Geſt. Philippi Aug. ad an. 1209. Innoc. III. lib. 1. epiſt. 190. & lib. 2. epiſt. 40. 106. 107. Matt. Pariſ. ad ann. 1164. Libert. de l' Egl. Gallic. fol. 106. M. de Pamiers fol. 17. & Phil. Pulch. in mandato Archiepiſc. Senon. dato, ubi; *Sicut feudum vaſallo vacans cum ſuis redditibus interim à Domino licitè occupatur, idque de jure, & generali conſuetudine, ſic Nos, & noſtri anteceſſores vacante Eccl. Carnot. temporalia accipimus, & noſtros facimus omnes fructus, &c.* (c) V. Concil Antioch. can. 24. & 22. & Concil. Chalc. can. 22. & conſt. Joan. ac Eman. Comn. ann. 1120. & 1213. & in Decreto cauſam 12. quæſt. 2.

galiæ gradus fuit. Ab hoc ad collationes Beneficiorum, quæ curam Animarum non habent, processum est. Quis crederet hoc à Laicis tentari potuisse? tentatum est, imò & obtentum, ac tandem quod inveteratum usum ferè consequitur, à Summis Pontificibus toleratum, & tolerantia pro privilegio accepta : ac primò quidem nominabant tantùm, aut præsentabant Principes; Capitulum, Metropolitani, aut Pontifex conferebat; posteà libertate ex eventu aucta; etiam collationes Beneficiorum secutæ; quo, inquies, hoc jure? quòd collationes inter fructus Episcopatûs censerentur, utique familias de Regibus bene meritas remunerari liceret, intacto interim, & illibato ærario; nec Pontifices abnuebant. (a) Philippus Augustus expeditioni in Terram Sanctam accinctus Reginæ Matri, & Rhemensi Archiepiscopo, *quando Regalia in manus Regias devenerint* collationes Beneficiorum testamento committit : Idem Philippus uni ex aulicis Capellanis Canonicatum vacantis Ecclesiæ Laudunensis, *secundùm antiquam, & approbatam Regni sui consuetudinem* contulerat, & cùm Innocentius III. alium promovisset, querelæ Romam allatæ ad Pontificem sunt, nec verò rejectæ, sed causa, uter ex promotis præhabendus esset ad Capitulum Laudunense remissa.

Idem quoque jus à Ludovico sancto exercitum : nam primam in Palæstinam expeditonem adornans, Regiæ Matri inter alia concedit, *ut dignitates, ac Beneficia Ecclesiastica vacantia conferre, fidelitates Episcoporum recipere, & Regalia restituere eis debeat.* (a)

Idem repetit in literis ante secundam navigationem datis : & cùm Clemens IV. PP. vacante Ecclesia Rhemensi præbendam contulisset, Rege sancto sua privilegia violari conquerente, Pontifex gratiam jam in alium collocatam revocavit. Gregorius X. anno 1271. collationem à Rege Philippo Audaci factam vacante Ecclesiâ Senonensi probat, confirmátque. His ergo gradibus Regalia processit; sed nec stetit hîc quidem. Olim Provincias tantùm, & Ecclesias aliquas complectabatur, non verò omnes, quod infra demonstrabitur, nec Principes Sacerdotia omnia conferebant, sed ea tantùm, quibus nulla animarum cura. Hâc verò tempestate, anno

(a) Anno 1190. (b) V. Testam. Regis Aug. dans le Liv. des libertez de l'Egliſ. Gall. chap. 16. an. 4. Bull. Innoc. III. idid. a. 6. litter. Ludov. IX. an. 1248. ibid. n. 15. Nangis in vit. S. Ludov. p. 445.

anno videlicet MDCLXXIII. Regia declaratio prodijt, quæ jus Regaliæ ad omnes Gallicas, aliásque Provincias Regi subjectas profert. Crediderim illam non tam Regio motu, & voluntate, quàm adulantium artibus expromptam; quò enim jus Regaliæ amplius patet, tantò eorum, qui Regem circumstant, major est jurisdictio, ac facultas amicos, clientelas, favores, opésque parandi, collatis in eos Beneficijs, pro quibus ipsi supplicant, auréque Principis occupant; maximè cùm eorum arbitrio Sacerdotia plerúmque committantur. Privatis ergo studijs Regium nomen obtenditur. Accessêre alia, quæ hanc ipsam collationem supra omnes Canones, regulásque Ecclesiæ in immensum extendunt. Olim sola nominatio, aut Præsentatio, nunc Collatio, & Institutio est. Admittuntur resignationes *in favorem:* onerantur Sacerdotia pensionibus: conferuntur Beneficia non solùm libera, sed etiam juri Patronatûs tam Laici, quàm Ecclesiastici obnoxia; Canonicatus, aliæque dignitates, quarum Collatio non ad solum Episcopum, sed etiam alternativè ad Capitulum, seu Collegium spectat, nullo discrimine Regaliæ subduntur; imò etiam quæ ad Capitula Regularium, & quæ in litem deducta sunt, quæque solo facto, quamvis non jure, aut econtrà quæ solo jure etsi non facto vacant, legitimis, innoxiisque possessoribus nullâ causâ submotis; & quia post Galliæ concordata solis Regibus jus ad Episcopatus nominandi concessum est extinctis electionibus; facile est nominationem diu multúmque differri, quod Principis arbitrio sedet; interim, dum delectus agitur, dum Romæ Confirmatio elaboratur, dúmque in actualem possessionem Episcopus intrat (nam & hæc necessaria est) quis non videt per tot rerum, temporúmque ambages, & Regaliæ spatia protendi, & temporis beneficio proventus Regios augeri, Ecclesiâ interim viduitati, prædaque relictâ. Denique his omnibus Beneficia Curata, Ecclesiæque Parochiales augendo velut fasci paulatim adjiciuntur, aut saltem voluntas, conatúsque Regijs Officialibus non deest; quod etsi Archiepiscopus Tolosanus in Epistolis ad S. Pontificem datis neget, aut potiùs Sacerdos ille Societatis, qui Archiepiscopi calamum ducit, apertè tamen convincitur, tum ex varijs, vulgatísque libellis, quibus etiam ad hæc Beneficia Regaliam extendi posse persuadere conatur: tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Episcopi Apamiensis testimonio (a) in libro, quem de Regalia scriptum reliquit, & quem nemo hactenus confutare est ausus, quamvis non deessent in Gallia, qui cuperent, nisi veritatem erubescerent; tum exemplo Archipresbyteratûs cujusdam (b) in Episcopatu Apamiensi, quem legitimo possessori ademptum, quòd Episcopi sui causam Romæ ageret, in alterum contulêre Regaliæ obtentu. Videas ex hactenus dictis, per quos gradus paulatim Regalia profecerit, & quibus incrementis ad fastigium provecta sit: in quibus nemo tam leviter tinctus est, qui non videat, quàm multa sint sacris Canonibus adversa, & Canonibus non recentibus tantùm, quos Galli neglectui habent, sed Canonibus antiquissimis, & illis ipsis quos libertatis Gallicæ fundamenta esse dicunt. Mirari ergo satis non possum, eos ipsos, qui singulis ferè lineis observantiam Canonum decantant, qui hanc ipsam Summis Pontificibus contentissimè inculcant, ejúsque relaxandi Canones facultatem in litem vocant, quique libertatis Gallicanæ fundamenta in Canonibus ponunt, adeò tamen in Canones offendere, ut ne curare videantur. Quid magis Patrum decretis prohibetur, quàm Electiones liberas turbari, proventus Ecclesiarum diripi, Monasteria Abbatibus titularibus commendari, Beneficia Pensionibus subdi, resignationes *in favorem* recipi, nominationes Patronorum occupare, causas Ecclesiasticas profanis tribunalibus subdere, Principes Ecclesiasticæ libertati graves silentio, applausu, consilijs, turpíque adulatione permulcere, imò nolentes impellere? eos verò qui officij sui, ac periculi monent, adornatis accusationibus suspectos, reósque facere, facultatibus, exilijs, suppliciisque punire, nullius criminis compertos, quàm quòd æquum gratiæ præhabuerint, magísque animas Regum, quàm præmia dilexerint? Et denique, ut mille alia dissimulem, quid magis in Canones pugnat, quàm limites ab Oecumenico Concilio, & sexcentorum Patrum suffragijs, imò divino instinctu, Regióque assensu fixos, evertere, ac privatis lucris posthabere? & tamen qui hæc Parisijs non ferunt tantùm, sed etiam faciunt, audent tamen Romam inclamare, & Canonum admonere, ac illud Zachariæ Pontificis ingerere: *Dominentur*

(a) M. de Pamiers de la Regale. fol. 44. (b) Archipretura d'Ax pigliata al Sig. Dorat, e data ad un Regalista Moceau.

minuentur vobis Regulæ, non vos Regulis. Parcite, rogo, vocibus, nec eas in longum producite; vos ipsos, & vicinam aulam monete, hîc Regulæ gemunt, hîc Canones suspirant, & ab aliquo Sacerdotum liberam vocem, ac patrocinium expectant, quam si audirent, quies Romæ, & silentium; vobis enim, vestræque libertati pugnat. Illud verò risum, an indignationem meretur? tot abusibus excusandis, quæ Regaliam, ut nunc est, consequuntur. *Regem* negant *cùm Beneficia confert, Canonibus teneri, quippe apertâ semel, & durante Regaliâ, multò ei, quàm Episcopis, Romanóque Pontifici ampliorem esse facultatem: jus Regaliæ jure Canonico, quod Episcopos ligat, multò esse antiquius, nec proinde restringi Canonibus potuisse; Regem ergo in vacantem Ecclesiam Episcopis quidem succedere, sed authoritate plusquàm Episcopali, Regiâ videlicet nullis Ecclesiæ legibus, nullis regulis finitâ.* (a) Ita Regiam mentem, ac sententiam Episcopus Apamiensis expressit, testis oculatus, & experientiâ doctus; & conspirat Maimburgus in libello de Privilegijs Rom: Ecclesiæ, ubi cùm dixisset: *Libertatem Ecclesiæ in eo esse, ut sacri Canones observentur, non verò ut pro Romani Pontificis arbitrio solvantur;* subdit: *Ecclesiæ verò Gallicanæ libertatem eam haberi, ut legibus recèns conditis subdi non possit, nisi sponte acceptatis:* quasi verò non eadem sit potestas, quæ novas, & quæ antiquas leges condidit; si ergo antiquis reverentia, & obsequium debetur, cur non debeatur novis quidem, sed necessarijs? an antiqui Canones non erant aliquando novi, num ergo repelli poterant obtentu novitatis? & si olim novitas Canonum recusantes non absolvebat, cur modò absolvit? num olim tantùm ligandi potestas, clavésque Regni Cœlorum Petro commissæ? Quid si ab Oecumenico Concilio novi Canones prodeant, an impunè rejicient? & denique nemo prudens Medicum ideò repelli ab ægro potuisse dixerit, quia novis morbis nova remedia paravit. Quamquam ne novis quidem Canonibus opus est, sufficiunt antiqui, ac Religioni in Gallia coævi, quibus si fides, & reverentia sit, satis illi enixéque Regaliam damnant, ut meritò de illis dixeris, quod Christus olim scripturas jactantibus: *Scrutamini antiquos Canones, in quibus putatis vos fiduciam habere, & ipsi sunt, qui testimonium perhibent contra vos.*

III. Enim verò sub Regibus Galliæ primæ, secundæque stirpis certum est Regaliæ locum non fuisse. Recepta est omnium ferè Scri-

(a) M. de Pamiers de la Reg. fol. 43. n. 1.

Scriptorum opinio, tres esse Regum Galliæ stirpes, Merouingicam videlicet, Carolinam, & Capeticam. Primus è Merouingica stirpe Christianam Religionem amplexus est Clodovæus Magnus. Hic anno 481. Regnum adeptus est defuncto Patre Childerico. Anno posteà 496. (a) Partim Clotildis Reginæ precibus flexus, partim victorijs miraculo datis Christianam Religionem, recepto Baptismate, professus est; exemplum Regis tria militum millia imitati, qui eâdem die Baptismo tincti sunt. Duravit stirps Merouingica in annum 752. Ab hac in stirpem Carolinam migravit Childerico tertio in ordinem redacto, utpote rebus gerendis impari; cui authoritate Zachariæ Pontificis Max. Pipinus successit Caroli Martelli filius. Pipinus, ab eóque progeniti annos ducentos triginta sex rerum potiti, familiæ Capetæ sceptrum cessére. Quippe Ludovico quinto stirpis Carolinæ ultimo sine filijs extincto, Hugoni Capeto Regnum delatum est Statuum Procerúmque communi voto, & Carolo Lotharingiæ Duce, ac Ludovici Nepote Regnis excluso. Inijt Capetus Regnum anno post Christum natum 996. (b) Binæ ergo stirpes Merouingica, & Carolina annos duos & nonaginta supra quadringentos duravêre, quo tot annorum decursu aut Gallos latuit Regalia, aut si aliquando aliquid Regaliæ simile emersit, graviter pulsata est. Regebantur Ecclesiæ Gallicanæ ex præscripto tum primorum quatuor Conciliorum, tum aliorum, quæ in Gallijs celebrata fuerunt. Hæc verò omnia gravissimis Decretis Regaliæ obstabant. Concilium Chalcedonense, cujus, teste Hincmaro, (c) maxima apud Gallos reverentia, sic loquitur: *Reditus verò vacantis Ecclesiæ ab Oeconomo Ecclesiæ integri custodiantur.* (d) Concilium Rhegiense: *Cum tale aliquid accidit* (ut videlicet Episcopus aliquis moriatur) *vicinis vicinarum Ecclesiarum inspectio, recensio, descriptióque mandetur.* (e) Concilium II. Aurelianense: *Episcopus, qui ad sepeliendum Episcopum venerit, evocatis Episcopis in unum, domum Ecclesiæ adeat, descriptámque idoneis personis custodiendam relinquat, ut res Ecclesiæ ullorum improbitate non pereant.* (f)

Concilium V. Parisiense: *Defuncto Episcopo non per præceptum, néque*

(a) Alij ponunt annum 499. (b) *Alij initia Capeti referunt ad an. 987. V. Spond.* (c) Hincmar. epist. 21. & 45. (d) Concil. Chalced. can. 25. (e) Concil. Rheg. can. 6. anno 439. (f) Concil. II. Aurel. can. 6. anno 533.

que per qualemcúmque personam res Ecclesiæ contingantur, sed vel ab Archidiacono, vel Clero in omnibus conserventur, vel defensentur; quòd si quis aliquid aufferre præsumpserit, &c. ut necator pauperum communione privetur. (a)

Concilium Pontigonense sub Carolo Calvo: *Quoties divinum judicium Ecclesiæ Præsulem à sæculo vocaverit, nullas ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad suos usus transferat, sed ipsius Ecclesiæ constituto Oeconomo liberum sit Canonico more, justè, rationabilitérque deputata successori servare, &c.* (b)

Capitularia Caroli Calvi: *Si quis Episcopus interim obierit, Archiepiscopus ipsi Sedi Visitatorem secundùm sacros Canones deputet, qui unà cum Comite ipsam Ecclesiam, ne prædetur, custodiat.* (c)

Idem in Concilio Troslejano apud Svessiones habito, quod abusum bona vacantis Ecclesiæ usurpandi graviter damnat. (d)

Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis ad Episcopos, & Proceres Ecclesiæ Rhem: *Facultates Ecclesiæ viduatæ post mortem Episcopi penes Oeconomum integræ conservari jubentur futuro successori ejus Episcopo: quoniam res, & facultates Ecclesiæ non in Imperatorum, atque Regum potestate sunt ad dispensandum, vel invadendum, vel diripiendum.* (e)

Idem ad Episcopos in Concilio Svessionensi congregatos: *Lingonensem Ecclesiam Pastore viduatam usurpare præsumpsit Ulfaldus, ejúsque facultates, quæ secundùm Chalcedonense Concilium penes Oeconomum futuro debuerant reservari Episcopo, suis, suorumq; usibus arrogavit.* (f) Et alibi: *Res, & facultates Ecclesiæ viduatæ nemini Christiano licet præsumere; multò minùs idem Episcopus (Artardus) sine sui statûs periculo, ac animæ detrimento Ecclesiæ invasæ res, & facultates prævalet usurpare.* (g)

Et ad Ludovicum III. *Secundum formam Regularem Electionis Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis fidelis existat. Et consentientibus Clero, & plebe eum vobis adducant, ut secundùm ministerium vestrum res, & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum, & tuendum vobis Dominus concessit, suæ dispositioni committatis.* (h)

Carolus Calvus in Diplomate, quo Ecclesiæ Rhemensi omnes facultates restitui jubet, quas obtentu necessitatis ærario intulerat,

(a) V. Paris. can. 7. anno 615. (b) Concil. Pontig can. 14. anno 876. (c) Cap. Caroli Calvi Tit. 53. c. 8. ann. 877. (d) Concil. Trosslejan. can. 14. ann. 909. Vide Baron. ad hunc annum. (e) Hincmar. epist. ad Episcop. Rhem. Eccles. floruit circa ann. 860. (f) Hincm. epist. 21. (g) Id. epist. 45. (h) Hincm. epist. 12. ad Ludov. III.

ita loquitur: *Si illa, quæ quàcúnque necessitate corrupta sunt, Regiâ nostrâ Authoritate corrigimus, saluti nostræ consulimus, & Regium ministerium à Domino susceptum exercemus. Proinde noverit fidelium solertia, quia res, ex Episcopatu Rhemensi, quas magnâ necessitate, ac per omnia inviti, dum à Pastore Sedes sancta illa vacaret, fidelibus nostris ad tempus commendavimus, electo, & ordinato Hincmaro cum integritate restituimus.* (a)

Gerbertus Archiepiscopus Rhemensis, cui posteà in Pontificatum Romanum evecto Silvestri II. nomen fuit: *Sit vestra pervigil cura, ut secundùm divinas, & humanas leges res defuncti Episcopi tam mobiles, quàm immobiles futuro reserventur Episcopo, ne si, quod absit, malè cautum fuerit, cum Regalis censura, tum etiam gravior adhibeatur divina sententia.* (b)

Alphonsus Comes Tolosanus: *Ego Alphonsus derelinquo, & absolvo coram populo Christiano illam pessimam consuetudinem, quam Antecessores mei in rebus Tolosani Episcopi, defuncto eodem Episcopo per violentiam exigebant, &c. nec ego, nec ullus ex hæredibus meis habeat potestatem rapiendi, vel capiendi res Episcopi post mortem ejus.* (c)

Ermengardis Vicecomes Narbonensis: *Ego Ermengardis recognoscens injuriam, quam parentes mei, & ego in possidendis honoribus, & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ, hucúsque perperam fecimus, pro remedio animæ meæ, & parentum derelinquo.* (d)

Raymundus VI. Comes Tolosanus, cùm à censuris, quas Albigensibus in patrocinium receptis meruerat, absolveretur, ita in conventu Episcoporum, Legatóque Summi Pontificis præsente, loquitur: *Ego Raymundus Dei gratiâ Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, Marchio Provinciæ pro remedio animæ meæ, omnibus Ecclesijs, & domibus Religiosis Provinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Auxitanæ, Burdigalensis, & Bituricensis immunitatem secundùm statuta Canonum defunctis earum Episcopis, vel Rectoribus, concedo: ipsas domos nullo modo spoliabo, nec administrationi earum, seu Custodiæ, occasione alicujus consuetudinis, &c. ullatenus immiscebo, &c.* (e)

Ermengaudus Comes Urgellensis Provinciæ Tarraconensis: *Pro remedio animæ meæ, dimitto átque evacuo horribilem illam, & malè consuetam*

(a) Flodoar. l. 3. Hist. Rhem. c. 4. Qui etiam similem restitutionem, eandémque ob causam à Ludov. Pio factam recenset. (b) Gerbert. ep. 118. floruit an. 996. (c) Anno 1138. apud Catell. Hist. des Comtes de Toulouse. (d) Anno 1155. apud Marc. l. 8. Concord. cap. 18. (e) Anno. 1209. apud Marc. l. 8. c. 27.

am rapinam, quam poſt deceſſum Epiſcopi Sedis Urgelli exercere conſueverant Prædeceſſores mei, &c. (a)

Raymundus Comes Barcellonenſis: *Votum vovi Domino Deo, quòd quandam neſariam conſuetudinem, quæ quondam extiterat in Eccleſijs Cathedralibus noſtri regiminis, abolerem, & extinguerem: erat enim quædam conſuetudo, ut decedentibus Epiſcopis, &c. quod quia cognovi alienum eſſe à divinis legibus, & humanis &c.* (b)

Fridericus II. Imperator in ſuis Conſtitutionibus: *Pravum uſum* vocat, *à ſuis Majoribus inductum.* (c)

Ex hactenus productis teſtimonijs, quæ planè clariſſima ſunt, omnique exceptione majora, multa colligere licet, ad rem noſtram apprimè facientia. *Primò* patet vacantium bonorum occupationem graviſſimè à ſacris Canonibus, Conciliiſque, & præſertim Gallicanis, prohibitam fuiſſe: imò & Reges ipſos hunc ipſum abuſum, & agnoviſſe, & execratos eſſe, atque ut corrigerent adlaborâſſe, cùm videlicet ſibi reddebantur, conſcientiâ, & pudore delicti cupiditatem vincentibus: non potuit ergo hoc jus coævum eſſe coronæ Gallicæ, quod Canones, quod Epiſcopi, quod Reges Galliæ tanto tempore, ſpatio videlicet quingentorum annorum aut ignorârunt, aut execrati ſunt: quamvis enim ſubinde ſe in lucem proferret, imò aulam penetraret, ſemper tamen pro abuſu, & flagitio proclamatum eſt, nunquam pro jure; quis verò, niſi temerarius, abuſus, & flagitia Gallicæ coronæ connata eſſe dixerit? *Secundò.* Et quamvis hæc vacantium Eccleſiarum rapina honeſtiùs proceſſura, conſuetudinem prætexeret; non ideò tamen à Galliæ Epiſcopis, aut etiam Principibus excuſata eſt; cùm enim agnoſcerent, non ſacris Canonibus tantùm adverſari, ſed etiam divinis legibus; meritò negabant obtentu conſuetudinis, aut beneficio temporis purgari poſſe; quantò enim diutiùs, tantò pejus peccabatur: nam ut bene S. Cyprianus advertit: (d) *Conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſit, impedire non debet, quo minùs veritas prævaleat, & vincat: nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Tertiò.* Emicuit vigilantia, & vigilantiæ par libertas Cleri Gallicani; quippe ut pri-

(a) Anno 1162. apud Balluz. Miſcell. lib. 2. pag. 225. (b) 1150. apud Marc. lib. 8. cap. 18. (c) Vide Marcam loc. cit. cap. 23. & Baron. ad ann. 1097. n. 71. 77. 78. & ann. 996. (d) Epiſt. ad Pomp.

primùm hic abusus in publicum prodibat, mox cædebatur, Canonibus, decretis, liberisque vocibus in illum armatis; nulla hîc adulatio, nulla turpis conniventia, nec servile obsequium, quo Principum delicta plerúmque palpantur, remedijs omissis; monebantur, rogabantur, terrebantur, ut etiam inviti & morbum agnoscerent, & medicinam admitterent; quâ libertate venerationi mixtâ effectum est, ut malè incœptis Principes absisterent, amaréntque, qui pronos in præcipitium morabantur. Qua in re Injurioſi Episcopi Turonensis exemplum memoratu dignissimum est. Edixerat Clotharius Rex omnibus sui Regni Episcopis, ut tertiam suarum facultatum partem Regio fisco inferrent; quàm iniquè id à Sacerdotibus peteretur, palàm omnibus erat; nemo tamen ausus obsistere, & quod turpius est, subscripsère; solus se Principi opponere Injurioſus, & libertate Episcopo dignâ, negare tam iniquis imperijs subscribere se posse: *Facultates Ecclesiæ pauperibus, non luxui, & aulæ deberi: si quæ Dei sunt, Princeps involaret, quid aliud à Deo exspectet, quam ut festinatâ vindictâ Regnum amittat? Indignum Rege facinus esse, si pauperum spolijs ærarium, & palatium impleat. Principum esse dare, non adimere pauperibus. Num ergo Regem Galliæ aliter sustentari non posse, quàm sanguine, & lacrymis, prædisque miserorum?* Dixit, recessitque indignanti similis, vultúque, quem rei indignitas inflammaverat, succenso, nec Rege salutato: qui tamen libertate Episcopi, ac facti conscientiâ permotus, Edictum refixit, sanctúmque præsulem muneribus placavit, precésque, ac veniam delicto petijt. (a) Tanti videlicet interest Episcopos loqui, nec ad Principum vitia, quæ silentio invalescunt, connivere: perierat Clotharius Episcopo tacente. Hoc ergo Ecclesiæ Gallicanæ olim solemne fuit, ut videlicet Regum delicta observarent, monerentque, nec Ecclesiarum suarum libertates, ac privilegia turpi, indignóque obsequio submitterent; nec ideò Regibus suis haud minùs fidi, aut minùs chari; quippe qui illorum salutem, animásque gratiæ, ac favori aulico præhaberent, adulatione submotâ; hoc Gallicum fuit. Ubi simul advertere licet, quàm dispar antiquorum temporum, nostrorúmque sit conditio. Olim enim cùm jura, & libertatem Ecclesiæ Magnates invaderent, obsistebant Sacerdotes, rogabant, minabantur, terrebant, ductóque

(a) Greg. Turon. lib. 4. Hist. n. 2.

que velut vallo Eccleſias muniebant, nullo majoris potentiæ, aut periculorm metu: & ideò plerumque victores prælio redibant, Regibus bonæ cauſæ, ac veritati ultro cedentibus; quippe qui errore potiùs agebantur, quàm voluntate nocendi. Nunc verò libertati adulatio ſucceſſit; & Eccleſijs in ſervitutem raptis, non tantùm quies, & ſilentium eſt, ſed etiam laudes, & encomia ſequuntur; nec quæritur quid leges, quid Canones jubeant, ſed quid Aulæ placeat; hinc morbus remedij expers, nemine, quid ægro proſit, quærente, ſed quid ſapiat; imò condiuntur venena, ut etiam delectent, cùm perimunt: quem tu hîc accuſes, medicum, an ægrotum?

IV. Cùm ergo ex allatis proximè teſtimonijs conſtet, in Gallijs uſque in tertiam Regum progeniem, imò ne quidem ſub hujus initia locum Regaliæ fuiſſe, proximum eſt, ut quando cœperit, dicamus. In quo communis ferè eorum, qui de hac re ſcripſerunt, ſententia eſt, poſt undecimum ſæculum cœpiſſe, magno illo de Inveſtituris certamine, quod tanto tempore Eccleſiam, Imperiúmque colliſit, feliciter pacato. Id contigit Anno Chriſti 1122. in Concilio Lateranenſi, operâ præſertim, prudentiâque Calixti II. Pont. Max. (a) Ab hoc tempore jus Regaliæ invaluit, uſu præſertim, ac Epiſcoporum, ſummorúmque Pontificum tolerantiâ, quæ pro tacito privilegio acceptabatur: nec deerant, qui crederent jus Regaliæ, ac vacantium bonorum occupationem neceſſariò conſequi ex Concilij Lateranenſis indulgentia, & Calixti Conſtitutione, ſublatâ annuli, atque crucis cæremoniâ Inveſtituras concedentium, quod etiam Maimburgus aſſerit (b) probátque, ſemper in Reges, quàm Epiſcopos pronior: *Si enim*, inquit, *feuda, jura, patrimonia, aliaq; facultates Eccleſiæ in manus Principum haud recidunt, ſublato Paſtore, quî ergo dari à Principibus poſſunt recèns electis? dare enim non poſſunt, ſi non habent; cùm ergo Concilium Lateranenſe Inveſtituras feudorum Principibus conceſſit, etiam occupationem conceſſit, vacantium Eccleſiæ bonorum, hæc enim Inveſtituras neceſſariò conſequitur.* (c)

Hæc alibi etiam Maimburgus repetit; quæ quàm malè con-

 nectantur,

(a) V. M. de Pamiers fol. 12. Maimburg. de la decadenz. fol. 409. de Marca de Concor. lib. 8. cap. 23. Regale Sacerdot fol. 70. (b) Maimburg. de la decadenz. fol. 409. (a) Maimburg. de la decadenz. fol. 214.

nectantur, nemo non videt, & malim ego malæ causæ potiùs adscribere melioribus argumentis destitutæ, quàm ipsi Maimburgo, historiam magis, quàm Canones, legésque, & feudorum jura callenti: feuda enim familijs, non personis addicuntur, nec obitu Vasalli ad Dominum, sed hæredes transeunt: (a) fructus quóque ante Investituram hæredi proveniunt; imò gravissimorum Doctorum sententia est, etiam per annum, & diem non petitâ Investiturâ, feudum proximis agnatis, non Domino deberi; cur enim alterius culpam luant innocentes? (b) Nec obstat *jus Relevij*, quod paucis tantùm in locis obtinuit. Quantò hæc certiora sunt, de feudis Ecclesiæ relictis? ut primùm enim Ecclesiæ adscribuntur, mutant qualitatem, evadúntque *bona Ecclesiastica, patrimoniâ pauperum, peculium Dei*; nec profanis usibus accommodari amplius possunt, quod sæpe non à Sanctis Patribus tantùm, sed etiam Ethnicis scriptoribus dictum est. Omissâ Investiturâ, ideò feudum amitti Jura decrevêre, quia ingratitudo in Dominum commissa videtur; at hæc causa in Episcopos haud cadit, non enim amplæ Principum donationes in Episcopos, sed in Ecclesias, & Deum conferuntur, (c) qui nunquam ingratus est. Sed demus feuda extincto Episcopo ad Principes redire, maximè in Provincijs, quæ jure consuetudinario reguntur, quid de Decimis, Oblationibus, aliáque suppellectile, ac Patrimonijs Episcoporum dicemus, quæ majorem proventuum partem efficiunt, & tamen nec feuda sunt, nec Investituris traduntur: quo jure à Principibus hæc vindicantur sublatis Pastoribus? aut quæ est consequentia, ut concessis Investituris, etiam hæc concessa credantur, quæ nec Investituris traduntur, nec ullam cum istis connexionem habent? Et planè si occupatio bonorum vacante Ecclesiâ Imperatoribus concessa fuisset? aliqua utique hujus, tantique momenti concessionis mentio facta esset, cùm tamen nulla fiat, nec in toto Lateranensi Concilio, aut Diplomate Calixti vel verbum de vacantis Ecclesiæ fructibus legas: & tamen id necessarium erat; cùm enim consuetudo eos occupandi Sacris Cano-

(a) Cap. Imperialem §. præterea, de prohib. feudi alienat. per Frid. & cap. 1. quæ fuit prima causa. (b) Vide Bald. Zas. Socin. & alios apud Clar. §. feud q. 66. n. 6. & faciunt cap. un. §. porrò qualiter olim poterat feudum alien. cap. Titius cap. si vasall. de feudo defuncti. (c) V. Engel. ad Tit. 20. de feud. n. 48. Barbos. ad cap. fin. de donat. n. 15.

Canonibus toties, & tam enixè prohiberetur, essétque omnium consensu inter abusus, & corruptelas relata, non poterat pro concessa, licitáque haberi, nisi privilegio Concilij muniretur: imò non tantùm concessa non est, ac silentio præterita, sed etiam, ut videtur, à Concilio, & Imperatore damnata. Concilium ita loquitur: *Si quis Principum, aut Laicorum aliorum dispensationem, seu donationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus judicetur.* Et infrà: *Sanctorum Patrum Canonibus consona statuentes oblationes de alijs omnium Ecclesiarum Altaribus, sive crucibus à Laicis auferri omnino prohibemus, & sub anathematis districtione firmamus.* (a)

En Patres Concilij de omnibus bonis Ecclesiasticis loquuntur, ijs præsertim, quæ sacris Canonibus diripi prohibentur: talia verò sunt bona vacantium Ecclesiarum, ut suprà ostensum, quæ si voluissent excepta, utique expressissent, sacris Canonibus eorum occupationen gravissimè prohibentibus. Henrici verò Imperatoris Constitutio sic habet: *Ego Henricus dimitto Deo, & Sanctis ejus Apostolis Petro, & Paulo omnem Investituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs fieri Electionem, & liberam Consecrationem. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, &c. ut reddantur, fideliter adjuvabo.* (b)

Patet ergo ex Concilio Lateranensi nihil juris in vacantes Ecclesias Regibus accessisse; imò triennium ante Concilium Lateranense idem abusus spoliandi Ecclesias viduatas recentissimè, & ab eodem Calixto II. proscriptus fuerat in Concilio Tolosano, cujus hæc sunt verba: *Primitiæ quóque & Decimæ, & Oblationes, & bona cætera deficientis Episcopi, & Clericorum à Principibus, vel quibuslibet Laicis diripi, & teneri penitus interdicimus; qui verò pertinaciter ista præsumpserint, ab Ecclesiæ liminibus tamquam Sacrilegi arceantur.* (c) Quod adhuc clariùs evadet ex Principum testimonijs, qui hæc spolia Ecclesiarum *abusum, corruptelam, nefariámque consuetudinem* appellant, nullóque alio privilegio, quàm inexpletæ cupiditatis nixam; idque paulò post Concilium Lateranense concessáque Investituras: id verò nunquam dixissent, nec dicere poterant, si, quod vult Maimburgus, spolia vacantium Ecclesiarum æquè Principibus, ac ipsæ Investituræ à

(a) Concil. Lateran. cap. 4. & 41. anno 1122. (b) Concil. Lateran. post. cap. 22. Wilhelm. Malmesb. lib. 5. (c) Concil. Tolos. can. 4. anno 1119. apud Baluz. T. 6. spicileg. & in Not. ad Marcam. lib. 8. cap. 18.

Concilio permissæ fuissent. Raymundus ergo Comes Tolosanus in suo privilegio ita loquitur: *Ego Raymundus &c. novi, quòd quandam nefariam consuetudinem, quæ quondam extiterat in cathedralibus Ecclesijs nostri regiminis extirparem; erat enim consuetudo, ut decedentibus Episcopis bona Pontificalia, &c. à bajulis & Vicarijs Patru mei diriperentur, & distraherentur, quod quia cognovi à Legibus divinis & humanis supradictam detestabilem consuetudinem, &c.* (a) Ermengardis Comitissa Narbonensis: *Notum sit omnibus, quòd ego Ermengardis recognoscens injuriam, quam parentes mei, & ego in possidendis honoribus, & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesia hucúsque perperam fecimus, &c. sive sint fructus percepti, seu percipiendi, &c.* (b)

Hanc Ermengardis spontaneam cessionem confirmans Adrianus IV. jubet *Episcopalia bona futuro Antisliti præservari, & contrariam consuetudinem* dicit *contra Deum, & Ecclesiam esse inolitam.* (c) Fridericus II. Imperator in Constitutione sua Agræ data vocat *abusum motu propria voluntatis à suis Antecessoribus inductum.* (d)

Hanc ipsam suam Constitutionem confirmavit Fridericus Bullâ aureâ ad Honorium III. Papam, quæ asservatur in arce Hadriani. (e) Ipsi Principes, Baronésque Germaniæ Innocentium III. litteris ad eum datis certiorem reddunt Ottonem IV. Imperatorem, *pravæ illi consuetudini, & indebitæ vexationi renuntiâsse occupandi bona tam mobilia, quàm manentia vacantium Ecclesiarum.* (f) Si ergo post Concilium Lateranense Principes, ac etiam Imperatores vindicationem bonorum Ecclesiæ *abusum* nominârunt, & quidem *detestabilem contra jura divina & humana inductum, nefarium, Sacrilegum, vexationem injustam nullo jure, sed pro arbitrio, ac cupiditate inventam*; patet omnino persuasum eis non fuisse à Concilio Oecumenico cum investituris esse concessam; quod enim concessum est, & præsertim à Concilio Oecumenico, non abusus, non vexatio, nec Sacrilegium est, sed facultas, & privilegium, quo licitè utaris integráque conscientiâ: fallitur ergo Maimburgus, cùm jus spoliandi Ecclesias, earúmque proventus, quoties vacarent, recipiendi, Investituris connexuit; has

(a) Anno 1150. apud. Baluz. ex Archiv. Ecclesiarum. Barcinon. & Gerund. (b) Anno 1155. apud Baluz. (c) Adrian. IV. elect. anno 1154. (d) Anno 1213. Innoc. PP. III. vid. Raynald. ad hunc annum Marca. lib. 8. cap. 23. Goldast. &c. (e) Bulla aurea Frid. II. Imp. anno 1219. (f) Anno 1200. apud Baron. ad annum 996. & in Regesto Innoc. & Marca. lib. 8. cap. 23.

has Concilium certis quibuſdam conditionibus, illud nunquam indulſit.

V. Quamvis tamen nihil juris in Eccleſias vacantes à Concilio Reges accepiſſent; utebantur tamen in certis quibuſdam Provincijs, non privilegio quidem muniti, (hujus enim nullam unquam mentionem reperies) ſed ſolâ conſuetudine, quàm ſemper & ſolam prætexunt, & ea præſertim ſub Regno Ludovici VII. invaluit, éſtque ad Beneficiorum collationes extenſa, ut multis exemplis probari poſſet, niſi res clara eſſet, omniúmque ſententijs recepta. (a) Cæterùm vix conſuetudo huic abuſui cohoneſtando par erat. Cùm enim hanc conſuetudinem juri Divino adverſari, & ideò ſacrilegam eſſe Principes, quorum verba recitavimus, fateantur; imò Emmanuel Comnenus *in contemptum Dei, juríſque naturalis everſionem vergere* pronuntiet: (b) quis dicat ſacrilegia, contemptum Dei, legúmque Divinæ, ac naturalis injurias conſuetudine purgari? & ideò omnium juris-Conſultorum ſententia eſt, (c) conſuetudini contra jus naturale, & Divinum nihil licere. Ipſe de Marca Pariſienſ. Archiepiſcopus, rerúmque iſtarum & ſacrorum Canonum longè peritior Maimburgo (quippe Theologiæ, juriúmque ut ex libris apparet, aut ignaro, aut negligente) fatetur; *uſumfructum redituum Epiſcopalium, (ſi reditus feudorum excipias) & collationes præbendarum ex conſuetudine contra Canones profectas, & ideò Concilij Lugdunenſis authoritatem quæſitam eſſe, Principibus haud ſatis conſuetudine tutis.* (d) Quæ licèt jam longo tempore Eccleſias percurreret, durâſſétque in ſæculum undecimum, quando videlicet Concilium Lateranenſe celebratum eſt; ſemper tamen ſacris profaníſque legibus ſive occupationem fructuum, ſive etiam collationes Beneficiorum ſpectes, damnata, (e) quod indicio eſt eam conſuetudinem nunquam pro

(a) Vid. Tom. 2. Libert. Gall. cap. 16. Tit. 1. 4. 5. & 16. & Marca. lib. 8. cap. 22. M. de Pamiers f. 15. (b) Conſtitut. Joan. Comn & Emmanuel Impp. an. 1120. & 1150. apud Marcam. lib. 8. cap. 23. (c) V. DD. ad c. fin. de conſuet. (d) De Marca l. 8. c. 24. n. 4. M. de Pamiers de la Regal. f. 56. init. Choppin. Ruzée Juris-Conſultes Franzois. (e) Fructus vacantium Eccleſiarum ſucceſſorib. reſervandos eſſe habetur in c. 40. Apoſt. can. 24. Concil. Antioch can. 22. & 25. Concil. Chalcedon. can. 6. Concil. Aurel. II. can. 6. Concil. Rhegienſ. can. 7. Concil. Pariſ. can. 14. Concil. Pontig. can. 14. Conc. Troſl. V. etiam Hincm. ep. 45. 21. 12. Gerbert. epiſt. 118. S. Greg. lib. 2. epiſt. 19. 20. 21. lib. 3. epiſt. 11. lib. 4. ep. 13. 14. 20. 21. &c. Flodoard. lib. 3. Hiſt. Rhem. cap. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

legitima, & quæ jus aliquod tribuere posset, habitam esse. Id ipsum certamen pro Investituris susceptum, quódque totos quinquaginta annos Ecclesiam Imperiúmque concussit, clarè ostendit; nolebant enim summi Pontifices feudorum Investituras per crucem, annulúmque conferri, quamvis diuturnâ consuetudo id obtineret, quòd eâ solemnitate ipsi Episcopatus, sacræque dignitates conferri à Principibus viderentur: (a) imò viri in Gallia sanctitate, ac doctrinâ præstantes, hæresis notabant, qui pertinaciter assererent oportere à Laicis Principibus Episcopos investiri: erant ij Sancti Godefridus Episcopus Ambianensis, Hugo Episcopus Gratianopolitanus, Bruno Episcopus Sigvinus, Joannes Archiepiscopus Lugdunensis, omnésque Concilii Viennensis Patres. (b) At verò, qui hâc hæresis notâ abstinendum censebant, inter quos præcipuus Ivo Episcopus Carnotensis, hanc ipsam consuetudinem *alieni juris pervasionem*, appellabant, *& sacrilegam præsumptionem, quæ pro libertate Ecclesiæ, & honestate salvo pacis vinculo, si fieri potest, planè abscindenda esset:* quæ omnia sunt verba Ivonis. (c) Si ergo solæ Investituræ, quæ signa tantùm erant collatæ dignitatis Ecclesiasticæ, tam severè etiam in Gallijs exceptæ sunt, & Laicis prohibitæ, nec ullo consuetudinis obtentu excusatæ, quantò magis ipsa collatio sacrarum dignitatum? & si signum tam acerbè pulsatum, habitúmque, quantò acerbiùs res significata? *Dicet* fortasse aliquis, aliud esse spolia, aliud usumfructum bonorum Ecclesiæ vacantis, spolia morientium Antistitum ad istorum hæredes spectâsse, & ideò nullâ consuetudine induci potuisse, ut à Principibus caperentur, alioquin & furta excusari possent, si in morem, usúmque transeant. Illas ergo Principum constitutiones de spolijs, non de usufructu intelligendas esse. Cæterùm nullo fundamento discrimen hoc inter spolia, & usumfructum nititur. Enimverò sermonem illic esse non de spolijs tantùm, sed etiam de usufructu patet ex verbis Emmanuelis Comneni, (d) qui expressè loquitur *de administratione bonorum immobilium vacantis*

(a) De collat. Benefi. Laicis prohib. can. 6. Concil. Chalced. cap. 29. vel 31. Apost. can. 3. Concil. Nicæ. II. cap. 21. Concil. VIII. can. 8. Concil. Paris. III. Concil. Aurel. I. cap. 368. Capitulare Caroli Mag. vide 16. q. 7. apud Gratian. M. de Pamiers fol. 52. de varia eligendi forma. Reg. Sacerd. f. 43. de Pamiers fol. 128. (b) Concil. Vien. an. 1112. (c) Ivo epist. 236. de Investituris vid. Regal. Sacerd. f. 61. (d) *Constitutio Emman. Comn. anno 1150. quam reperies corpori insertam.*

tù Ecclesiæ, in quæ ne pedem quidem immittet aliquis ex ducibus, sed nec qualibet illinc pars auferetur, sed omnia à partibus (Clericis) *ejusmodi Ecclesiarum in ipsis administrabuntur, quemadmodùm legitimè, & Canonicè edictum est, donec successores renuntiati sint.* Et Ermengardis Comitissa in Diplomate Cessionis: *Recognoscens injuriam in possidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum, &c. sive sint fructus percepti, sive percipiendi, &c.* (a)

Et Gregorus IX. in litteris ad Archiepiscopum Narbonensem: *Senescalli, & Ballivi charissimi in Christo Filij illustris Regis Francorum in Narbonensi Provincia constituti decedentibus Ecclesiarum Prælatis, castra, villas, & alia bona Ecclesiarum vacantium contra debitum juris usurpare, &c.* (b) Et Fridericus II. Imperator: *Illum quóque dimittimus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, &c.* (c) Et Principes, Baronésque Germaniæ litteris ad Innocentium III. *Prava illi consuetudini, & indebitæ vexationi occupandi bona decedentium Episcoporum dimisit, & suis successoribus servanda statuit.* (d) Ex his omnibus manifestum est consuetudinem non solùm spolia capiendi, quæ ad hæredes defunctorum pertinebant, pro abusu habitam esse, sed etiam usumfructum bonorum vacantis Ecclesiæ: & verò cur non æquè iste ac illa damnarentur? nec enim minus delictum est usurpare, quæ ad Deum pertinent, quàm quæ ad hæredes; & si depilare, quæ ad hæredes spectant, nullâ potest consuetudine excusari, quantò minus excusari potest depilare, quæ Dei, & Ecclesiæ sunt, nisi fortè Dei, & Ecclesiæ pejor sit conditio, quàm alterius cujúsque privati juris: & ideò quamvis etiam Investituris consuetudo patrocinaretur, semper tamen à Concilijs summisque Pontificibus damnatæ sunt, & consuetudo pro abusu habita & sacrilegio, etiam à Gallis, Ivone videlicet Carnotensi, aliisque. (e) Idque clarissimè ex vita, actisque S. Thomæ Cantuariensis evincitur: nec enim minus in Angliam, quàm Galliam consuetudo Regaliam induxerat; & inter capita Regiarum Angliæ consuetudinum duodecimum locum obtinebat, ut videre est apud Baronium: (f) hanc Rex Angliæ *dignitatem coronæ suæ vocabat:* hanc in Synodo Nationali apud Clarendonam Angliæ Episcopi admiserant, (g) juraverántque

(a) *Anno 1155. apud Baluz.* (b) *Apud Baluz. ex Archiv. Archiepisc. Narbon.* (c) *An. 1213. apud Raynald.* (d) *Anno 1200. ex Regest. Innoc.* (e) Vide Sacerd. Reg. f. 66. (f) Baron. ad annum 1164. n. 37. (g) Ibid. & in vita cap. 21.

que metu Regis omnia miscentis, imò & varijs adornatâ rationibus, ut metum excusarent, Alexandro Pontifici obtulêre, rogabántque approbari: (a) sed in consessu Episcoporum sacrique Collegij improbavit Pontifex, eásque consuetudines *Tyrannicas usurpationes, Legis divinæ subversiones abominabiles* appellavit. (b) Ipse S. Thomas potiùs, quàm huic consuetudini subscriberet, exilium, & mortem subire voluit. Sola ergo consuetudo Regaliam nunquam excusavit. Quòd si Principes aliquando hoc jure utebantur, non consuetudo illos, sed aut bona fides tuebatur, aut fortè tolerantia Pontificum, ea, quæ abolere haud poterant, concedentium. Nec obstat Laicis, qui Ecclesias fundaverant, aut amplis patrimonijs instruxerant, quique propterea Patroni appellabantur, jus nominandi, præsentandique sacris Canonibus fuisse indultum; (c) aliud enim hoc erat, aliud quod prætextu Regaliæ, & Investiturarum petebatur; qui enim jus præsentandi habebant, personas tantùm designabant, exhibebántque Episcopo; hujus erat designatos admittere, examini subdere, & denique Sacerdotia, ac Beneficia conferre: quæ jam omnia principi deferuntur, Episcopis præteritis; & hoc Regaliam dicunt, quam, ut vidimus, sive fructuum occupationes, sive collationes Præbendarum spectes, semper Canones, Concilia, Patres, ipsique aliquando Reges persecuti sunt: aut si vacantis Ecclesiæ proventus sibi addicerent, alijs tamen Ecclesijs, piisque locis reddi volebant, pacatâ utcunque levatâque conscientiâ, de quo postea dicemus. Planè S. Ludov. qui in (d) Pragmatica sua sanctione vestigijs Ludovici Pij insistens, jnsserat ad præscriptum sacrorum Canonum electiones liberas esse; non alio jure in Beneficijs vacantium Ecclesiarum usus videtur, quàm nominandi, præsentandique, & jus Regale dicebatur, quòd soli ferè Regi competeret, ducerétque originem ab Ecclesijs Regiâ liberalitate fundatis auctíque. Verba Ludovici in litteris ante sacram expeditionem datis, sunt: *Personatus, præbendas, Ecclesias, Capellanias, & cætera Beneficia, quæcunque vacare contigerit, ad nostrum Patronatum, collationem, seu præsentationem nostram, seu ratione Regalium, quàm alio quocunque jure pertinentia,*

(a) Vide Epist. 128. inter Epistolas S. Thomæ Cantuar. (b) Vid. Alan. in Quadripart. & Baron. cit. n. 36. (c) c. Abbatem 18. q. 2. cap. Laici 17. q. 1. cap. transmissa de I. Patronat. (d) Pragmat. Sanctio S. Ludov. anno 1268.

nentia, conferendi, ac præsentandi, (a) Ubi vides quidquid jure Regalium in Beneficia vacantia Regibus permittebatur, ad Collationem seu Præsentationem revocari, jure interim instituendi confirmandique, Papæ, Archiepiscopis, Capitulis cathedralibus aliisve relicto. Verum quidem est, ne quidem intra hos terminos coerceri Reges potuisse majorum semper avidos; at nobis animus non est ea persequi, quæ Regibus, sed quæ juribus placuêre; non enim factis, sed legibus honestum metimur. (b) Multò minus si Concilij Lugdunensis privilegium excludas, potest titulo libertatis Gallicanæ Ecclesiæ Regalia sustineri. *Primò* enim quàm vanum est, rectæque rationi adversum, ut libertatem appelles miserrimam servitutem; non sunt libera vota, non liberæ electiones, non libera decimarum, oblationúmque possessio; nec Ecclesiæ, sed alienis Dominis fructus proveniunt; & hæc libertas dicitur? quærimus ergo quid sit servire Ecclesiam, si hoc est liberam esse? *Deinde* libertas Ecclesiæ Gallicanæ antiquis Canonibus, decretísque Conciliorum præsertim antiquiorum nititur, novis nisi spontè recipiantur, exclusis: at verò jus Regaliæ, sive fructus, sive Collationes Beneficiorum spectes, antiquis Canonibus decretísque Conciliorum, etiam quæ in Gallijs agitata sunt, prohibetur; non ergo ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ pertinet, quin potiùs ejus fundamenta subvertit.

Hæc, quæ hactenus dicta sunt, eò pertinent, ut intelligas ante Concilium Lugdunense jus Regaliæ nullo legitimo titulo fuisse subnixum: non jure feudali, non Consuetudine, non privilegio, & concessione Calixti, non denique libertate Gallicanæ Ecclesiæ: nisi fortè tolerantiam alleges Romanorum Pontificum: sed quæ potest tolerancia dici, quæ tot clamoribus, tot Decretis est interrupta? Testes Gregorius, Urbanus, Pelagius, Calixtus, Honorius, Innocentius alijque tot prælijs, & laboribus defuncti, ut libertatem Ecclesijs redderent. Et siluerint aliquando, id aut pejorum metu, aut desperatione meliorum factum est, quo casu

(a) Anno 1269. Preuu. des Libert. del' Egl. Gall. ch. 16. ann. 20. (b) M. de Pamiers fol. 21. de la Regale, fol. 59. Qua etiam distinct usus est Bonifacius VIII. in resp. ad 3. Episcopos Gallicanæ Eccles. Legatos, in litt. ad Philipp. Pulchrum, apud Spondan. ad ann. 1302. Prynneus in Libertati: Anglic. pag. 940.

apud omnes receptum dispensationem silentio non induci. (a) Ergo si verum fateri liceat, soli Concilio Lugdunensi Principes debent, quòd tutò Regaliâ fruantur; priùs usurpatio, non jus fuerat. Quale verò hoc Concilium, & quoúsque causam Principum juvet, jam dicere aggredimur.

VI. Anno 1274. Secundum Concilium Lugdunense in Gallijs celebratum est. Præsedit Gregorius X. à sacro Senatu post biennij moras ex voto D. Bonaventuræ absens electus, quippe sacræ expeditioni Ptolemaide intentus. Vix aliud Concilium in Ecclesia frequentius, pluribúsque infulis ornatum reperias; mille Antistites aderant; Legati ab utróque Occidentis, & Orientis Imperatore, omniúmque in Europa Principum, Galliæ præsertim Regis Philippi Audacis. Multa in hoc Concilio præclarè agitata. Bellum sacrum adversus infideles decretum, & hunc in finem Galliarum Regi decimæ additæ, Abagæ Tartarorum, Persarúmque Regis Legati auditi, quorum unus sacro fonte ablutus; fœdus cum eodem percussum: Michäeli Palæologo confirmatum Imperium, quod expulso Baldovino inierat, eâ videlicet conditione, ut sociatis cum Latinis viribus bellum Ægypto inferret. Rudolphi Habspurgici electio confirmata, sic tamen, ut in Palestinam duceret, copiisque Christianorum Imperatorio nomine præesset, quod & juramento, & acceptâ è Pontificis manu cruce pollicitus est. Unio quóque inter Græcos, Latinósque firmata, terque, Pontifice sacris operante, ea formula repetita: *Filióque procedit.* Et denique Ecclesiasticæ disciplinæ, præsertim Pontificum electioni toties, tantóque cum damno jactatæ, provisum est. Inter alia disciplinæ capita jus etiam Custodiæ, seu Regaliæ mille abusibus mixtum, quódque Ecclesias absumebat, certis terminis inclusum; nam aboleri non poterat Principibus invitis, nec permissuris: nec eo tempore provocandi erant, cùm ad sacrum bellum, expensásque bello pares invitabantur: datum est ergo aliquid tempori, & morbo, qui curari non poterat, moræ saltem, & impedimenta objecta, ne proficeret. Verba Concilij hæc sunt: *Generali Constitutione sancimus, omnes, & singulos, qui Regaliam, Custodiam, sive Guardiam Advocationis, seu defensionis titulum in Ecclesijs de novo usurpare conantes, Bona Ecclesiarum Monasteriorum,*

(a) Sanchez lib. 2. de matrim. d. 38. n. 12.

rum, aut Locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcunque honore dignitatis præfulgeant; Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, &c. Qui hoc fieri procurant, eo ipso Excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Illos verò, qui se, ut deberent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum, seu locorum ipsorum pro tempore, quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtè prohibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura ejusmodi sibi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros solicitè faciant abstinere, quòd ea, quæ non pertinent ad fructus, sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent, nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. (a)

Circa hanc Constitutionem aliqua notanda veniunt. *Primò.* Ubi hactenus jus Regaliæ usurpatum non fuit, prohibet deinceps usurpari, eósque qui hunc abusum inducunt, nullo dignitatis discrimine anathemate ferit, & ne à quoquam dubitari possit, quid nomine Regalium voluerit Concilium intelligi, multiplicantur aliæ voces æquivalentes, videlicet: *Custodiæ, defensionis, usurpationis, & vindicationis fructuum vacantium Ecclesiarum;* quæ omnia Regaliam, de qua agimus, apertè notant, ut nihil apertius dici possit, & videri possunt Glossa, & Archid. *in cap. Generali in 6.* Observat etiam Durandus Speculator Episcopus Mimatens. qui Concilio interfuit, Patrúmque jussu Canones contexuit, ac commentarijs illustravit; Galliæ, Angliæque Episcoporum querelas Concilium Patrésque inclamantium evicisse, ut hic Canon ederetur. (b) Marca verò Archiepiscopus Parisiensis preces etiam Philippi Audacis, ejúsque Oratorum accessisse dicit hoc ipsum à Patribus postulantis. Hæc ergo Regaliæ, seu Custodiæ restrictio ab eo Concilio edita est, cui sanctissimus Pontifex præsederat, cui Episcopi supra quingentos aderant, Prælati mille, omniúmque in Europa Principum Oratores, imò & ex Asia, Persiáque: quo nullum in Ecclesia majus florentiúsque habitum est: in quo de summis rei Christianæ capitibus agitatum; cui non Galliæ tantùm Legati, Episcopíque assidebant, sed quorum etiam precibus querelísque datum, ut Regaliæ omnia pervagantis modus aliquis, limésque figeretur, dictâ ijs pœnâ

(a) Concil. Lugdun. can. 12. anno 1274. Vide Reg. Sacerdot. à fol. 70.
(b) Durand. in Commentar. can. 12. quos Majolus edidit I. C. anno. 1569.

omnium gravissimâ, qui aliquid contra molirentur, aut etiam non obsisterent: quæ omnia mihi volutanti omninò persuadent hunc Lugdunens. Concilij Canonem Regi Galliarum studiosè occultatum esse, aut aliâ facie, quàm est, exhibitum; & facilè fuit castris potius, armisque, quàm aris intentum fallere; si enim illum, ut est, perspectum habuisset, numquam credo tam salubre Decretum, tam sanctè, tantóque apparatu in Gallia factum, & à Galliæ Regibus, Episcopisque expetitum violari passus esset, idque parvo, & Rege indigno quæstu; sed, ut dixi, ad Regem veritas non pervenit. *Secundò.* Causa, quæ Concilium permovit, ut Regaliam ijs locis, ubi invaluerat, permitteret, non alia in Canone producitur, quàm *fundatio Ecclesiarum, & consuetudo* diuturna: quo ea confirmantur, quæ supra diximus: Regaliam videlicet non à jure feudali, non à Privilegio Calixti profectam esse, sed à consuetudine, quæ abusu cœpta in usum, tandémque in tolerantiam, ac privilegium desijt; cur enim tam honestos titulos, & qui etiam sufficerent, consuetudine sepositâ, Concilium præteriret? imò si illis Regalia niteretur, non poterat restringi, sed universim admitti, non minùs, quàm feuda, & Investituræ debebat. Ergo ante consuetudinem nullus Regaliæ titulus, quo licita redderetur, nisi tolerantiam velis: quamquam nec tolerantia fuit, quam tot à Pontificibus, Conciliisque Decreta interruperant, aut si aliquando connivebant, metu fastidióque tenebantur, re toties, & incassum tentatâ. *Tertiò.* Etiam post Concilium Lugdunense dubitatum est, an sola Custodia vacantium proventuum (si modò feudales excipias) aut etiam usus-fructus permitteretur? sanè Bonifacius VIII. Ferdinando Castellæ & Legionis Regi solam Custodiam permisit, & cùm fructus etiam vendicaret, nec monitus absisteret, anathemate percussus est, nec priùs absolutus, quàm omnia redderet. (a) Inter alia legationis capita, quâ Joann. Cardinalis ad Philippum pulchrum functus est, (b) etiam illud erat: *Ne vacantium Ecclesiarum bona depilarentur.* Id verò nunquam Bonifacius tentâsset, si privilegio Concilij Lugdunensis crederet Principes muniri, nec isti privilegium, sed consuetudinem obtendebant. Imò Philippo Audaci

(a) Anno 1303. apud Raynald. (b) Anno 1303. apud Raynald. n. 34. & Spondan. ad ann. 1302.

Audaci Galliæ imperante (qui per Legatos Concilio adfuerat) Regius ſenatus decrevit, jus Regaliæ ad decimas Eccleſiæ Conſtantienſi (urbs eſt Normandiæ) haud extendi. Alij etiam Galliæ Reges quaſi dedecori, aut conſcientiæ ſibi ducerent, ſpolijs Eccleſiarum augeri, ea plerúmque ſacris locis donabant. Et quidem Carolus VII. Ludovicus XI. Carolus VIII. Ludovicus XII. & Carolus IX. ſacræ Capellæ donârunt, qui ultimus hanc donationem perpetuam fecit; Ludovicus XIV. tertiam iſtorum bonorum partem addixit, qui Catholicam Religionem amplectuntur, hæreſi abjuratâ. Ludovicus XIII. (a) Regnantis Pater revocatâ donatione ſacræ Capellæ factâ, voluit, quæ vacante Eccleſiâ provenerant, ſucceſſoribus Epiſcopis reſervari, exemplo Chriſtianiſſimo Rege digno, & in quo pietatem juxtà & Religionem venereris. Sed tribus poſt annis Ludovico XIV. adhuc minore donatio reſciſſa eſt, Oeconomi vacanti Eccleſiæ dati, omnéſque proventus Regio arbitrio, ad pia tamen opera, ſubjecti, rebus in eum ſtatum repoſitis, quem ante donationem à Carolo VII. factam obtinuerant. *Quartò.* Multò minus à Concilio Lugdunenſi conceduntur Principibus Laicis Collationes, & Inſtitutiones pleno jure Beneficiorum vacante Eccleſiâ. De hoc enim in Concilio altum ſilentium; nec verò ſileri debebat tanti pretij privilegium, Regulíſque diſciplinæ & libertatis Eccleſiaſticæ, ac Concilio Oecumenico Lateranenſi ſub Calixto II. tam adverſum. Nec aliter Concilium Lugdunenſe intellexit Bonifacius VIII. in reſponſo Legatis Galliæ dato, jus videlicet, nominandi, præſentandique, non verò inſtituendi ad Regem pertinere: verba Bonifacij ſunt: *In Collationibus præbendarum duo ſunt conſideranda, jus Patronatûs, & præſentatio; Collationem verò & uſum ad Laicos nullo jure pertinere poſſe niſi fortè miniſterialiter:* & alibi: *Quantum ad Collationem Beneficiorum ſe zelantem ſalutis Regis frequenter ejus nuntijs dixiſſe, cupere ſe, ut Rex faceret licitè, quod faciebat illicitè, quia omnia jura clamant Collationem Beneficiorum non poſſe cadere in Laicum, ita quòd habeat jus & poteſtatem ſpiritualem conferendi.* (b) Et Nangis in vita Ludovici: *Sanè in Beneficijs Eccleſiaſticis conferendis, quæ ad Patronatum ipſius pertinebant præcipuè in Eccleſijs Cathedralibus, ubi ſede vacante ratione Cuſtodiæ Regalium ex conſuetudine pertinebat ad eum Collatio, &c.* (c) Ubi vides

(a) Anno 1641. (b) Spond. ad ann. 1302. (c) Nanges in vita S. Ludov. p. 445.

totam Collationem Beneficiorum revocari ad jus Patronatûs, id est, ad jus præsentandi, non verò instituendi. Quo etiam modo sunt intelligendæ Constitutiones Gregorij X. *Expositum nobis, & divinæ Gratiæ præmium.* (a) Quibus idem jus in Regibus Galliæ agnoscitur. Cæterùm jus conferendi Beneficia, præsertim pleno jure, nunquam fuisse à Concilio Lugdunensi concessum, illud evidenti argumento est, quòd motâ illis à Pontificibus lite nunquam Concilium prætulerint, sed solam consuetudinem, hâc unâ nitebantur, ut videre est in responso Philippi ad articulos Bonifacij, & in Philippina Constitutione ejusdem argumenti. (b) Cur verò tacerent Reges, qui omnia conquirebant, privilegium Concilij universalis, quod solum omnes rationes vincebat? nam consuetudini multa objici poterant, Concilio nihil.

Nihil ergo adjumenti à Concilio, quod Regaliam, Collationes præsertim Beneficiorum non tam extendi, quàm restingi volebat, & ideò nec universim Principibus permissum, sed tantùm pro ijs locis, in quibus Consuetudo prævaluerat, nam ut bene Politicus: *Sapientes quædam tolerare oportet, etiam quæ non probant, ut transitum ad majora faciant: quædam in tempus rejcienda, nec Principes multis annis molliter habiti ad duriora vertendi.* (c)

VII. Cæterùm nec intra terminos à Concilio præscriptos hæsére Principes; nam & cupido aliena libandi, & præsertim aulicorum consilia, specie obsequendi, suas cupiditates obvelantium limites perrupit. Concilium ut vidimus statuerat, ne jus Regaliæ ubi necdum inoluerat, induceretur, sed intra consuetudinem staret. Id aliquamdiu observatum; sed post non multum temporis nullâ consuetudinis, nullâ Concilij habitâ ratione, etiam ijs locis, ubi numquam hactenus, usurpari cœptum; & quamvis jam à ducentis annis omnium ferè Galliæ Scriptorum una vox fuerit, aliquibus tantùm locis, non omnibus, exerceri posse, tentatum tamen & hoc est, ut ubique exerceretur, Ecclesijs sub jugum missis. Præterito sæculo quidam è Regijs ministris Regaliam ubique locorum extendere aggressi sunt, eorúmque conatus Canonici sanctæ

(a) Gregorij X. Constitut. de an. 1271. (b) Preuues des libertez de l'Egliſ. Gall. ch. 16. n. 23. Philipine anno 1334. (c) Dion. lib. 52. Seneca, Ariſt. Polit. Auguſt. epiſt. 18.

ſanctæ Capellæ promovebant; ipſis enim Regum donatione vacantes fructus permittebantur: ſed in Conventu Bleſis habito (a) Clerus interceſſit, petiítque Epiſcopos, qui olim immunes fuerant, relinqui priſtinæ libertati. Idem regnante Henrico III. à Clero in Comitijs ad fanum S. Germani repetitum, ubi cùm Regius Procurator hanc propoſitionem in medium protuliſſet: *Juri Regaliæ omnes cum Epiſcopatus, tum Archiepiſcopatus obnoxios eſſe*, reſponſum eſt à Cleri Delegatis: *Duos eſſe ordines eorum, qui à Regalia immunes eſſent, videlicet, qui vel per contractus oneroſos ſe liberáſſent; vel qui ab hominum memoria nunquam illi ſubjacuiſſent; nec iſtos minùs quàm illos exemptos eſſe: nolle Clerum vel minima ex parte jus Regium delibari; quantò minùs aliquid Eccleſiarum juri detrahendum eſſe? nec Regem hoc velle juſti rectíq; amantem.* (b) Sicque Regio Advocato ſilentium impoſitum, & ſententia pro Eccleſijs data. Galliâ bello civili ardente multa peracta ſunt Eccleſijs adverſa, quæ prudenter à Clero diſſimulata; quippe inter armorum ſtrepitus audiri Leges non poterant, ubi pax redijt Henrico Magno & victore, & Rege, omniúmque votis potito, querelæ iterum à Clero auditæ, juſſúque Regis expenſæ, ac tandem Edictum in hæc verba pronuntiatum: *Non eſt voluntatis noſtræ Regaliam nobis vendicare, niſi intra eam formam, modumq;, quâ nos, & Anteceſſores noſtri Reges eâ gaviſi ſunt; nec intendimus in præjudicium Eccleſiarum, quæ hactenus exemptæ fuerunt, eam proferre.* (c) Huic Edicto poſt certamen, moráſque duorum annorum acceſsêre vota, (d) & confirmatio Parlamenti Regij; ſed paulò pòſt, eodémque Parlamento impugnatum eſt, quando ad Servini Regij Advocati inſtantiam pronuntiatum fuit: *Regem perinde, ac in totius Regni Eccleſias, ita etiam in Bellicenſem recèns Coronæ unitam, jus Regaliæ obtinere.* (e) Perculit hæc Declaratio Clerum Gallicanum, qui ſuas immunitates, Regiúmque Edictum unà proculcari querebatur. Henricus causâ ad ſe evocatâ unum annum ſuperſederi hoc negotio, omníque proceſſu juſſit. Ludovicus XIII. Henrici Edictum anno 1606. datum confirmavit, (f) juſſitque per Commiſſarios ſuos Clero exponi: *Nolle Regem fructibus vacantium Eccleſiarum gaudere niſi ijs locis, quibus præteritis retrò annis gaviſus fuerat,*

(a) Anno 1577. (b) Anno 1583. Vide M. de Pamiers fol. 40. (c) Anno 1606. (d) Anno 1608. die 29. Febr. (e) Bellay dans la Breſſe ann. 1608. die 24. April. (f) Lud. XIII. conſtit. an. 1629. art. 16.

fuerat, sicque Henrici Patris Edicto standum esse. Idem Ludovicus, ut suprà notavimus, pari liberalitate, & Religione fructus vacantium Ecclesiarum electis Episcopis conservari, donarique voluit. Ipse Ludovicus Decimi tertij filius edixit: *Nolle se Regaliâ, & simplicium Beneficiorum collatione uti, nisi ijs in locis, quæ anno 1606. Regaliæ subjiciebantur.* (a) Tandem post multas dilationes instruendæ suæ causæ Clero datas, ternæ constitutiones ab eodem Ludovico prodiêre, quibus tria statuebantur. (b) Primò: *Omnes Ecclesias, quà Regis Imperium patet, Regaliæ obnoxias esse; ijs tantùm exceptis, quæ titulo oneroso libertatem redemissent.* Secundò: *Omnes cum Episcopos, tum Archiepiscopos, qui deinceps promoverentur, post duos menses à juramento fidelitatis Regi præstito obstrictos fore, ut hoc ipsum juramentum in acta Regiæ Parisiensis Cameræ referri curent, petántque litteras, quibus exspirâsse, finitámque Regaliam Oeconomo, qui vacanti Ecclesiæ præfuerat, insinuetur; id si omittant promoti, perinde, ac vacante Ecclesiâ, Regaliam duraturam.* Tertiò: *Episcopi verò, & Archiepiscopi jam tum promoti, ac insulis potiti, & quietâ possessione fruentes, quique juramenta sua, ut præfatum est, libris Parisiensis Cameræ Computorum inscribi non fecerant, nec litteras obtinuerant sublatæ Regaliæ, duobus mensibus post vulgatam hanc Declarationem, utrúmque id præstent; aut si negligant, perinde ac vigente Regaliâ, & Sede vacante, omnia Beneficia ab hujusmodi Episcopis conferri solita, & aliàs Regiæ dispositionis futura, ac titulo Regaliæ impetratum iri.* Hæc sunt tria capita, quæ Regia Declaratio complectebatur, quæque classicum tot in Gallia turbis cecinêre, alijs Regiam voluntatem aut spe, aut metu secutis, alijs mediam viam ingressis, vanisque protestationibus eam libertatem tuentibus, quam facto prodebant; alijs verò apertè obnixis: pauci hi quidem, & majori pretio quàm numero, præsertim accessu Romani Pontificis, sed hoc ipsum veritatis indicium fuit, quæ paucis placet, cùm amantes mendacio abundent. Et planè tanta, & tam invicta sunt argumenta, quæ Regaliam universim extendi non posse ostendunt; & omnium ferè in Gallia Scriptorum votis firmata, ut post editum Episcopi Apamiensis de hoc argumento Tractatum, nemo ausus fuerit obniti, & quæ ille scripserat, refutare: nec ingenia deerant, nec præmia audentibus proposita; sed reverentiâ veritatis absterriti sunt; cur enim nuditatem suam Soli exponerent, ridendi si prodirent?

§ II. Jus

(a) Anno 1657. die 12. April. (b) Anno 1673. & 1675. die 2. April.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§ II.

Jus Regaliæ, quod hactenus in aliquibus tantùm Galliæ Ecclesijs locum habuit, non posse ad omnes extendi.

SUMMARIA.

1. Regalia, omnium retrò Conciliorum, ipsiúsque Galliæ testimonijs damnata, consuetudine sustineri vix poterat: saltem ubi consuetudo non erat, etiam ante Concilium Lugdunense exerceri non potuisse, duorum Galliæ Regum exemplis, Parlamentorum sententijs evidenter ostenditur.

2. Concilij Lugdunensis Decreto Regaliæ extensio prohibetur, idque Gallis expetentibus.

3. Idem ex varijs Regum, & Parlamentorum Galliæ Constitutionibus, Arrestísque, & omnium ferè Gallorum testimonijs probatur.

4. Non eas solùm Ecclesias eximi, quæ titulo oneroso libertatem redemêre, sed omnes, quæ hactenus in possessione suæ libertatis fuêre, idque Gallos ipsos fateri.

5. Parva Regum Galliæ ex Regalijs emolumenta; maxima ipsorum, & Ecclesiarum damna: Ludovici VII. & IX. egregia in hanc rem exempla.

I.

VIx aliam in tota Ecclesiastica historia causam reperias, tam evidenter, & omnium etiam Gallorum testimonijs probatam, imò documentis ex Regijs Archivijs depromptis, ut ista, quam suscipimus defendendam: rationibus verò tam infirmis, cassísque oppugnatam,

ut vel suis Auctoribus rubori, ac ludibrio fuerint, prodiderintque inanitatem causæ tam levibus argumentis fultæ; cùm tamen multò maxima esse oportuerit, quæ omnium Canonum, Conciliorum, Regum, Doctorum, & Galliæ ipsius authoritati opponebantur. Hæc an vera sint, ex decursu, réque ipsa intelliges. Primò igitur ea omnia produci possunt testimonia Canonum, Conciliorum, Episcoporum, Imperatorum, Regum, Auctorúmque, quæ superiori paragrapho enumerata sunt: quæque, ut vidimus ab anno 499. quo Clodovæus Catholicam Religionem amplexus est, usque ad annum 1122. cùm celebratum est Concilium Lateranense sub Calixto II. Papa (imò multò post illud) semper Regaliam damnârunt, vel potiùs eos abusus, qui postea Regaliæ inducendæ ansam dedêre. Ea sunt Concilia Antiochenum, Chalcedonense, Nicænum secundum, Pontigonense, Troslejense, Reghiense, Aurelianense, Parisiense, Tolosanum, &c. Capitularia Caroli Calvi, Constitutiones Imperatorum Joannis, & Emmanuelis Comneni, Friderici, Principúmque Germaniæ & Galliæ, Gregorij Magni, Gregorij Turonensis, Hincmari, Flodoardi, Gerberti, & aliorum. Hi omnes locis suprà citatis Regaliam, seu potiùs primas Regaliæ fibras penitùs execrati sunt, tantúmque abest, ut eam totâ Galliâ extendi voluerint, ut ne uno quidem loco passi sint, & consuetudinem, quæ obtendebatur, *sacrilegam, detestandam, juri divino, humanóque contrariam* edixerint, quæ omnia ex testimonijs suprà recensitis manifesta sunt; constat etiam, quæ mens Gallicanæ Ecclesiæ tot Concilijs, exemplísque expressa, olim fuerit; quid verò dicerent, egregij, invictíque illi Galliarum Antistites, si eam consuetudinem, quam ne uno quidem loco dignati sunt, jam tota Gallia dominantem cernerent? imò & pro Ecclesiæ Gallicanæ legitimo partu sémet ferentem? Post Concilium Lateranense jam superiori paragrapho ostendi, jus Regaliæ solâ consuetudine, non privilegio, alióve justo titulo stetisse, & consuetudinem pacandæ Principum conscientiæ, excusandóque abusui vix suffecisse, quod præter ipsorum Principum testimonia, quæ produximus, etiam innuit Marca Archiepiscopus Parisiensis, cujus hæc sunt verba: *Cùm autem usus-fructus redituum Episcopatûs (si reditus feudorum excipias) & Collatio Præbendarum ex Consuetudine adversus Canones proficiscerentur, optimum factu existimârunt*

runt Principes, ut hujus consuetudinis confirmationem peterent decerni in Concilio Generali Lugdunensi. Sed quidquid de hoc sit, an videlicet ea consuetudo legitima fuerit, & sufficiens, ut Regalia exerceri tutò posset, illud saltem evidens est, ubi consuetudo non erat, exerceri non potuisse, tunc enim omnis aberat titulus, quo Canonum transgressio Regaliam enixissimè prohibentium excusari posset, & ideò Principes non aliter hoc jure utebantur, quàm ubi, & quando consuetudo illud permittebat: quod duorum Galliæ Regum exemplis evidenter demonstratur. Primum est S. Ludovici, in cujus vita hæc Nangius: *In Beneficijs Ecclesiasticis conferendis Deum semper præ oculis habebat, præsertim in Ecclesijs Cathedralibus, ubi sede vacante ratione Custodiæ Regalium ex consuetudine pertinebat ad eum Collatio Prædendarum.* (a) Sub eodem Rege vacante Ecclesiâ Anicienſi apud Velaunos titulo Regaliæ impetebantur tam in urbe, quàm suburbijs, totóque civitatis territorio jurisdictio temporalis, vectigalia, alijque proventus ejusdem Ecclesiæ, ac etiam Beneficiorum Collationes: obstitit Capitulum, ostenditque, nunquam id consuetudinis fuisse, ut videlicet vectigalia extra urbem, ac Beneficiorum Collationes ad Regem pertinerent, idque recèns tentari cœptum, à decessu videlicet duorum Episcoporum, qui Ecclesiam Anicienſem ultimò gubernaverant; id verò legitimæ consuetudini inducendæ satis non esse; quippe consueta dici non posse, quæ bis tantùm contigerint; sic etiam Beneficiorum Collationes nunquam hactenus sibi Reges vendicâsse. His à Capitulo allegatis, probatísque Parlamentum Parisienſe decìdit: *Ecclesiam Anicienſem libertati suæ relinquendam esse.* (b) Quam Parlamenti sententiam S. Ludovicus suo Diplomate confirmavit, cujus inter alia hæc sunt verba: *Quia per inquestam, quam fieri fecimus, probatum non extitit, quòd vacante Ecclesiâ supradictâ nos, vel nostri Antecessores domum Episcopalem vel fortericia alia civitatis, castra etiam extra civitatem, seu villas alias, sed nec pedagia ullo umquam tempore habuimus extra civitatem, nisi à duabus ultimis vacationibus, vel aliquando dignitatem aliquam, aut Prædendam contulerimus; super his ex nunc in perpetuum dictam Ecclesiam nolumus molestari, &c.* (c) Ubi vides nec Regium Parlamen-

(a) Nangius in vita S. Ludovici. (b) Parlamenti Parisienſ. arrestum Anno 1259. (c) Constitutio S. Ludov. an. 1259. mense Julio. Ex Regestis Parlam. & Cameræ Computor. apud Chopin: Marca lib. 8. Concord. cap. 24. n. 3.

lamentum, nec ipsum Regem voluisse Regaliam ultra consuetudinem extendi; imò Regio Procuratori onus probandi incumbebat, Regem in antiqua possessione, & consuetudine versari Regaliam percipiendi, nec prius admittebatur, quàm id probâsset, ut ex allata Constitutione palàm est, & fatetur Marca, & Ruzeus in privilegio 55. (a) Exemplo, vestigiisque B. Ludovici Philippus Audax Ludovici filius egregiè instituit, cujus jussu cùm esset Apamijs Ecclesiæ Albiensi restituti sunt fructus à Senescalco Carcasinensi obtentu Regaliæ occupati, Capitulo proclamante, id hactenus numquam esse factum, & ideò nec fieri posse: verba Arresti (quod duos ante Concilium Lugdunense annos datum est) sunt hæc: *Sabbatho post Ascensionem Domini restituta fuerunt apud Apamias, & reddita per Dominum Regem procuratoribus Capituli Albiensis Regalia Ecclesiæ Albiensis, quæ mortuo Episcopo Senescalcus ceperat, & saisinaverat sine causa, cùm Dominus Rex super hoc nunquam usus fuisset, prout ex aliorum, & ipsius relatione fuit inventum.* (b) Constat ergo etiam ante Concilium Lugdunense Regaliam non alibi admissam, exercitámque fuisse, quàm ubi consuetudo vigebat. Id verò multò magis post Concilium Lugdunense obtinuit, quod tam apertum, & evidens est, ut nihil magis.

II. Nam Concilium ipsum quod attinet, Regaliam ibi tantùm admittit, ubi hactenus inveterata consuetudo inoleverat; alibi verò, & præter morem eam induci sub pœna anathematis ipso facto incurrenda, nullâque dignitatum exceptione, enixissimè prohibet. Eos verò Clericos, qui se, ut deberent talia facientibus non opponunt, proventibus omnibus privat. Fuit hoc Concilium in Gallijs habitum, in Gallijs receptum, Regísque Galliæ Oratoribus, ipsóque Clero Gallicano, qui frequens aderat, non solùm non contradicentibus, sed potiùs vehementer approbantibus, & ut id statueretur, connitentibus; sic enim Durandus Speculator Episcopus Mimatensis, qui Concilio interfuit, testatur: *Præsens constitutio*, inquiens, *fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ, & Angliæ promulgata.* Habes hîc ergo mentem Ecclesiæ Gallicanæ in generali Concilio expressam, & Regaliam ad solam consuetudinem restringentis

(a) Mar. lib. cit. n. 2. (b) Arrestum Parlam. Parisiens. anno 1272. Apud Marc. lib. 8. cap. 26. n. 3. M. de Pamiers. fol. 28.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

stringentis; immeritò igitur Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam jactant illi, qui hâc nostrâ tempestate eam ipsam doctrinam impugnant, titulo filios, facto hostes professi; & planè nihil invenias, quod huic Concilio opponas, nam & generale fuit, & in Gallijs habitum, & à Gallis receptum, approbatúmque, & tandem ad mentem, votúmque Gallorum pronuntiavit. Hoc ergo Concilium sufficeret, quamvis alia deessent, sed nec alia desunt, imò abundant.

III. Anno 1302. qui fuit vigesimus octavus post Concilium Lugdunense, Philippus Pulcher Constitutionem edidit, cujus hæc sunt verba: *Quantum ad Regalia, quæ Nos, & prædecessores nostri percipere assuevimus in aliquibus Ecclesijs Regni nostri, quando eas vacare contigerit.* Idem Philippus in litteris ad Bonifacium VIII. datis: *Aliquarum Ecclesiarum, & Prabendarum collatio ad Nos jure regio pertinet.*

Anno 1303. Idem Philippus: *Nolumus*, inquit, *quòd gentes nostræ occupent Regalia Ecclesiarum Provinciæ Narbonensis.*

Anno 1334. Philippus Valesius in celebri sua Constitutione, quam Philippinam appellant: *Cùm ab aliquibus dubitatum sit, an jus Præbendas, Dignitates, aliáque Beneficia conferendi ad Nos pertineat, vacante videlicet Ecclesiâ, & in ijs locis nostri Regni, in quibus jus Regaliæ obtinemus.* Ordinatio, cujus initium: Episcopus: *Dum Episcopus alicujus Episcopatûs decedit, ubi Dominus Rex habet Regaliam.*

Anno *paulò supra* 1300. Celebris quædam Constitutio prodita est, cujus initium: *Dominus Rex.* In ea omnes speciatim Ecclesiæ numerantur, quæ juri Regaliæ aut subditæ, aut exemptæ sunt, ex qua luce clariùs patebit, noluisse Reges universim, totóque Regno, sed certis tantùm locis Regaliam extendi. Ea sic habet: *Dominus Rex prout constat per antiquæ scripta Camera consuevit capere Regaliam cùm vacaverit in Provincijs, quæ sequuntur: in tota Provincia Senonensi, & suffraganeis, exceptâ Diœcesi Antisiodorensi, in qua Decani, & Capitulum dicuntur permutationem fecisse cum Rege: in tota Provincia Rhemensi, exceptâ Cameracensi: in tota Provincia Bituricensi, exceptâ Lemovicensi, Cathurcensi, Rhutenensi, Albiensi, Mimatensi, Treconensi, &c. In tota Normannia habet Regale; in Provincia Auxitanensi, & Arelatensi, & per consequens in tota Lingua Occitana nihil habet, in Provincia Burdigalensi solùm. Verumtamen de Pictavensi fuit computatum anno 1306. sed Rex per litteras suas totum Episcopo restitui jussit.* Et in codice manuscripto (qui in Bibliotheca asservatur Reginæ

Sueciæ, continétque quàm plurima manuscripta arresta) hæc verba prioribus adijciuntur : *Tunc conditione habitâ, quòd inquirerent diligenter, si Prædecessores Episcopi nunquam fecissent homagium Regi, & si sic quod recuperaretur super ipsum Episcopum, quod ei fuerat restitutum.* Ubi clarè expressum vides, Regij Procuratoris officium, ac munus fuisse, ut probaret, stetisse penes Regem capiendæ Regaliæ possessionem, quam nisi probâsset, pro Ecclesiarum libertate pronuntiabatur.

Anno 1352. Alia, & ferè similis Constitutio condita est, cujus titulus: *Ecclesiæ cadentes in Regaliam:* Continétque 30. Diœceses, nullâ tamen factâ mentione Provinciarum Aquitaniæ, Occitaniæ, Provinciæ, & Delphinatûs.

Anno 1408. & 1451. Constitutiones Caroli VI. & VII. *In Episcopatibus, in quibus Regaliæ jus habemus.*

Anno 1499. Ludovicus XII. *Omnibus nostris Officialibus sub pœna, quæ sacrilegis debetur, infligenda prohibemus, ne usumfructum Archiepiscopatuum, Episcopatuum, aliorúmque Beneficiorum occupent, in quibus jus Regaliæ non habemus.*

Anno 1606. Henricus Magnus omnes illas Regum Antecessorum Constitutiones confirmat, declarátque : *Nolle se Regaliâ frui. nisi intra limites, modúmque à suis Antecessoribus præscriptum, nec velle eam cum præjudicio Ecclesiarum exemptarum extendi.*

Anno 1629. Ludovicus XIII. regnantis Pater ad preces Cleri Gallicani Edictum Henrici Magni ratum vult esse, haberique.

Præsertim verò Provinciam Septimanniæ fuisse à Regalia exemptam infinita ferè sunt documenta, quæ apud Marcam, & Episcopum Apamiensem videri possunt. Accessit hæc Provincia Coronæ Gallicæ non simul, sed per intervalla, videlicet sub Ludovico VIII. Ludovico IX. & tandem plenéque sub Philippo Audaci Regibus Galliæ : accessit verò eâ conditione, ut juribus ac privilegijs suis, quæ olim acceperat, deinceps potiretur, inter illa non minimum fuit immunitas à Regalijs: hanc quamvis Principum nonnulli turbâssent, restituta tamen est, & in antiquum statum repositа à Raymundo, & Alphonso Comitibus Tolosanis, & Comitissa Ermengarda ; præsertim verò à Carolo V. Rege, *qui in omnibus Ecclesijs, & Abbatijs Septimanniæ nullam se Regaliam affectare profitetur.*

(a) Qui-

(a) Quibus acceſsêre quàm plurima Pontificum, Regúmque Diplomata, Parlamentorum arreſta, aliæque ſententiæ, arbitramenta, tranſactiones, concordata, præſertim verò continua, & nunquam interciſa poſſeſſio.

Accedit omnium ferè Scriptorum, qui hoc argumentum tractârunt, una eadémque ſententia idipſum confirmantium; ij ſunt: M. le Maiſtre Primus Pariſienſis Parlamenti Præſes, *in cap. 4. Conſtitutionis, cui initium: Dum Epiſcopus.* Ubi: *Certiſſimum eſt Regem non in omnibus ſui Regni Epiſcopatibus Regaliâ potiri:* quod aliquoties repetit.

Choppinus celebris (b) Parlamenti Advocatus: *Si à Pontificia legum relaxatione hoc Regaliarum genus magis, quàm à Poſſeſſione ſtrictis finibus ſepta, promiſcuus hic fuiſſet, & indefinitus privilegij uſus, in omnes Epiſcopatus Galliæ, &c.* & infrà: *Quatenus Regaliarum jus in aliquibus Eccleſijs poſſeſſum, eatenus præſcriptum, quæſitúmque intelligitur.* Et alibi, (c) *In multis quidem ſacrarum Eccleſiarum finibus Galliæ, ignota ſunt, nec uſu trita Regaliarum jura.*

Rebuffus in Pariſienſi Univerſitate jurium Profeſſor celeberrimus in Tractatu de Regia ad Prælaturas Nominatione: *Reges in aliquibus tantùm Eccleſijs ſui Regni Beneficia conferunt titulo Regaliæ, idque ex Privilegio, & conceſſione Eccleſiæ, cùm aliàs juri communi id repugnet.*

Auctor Gloſſæ in Pragmaticam ſanctionem: *Sicut Rex Franciæ, & Rex Angliæ vendicant ſibi* (vacantibus Eccleſijs) *jus conferendi Beneficia in quibuſdam Eccleſijs Cathedralibus.*

Eodem modo loquuntur Durandus Speculator, Joannes Ferault juriſconſultus Gallus, Carolus Groſſalis juriſconſultus Tholoſanus, Duarenus, Paſquier Regius Advocatus, qui adulatores aulicos eos vocat, qui jus Regaliæ ad omnes Eccleſias proferre audent. Et denique Petrus Marca Archiepiſcopus Pariſienſ. Hi omnes, & quotquot de hoc argumento retrò temporibus ſcripſêre, unâ eâdémque voce profitentur jus Regaliæ in aliquas tantùm Eccleſias, non omnes, Regi competere. Ex quibus facilè colligas, quænam in hac re totius Eccleſiæ Gallicanæ, prout videlicet ſacris, prophaniſque ordinibus conſtat, mens, & ſententia fuerit. Quæ licèt clariſſima ſint, non deſunt tamen tergiverſationes vinci nolentibus; fruſtra enim veritatem iſtis oſtendas, quam non quærunt, imò adverſantur.

IV. Di-

(a) An. 1138. 1155. & 1209. (b) Choppin. l. 1. de ſacra Politia. (c) Lib. 11. Monaſticon.

IV. Dicunt ergo verum esse, non omnes Ecclesias Regaliâ teneri, illas enim eximi, quæ aut speciali privilegio à Regibus exemptæ sunt, aut titulo oneroso libertatem redemêre; istas immunes esse, nullásque prætereà. Cæterùm quàm hæc sint inania, & ludificandæ veritati quæsita, quis non videt? Concilium enim Lugdunense non aliquas tantùm, paucásque Ecclesias Regaliæ subducit, quæ privilegio, aut contractu aliàs tutæ sint, sed omnes illas, in quibus Regalia hactenus exercita non fuit, hæ verò multò plures sunt, quàm Privilegio affectæ. Concilij verò Lugdunensis, & Ecclesiæ Gallicanæ, quæ illius Concilij maxima, & præcipua pars erat, eadem mens, & sententia fuit; imò Gallorum querelis ea Constitutio debetur, ut suprà vidimus. Id si Galliæ Antistites cùm aulæ minùs blandirentur, fassi sunt, non eas tantùm Ecclesias eximendas esse, quæ Privilegio, aut contractu aliàs tutæ sunt, sed omnes, quæ retrò temporibus Canonicâ, & naturali libertate gaudebant: sic enim in Conventu ad S. Germanum habito Henrico III. imperante Clerus loquitur: *Oportet ab onere Regaliæ primò Ecclesias eximere, quæ contractu aliquo, commutatione, alióve titulo oneroso hanc exemptionem sibi à Regibus paravêre. Secundò eas Ecclesias, quæ jam à tempore hominum memoriam superante in possessione, & libertate sunt, ne huic oneri subdantur; illa præsertim, quæ hâc ipsâ libertate priùs gaudebant, quàm coronæ unirentur; nec veritati consentaneum est, accessu ad coronam suâ libertate aut Privilegijs excidisse, quæ in hunc usque diem semper conservârunt.* His Cleri rationibus & ipse Henricus assensus est, & propositio Pybraci Regij Advocati eliminata. Idem fatetur Petrus de Marca, cujus hæc sunt verba: *Cùm antiqua Parlamenti arresta jus Regium consuetudine niti docuerint, nullámque aliam ejus asserendi probabilem rationem invenerint Doctores Parisienses, quàm vetustam consuetudinem ex æquitate profectam, mirum videri non debet, si Reges, qui primi leges in hac materia Regalium condiderunt, ad fori usum accommodatas, jus illud coërcuerint ad Ecclesias, in quibus receptum erat, Regem eo jure uti.* Si ergo nullo alio titulo, quàm consuetudinis, Regalia nititur, ídque Parlamenta, Doctores Parisienses, ipsique Reges agnovêre; sequitur, ubi consuetudo non est, nullum etiam esse titulum, rationémque Regaliam exercendi. Denique ex arrestis, Regiisque tabularijs, ac omnium ferè Juris consultorum, & Advocatorum Galliæ testimonijs constat, multas Eccle-

Eccleſias à Regalia liberas eſſe, immunéſque, videlicet: Cameracenſem, Lemovicenſem, Cathurcenſem, Rhutenenſem, Albienſem, Mimatenſem, Maclovienſem, Trecorenſem, Auxitanenſem, Arelatenſem, omnéſque inſuper Eccleſias Provinciarum Septimanniæ, Provinciæ, Delphinatûs, Aquitaniæ, aliáſque recentibus victorijs Galliæ adjectas, de quibus *vide Marcam lib. 8. à cap. 26. & Epiſcopum Apamienſem in Tractatu Regaliæ à fol. 86.* Has inquam omnes immunes fuiſſe conſtat, liberáſque, ſive jam contractui oneroſo, ſive antiquæ poſſeſſioni, ac Concilio Lugdunenſi tribuas: ſi ergo, quocunque tandem titulo, liberæ ſunt, quâ, rogo, æquitate gravári poſſunt, & jugo ſubdi nunquam accepto? ſit contractus, ſit quidquid velis, tantùm ne ſerviant; quamquam, ut dixi, nec privilegium, nec contractus ſit, ſed Eccleſijs innata, & à Canonibus, præſertim verò Concilio Lugdunenſi ſancita libertas. Enim verò ſi quis attentè conſideret, quid Regaliæ extenſio ex una parte lucri, ex alia verò incommodi Regibus afferat, mirabitur tanto illam ardore, conatúque quæſitam eſſe. Emolumenta, quæ ex ea proveniunt, ſi magnificentiam, opéſque Regum Galliæ ſpectes, vix guttam addunt ingenti pelago; præterquàm, quòd eorum Majeſtate indignum credas, ſi Eccleſiarum ſpolijs onuſti incedant, quas olim augere conſueverant. Et quamvis moderni Regis pietate factum ſit, ut modeſtiſſimè illis utatur, tertiâ eorum parte Neophytis adſcriptâ; quis nobis tamen pollicetur, foribus ſemel apertis, eandem ſemper poſteris Regibus & moderationem, & pietatem fore, & non potiùs in Regium ærarium, communémque alveum, etiam hunc rivulum decurſurum, ſacrâ pecuniâ in prophanos uſus abſumptâ? nam & hic ſemper genius abuſibus fuit, ut faciem honeſtate velarent, lentéque procederent, modeſtiſſimis initijs, ſed lugendo fine. Et quamvis hæc omnia deſint, finis ſaltem ſacrarum fundationum, quas eſſe inviolatas decet, & poteſtas, ac adminiſtratio Epiſcopis debita, in Reges transfertur: & quis credat oblationes ex alieno Deo placere? maximè in Regibus, qui proprijs abundant? Idem, multóque magis in Collationibus Beneficiorum locum habet. Olim cùm Reges Beneficia nulla conferrent, excuſari, aut ſaltem ferri poterant, ſi etiam hujus juris exercendi aliquâ cupiditate tangebantur: nunc verò poſt Con-

cordata, quando præter tot inferioris Ordinis Beneficia, quæ varijs ex titulis donant, omnes Prælaturæ, omnésque Episcopatus, & Archiepiscopatus ex Regum voto, & nominatione conferuntur, vix aliud supereſt, quod optare debeant: enimverò Canonicatus, aliáque minoris numeri Sacerdotia vix punctum efferunt, tot alia, tantíque momenti possidentibus; cùm tamen ex alia parte Principis conscientiam magnopere gravent, nec minori damno Ecclesias afficiant. Si Canonicatuum, aliarúmque Dignitatum, & Beneficiorum collatio ex solius Principis voto, arbitrióque penderet, extra periculum res esset; illos quippe nec lucri captandi, nec aliæ sordidæque cupiditates tangunt, quas in privatis ministris reperias: istis ergo vacuas dignitates implendi tota cura committitur, Principe in alia, & majora intento; hinc est, dum isti referunt, orant, supplicántque, illos Principi offerunt, quos non Ecclesijs utiles, sed sibi suísque putant; Sacerdotia interim indignis immeritísque donari; aut potiùs vendi, quíque nil minùs cordi habent, quàm ut in Ecclesijs suis resideant, ut oculis subditorum virtutum exempla proponant, quos potiùs vitæ, morúmque licentiâ, & perversitate Clericis indignâ offendunt. Tantóque id pejus, si Ecclesiæ procul absunt; tunc enim ijs, qui digni essent, præteritis, succedunt aulæ assueti, mutántque Beneficia recèns accepta, aut etiam resignant, pensionibus egregiè impositis; quippe non tam illis Ecclesiarum, quàm lucri, ac proventuum cura est, animarum interim pretio, ac pauperum patrimonijs contra fundatorum intentiones in delitias consumptis. Obsident aulam Sacerdotum & ambientium greges, non tam meritis, quàm pretio, gratiáque Sacerdotia captaturi; ij verò, qui meritis quidem, sed non patrocinijs, aut ære abundant, in obscuro sunt, laténtque, nec ulla virtutes consequendi cura est desperatione præmiorum. Illi ipsi, quos Ecclesiastici, Laicique Patroni nominârunt, aut expensarum, aut litium metu, aut etiam tædio itinerum (quippe Parisijs tantùm de Regalijs disceptatur) causam etsi justissimam ijs deserunt, qui plus gratiâ, potentiâque in aula valent, unde Ecclesias indignis tandem repleri necesse est; quippe ex Canonicatu etiam ad Episcopatus, altioréque cathedras ijsdem artibus eniti in promptu est. Constat ergo parum quidem emolumenti ex Regalia Prin-

Principi provenire, multum tamen periculi, multúmque damni, tantóque amplius, quantò illa magis dilatatur; ut prudenter à Marca Archiepiſcopo Pariſienſi dictum ſit: *Tanti non eſſe Præbendarum iſtarum Collationem, ut ejus etiam in loca, in quibus à Chriſto nato nunquam exercita eſt, proferendæ ſtudio, antiquas Regni leges, Conciliorúmque Decreta ſubverti neceſſe ſit.*

Qua in re ſunt etiam æternæ memoriæ digna Ludovici VII. & IX. Regum Galliæ exempla. Cùm enim huic inſtituendi Paſtores à Pontifice poteſtas facta fuiſſet, ad idque Legatus Româ rediens Diploma protuliſſet: *Quòd mea*, inquit, *negotia Romæ ſtrenuè objeris, laudo: quòd mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo: intelligo enim, quanto cum periculo animæ meæ, & Regni id ſuſciperem*: ac protinus in ignem Diploma projecit. De eodem beato Rege narratur, noluiſſe Collationibus Sacerdotiorum ſe immiſcere: *Sat mihi eſt*, inquiebat, *coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam ſpiritualibus, rationem reddere.* De Ludovico VII. hæc habet Thomas Walſinghanus: *Reverſus Ludovicus junior de Hieroſolymitana contra Saracenos expeditione, cùm quidam Clericus Româ papale privilegium attuliſſet, quo in omni Eccleſia cathedrali ſui Regni, jus conferendi primam vacaturam cum cunctis fructibus medio tempore provenientibus, continebatur, confeſtim concluſit litteras, dicens: Malo illas hic comburere, quàm ſi propter illas in inferno comburerer.* Hæc Regum Galliæ olim exempla, vocéſque fuerunt, à quibus quàm aliena ſint ſenſa, quæ regnanti Ludovico inſpirare aliqui conantur, nemo non videt. Rationes verò quibus id agunt, tam ſunt exiles, vanæque, ut mirum ſit, ijs ipſis, qui eas producunt, pudori non eſſe: enimverò cupiditas aulam demerendi, ſuprà pudorem & veritatem fuit, id poſteà videbimus; nunc in D. Thoma Cantuarienſi, ideam, exemplárque Eccleſiaſticæ libertatis proponemus, in quo conſtantiam, fortitudinem, candorémque animi videre, & imitari liceat, aliáſque virtutes ſacerdote dignas, omni quidem adulatione, & fuco liberas; reverentiæ tamen in Reges ſuos, amoríſque plenas; & ex quibus intelligas, quid Epiſcopi Deo, quid Principi debeant, tantóque aptiùs præſenti cauſæ hæc digreſſio conveniet, quòd D. Thomæ pugnandi, vincendíque argumentum Regalia fuit, hæc Martyrem fecit; ut mirari non debeas, ſi eam cauſam nos calamo, & atramento tuemur, quas ille tormentis, & ſangui-

ne; hæc sunt præmia, & sigilla veritatis: nec alio discrimine verum à falso Pastore distinguas, quàm quòd iste fugâ, ille pugnâ probatur: *Mercenarius*, inquit Christus, *& qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves.* In quem locum eleganter S. Gregorius: *Mercenarius quidem est, qui locum quidem Pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis honoribus inhiat, temporalibus lucris pascitur, impensâ sibi honoris reverentiâ lætatur. Hic videt lupum venientem, quia tranquillitatis tempore plerúmque ad gregis custodiam sicut verus Pastor, ita etiam Mercenarius stare videtur, sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus enim super oves venit, cùm quilibet injustus, & raptor fideles quosque, atque humiles opprimit; sed is, qui Pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oves, & fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit; fugit verò non mutando locum, sed subtrahendo solatium: fugit, quia injustitiam vidit, & tacuit: fugit, quia se sub silentio abscondit, quibus bene per Prophetam dicitur: Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini.* (a)

§ III.

Certamen contra Regaliam à S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo susceptum, aliisque in simili causa laborantibus propositum.

SUMMARIA.

1. Regibus suis & reverentiam, & libertatem Pastores debent.

2. S. Thomas Archiepiscopus Regaliæ abusus impugnat, & hæc ei necis causa: ejus in aula mores: electio in Archiepiscopum, & Sanctitas.

3. Regem offendit, & quas ob causas?

4. Sub-

(a) Ezech. 13.

4. Subscribit Clarendunæ Regijs consuetudinibus, & quare? pœnitétque.

5. Northantoniæ cum Regijs confligit.

6. Fuga, exilium, pericula, & epistolæ ad Alexandrum Papam.

7. Alexander Henrici Legatos Senonis audit, & paulò pòst S. Archiepiscopum, qui causam in sacro Consistorio dicit, posteà resignat.

8. Pontiniaci Monachum agit, & ab Henrico pellitur: Schisma Henrici, & ab Alexandro Legati.

9. Regem convenit, orátque, nec tamen placat, & quam ob causam? Cum Galliæ Rege in gratiam redit. Et quas ob causas assentiri Regi non potuit?

10. Alij ab Alexandro in Angliam Legati, sed nullo effectu. Sanctus Henricum convenit, nec tamen flectit: tandem Alexandri Legatis Rex cedit.

11. Pax cum Archiepiscopo inita. S. Thomas redit in Angliam omnium aggratulatione. Novæ ab Archiepiscopo Eboracensi turbæ: Regis querelæ, & secuta S. Archiepiscopi cædes.

12. Legati ab Alexandro ad inquirendum in cædis authores. Regis pœnitentia, ac tandem mors. Laudata D. Thomæ, & Alexandri Pontificis constantia.

I.

DUas Episcopi personas sustinent, Pastoris videlicet, subditíque, ex quibus duæ obligationes æquè proveniunt; altera, quæ Deum, altera, quæ Principem spectat, utrúmque debent. Si enim Dei quidem, Ecclesiæque causam agant, ut impetu non ratione ferantur, Majestate Principis contemptâ, aut etiam neglectâ, indigníque modis provocatâ; non tam ea pietas, aut religio fuerit, quàm potiùs immoderantia, æstúsque animi sibi malè imperantis,

perantis, ac irâ concitati ratione submotâ: nec enim omnis calor vitalis est; aliquis ex morbo, febríque provenit. Qui verò omnia Principi concedat, ac etiam erranti obsequatur, is planè nec Episcopum se, nec Pastorem meminit; quippe pereuntem videt, silétque, & tamen revocare poterat præcipitio ostenso; cùm enim non voluntate, & proposito Principes delinquant, in Ecclesias præsertim; sed aut errore, aut consilijs inducti, nullâ re magis curari, pervertíque possunt, quàm aut nudatâ, aut suppressâ veritate. Nec alios reperies minoris in Reges suos fidei, quàm qui perpetuis adulationibus eos demulcent; spe enim, & quæstu ducuntur, non eorum obsequio, & reverentiâ; quòd si præmia submoveas, aut aliunde majora ostententur, eâdem facilitate, quâ Deum, & conscientiam, etiam Principem exuent, Sirenes in cantum æquè, & naufragium paratæ.

II. Unam ex præcipuis causis, quæ S. Thomæ Cantuariensi exilium, mortémque attulit, Regaliam fuisse, certùm est, Henrico II. Angliæ Rege fructus vacantium Ecclesiarum usurpante, novásque electiones, quò diutiùs frui posset, in longum trahente, quem abusum cùm S. Thomas non ferret, gratiâ, & vitâ excidit. (a)

Anno 1162. ex Regni Cancellario ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Cantuariensis provectus est. Florebat tunc temporis eximiâ Regis sui gratiâ; quippe morum venustate, ingenio serijs æquè, ac jocis prompto; litterarum, juris præsertim, insigni peritiâ; memoriâ omnium, quæ semel legisset, audissétque, tenaci; præcipuâ denique in Principem fide, & industriâ omnium laborum victrice sibi aulam devinxerat; accesserant alia, in Clerico quidem haud commendanda, sed tamen Principi chara, luxus videlicet domesticæ suppellectilis, vestitus apparatior, & prope pompam; convivia magnificè instructa, famulantium copia, mores ad Regis genium compositi, ac ideò grati, & denique quidquid vanitatem redolet; sed, quod in aulico mireris, præcipuâ intactâque castitate, & amorum rudi: altâ nocte, qui eum observabant, cùm crederent formosissimæ cujusdam, ac olim Regi perdilectæ, amplexibus frui (nam istum donis, ac blanditijs captabat) genibus

(a) Vide vitam S. Thom. cap. 15. & epist. 109. & ibid. in libello consuetud. cap. 12. Wilhelmus Briton. lib. 8. Philippid.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

genibus nixum, & inter preces somno, ac fatigatione oppressum reperere. Hâc ergo vanitatis juxtà, & virtutum mixturâ Regem sibi, Clerúmque devinxit, omniúmque Episcoporum votis, qui Londinum convenerant, Archiepiscopatum meruit, Monachis tantùm, qui Ecclesiam Cantuariensem obtinebant, adversantibus; (a) quippe, & hominis luxum, & potentiam Regis favore subnixam, infestámque Ecclesijs metuebant, sed eventus aliorum spes, aliorum metus fefellit; ipse tamen omnium acerrimè hanc dignitatem repulit, & Rege ad omnia, quæ objectabat, immoto, certamini præludens: (b) *Scio*, inquit, *quia si Christo disponente sic acciderit, citissimè animum auferes à me, & gratia, quæ inter nos tanta est, in atrocissimum odium convertetur. Novi enim te nonnulla exacturum, & in Ecclesiasticis te jam multa præsumere, quæ ego animo sustinere non possum.* Ubi vides, cùm Cancellarium ageret, jam tum præsensisse tempestatem, & ventis, quos Regia cupiditas excitabat, obluctari solitum, vinci tamen se ferebat, gratiæ, & potentiæ anxius, Regíq; obsequebatur invitâ conscientiâ, quæ causa est Joanni Saresberiensi, (c) ut eum *ministrum iniquitatis* appellet. Sed animum cum aula mutavit; quamquàm & in aula invitum se teneri, honestúmque exitum prospicere, sæpè amicis suis inter lacrymas professus est. (d) Sacris potitus censorem sibi, observatóremque posuit, à quo, quid Archiepiscopum dedeceret, hominésque offenderet, moneretur: vestis intima cilicium, & post hoc Monachi habitus; (e) (audierat enim, quotquot sine hac veste cathedram Cantuarienſ. insedissent, infelici morte sublatos) ac demum serica, & quæ Antistitem deceret. Canonum, Legúmque ardentius, quàm par esset, studium, dehortante per litteras Saresberiensi, cujus hæc verba: (f) *Prosum quidem leges, & Canones, sed mihi credite, quia nunc non erit his opus: non hoc ista sibi poscit spectacula tempus: mallem vos Psalmos ruminare, & B. Gregorij Morales libros revolvere, quàm Scholastico more Philosophari.* Profecit monitio, adjecitque animum sacræ Scripturæ studijs; has nocti, has mensæ, ac etiam itineri miscebat; plerúmque cùm iter ageret, ab itinere divertens, ut vel Scriptu-

(a) Vide Heribert. in vita cap. 6. (b) Heribert. in vita cap. 6. (c) Joan. Saresb. ep. 140. (d) Joan. Saresb. in vit. cap. 5. (e) Baron. ad an. 1162. n. 21. & Spond. ibid. (f) Saresber. epist. 31.

Scripturas legeret, vel cum alio conferret; mensæ perpetua lectio; nocte intempestâ Psalmos canere; post cantum tredecim pauperibus mensa sternebatur, præcinctus ipse ministrum agere, pedibus advolvi, aquam juxtà, lacrymásque affundere: sequebatur largitio quaternis in singulos argenteis: tum brevis, & delibatus somnus, post quem sacri codices, & cœlestium meditatio in tertiam diei horam producta, nullis interim admissis, qui obstreperent, prophanísque negotijs mentem turbarent. A tertia sacris operabatur, nec tamen quotidie, quòd se indignum, imparatúmque crederet: tanta verò sacra peragenti vis lacrymarum, ut plures gemitus, quàm verba essent. Diei nonâ mensæ assidebat, lautæ quidem, & Regio ministro dignæ, sed quam præ dapibus lectio condiebat, & eruditorum, qui magno numero admittebantur, sermocinatio; reliquam diem negotia occupabant: munerum perpetuus contemptus, nec ei tantùm, sed aulæ toti, quam copiosam alebat. Non nemo cùm negotij causâ in Palatio esset, & solemni, receptóque more nunc hos, nunc illos auro tentaret, omnibus respuentibus: *Curiam*, inquit, *plusquàm auream inveni, quæ non solùm post aurum non abijt, sed aurum abijcit, spernit, & calcat.* Summa, & profusa liberalitas, in pauperes præsertim, quibus terna in dies convivia, intempestâ videlicet nocte, sub auroram, meridiémque. Hæc necessariò commemoranda duxi, ut & sanctum fuisse memineris, quem pro aris conflictantem videbis, & tamen mundi, aulæque gnarum, nec ex eorum numero, qui sanctitatem quidem colunt, sed rudem, agrestémque, & ideò sæculi nostri moribus haud gratam. Vix annus fluxerat, cùm prima odiorum initia prorupêre, parvis quidem momentis ducta, sed semper majora, ac tandem implacata.

III. Causæ indignationis istæ. *Quòd officium Cancellariæ abdicâsset, quippe viribus vix sacræ Præfecturæ paribus: quòd vacantium Ecclesiarum fructus, qui inveterato jam more fisco addicebantur, non Regi, sed Ecclesiæ deberi diceret: quòd Clericos scelerum compertos Regijs Magistratibus tradi nollet, punirétque quidem, sed mitiùs, quàm Regi placeret: quòd agros, ditionésque Ecclesiæ ab Antecessoribus alienatas, oblatis pretijs repeteret, hinc potentiorum odia, clam quidem habita, sed occasioni, & vindictæ intenta: quòd Regi, an Regias consuetudines observare vellet? petenti, velle se respondit, sed salvo ordine suo:*

quam

quam formulam cùm captioſam Rex diceret, & illuſionibus aptam, nunquam ut ab ea recederet, moveri potuit, idémque omnium Epiſcoporum ſenſus, votúmque fuit, tanto magis commoto, infenſóque Rege, quòd conſpiratio videretur, nec ferre poſſet Archiepiſcopum tot titulis devinctum ſibi adverſari. Accedebat indoles Regis mari ſimilis, quo pacato placidóque nihil blandius, nihil immitius turbato. Audi Petrum Bleſenſem: (a) *Agnus eſt, dum pacati eſt animi; leo verò, aut leone truculentior, dum vehementius excandeſcit: oculi ejus orbiculati ſunt, dum pacati eſt animi, columbini & ſimplices; ſed in ira, & turbatione cordis quaſi ſcintillantes ignem, & in impetu fulminantes.* Sed nihil æquè ut adulatorum peſtes Regis animum inflammabant: nam velut Regiæ dignitatis anxij, ſupercilium, faſtum, duritiémque Archiepiſcopi incuſabant, à quo niſi ſibique ſuiſque provideret, eum demum futurum eſſe Regem dicebant, quem Clerus eligeret, & quamdiu Archiepiſcopo placeret. (b)

IV. Rex ergo certus Archiepiſcopum aut vincere, aut perdere, Clarendunam conventum indicit, quo Epiſcopi, Regníque Magnates magno numero confluxêre. Omnes Archiepiſcopo extrema præcinebant, Rege videlicet recenti irâ flagrante, alijs omnibus metu exterritis, paratiſque obſequi; nec ipſe alio animo palatium, quàm aream certamini, & victimæ dicatam ingreſſus eſt. Petebat Rex inſtabátque, ut Epiſcopi explerent, quæ polliciti eſſent, Regias videlicet conſuetudines obſervare, eáſque bonâ fide, nec additâ illâ formulâ, *Salvo Ordine noſtro*: hanc enim captionis plenam eſſe, & ludificandi gratiâ quæſitam: hoc ipſum Oxoniæ ab Epiſcopis, & Thoma promiſſum, nec fidem ſemel obſtrictam laxari poſſe, niſi promittentium, Regíſque dedecore: nihil aliud à ſe poſci, quàm quæ majoribus ſuis præſtita, quæ uſu invaluerint, quæ Sacerdotium juxtà, Regnúmque conſocient. Hæc à Rege petebantur, ſed imperantis potiùs, quàm poſtulantis modo; aderant minæ, flagránſque vultus animi index, & denique rationes in ſpeciem adornatæ, ne meruere Epiſcopos, vincíque puderet. Jam pleríque inclinabant, invicto tantùm, & obluctante Archiepiſcopo: hunc ergo trepidi juxtà, indignantéſque, & ejus potiùs periculo, quàm ſuo anxij circumſtant, oſtendúntque: *Nihil*

(a) Petrus Bleſ. epiſt. 66. & 75. (b) Joan. Sarcsb. in vita cap. 24.

novi à Rege, antiqua tantùm postulari: si consuetudines illæ, quarum observantia ab Episcopis peteretur, iniquæ dici possent, tunc dici debuisse, cùm primùm inductæ sunt; nunc verò beneficio temporis, & tolerantiâ Pontificum, vitium si quod habebant, exuisse, in morem usúmque receptas: quis nesciat leges ab Ecclesia conditas, usu, & consuetudine oblitterari? quis credat tot in Anglia Antistites, doctrinâ, & pietate eximios, in eas consuetudines fuisse consensuros, si iniquas credidissent? num ergo oculos eis, ut abusum viderent, defuisse, aut conscientiam, ut probarent? Eorum igitur exempla meritò Cantuariensem imitari posse recèns ab aula in Ecclesiam transfatum; juveni, rerumq; inexperto imitanda senum exempla esse, non corrigenda: tutiùs per alienа vestigia, tritásque vias incedi, quàm per novas, occultásque; excusari errores posse, veniámque mereri auctoritate majorum nixos. Omnium ab Ecclesia conditarum legum, quietem Reipublicæ, & pacem pro scopo esse: quiete ergo periclitante, meritò leges aboleri, veluti fini suo inutiles, noxiásque: nam & remedia cessare, cùm incipiunt sanitatem conficere. Instare Regem juventâ, victoriis, Beneficijs in Alexandrum Pontificem, ipsúmque Archiepiscopum, & denique omnium penè votis ferocem; ingentem Episcopis, Ecclesiisque, imò Regno toti tempestatem imminere, dandum aliquid tempori esse; nam & Ecclesiæ leges multò ex levioribus causis solvi posse, imò solere: Regem ut impotentis iræ, ita brevis esse, nec obstinatæ; hæc ubi resederit, exorari illum posse, & melioribus imbui, quæ modò non admittat obstrepente irâ; sic Petrum Apostolorum Principem mitigandis Judæis eorum sacra, ritúsque prætulisse; Paulum verò Timotheo circumciso, votisque ex Nazaræorum more conceptis, Judæis Judæum factum esse, ut Judæos lucrifaceret: Deum ipsum, qui tamen artificijs non egeat, libello repudij duritiam Judæorum mederi voluisse; quid ergo dubitaret Archiepiscopus Canonum severitatem laxare, & Apostolorum, Deíque exemplis niti tot urgentibus malis, & indulgentiam inclamantibus? Quid Angliam, quid orbem totum dicturum esse, si unius duritiâ tot malis Angliam inundari, tot lacrymis, exilijs, & cadibus viderit? Ipsum Alexandrum Pontificem, si Angliæ adesset, mitiora suasurum, & tempori conducentia, more videlicet prudentis Imperatoris deditionem suadentis hoste jam irrumpente, & incendia, prædámque minante: totam ergo Angliam unius Archiepiscopi arbitrio, nutúque stare, servari obsequio posse, inclementiâ perituram. Hæ omnium ferè Episcoporum voces, precésque erant, quibus & gemitus, & lacrymæ admixtæ, pleríque etiam ad genua provolutis. Diu immotum pulsavêre, & flecti nescium: molliri tandem & paulatim cæpit, illud præsertim aliàs impavidum feriebat, quòd tot alios Antistites in

tes involui secum videret; ergo sui securus, alienâ calamitate victus est: Richardus Templariorum Magister bis eum aggressus, repulsúsque, tandem inflexit, luctu Episcoporum extrema formidantium ante oculos posito. Cessit ergo, Regem adijt, subscripsit, juravítque, omissa etiam illa verba Regi exosa, *Salvo Ordine nostro*, quorum loco hæc posita: *Bonâ fide servabo, &c.* (a) Reddita aulæ serenitas, sed brevi gaudio. Beato igitur Thomâ juramento obstricto, cœptæ scribi consuetudines, palámque edi, sed multò à ministris auctæ, alijs videlicet Regis gratiam captantibus, alijs novam litibus materiam quærentibus: prævidebant enim numquam tam iniquis conditionibus sanctum assensurum, lapsurúmque Regis gratiâ, quod æmulis gratum, quæsitúmque: & facilè fuit utrúmque fallere, Rege juvene, ignaróque, quænam illæ antiquæ consuetudines essent, & quæ dolo oppositæ; beato verò Thomâ nuper infulis admoto, & aulæ magis, quàm Ecclesiæ, istiúsque jurium perito: ita Wilhelmus in vita testatur. (b) Capita earum consuetudinum hæc erant: *Causas præsentationum, ac etiam Ecclesiarum, quando inter solos Clericos agitantur, ministri Regij cognoscant, decidántque. Clerici cujuscunque rei accusati, & conventi Regijs tribunalibus se sistent, illic responsuri. Nemo ex Regijs ministris anathemate, aut interdicto, alijsque censuris feriatur, nisi prius ejus causâ apud Regem finitâ. Ab Episcopis ad Archiepiscopum, ab isto ad Regem appellabitur; Rex Archiepiscopo finem causæ remittet, nec præter Regis assensum alia provocatio admittetur. Cùm Episcopatus, Archiepiscopatus, Abbatiæ, vel Prioratus vacaverint, Rex interim proventus omnes recipiet; Electio verò non nisi ex Regis assensu, eorúmque consilijs, quos Rex destinaverit, procedet, nec alibi, quàm in Palatio fiet, ibíque electus homagium Regi velut Domino ligio de vita, membris, & honore temporali præstabit, salvo tamen Ordine suo.* Hæ sunt fatales illæ consuetudines, tot in Anglia malorum faces, & quas posteà Alexander Pontifex damnavit. Rex in publico conventu legi illas voluit, munirique Episcoporum sigillis; jam enim subscripserant. Ingemuit Archiepiscopus, tam insolentibus postulatis: dissimulato tamen utcunque, pressóque dolore, inducias petijt: *Rem quippe tanti momenti festinari haud debere, collaturum cum Episcopis, posteà responsurum.* Nec abnuit Rex. Cantuariensi ex palatio domum regresso, varij à domesticis sermones, alijs, quòd

(a) Vide Wilhelm. in vita cap. 21. (b) Wilhelm. in Quadrip. cap. 21.

tempori cessisset, laudantibus, alijs & plerísque conniventiam damnantibus: inter quos, qui Crucem Archiepiscopo præferebat, quid tacitus submurmuraret, secúmque volveret, interrogatus: *indignor*, inquit, *tristórque, fatalem hunc tibi, & infelicem diem luxisse, quo animam æquè, famámque perdidisti: impio Regis chirographo subscripsisti, & ne testis flagitio deesset, Deum insuper jurâsti; duplici delicto reus, & quòd Ecclesiam prodideris, & proditionem quòd juramento firmaveris; timebas quippe tam egregium facinus æternum haud fore, nisi juramento sanciretur!* (a) *Multum tibi Ecclesiæ debent, non languidè tantùm defensæ, sed etiam hosti desertæ, sic nimirum Anselmus, sic Lanfrancus pugnârunt, quorum tu cathedram, non virtutem occupâsti. Mittes ergo in posteros funestum exemplum, & quotquot turpe obsequium, aut metus vincet, te auctorem jactabunt, Thomam, dicent, imitamur, quoties cadent.*

Concussérunt Archiepiscopum hæ voces, aliàs quod fecerat pavidè cogitantem; suspiravit, ingemuit, cathedram, arámque relinquere agitavit, sacrificio abstinuit, solitudinem elegit, & cùm nullum mœrori finem, aut levamentum inveniret, Pontifici Alexandro, qui tunc Senonis agebat, nuntios, & litteras misit, pœnitentiæ, doloríque plenas. Benignè à Pontifice responsum, qui solatium adhibuit, & culpam excusávit parendi necessitate; nec abstinere Altari voluit: non remedia ægro fugienda, sed paranda, aciem potiùs repeteret, pugnámque instauraret, nullâ re magis fugæ dedecus compensari, quàm pugnando, vincendóque; si quid verò conscientiam gravaret, confessione deponeret, se quoque Apostolicâ Authoritate indulgentiam delicto dare. (b) Paruit consilio Cantuariensis, & longâ tergiversatione Regem morabatur. Hic tantò graviùs indignari, & vindidictam palàm moliri, adeò ut Archiepiscopi sanguinem quæri passim jactaretur. Scriptæ ab eodem Rege ad Pontificem litteræ, quibus & consuetudines Clarendunæ editas probari rogabat, & Legationem Angliæ Cantuariensi credi solitam in Eboracensem transferri. Consuetudines negavit Alexander probari ullo modo posse, quippe libertati Ecclesiarum fatales: (c) Legationem Ebora-

(a) V. Alan. in vita cap. 22. (b) Alex. III. PP. lib. 1. epist. 26. (c) Vide S. Th. epist. 47. ad Gratian. lib. 1. epist. 164. & 178. & 165. & lib. 5. epist. 20. 21. 24. 25. & lib. 2. epist. 46.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eboracensi concessit, excepto tamen Cantuariensi Archiepiscopo, ejúsque Ecclesiâ, quam nolebat Eboracensi subjectam; quo & Regem lusit, offendítque, Thomam Eboracensis auxilio perdere volentem: nec minùs ipse S. Thomas se ab Alexandro nullâ sui culpâ deseri, æmulóque postponi ægerrimè ferebat, credebátque animos hostibus suis addi, Pontifice illis non tantùm non obnitente, sed etiam propitio: sed prudenter Alexander Regem molliùs habuerat, à quo plus Ecclesiæ periculi, damníque; nec propterea Episcopos ab obedientia, quam Cantuariensi debebant, exemptos voluit, ut ex ejus litteris patet. (a) Inter alia, quæ ad Regem scripsit, hæc digna memoratu: *Si te in aliquo futurum judicium terret, aut præmiorum in æterna requie corona te delectat, veritatem, quæ Deus est, justitiam colere, jus suum cuique tribuere, negotia Ecclesiastica, & præsertim criminalia, quæ de læsione fidei, vel juramenti emergunt, causas super rebus, & possessionibus personarum Ecclesiasticarum tractanda relinquere; Regnum, & Sacerdotium non confundere, non adeò Serenitatem tuam deceret, quàm etiam expediret. Si autem universa, quæ in usus tuos per hujusmodi angarias de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel alijs bonis operibus expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quàm si Altari quolibet discooperto aliud cooperires, aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum à morte liberares. Recolere siquidem debes, qualiter Rex Saul, quia devicto Amalech prædam contra divinum præceptum servare volebat, cùm se ad excusationem sui hæc ad sacrificandum reservare proponeret, à Domino fuerit reprobatus, & alius eo vivo in honorem, & dignitatem Regiam fuerit surrogatus. Quomodo etiam Rex Ozias, dum thurificare voluit, & Sacerdotis sibi officium usurpare, leprâ dignâ Dei ultione percussus fuisset, tuæ saluti congruit ad animum revocare.* (b) Hæc in Angliam Alexander, ubi interim semper magis, magísque D. Thomas conflictabatur. Qui cùm indies mortem sibi præcini nec ex vano videret, Rege implacabili, consilium fugiendi cœpit; & navigium profundâ nocte ascenderat, sed adversis ventis, undísque jactatus, & vix naufragio superstes in littus ejectus est albente vix cœlo. Jam fugam fama fulgaverat, aderántque à Rege, qui ejus supellectilem fisco addicerent, sed domi repertum ad Regium tribunal Northantoniam postulant causam dicturum.

V. Adfuit, & palatium unà cum alijs ingresso fores à tergo

(a) Alex. epist. lib. 1. epist. 39. & 40. (b) Lib. 1. epist. 42.

clausæ, ne copia discedendi esset: ibi multis accusationibus pulsatus est. Prima fuit: Archiepiscopum à Rege citatum non adfuisse; respondit: Procuratorem à se missum, qui suo nomine causam ageret, Regis haud interesse ratum, ipse, aut alius suo nomine compareret. Rejecta excusatio, omniúmque Procerum, Episcoporúmque voto ejus bona mobilia fisco adjecta. Quod cùm audisset: *Quale sit*, inquit, *hoc judicium, me etiam tacente sæcula pòst futura haud tacebunt; nova quippe judicia: forma hæc est fortè secundùm Canones Clarendunæ vulgatos: à sæculo non est auditum, quemquam Cantuariensem Archiepiscopum in curia Regum Anglorum pro qualicunque causa judicatum esse, quia ipse Regum omnium, qui in Regno sunt, spiritalis Pater est; nova quoque hæc forma est, & ordo judiciorum novus, ut Archipræsul à suis suffraganeis, aut Pater à filijs judicetur.* (a) Successit aliud accusationis caput, Rege libras argenti quingentas repetente, quas se illi mutuas dedisse ajebat. Respondit sanctus, donatas esse; sed damnatus est, Rege ipso accusante, & qui jus dicebant, aut metu, aut æmulatione corruptis, & cùm reum Episcopi deserent, quinque ex amicis caverunt, singuli centum libras polliciti. Tandem peculatûs accusatur, jubetúrque tot fructuum, proventuúmque, quos cùm Cancellarium ageret, vacantibus Episcopatibus, & Abbatijs quàm plurimis recepisset, rationem reddere. Ingens ea summa erat, ducentarum videlicet triginta marcarum millia, quæ nostratis monetæ circiter vicies, & trecenta millia Philippeorum reddunt, si videlicet ex calculo Du Fresne singulis marcis Anglicanis duas libras Sterlingorum assignes, & singulis libris quinque Philippeos; ubi simul advertis, quantum ex Regalijs Ecclesiasticis pecuniæ conflaretur. Cæterùm sanctum Archiepiscopum nihil Regi debuisse, ipse Rex palàm confessus est, ut habetur *lib. 3. epist. 55. circa finem.* Hujus ergo criminis conventus respondit: se innocentiæ quidem suæ certum esse; nec Regem latere, quantâ integritate Regijs thesauris præfuisset: consilio tamen spatium rogare, quod cum præsentibus Episcopis promptum esset. Singulorum ergo vota, & consilium rogat: aderant verò Londonienſis, Wintonienſis, Ciceſtrenſis, Lincolnienſis, Exonienſis, & Wigornienſis Episcopi. Variæ, discordésque sententiæ, ut singulis affectus erant;

(a) Heribert. in V. quadrip. cap. 25.

erant; nam aut metu, aut æmulatione agebantur, paucis Archiepiscopi, & legum cura. Londonienſis abire illum Archiepiſcopatu jubebat, ſic Regem pacatum iri, & tempeſtatem omnibus impendentem extemplò ceſſaturam; palàm erat, Londonienſis conſilium eò vergere, ut ſpem, ambitúmque ſuccedendi alieno metu celaret; nec ſanctus diſſimulavit, ejus tamen ſententiæ Lincolnienſis acceſſit. Ciceſtrenſis cedendum tempori dicebat, & Regi aliquid dandum. Eadem Exonienſis ſententia. Wigornienſis animi pendebat, hærebátque, Dei Regíſque offendendi metu. Solus Wintonienſis Regijs poſtulatis cedendum eſſe negabat: *Cantuarienſem Archiepiſcopum Regni Primatem eſſe, in ejus exemplum totius Angliæ, & præſertim Epiſcoporum oculos defigi, quidquid is ageret, pro Lege reliquis fore; ſi animum flecteret, libertatem Eccleſiarum conclamatam eſſe, nec ampliùs quid Canones ſtatuant, Patrúmque exempla, ſed quid Regibus libeat, obſervatum iri. Ergo confuſo rerum ordine Eccleſiam ſervituram, aulâ dominante.* Sententijs dictis, & Epiſcopis ſilentio defixis, Archiepiſcopus in proximam diem inducias à Rege petijt, obtinuítque, ita diſceſſum. Palatio egredientem nemo ex aulicis, quos magno numero alebat, comitatus eſt; Regis enim metu, & meliorum deſperatione, & ne Domini caſu premerentur, dilapſi erant. Sanctus ergo fortunæ ſuæ inſultans, pauperum greges undique colligi, epuláſque parari jubet, & reliquum diei hilariter agitari; tanta illi inimirum inter adverſa animi ſecuritas, & fortunæ contemptus. Sequenti die viſcerum dolore vehementer conflictatus eſt, iterúmque inducias in craſtinum petijt. Nox inter vigilias, & preces ducta; ubi illuxit, Pontificijs veſtibus, & pallio præter morem amictus Sacris ad aram operatus eſt, Miſſámque, quæ S. Stephano Protomartyri dicata eſt, legit, cujus initium: *Etenim ſederunt Principes, & adversùm me loquebantur.* Ferunt conſilio Monachi cujuſdam id factum, cùm videret Sanctum ab Aula adhuc recentem mortis metu percelli. Sacris perfunctus, pallio, infuláque depoſitis, reliqua Pontificis inſignia, veſtéſque retinens ad Palatium pergit; ferunt ſacram Euchariſtiam ſecum detuliſſe in ſinum reconditam. Cùm ad Aulam accederet, ubi Rex præſtolabatur, crucem à Clerico prælatam in manus ipſe accepit, & Herefordenſi in obſequium accurrenti; *Sine*, inquit, *me ipſam deferre, ſub cujus protectione*

tectione tutus maneo, & ejus viso vexillo non est mihi dubitandum, sub quo Principe militem. Rex ubi intellexit Archiepiscopum cruce armatum procedere, irridentibus Episcopis, Londonienſi præsertim, in cubile interius secessit. Conclamatum interim in Archiepiscopum est, tanquam in perjurum, & perduellem, & qui thalamum Regium insultantis modo perrupisset. Episcopi ad Regem vocati, Cantuarienſi foris relicto: multùm temporis consultando tractum, & sententiæ tam ferociter dictæ, ut soluto jam Concilio Eboracenſis foras progressus: *Recedamus hinc*, inquit, *ne infortunio, quod Archiepiscopo instat, oculos funestemus.* Cui Robertus Magister: *Imò* inquit, *perstabo, reique eventum operiar, & unius crudelitatis, & alterius constantiæ testis futurus; néque enim feliciori exitu mortalitatem explebit, quàm si pro Deo, justitiáque sanguinem fundat.* Paulò post Exonienſis ad pedes Sancti provolutus, & verba singultibus miscens: *Miserere*, inquit, *tui, nostríque: omnes enim odio capitis tui hodie perimus.* Cui Sanctus: *Fuge hinc, quia non sapis, quæ Dei sunt.* Tandem Comes Lincestriæ è Regio cubili procedens, plerisque Optimatum comitantibus: *Mandat tibi Rex*, inquit, *ut venias redditurus rationem super objectis, sicut heri promisisti te facturum, alioquin audi judicium tuum.* Quem interpellans Sanctus: *Imò*: inquit, *Fili Comes, audi tu prius judicium: non te latet fili, quàm familiaris, & fidelis secundùm statum hujus mundi Domino fuerim; & ideò placuit ei, ut in Archiepiscopum promoverer, quamvis Deo teste invitus: nota enim mihi fuit infirmitas mea, & magis pro ejus, quàm Dei amore acquievi, quod hodie satis palàm est, dum Deus, & se mihi subtrahit, & Regem: veruntamen in mea promotione dum Electio fieret, præsente Henrico filio, & Regni hærede, cui & hoc ipsum mandatum fuit, quæsitum est, qualem me redderent Cantuarienſi Ecclesiæ? Et responsum est, liberum, & absolutum ab omni nexu Curiali. Si ergo liber, & absolutus; neque teneor, neque volo super his respondere. Ad hæc fili Comes id attende, quanto dignior est anima, quàm corpus, tanto magis Deo, & mihi teneris obedire, quàm terreno Regi: nec lex, nec ratio permittit, ut filij Patrem judicent, aut condemnent; unde Regis, tuum, & aliorum declino judicium, sub Deo solo à Domino Papa judicandus, cujus præsentiam coram vobis omnibus appello.* (a) *Et vos fratres, & Coepiscopi mei, quia magis homini, quàm Deo obeditis, ad Domini Papæ audientiam, & judicium vos voco, Catholicæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ auctoritate munitus hinc recedo.* Hæc sanctus

(a) Alan. in V. cap. 33. lib. 1.

ſanctus vultu, geſtúque modeſtè intrepido, & libertatem ſpirante. Equum poſteà conſcendit, abiítque, lævâ frænum Crucémq; tenens, dexterâ populo benedicens; ingens enim turba, Cleri præſertim, pauperúmq; accurrerat, quæ velut è triumpho redeuntem excepêre, excrevítque gaudium priori luctu, quòd ſublatum crederent. Omnes convivio excepti. Sub prandium exilium Liberij, & monitum ex Evangelio lectum: *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.*

VI. Ex hoc tempore conſilium cœpit excedendi Angliâ, rogavítque Regem. Et planè appellato ſemel Pontifice Romam eundum erat, urgebántq; fugam inſidiæ in ejus vitam paratæ. (a) Aliquamdiu, ut inſequentes falleret, Angliam alieno habitu, occultúſque pererravit: tandem exeunte nocte mari ſe committit, applicátque haud procul Gravelingâ. Fugam beati Antiſtitis ſæviſſima à Rege edicta etiam in Clericos comitata ſunt, quibus exilia, plagæ, confiſcationes indictæ, ſi parere illi pergerent, aut litteras deferrent, tantâ pœnarum ſævitiâ, & ſacri Ordinis contemptu, ut vel inde appareat, quàm fœdè indignéque Eccleſiaſticos habuerit, quantóque jure non poſſet ſanctus Archiepiſcopus ferre, jura Eccleſiarum tam impudenter calcari. Lege ea edicta, erubeſces. (b) Portus etiam cuſtodiri, ne quæ litteræ in Regnum penetrarent. Ipſe quamvis terrâ, maríque varijs periculis jactatus (nam hærebant à tergo Regis ad Pontificem Nuntij, ac per inſidias eundum erat, Belgis ex Anglia præmonitis) & iter inter pluvias, hyeméſque pedibus metiretur, labore hactenus inſueto, Alexandrum Pontificem exilium ſuum cauſáſque litteris docuit; earum hæc ſumma. Perſecutiones, quas in Anglia à Rege ejúſque Miniſtris graviſſimas pateretur, cauſas Regno excedendi fuiſſe; eas verò non aliunde in ſe concitatas, quàm quòd jura, & libertates Eccleſiarum profligari nec æquis oculis videre, nec adulantium more pati amplius poſſet; hanc totam delicti ſummam eſſe, cæcum, mutúmque non fuiſſe, Eccleſiâ pereunte: avaritiam Principis in Eccleſiæ facultates graſſari: Clericos ſæcularium tribunalibus ſiſti: nec pecuniâ tantùm, exilijs etiam, ac membris

(a) De fuga Div. Thomæ V. Apolog. Saresberienſ. epiſt. 48. lib. 2. (b) V. lib. 2. epiſt. 14. 15. & 23.

puniri: se ut in Palatio causam diceret, vocatum esse, eosdem & hostes, judices, & testes sedisse: & ne illos sceleris puderet, jussum se non tantùm sententiam ferre, sed etiam probare; quod cùm nollet, hoc ipso damnatum esse: quid jubetis, *inquiebam*; spoliari, exulari, mori? volo optóque: ut flagitio vestro subscribam? non possum: sufficiat vobis dignitatem mihi meam, imò & vitam ademisse; innocentiam relinquite: invadite, & cædite, etiâ perimite, vocis tantùm libertatem concedite: hoc sinite ut dicam, vos impios esse, & Christiani nominis, quod in sacerdote, & Antistite persequimini, extorres: aut si loqui non licet, lacrymis saltem libertatem date; sacrilegia prædásque vestras silebo, sed tamen deplorabo; quid minùs ego petere, aut vos Archiepiscopo vestro dare potestis, quàm ut quod dicere non audet, audeat gemere? Hoc ergo flagitium meum, & causa persecutionis est, dixisse, rogâsse, gemuisse: hoc perjurium, & perduellionem vocant. Sed istis ignosci potest, ignorantiâ aut obsequio peccantibus; quid de Episcopis dicam, quorum ego causam, & libertatem meis periculis tuebar? Illi aulam & favores, & quod dictu fœdissimum est, æquitati metum præhabuere; sententias in me dixerunt, imò in seipsos; nec enim mea tantùm, sed omnium Ecclesiarum est libertas, cui laboro: & ut timori honestatem prætexant, audent Evangelio se tueri, quod turpissimè produnt; dicunt enim danda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris: Regem juventâ, imperio, victorijs ferocem provocandum non fuisse: notántque ingratitudinis, Regi tot beneficijs in me largo ausum obniti. Quibus ego respondi: alias esse Cæsaris, alias Tyranni partes: Cæsaris esse Ecclesias, legésque tueri, & Sacerdotes, quorum precibus, cultúque Imperia floreant, venerari; quos, qui exilijs, prædis, servitute infestat, Cæsaris an Tyranni nomen mereatur, ipsi sententiam ferant; non ergo me Cæsari, sed hosti obluctatum esse, nec hostem fore, nisi eum talem ipsi fecissent: si enim primis conatibus obstitissent, & quàm ille ab æquitate Regúmque exemplis abluderet, ostendere ausi essent, jam dudum alijs eum moribus fore, naturâ quippe docili, & rationi, cùm æstus quieverit, obsequente; nunc verò non, ut dicunt, juventâ & victorijs, sed turpi eorum adulatione, qui monere debebant, ferocem, indomitum esse: nec tam morbo, quàm meden-

medentium culpâ corruptum, veneno in plagas profuso. Falli, qui credant me, aut immemorem beneficiorum esse, aut amorem, & reverentiam exuisse Principi debitam: imò ingratus & hostis essem, si quod illi faciunt, alluderem pereunti, nec revocarem in præcipitio pendentem: silerem ergo, & facem ferrúmque porrigerem perire volenti? Hoc non possum. Vivat Henricus Princeps, audiátque saniora monentem, si fieri potest; si non potest, pereat saltem me innocente, & ad funus plorante. Hæc Episcopis meis ingerebam, à quibus cùm non audirer, nec flagitium jam cœptum abrumperent, quid aliud supererat, quàm ut Romam, Christíque Vicarium appellarem? Appellavi, & hanc ultimam naufragij tabulam amplexus sum: nec possunt ægris animis id accipere, aut vitio mihi vertere: si enim innocens sum, cur damnant? si Reus, cur judicem formidant? (a)

Hæc Archiepiscopus Alexandro Papæ, qui, datis ad eundem litteris, (b) acta, & sententias in illum dictas rescidit. Legati interim Angli Compendium ad Regem Christianissimum venêre, porrectóque libello criminationibus pleno, multa ex suo addidere, quibus innocentiam Cantuariensis onerabant: initium libelli erat: *Thomas quondam Archiepiscopus.* (c) Et roganti instantíque Regi, quis ergo Thomam Archiepiscopatu exuisset? cùm ambiguè responderent, in hanc vocem erupit Christianissimo Rege, & immortalitate dignam: *Planè sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum; verumtamen minimum de Clericis meis deponere ego non valerem.* Paulò post Legati ab Archiepiscopo secuti sunt; sic enim imperaverat, ut Regios unius tantùm diei intervallo, & inobservati sequerentur, quod & ab illis tantâ simulatione factum, ut & laterent, & omnia ad Archiepiscopum referrent. Cùm ergo causam Domini perorâssent, adeò Regem flexêre, ut suspirijs, gemitúque dolorem testaretur, & Regnum suum Sancto offerret, adjecitque: *Hoc expristino more, exemplisque Regum Galliæ esse, ut exules, & præsertim Ecclesiastica personæ, in Regno suo à persecutorum injurijs defendantur.* (d)

VII. Senonis Alexander Papa Henrici Legatos accepit: magno hi apparatu incedebant, multóque auro, quo aulam expu-

(a) Vid. Roger. in Annal. Anglor. ad ann. 1165. (b) Lib. 1. Epist. 49. in Cod. Vat. (c) Heribert. in V. lib. 2. cap. 7. (d) Id. ibid.

gnarent, instructi, adeò, ut Saresberiensis in quadam ad Sanctum epistola malè ejus causæ ominetur, timeátque innocentiam donis cessuram: ejus verba sunt: *Contra vos faciunt multa, pauca pro vobis; venient enim magni viri, divites in profusione auri, quod nunquam Roma contempsit, eruntque non modò suâ, sed etiam Domini Regis (quem in Curia nemo audebit offendere) authoritate freti, &c.* (a) Et verò jam inter Purpuratos certamen erat, multis intempestivæ severitatis Sanctum damnantibus. Auditi sunt in publico Senatu. Primus Londoniensis Sancto perpetuus æmulus, eum pertinacem, inquietum, suis consilijs præsidentem, aliorum contemptorem dicebat: & cùm in fugam declamaret, ausus est illam ex Proverbijs sententiam usurpare: *Impius fugit nemine persequente.* Tum Pontifex petulantiâ offensus: *Parce*, inquit, *frater.* Et Londoniensis: *Domine parcam ei.* Cui Pontifex vultu indignationis, & majestatis pleno: *Non dico, frater, quòd ei parcas, sed tibi.* Quâ voce adeò perculsus est, ut obmutescceret stupido similis. Excepit Hilarius Cicestrensis Episcopus, & ipse aut ignorantiâ, aut Dei voluntate Sanctum vindicantis ludibrium meritus; cùm enim ei insultaret inter alia: *Id parùm attendit Dominus Cantuariensis, relicto maturiori consilio se solùm consuluit, & sic sibi, & suis, & Regi, & Regno, Populo & Clero graviores labores procrearet, quod circa virum tantæ auctoritatis non decuit, non oportuit, nec aliquando oportuebat, insuper suos, si saperent, non oportuebat sibi in talibus patrocinari.* Omnes in risum soluti errore toties in grammaticam repetito, tantóque magis, quòd eloquentiam ambiret, sibique blandiretur; exclamavitque unus: *Malè tandem venisti ad portum.* Ille rubore ac ludibrio confusus, orationem abrupit, tacuitque. Eadem Eboracensis, & Exoniensis repetebant. Sed omnium modestissimè, parique elegantiâ (b) Comes Arundelius peroravit, ut mirum sit, plus isti in Archiepiscopum reverentiæ, quàm Episcopis fuisse. Summa petitionis erat: mitteretur à Summo Pontifice in Angliam Legatus, qui appellatione remotâ causam Archiepiscopum inter, Regémque finiret; addebantur precibus minæ intentato schismate Pontifici terrendo. Et verò diu hîc hæserat animi, consilijque dubius; magna erant Henrici in Alexandrum, & recentia studia, nec minor ab eo metus, si deficeret, quippe potentiâ, ac annis florente; hunc ergo

(a) V. lib. 1. epist. 24. (b) Vid. Vit. lib. 2. cap. 9.

ergo tam alieno tempore, & adhuc supplicem offendi, plenum periculi erat, præsertim non paucis Purpuratorum, & plerísque in Anglia Episcopis Regem tuentibus, quod ne metu facere viderentur, tituli, & colores quærebantur fucandis mendacijs. Ex adverso quantum criminis erat, innocentem, profugum, & aras amplexantem repellere, ac Angliæ reddi, insidijs inimicorum certæque morti expositum? hæc præmia esse pro Ecclesijs pugnanti? quos animos Regem sumpturum, si gratia sceleri præstetur, reum simul victorémque? nullam amplius fidem Romano Pontifici fore, si eum, quem tot titulis fovere debebat, sinu excuteret, hostíque proderet? nec enim aliud esse in Angliam, Insulam mari clausam mittere causam dicturum, quàm carceri, aut catenis innectere. Flexit in hanc partem animum Pontifex, Legatísque respondit, Archiepiscopo absente decerni nihil posse: præstolandum ejus adventum, nec diu abfuturum. Instabant tamen, urgebántque, Pontifice immoto; ergo discessum maturant, ne salutato quidem Alexandro. Interea Senonas Archiepiscopus pervenerat, humanissimè à Rege acceptus; nam & servos illi, & sumptus ex Regio ærario, & supellectilem tantæ dignitati parem adjecit. Sic ad Alexandrum pervenit. Primi in aula congressus haud grati cecidêre, aversis videlicet Cardinalium animis, maléque imbutis; eum siquidem tempestatis in Anglia auctorem credebant, nimiâ in Regem severitate. Alexander benignè accepit, audivítque causas exilij, fugam, naufragia, itinera pedibus acta, pericula, insidias, extremámque paupertatem, tantóque graviorem, quòd insuetam; quæ & dicenti lacrymas, & audienti expressére. Proximâ die in Senatum admissus est, jussúsque Patribus, quí frequentes aderant, causas itineris, & calamitatum exponere.

Assidebat Alexandro proximus, parabátque surgere causam dicturus, sed prohibente Pontifice resedit, cœpítque summo omnium silentio & attentione dicere: quantâ apud Regem gratiâ floruerit, cùm Cancellarium adhuc ageret: quantâ cùm Archiepiscopatum inijsset: sibi intimas curas, sibi arcana Regni concredita: imò quo nihil charius, majorisque pretij, etiam Principis filium suæ fidei commissum: potentiam opésque gratiæ pares: nec finem felicitati futurum, si hanc, quàm conscientiam maluisset: potuisse

perennari fortunam obsequio Principis, & exilio virtutis; nec se earum artium ignarum, expertémque, quibus Principem parare, & obstringere posset: & fortè, cùm aulicum ageret, plus illis indulsisse, quàm modò vellet, aut excusari posset. Ubi Infulas induit, sacrámque Dignitatem inijsset, alias animo cogitationes, alias curas successisse: observâsse se Principem excelsâ quidem, & proclivi in pietatem indole, sed immoderatâ, & alieni appetente, nec throno, auláque contentum, nisi aris æquè imperaret: jam sponte suâ ardenti eos facem subdidisse, qui gratiam à juvene per flagitia quærerent, meritis inaccessam: se recenti adhuc malo rogâsse, monuisse exemplis, legibus certâsse: hinc primas ærumnarum fibras, quibus jam premeretur: molestum se primum, dein fastidio habitum, ac tandem odio: procul arcaniesse: raròin aulam peti: alios in gratiam, curásque Regni admitti, tantò chariores, quòd Principi grata suaderent, nullo justi, injustíque discrimine: & hæc ferri potuisse, cùm necdum in extrema prorumperent. At verò, ubi expilari Ecclesias vidit, Sacerdotia confundi, profanis tribunalibus Clericos sisti, nec pecuniâ tantùm multari, sed cædi etiam, proscribíque, & limites omnes, qui palatia ab aris distinguerent, nullâ Canonum, nullâ legum reverentiâ moveri, útque licentiùs, minorique verecundiâ peccaretur, honestum consuetudinis titulum flagitijs imponi.

Hìc enimverò simulationem se abrupisse, & cùm bellum aut Deo, aut Regi indici oporteret, hunc se hostem, quàm illum maluisse: hinc Regis in se odia, hinc Aulæ Regi blandientis, & quod dici sine gemitu, & pudore non possit, hinc Episcoporum aversos à se animos, adeò plus Aula eis, quàm Ecclesiæ cordi erant. Jussisse Regem, ut ijs flagitijs, quæ consuetudines appellabantur, subscriberet: moratum se esse, temporis ac meliorum fiduciâ: & tandem apertè negâsse? tunc Regis iram & palàm exarsisse, tunc amicorum fugam vicinam tempestatem formidantium: insidias sibi paratas, mortem conditam, & ejus exequendæ modos viásque perquisitas; quam cùm eminus, clarísque indicijs observâsset, Regno tandem cessisse: non hoc metui, non rumoribus, ut æmuli jactabant, sed necessitati, imò & amori in Regem datum, quem ab infamia parricidij liberabat, exilio sponte susceptο. Quæ verò

in

in exilio, à naufragijs, ab inopia, ab hostibus toto itinere sparsis, ab hyeme, inediáque pertulerit, malle ab alijs intelligi; nec enim se Pontificem appellâsse, ut ærumnas suas, sed innocentiam probaret. Illud tantùm rogare, ne crederent nullas, aut leves ob causas tantam fortunæ mutationem à se patienter susceptam, imò expetitam: imprudentem, imò fatuum esse, qui summam felicitatem ærumnis, & exilijs mutet, aut nullâ causâ, aut malis imparî: nec se palatio nuper egressum: delitijs, gloriæque, ac Principum gratijs assuetum ex ijs esse, quibus gratis miseriæ placeant, nullóque pretio: Ecclesijs, libertati, ac Sacerdotum bono se miserum esse, quæ si aliorum exemplo Regiæ voluntati prodat, cedátque; paratas sibi opes, dignitates, Principis gratiam, fortunámque pristinâ florentiorem: hæc omnia parvo constare, obsequio videlicet, & uno calami tractu; idem fore, subscribendi, & florendi momentum: arbitrio suo stare, misser esse an felix velit, Ecclesijs tamen aulæ, prædæque relictis; & quantum hoc mali, si aliorum sententiæ, preces, & exempla spectentur? sed averteret Deus hanc mentem, non Episcopi hæc vota, sed latronis esse. Vitam se cupere, si honestis conditionibus possit; si non possit, honestiùs moriturum, futuro posteris exemplo, quid Episcopos deceat.

Hæc Archiepiscopus dicebat flagrante vultu, & Martyrem ferente, gestu intrepido, ac libertatem spirante, & quem Reges timerent juxtà amarentque: jam Patres commiseratione tangi tam indigna, & invictè patientis: sed penitus evicti sunt, cùm tabulas, quæ consuetudines Regias continebant, sinu expromens, ostentánsque indignanti similis, dolentíque, adjecit: *En, Patres, servitutis vestræ fatale decretum: hîc compedes, hîc catenæ, & flagella sunt, & quicquid mancipijs debetur: subite jugum, & cervices inflectite, libertate proscriptâ: spoliari vos, cædique, & profanis tribunalibus adsterni Lex Anglica jubet: nec vocibus licentia, nec lacrymis est: ferro, igníque vel gemitus punitur: hujus ego delicti reus, & compertus sum: huic exilium meum, & naufragia, & rapinas debeo, crudelitate adhuc parcâ, & solùm præludente: mox sanguis, & secures micabunt; vos interim sententiam edicite: licuit Episcopo tacere tam indigna, tam atrocia videnti?* Ultimas has voces inter lacrymas dixit, nec ullus ferè in eo consessu fuit, qui fletu temperaret, (a) præsertim

(a) Alan. l. 2. c. 11. Quibus perlectis moti sunt omnes usque ad lacrymas, &c.

sertim ubi lectæ consuetudines; tunc enim ab omnibus conclamatum, & constantiæ Archiepiscopi etiam ab ijs applausum, qui maximè damnaverant. Ipse Alexander primò excandescere, ac nimiam Archiepiscopi conniventiam accusare, quòd suo assensu eas consuetudines juvisset, Ecclesijs fœdissimâ servitute oppressis, posteà placari, summisque laudibus ejusdem constantiam efferre, qui solus in acie perstaret, & tanto rerum omnium, ac vitæ contemptu Regios moraretur. Sic eâ die discessum, nec amplius dubitatum, non Archiepiscopi tantùm, sed totius Ecclesiæ causam agi, nec ab illo severitate, ut quidam putaverant, sed indulgentiâ peccatum. Sequenti die revocati in Senatum Patres, ac thalamo interiore accepti. Ingressus Cantuariensis dejecto vultu, lacrymisque perfuso, se malorum omnium, quæ Angliam turbabant, auctorem profiteri; quippe tantæ Dignitati, & curis eam comitantibus se imparem esse, & aulæ potiùs, cui assueverat, quàm Ecclesijs natum: nec se id ignorâsse, cùm caput Infulis submitteret: repulisse eas quidem, sed tandem acceptâsse urgente Rege; quòd Regem ergo Deo prætulisset, utrúmque jam aversum experiri: placandum ergo dimissâ Dignitate, quam sustinere non posset: hoc dudum sibi animo sedisse, distulisse tamen, ne in profanas manus tiaram deponeret: nunc tempus, & locum esse destinata exequendi. Tum annulum digito extractum Alexandro porrigens: *Accipe*, inquit, *insignia funestæ Dignitatis*; *reddo*, *à quo accepi*: *& olim exuissem*, *nisi illi expeterent*, *quos indignos credebam. In tuas manus depono*; *tuum erit Cantuariensi Ecclesiæ sponsum alium deligere me digniorem*, *& utinam feliciorem.* Hæc Archiepiscopus pari modestiâ, & fortunæ contemptu: repetitæ ab omnibus lacrymæ. Secedere jusso cœptum consultari, quid agi oporteret. Non deerant, qui placandi Regis obtentu alium Ecclesiæ Cantuariensi destinarent, cædendam esse hanc victimam publicæ quieti, & unius jacturâ redimendum commune naufragium: nec alias Infulas defore. Plerique nec decorum id esse, nec honestum dicebant, omniúmque tandem eadem sententia fuit, *Pharisæis*, ut inquit Alanus, *exceptis.* (a)

VIII. Revocatum ergo Pontifex Dignitati restituit, indiditque annulum, adjecit spem meliorum, & interim Pontiniacensi Abbati

(a) Alanus in V.l. 2. c. 12. Placuit omnibus sententia, præterquam Pharisæis, &c.

Abbati commendavit, qui tunc aderat. Ita Sanctus aulam Monasterio commutavit, & ne quid ab alijs differret, Monachum induit, recepto à Pontifice ex rudi lana amictu, quem ipse benedixerat, addiditque ijs, qui deferebant: *Dicite Domino Cantuarienſi, quòd habitum ei miſimus, qualem habuimus, non qualem vellemus.* Adjecit Sanctus à collo ad poplites veſtem cilicinam, tum flagella, & inediam, ac lectionem Scripturarum, tanto ſtudio & oblectatione ductam, ut ſacros codices vix manu dimitteret. Secuta gravis infirmitas ærumnis, & afflictatione provocata, corpore ad has pœnas adhuc rudi, nec ſatis exercito; ſed hoc Martyrij tyrocinium erat, affluebántque cæleſtes delitiæ, tantâ animi quiete gaudióq;, ut corpus perfunderent, crederéſque exilij oblitum inter voluptates roſáſque verſari, præſertim valetudine confirmatâ. Sed brevis hæc quies fuit, quam triſtiſſimi ex Anglia Nuntij turbârunt. Furebat Henricus Rex, & ſæviſſimis edictis in Alexandrum Pontificem, & D. Thomam agebat: prohibitæ ad utrúmque Appellationes, & litteræ: cuſtodita maria portúſque, ne aliquæ ab ipſis Angliam penetrarent: & qui illis faverent, bonis omnibus multati, nullo inter ſacras, profanáſque Perſonas diſcrimine: (a) Denarius S. Petri interceptus, & Regio Fiſco addictus: omnes quóque proventus Archiepiſcopi ærario illati: & quotquot illum aut cognatione, aut amicitiâ contingebant, Angliâ expulſi, nullo conditionis, ſexûs, ætatiſque diſcrimine. Unde Sancto perpetuum dolendi argumentum, lacrymas ſuorum & exilia quotidie ſpectanti. Amicis eos commendabat, præſertim Siciliæ Reginæ, cujus charitate pleríque adjuti, ut etiam Syracuſarum Archiepiſcopi, quibus litteris gratias egit. Pontiniaci biennium degit, ubi & Legati Apoſtolici Dignitate per totam Angliam auctus eſt, excepto Eboracenſi Epiſcopatu; quam & tam erecto impavidóque animo exercuit litteris in Angliam ad Epiſcopos, ipſúmque Regem datis, pœniſque etiam adjectis in contumaces, ut non exulem illum, ſed adhuc florentem crederes, & præpotentem. Pontiniaco litteris

(a) Denarius S. Petri erat nummus argenteus ex ſingulis domibus totâ Angliâ pendi ſolitus: ſublatus eſt ab Henrico VIII. ſecuto mox ſchiſmate, & hæreſi. V. Gloſſar. du Freſne. De hoc Denario S. Petri non tantùm ab Anglia, ſed etiam Gallia, Britannia minori, Polonia, & Hibernia dari ſolito V. Spond. ad ann. 740. 782. 869. 1045. 1159.

ab Henrico pulsus est, Ordini Cistertiensi extrema minante; quæ cùm Sanctus intellexisset, Senonas migravit, Ludovico Rege totum Regnum, ubi hospitaretur, offerente. Senonis magno honore cultus, Regijsque impensis sustentatus est. Henricus interim cùm Alexandri Pontificis in Archiepiscopum studia intellexisset, vindictæ præceps Friderico Imperatori per Legatos se adjungit, jubétque Alexandrum toto Regno ejurari: id enim Wilhelmus Saresberiensis in vita testatur, (a) quamvis Henricus, alijque negaverint, id voluntate, multóque minus imperio Regis à Legatis factum. (b) Alexander intereà pacem inter Archiepiscopum, Regémque moliri; mutuis enim dissidijs non Archiepiscopus tantùm, sed Ecclesia periclitabatur: missi in Angliam propterea duo Legati, Wilhelmus, & Otto Cardinales, qui litem honestis conditionibus finirent; sed id novum dissidijs fomentum fuit. Credebat Archiepiscopus Legatos à Pontifice missos, qui jus dicerent, non qui componerent, & ad æquas conditiones Regis animum inducerent: præsertim Wilhelmum recusabat, quippe auro corruptum, Archiepiscopo æmulum, Regis gratiæ obsequióque unicè adstrictum, & mille alijs titulis gravem; unde in Alexandrum Papam non solùm à Divo Thoma amarissimis querelis, sed etiam à Rege Galliæ, alijsque declamatum, quòd illi judicandi potestatem fecisset, qui hostis esset, qui pretio conductus, quique insolenter se jactaret, certus non illi causam adjudicare, qui innocentior, sed qui potentior esset. Et quamvis Alexander Wilhelmo Ottonem adjunxisset æqui amantem; par tamen non erat, altero potentiâ, favoribus, clientelis vincente: ut tandem Legatos revocari oportuerit irritâ Legatione, imò noxiâ. Sanctus intereà exulem oblitus, Archiepiscopi, Legatique Apostolici partes egregiè implebat, multis, quòd bona Ecclesiastica occuparent, nec moniti absisterent, anathemate percussis; inter quos Episcopus Londonensis, alijque gratiâ apud Regem præcipui: hinc oleum flammæ additum; sed Sanctus innatâ libertate ferebatur, quam Galliæ Regis protectio etiam augebat. Scripserat is Romano Pontifici rogábatque, ne suâ Auctoritate sententias Archiepiscopi solveret, adjunxitque per Legatos: *Si quis Archiepiscopum, vel suos tanget, is pupillam oculi*

(a) Vita S. Thomæ lib. 2. cap. 20. (b) V. Vitam lib. 2. epist. 41. & l. 1. epist. 102.

culi mei tanget. (a) Nec intra calamum, & nuntios stetit, operi accinctus est tentatâ inter offensos pace. Enimverò jam paraverat Archiepiscopus in Regem Censuras, sed ut fulmen tam excelso capiti, sereno non turbato cœlo incideret, nec quidquam cœlesti huic igni prophanum misceretur, triduum inter preces, vigiliásque sumpsit, & inter aras D. Virginis Suessionensis, Gregorij Magni, & B. Dransij pernoctavit; ut videas, quanto apparatu, delectúque vibrandæ sint diræ, præsertim in Regnantium capita, quorum morbi plerúmque remedijs invalescunt: & Deus fulmini jam cadenti moras opposuit, Regémque lecto affixit. Sanitati redditum Rex Galliæ ad colloquium invitavit, adfuítque Archiepiscopus, alijque utriúsque Regni Magnates ingenti numero; quippe fama præcurrerat, Archiepiscopum in potestate Regis fore; unde omnium expectatio Colossi hujus casum videre cupientium. Stetit tamen, ut eventus docuit, & aliorum spes elusit, aut etiam implevit; malebant enim ex aula non pauci jurgia durare in turbido piscaturi, timebántque, si in gratiam rediret, aut hujus potentiâ, quem adeò provocaverant, aut suísmet artibus, si proderentur, casuros. Omnes ergo inter spem metúmque eventus suspenderat.

IX. Ubi in Regis conspectum Archiepiscopus venit, ejus genibus provolutus est; (b) nam reverentiam libertati conjunxerat, ac vultu, ut Sancti solent, imperterrito juxtà modestóque: *Adsum*, inquit, *O Rex, Sacerdotis, & exulis habitu: quòd pedibus tuis affusum, quòd supplicantem vides, exulem decuit; præteritorum memoriam nec ego retineo, & tu velim oblitteres: si quid peractum à me est, quod Majestatis tuæ animum movit, Sacerdoti, & Antistiti imputa, quem invitum fecisti: secui, at medentis animo. Jam verò causas, quæ Sacerdotium, Regnúmque collisere, arbitrio, & voluntati tuæ committo; jube ut voles, obsequentem me habebis, fidúmque, ut semper, salvo tantùm honore Dei: hunc solum mei, tuíque Dominum excipio.* Infremuit Henricus ad has ultimas voces; nam primas patienter audierat: nec probris, convitiisque temperavit, superbum pertinacem, ingratúmque appellans. Tum ad Regem Galliæ conversus, illudi sibi ab Archiepiscopo querebatur; quippe obtentu Divini honoris omnia recusaturum, quæ ejus animo haud sederent: lusum hunc esse, non obsequium. Tum mitigato velut animo, &

(a) Lib. 1. epist. 139. (b) Herib. in V. lib. 2. cap. 25.

malaciæ reddito: *Multi*, inquit, *Regum Angliæ minori potentiâ, quàm ego fuêre: multi etiam Cantuariæ Archiepiscopi, majori sanctitate, quàm iste; id ergo peto, ut quod minimo Regum Angliæ illi præstiterunt, is mihi præstet, qui multis partibus inferior eis est.*

Æquissima videbatur postulatio, & Regi tanquam modestè, ac citra fastum petenti acclamatum est. Silebat Archiepiscopus neganti similis. Cui Galliæ Rex: *Domine Archiepiscope, vis major esse Sanctis viris? aut major prudentiâ? quid dubitas? ecce pax præ foribus!* Sed Sanctus sententiæ jam semel, maturéque conceptæ inhærebat, nec aliter Regi pareri posse, quàm *salvo Dei honore.* Hinc omnium aversi ab illo animi, & in contumelias effusi; quippe ejus pertinaciam obsistere Rege jam parato, & æquissima postulante: ipse Ludovicus conscensis equis abitum festinavit, ne compellato quidem, salutatóque Archiepiscopo; adeò indignabatur eum cœptis insistere, nec flecti in conditiones posse, ut quidem videbatur, justas, quas tamen eventus detexit, & ipse Ludovicus damnavit. Hic enimverò magnanimitas Sancti ad fastigium pervenit, emicuítque omni fortunæ, adversísque superior, & solo Deo nixa; nam prius amicis utcúnque sustentabatur, præsertim Ludovico Rege: nunc verò omnia subducta, quæcúnque animum levare possent ærumnis gravem. Henricus irâ fervens, & vindictæ accinctus, Ludovicus contemni se ratus, ne quidem alloquium, aut conspectum admittebat, clauserátque ærarium: amici diffluxerant: Episcopi à Rege stabant, lacerabántque innocentem, nec alij magis flammam ventilabant: nulla contra egestatem subsidia, quæ animo verecundo, magnóque, & delitijs assueto tanto erat molestior: sed præsertim domesticorum squallor, & desperatio Sanctum angebant sui negligentem, aliorum anxium. Et tamen tot undis agitato, & ultima expectanti tanta securitas, & tranquillitas fuit, ut jocis fortunæ insultaret, & vultum modestâ hilaritate, ac risu solveret. Et verò qui animum partium studijs, & affectibus exemerant, nunquam magis, quàm in hoc fortunæ dissidio Sanctum admirati sunt; nam Senonas eunte itinera populi obsederant, certabántque videre, & digito ostentabant applaudentium more: (a) *En*, inquiebant, *Archiepiscopum illum, qui in hesterno colloquio Deum propter*

(a) Herib. in V. lib. 2. cap. 26.

propter Reges negare noluit, nec Dei honorem subijcere. Ex Gallijs in Burgundiam cogitabat, sed Deus, cùm minimè sperabatur, intercessit, subvenítque. Evocatur ad Ludovicum Regem Archiepiscopus, nec aliud expectabat, quàm leges, & tempus novi exilij. Ut in conspectum venêre, sedentem reperiunt, attonito, aut meditanti similem, vultúque dolorem testante, quod malo omini vertebatur: aliquamdiu perstitit, demissóque in terram capite nec tacendi finem, nec mærendi faciebat; cùm subitò lacrymis, & singultu obortis, prosiliénsque genua Archiepiscopi amplexu stringit, nec allevari se passus in hæc verba prorumpit: *Verè Domine mi Pater, tu solus vidisti, nos omnes cæci fuimus, qui contra Deum consilium tibi dedimus, imò ad nutum hominis honorem Dei remittentes. Pœniteo Pater, & graviter pœniteo; ignosce ergo, & ab hac culpa me miserum absolve; sed & Deo, & tibi meipsum, & Regnum meum expono, & ab hac hora promitto, quòd tibi, vel tuis non deero.*

Hæc inter lacrymas, & singultus dicentem Archiepiscopus absolvit benedixítque, nec prius ille surrexit, pulcherrimo veritatis triumpho; tandem enim veritas erumpit, quidquid illi opponas, vincit cadendo. Ab hoc tempore Sanctus summâ veneratione in Gallijs, & Regiè habitus est. Nec ego magis Ludovicum sacro bello accinctum, & tot triumphis, ac palmis auctum admiror, quàm cùm Sancti pedes tenebat. Cæterùm quàm magnis rationibus Henrico assentiri Archiepiscopus noluerit, operæ pretium fuerit exponere, exemplo posteris profuturo.

Omne obsequij genus Sanctus pollicebatur, salvo tamen, exceptóque Dei honore: nec Regijs juribus hæc clausula obstabat, semper enim intelligebatur, etsi taceretur; nullum enim contra Dei honorem Regibus jus est; nam ut Regibus populi, ita Reges Deo subduntur; & tamen exprimi ea clausula tunc temporis debebat, Rege Ecclesias invadente: alioquin omnia Archiepiscopus cedere videretur, si post tanti temporis certamen Regi omnia postulanti, omnia permitteret. Quæ ergo Regi injuria, ea exprimi, quæ etiamsi tacerentur, observari oportebat? & præsertim eo tempore, quando silentium, unius victoriæ, alterius cladi adscribebatur publico omnium damno? Accedebat Archiepiscopum, cùm infulas induisset, fidelitatem Regi promisisse, *Salvo honore Sacerdotali*; quo

ritu omnes jurabant Antistites, nullâ Regum querelâ: si ergo Sacerdotalis honor excipi poterat, quantò magis Divinus Rege inoffenso? Nec primus erat, qui pro Ecclesiastica libertate bellum Regibus intulerat; quis enim Ambrosij, Chrysostomi, Basilij agones, & pericula nescit? Et ne Angliâ, & Cantuariâ exeamus, quid Anselmus, quid Landfrancus non egit? Et quamvis non Regis solùm, sed omnium ferè Episcoporum, Magnatúmque votis dirisque pulsarentur, vicêre tamen veritatis auspicijs, quæ Croci in morem, tunc maximè floret, cùm calcatur. Quod si aliqui ante ipsum dissimulârunt; aut alia correxerant à prioribus intacta, aut posteris aliqua reliquêre, cùm omnia non possent; alioquin nullius rei initium fuerit, si exempla semper expectes: & denique non omnia imitationem merentur, quæ à Sanctis patrata; alioquin & adulteria, & homicidia, & perjuria exemplis nituntur: nec Petrus laudari tunc meruit, cùm timuit, negavítque, & timori perjurium addidit; sed cùm Christum professus est, & secures sanguine imbuit, quem poterat silentio redimere; nec Ecclesia connivendo crevit, silendóque; sed clamando, ferendo, & veritatem in plateis, in foro, in templis, aulísque profitendo: nunquam adulatio & silentium Martyres fecit, nec caput Joannis à meretrice sublatum, quia tacuit, sed quia dixit; charus Aulæ dum flagitio pepercit: invisus, exosus, dum notavit, correxítque; tum carceres illi, tum ferrum & secures paratæ, nec alio reus, quàm quòd blandiri noluisset. His artibus Ecclesia crevit, his aucta, his conservari debet. Quod si obtentu indulgentiæ, & pejorum metu omnia Regibus permittas, quæ aut cupiditas suggerit, aut adulantium artes, quid tandem intactum erit, & prædæ inexpositum? qui limites sacram, prophanámque auctoritatem distinguent? quid Patrum statuta, quid Canones proderunt, tot vigilijs elaborati, tantâ curâ defensi, si regnantium arbitrio solvantur? Imperabit ergo Aula serviente Ecclesiâ, & exemplo nullis sæculis audito, illi leges præscribent, qui obsequi debebant: illi obsequentur, quorum munus est imperare. Ipsi Antistites, si toti ex aula pendent, non Ecclesijs, non animabus, quarum curam suscepêre, sed palatijs vacabunt, nec tam infulas virtute quærent, meritóque, quàm gratiâ, & favore: hîc thura adolebunt, hîc aras statuent, & quod olim

olim Patres suspirabant, in palatio Episcopi, non in Ecclesia fingentur, Sacrorum rudes, imò & pertæsi; quis enim nautam in sicco faciat, aut militem in gynæceo? corruptis verò Episcopis, & mundum, non Christum spirantibus, quem odorem in Ecclesia speres? illi fastum, luxum ac vanitatem rerum humanarum suis Ecclesijs proscribent, quæ animo retinent, & exemplis ostentant? quâ dein auctoritate, quo vultu Reges monebunt, & errantes reducent, quî omnia Regibus debent, nec aliam, quàm blandiendi adulandíque artem in palatijs didicere? non est hoc Pastorem, sed Musicum agere, cantare non regere.

At, *inquiunt*, irritandi non sunt Principes, & aliquid connivendum, pejorum metu. Cæterùm qui hæc dicunt, nec satis intelligunt, quæ sint boni Pastoris partes: nec tam Regibus consulunt, quàm propriæ timiditati commodíque, quæ si auferas, nulla ipsis de Regibus cura. Imperat Deus Sacerdoti: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Isti tacere volunt, nec tubâ, sed cytharis ludere. Denuntiat Deus Episcopo: (a) *Fili hominis, speculatorem dedi te Domui Israël; audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie morte morieris, non fueris locutus, ipse impius in impietate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Si ergo ad Episcopum pertinet, Speculatorem esse, & excubias agere, hostem eminus visum denuntiare, ac buccinâ prodere; cur isti cæcum, mutúmque volunt, & ad omnia Principum scelera conniventem? Miseram Civitatem tam otiosis, timidíque excubijs! qui ne buccinæ strepitu dormientes turbent, hosti interim produnt, perdúntque indulgendo.

At Principes irritandi non sunt. Omnino, nisi irritari illos oporteat, alioquin perituros; tunc enim necessitas loquentem, & amor absolvit; nec, quod illi irascantur, monentis est culpa, sed indignantis. Et verò quis medicum excusat, ideò remedijs, ferróque abstinentem, quia gemet, dolebítque infirmus? an præstabat morientem, quàm gementem videre? quod in animarum Regúmque Medicis tanto verius est, quorum morbi, & funera æterna sunt, & exemplis grassantur. Quanti Principes Theodosius, Arcadius, Valentinianus, aliíque, quorum imperia non uno tantùm

(a) Ezechiel. 33.

tantùm angulo continebantur, sed totam ferè Europam, magnámque Africæ Asiæque partem occupabant? nec tamen istorum potentiæ, iræque Ambrosium, Chrysostomum, Basilium morabantur, ut flagitia non liberè arguerent; & quamvis ægrè audirentur recente adhuc plagâ, ubi tamen sanati sunt, & Medicos laudârunt, & posteritas venerata est. Quis non crederet Ambrosij, & Justinæ conflictu casuram Italiam? stetit tamen, & vicit, proscriptâ hæresi, deletâ Imperatrice; placato Augusto, & triumphante Episcopo; hic fructus assertæ veritatis; nam si metu impendentium malorum, quæ Augusta minabatur, dissimulâsset Ambrosius, & hæresi Italia patuisset, & ipse momentaneâ pace, ac Principum gratiâ, æterno apud posteros dedecore laborâsset: eadem Chrysostomi, & Anselmi fortuna fuit, quibus breve certamen, & exilium, sed æterna gloria assertæ libertatis. Falluntur ergo, qui Ecclesiæ pacem simulatione, astu, turpíque conniventiâ quærendam putant; non his artibus Ecclesia crevit, nec his artibus servanda est, sed fortitudine, constantiâ, & adversorum patientiâ; quæ omnia cessant, si Principibus obsequi velis etiam iniqua imperantibus. Pax ancillæ cum Petro fuit, quando Christum negavit, velatâ perjurijs veritate: at ubi istum professus est, bellum cum Nerone habuit, aulámque irritavit, & vitam in cruce absolvit. Quis jam verò præ isto bello illam pacem elegerit? Ergo præferendum est bellum pro veritate, & justitia susceptum, turpi, ac inhonestæ paci, quæ tandem in servitutem desinit. Enimverò si Sacerdotes, quorum curæ libertas Ecclesiarum commissa est, vires sociarent, & veritatem Principibus edicerent, facilè audirentur, innatâ sacrorum reverentiâ; at verò cùm ipsi Sacerdotes Principi blandiuntur, & quæsitis obsequijs gratiam mercantur, tacéntque veritatem aut spe, aut metu corrupti: imò vera monentes in odium adducunt, id solum est, quod Principes obdurat, reddítque inaccessos, imò securos, dum istorum authoritate, & consilijs muniuntur: & planè Athanasio, & Chrysostomo nullum majus certamen, & pernicies, quàm ab Episcopis, fuit, qui aulas implebant; isti faces incendio, isti bello subdebant, spolijs prædíque intenti. Si verum ergo fateri volumus, tota ferè Principum culpa in Sacerdotes redit.

Hæ sunt

Hæ ſunt ferè rationes, quas varijs in locis (a) Sanctus Archiepiſcopus adducit, ut oſtendat, ſe poſtulatis Henrici Regis in ultimo colloquio ſubſcribere nequiviſſe, eáſque eventus probavit; nam tandem illum à ſicarijs extinctum, & Henricus deflevit, fataléſque conſuetudines ejuravit, quas Sanctus ferre non poterat: & omnium Angliæ Galliæque votis abſolutus eſt; damnati verò, quî ei obſtiterant. Deus ipſe tot miraculis ad ejus tumbam patratis, & publicâ totius Eccleſiæ veneratione verum Paſtorem fuiſſe oſtendit, quíque animam ſuam poſuerit pro ovibus ſuis; alios verò mercenarios, & venientis lupi umbrâ perterritos fugacéſque. Illam verò rationem præcipuè Sanctus urgebat, videlicèt: *Non ſimulatione, non ingenio regenda eſt Eccleſia, ſed juſtitiâ, & veritate, quæ ſe obſervantem liberat ab omni periculo.* Et delicta Regis tam multa, & magna erant, nullóque pudore admiſſa, ut nec excuſari, nec ferri poſſent, niſi omnium offenſione, & publicâ Eccleſiæ clade. Toto quinquennio Archiepiſcopo exulante, bona Cantuarienſis Eccleſiæ, exulúmque occupaverat: in Sancti amicos tantâ crudelitate ſævitum, ut plurimi morte, alij omnes exilio punirentur: nulla venia ætati, aut etiam puerperis data, alij cunis, alij lectis in exilium ferebantur: Lincolnienſis, Herefordienſis, Elienſis Epiſcopatus Fiſco adſcripti: Landavenſis Eccleſia militibus prædæ data. Bangorenſis decennio vacavit, & fructus Regi ceſsêre: Clerici nullâ ſacrorum reverentiâ carceribus addicti, aut membris truncati: alijs oculi effoſſi, ad duellum acti, alij ſuperſtitioſis ignis, & aquæ quæſtionibus ſubjecti. Quæ omnia cùm palàm eſſent, nec ea Rex corrígeret, ſolis pollicitis, & ſpe contentus, diſſimulari ab Archiepiſcopo non poterant, multò minus probari. Et tamen, quod vix poſteritas credet, nec finem mirandi faciet, Epiſcopi omnes tam iniquis poſtulatis aſſensêre; imò, ne errâſſe viderentur, patrocinati ſunt.

X. Nihil interim Alexander omittebat, quo Regem emendaret; cùm epiſtolis nihil proficeret, quartâ Legatione Henricum fatigavit: primâ Wilhelmus, & Otto Cardinales functi ſunt, ſed paulò poſt revocati, quòd nimiâ indulgentiâ in Regem uterentur, adeò ut is palàm jactaret: *Se Dominum Papam, & omnes Cardinales habere in burſa ſua, ſeque conſecutum eſſe privilegium Avi ſui, qui erat Rex, Legatus Apo-*

(a) V. lib. 2. epiſt. 28. & epiſt. 30. & lib. 4. epiſt. 14. & lib. 2. epiſt. 46.

tus Apostolicus, Patriarcha, Imperator & omnia. (a) Wilhelmus præsertim palàm Regi favebat; hinc frequentes in Alexandrum querelæ, cujus fama laborabat improbitate ministri: alij ergo in Angliam missi primis revocatis; ij erant Gratianus E. R. Diaconus, Eugenij Pontificis Nepos, & Vivianus Archidiaconus Urbis Veteris, pietate & doctrinâ conspicui. Summa mandatorum erat: *Muneribus abstinerent imò etiam necessarijs sumptibus, nisi pace obtentâ: pax verò æqua esset, Ecclesiæ, & Archiepiscopi juribus illibatis: dum compositio agitaretur, abstinerent interim censuris, omnique severitate, quæ Regem abalienare, morarique possent. Idem observaret Archiepiscopus, conderétque ferrum, dum spes aliqua sanitatis affulgeret: pace verò ad diem S. Michaëlis non secutâ, liberum ei esset, obstinatum ferire, & Regnum Interdicto subijcere.* Hæc Legatis mandata, Rege interim omnia moliente, ut Sanctus Cantuariensi Ecclesiâ moveretur. Ludovico supplicavit, ut Regno eijceret; cui regiè responsum est: *Si Anglo tanta cura esset suarum consuetudinum, quamvis Deo adversantium; multò magis Galliæ consuetudines sibi cordi esse, quæ miseros afflictósque, & præsertim Sacerdotes justitiæ causâ proscriptos semper sinu receperat.* Mediolanensibus marcarum tria millia promissa: Cremonensibus duo millia: Bononiensibus, & Parmensibus mille, si Alexandrum permoverent, ut Cantuariensem aliò transferret. Ipsi Pontifici pax cum Imperatore, omnium in Anglia vacantium Episcopatuum collatio, Romanorum, qui tumultuabantur, subjectio, & tandem marcarum millia decem promissa; sed Pontifice immoto, flectíque nescio minæ successerunt. Morrandini Turcarum Principis societatem, & Religionem se potiùs amplexurum, quàm ut hunc hominem Cantuariæ, & in Regno videret: adeò Henricus odio flagrabat, ut animum demitteret ad tam indigna, si non potiùs hæ Legatorum minæ, quàm Regis imperium fuit. Respondit Alexander: *Non ideò se impium esse posse, quia Rex perire velit.* (b) Legati humaniter à Rege accepti, quamvis Alexandri litteris offenso. Ubi de pace agi cœptum, varij, multíque conventus indicti, sed frustra, Rege semper alio, jam pacato, jam offenso, jam pacem offerente, jam revocante, & minas frequenter miscente; quod cùm more suo aliquando faceret, Gratianus Legatus Romanè, impavidéque respondit: *Domine, noli minari, nos enim nullas minas timemus, quia de tali*

(a) V. lib. 1. epist. 179. & lib. 2. epist. 58. (b) Vid. lib. 2 epist. 66.

tali Curia stamus, quæ Regibus, & Imperatoribus consuevit imperare. (a) Inter alias pacis conditiones illam præsertim Rex urgebat, ut videlicet Archiepiscopus sponderet, se officio quidem suo functurum, *Salvâ tamen dignitate Regni.* Æquissima videbatur conditio rem non intelligentibus: sed eam Legati reijciebant: nam per dignitates Regias, consuetudines illas notabant olim damnatas, addebántque: si nomine Dignitatis Regiæ jura Regum, & Coronæ intelligerentur olim à Regibus Angliæ possessa, nihil litis superesse, nec ea Archiepiscopum morari, paratúmque jurare, imò jam olim jurâsse; cæterùm eo nomine abusus celari, Ecclesiæ toti, nec tantùm Angliæ fatales: mirum esse, Regem, qui nuper hanc formulam ab Archiepiscopo propositam repulerat, videlicet: *Salvo Dei honore*; jam aliam velle minùs necessariam; an ergo Rex præ Deo esset? aut si non esset, cur honori suo parci, non Dei vellet? aut ergo omitti eam formulam velut captiosam debere, aut exprimendum, quænam illæ Regiæ dignitates essent, quarum curâ adeò premeretur? Quòd si neutrum placeret, illud saltem promitteret, aliam, parémque formulam adijci, quæ Ecclesiam æquè ac Regem protegeret, videlicet: *Salvâ Ecclesiæ libertate.* Hâc enim nihil Regibus adimi, sed ea tantùm Ecclesiæ dari, quæ aliàs deberentur.

Justa erat postulatio, ac plena honestatis; quid enim æquius, quàm ut Regis juxtà Ecclesiæque dignitati caveretur? à Regijs tamen admissa non est, & ideò Legati desperatâ pace Regno excesêre, non ideò tamen absistebat Pontifex, sive beneficiorum, quæ à Rege acceperat, memoriâ, sive spem omnem necdum consumpserat, sive, quod vero propius est, verebatur Regem aliàs indomitum, & in extrema promptum ad defectionem urgere, parcebat ergo, sperabátque: tertiam interim Legationem adornat, & litteras, quas Legati ferebant, minis aspergit, ac initium Quadragesimæ ineundæ paci præscribit: alijs tamen secretò datis Regem orat, monétque, & paternâ charitate demulcet, útque magis devinciat, interdicit Archiepiscopo, ne in Regem Regióque potestate suâ utatur, nisi pace compositâ; quæ causa illi fuit rem in longum trahendi, ludendíque Pontificem ostentatâ semper pace, at nunquam factâ. Parisijs Reges Angliæ, Galliæque convene-

 runt;

(a) Vide lib. 3. epist. 6.

runt; adfuit Archiepiscopus, Legatorum, aliorúmque Episcoporum, ac Ludovici Regis monitu nihil omisit, quo placari, molliríque Rex posset: flevit, rogavit, procidit, juravitque, nihil se charius, aut antiquius habiturum Regis obsequio: etiam Regni consuetudines servaturum, quantum tamen per conscientiam liceret, & Dei Leges paterentur; verba Archiepiscopi hæc sunt: *Pro pace Ecclesiæ, & gratia Regis promitto, me consuetudines illas, quas Sancti Antecessores mei Regibus suis servaverunt, salvo ordine meo servaturum, quantum secundùm Deum possum: & faciam pro amore ejus recuperando, quidquid possum, salvo honore Dei.* (a) Quid amplius posset? At Rex tam æqua indignatus, colloquium abrupit, discessitque: epistolas verò Pontificis, quas secretas volebat, & cum pompa ostentabat, insultabátque Archiepiscopo potestate suâ minuto: hinc in Alexandrum omnium ferè calami, & linguæ provocatæ; querebantur enim (b) innocentem Archiepiscopum non deseri tantùm, sed etiam ludibrio exponi, obstinari verò Regem indulgentiâ, & beneficijs importunè oblatis: quæ omnia Alexander excusavit malitiâ temporum, & pejorum metu: (c) revocavit tamen gratiam Anglo concessam, & abusu corruptam; nec tamen desperavit, quartâ & ultimâ Legatione expugnando Regi admotâ: eâ perfuncti sunt Episcopi Nivernensis, & Senonensis, & Archiepiscopus Rothomagensis; ijs mandatum, Regem permoverent: *Archiepiscopum, aliósque exules Angliæ redderet: Ecclesijs ablata restitueret: consuetudines Ecclesiasticæ libertati adversas, & fomitem discordiarum aboleret: Episcopos, qui illis subscripserant, juramento liberaret: & denique intra dies quadraginta finis litibus esset: aut Rege abnuente, Provinciæ Cismarinæ, ubi is morabatur, Interdicto subjacerent: & si obstinari pergeret, eandem sententiam expectaret, quam Fridericus Imperator.* Hoc ultimum Regem fregit, coronæ suæ anxium, & exemplo Friderici pavidum; pacem ergo festinavit.

XI. Locus feriendæ paci destinatus, pratum fuit, amænissimum quidem, sed malo omine proditorium appellatum. Ubi venientem Archiepiscopum vidit, caput aperuit, exiliítque in amplexum, & loqui parantem ne admisit quidem, prævenítque: posteà mutuis colloquijs, & gaudijs perfuncti soli in partem secedunt,

(a) Vide lib. 4. epist. 8. (b) V. lib. 4. epist. 14. 1. 22. 23. 25. 28. (c) Vide lib. 4. epist. 16. 17. & 51.

dunt, & quod olim ſolebant, dum amicitia flagraret, diu multúmque ſermocinantur: & cùm Archiepiſcopus equo deſiliret Regem veneraturus, ejúſque pedibus advolveretur, ipſe ſtapedem tenuit, coegítque in equum: articulos etiam pacis, quales Alexander præceperat, ſubſcripſit, ſignavítque; quæ omnia tanto amoris, & humanitatis ſenſu peracta, ut immortalitatem promiterent, pleríſque, qui ſpectabant, gaudio, & admiratione defixis, ac etiam lacrymantibus. Paulò poſt in Gallias redijt, Ludovico Regi, quo tam benigno, liberalíque uſus fuerat, grates relaturus: nec navigare in Angliam volebat, niſi quæ Eccleſijs ablata erant, prius redderentur; nam Henrici levitatem verebatur: ſed victus amicorum precibus, poſt ſeptimum exilij annum, ſub noctem ſolvit, tenuítque Angliam: nec deerant, qui manifeſtis indicijs ei mortem præcinerent, nec ipſe diſſimulabat, (a) litteris ad Alexandrum, & Henricum datis, quæ ultimæ fuerunt.

In littus cum amicis expoſitum globus militaris excepit, à Londonienſi Epiſcopo immiſſus, & videbantur vim illaturi, niſi metu accurrentis populi prohiberentur; ut enim navim, quæ Archiepiſcopum ferebat, cruce inſignem, & paulatim littori ſuccedentem videre, continuò affluere, in genua procidere, gaudia, lacrymáſque miſcere, qui benedictionem præriperent certare, & denique Paſtorem tot victorijs, palmíſque auctum inter feſtas acclamationes excipere: nec ipſe triumpho ſuo impar heroem potiùs, quàm exulem agebat, oculis firmis, ac jam Martyrem ſpirantibus, vultúque impavido, & fortunam ridente; modeſto tamen, hilaríque. Ut Cantuariam pervenit, repetiti à Clero & populo plauſus: crederes Angelum non hominem adventâſſe, adeò omnia gaudijs, acclamationibus, campanis, organíſque ſtrepebant: vexilla, crucéſque obviàm progreſſæ. Ipſe ut in Eccleſiam pervenit, toto corpore, & brachijs in crucem explicatis procubuit; tum ſingulis Monachorum, qui Eccleſiam impleverant, oſculum fixit, ac tandem in Palatio quievit.

XII. Sed brevis ſerenitas fuit, Eboracenſi Archiepiſcopo novam tempeſtatem ciente; urgebat iſtum flagitiorum conſcientia, timebátque pace cum Rege factâ, bellum ſibi, & promeritas pœnas

(a) Vid. lib. 5. epiſt. 54. & 73.

à Cantuariensi imminere, festinabat ergo prævenire; nec deerat falsis criminationibus color. Querebatur Episcopos Regnique Primates censuris à Pontifice percussos esse, idque instinctu Cantuariensis navigationem parantis; ijs verò non tam Episcopos, quàm Regem peti, cujus illi causam egissent, & lateri perpetuò hærerent: & contemptum augeri, absolutione toties petitâ, negatâque: addebant, infensum esse Henrico Principi, omnésque vias moliri, eum solio exturbandi. Incendebant Regem hæ voces, aliàs ardentem, rediitque odium adhuc glisens, nec satis nuperâ pace extinctum: ac tandem cùm celari amplius non posset, palàm erupit; dolebat, suspirabátque, ac toto vultu mœror spectabatur: amicis causam quærentibus, sæpe in has voces prorupit, quæ Sancto mortis causam attulêre: *Cum uno*, inquiebat, *Sacerdote pacem in Regno meo habere non possum, & nemo vestrûm me vindicat!* Quæ verba imperantis potiùs videbantur, quàm dolentis, & pro imperio ab illis accepta, qui mortem Archiepiscopi optabant. Condictum ergo à quatuor è primaria nobilitate aulicis in ejus necem. Ipse invicto semper animo, & timoris experte, die, quâ Natale Christi agebatur, Cathedram conscendit, dixit ad populum, & mortem, quam revelatione didicerat, prænuntiavit, ac missionem à suis petijt; id tantâ eloquentiâ factum (quam etiam perorantis lacrymæ augebant, & aura quædam æternitatis vultui, verbísque infusa) ut templum lamentis, querelísque audientium personaret. Ubi silentium redijt, non jam lacrymanti & morituro similis, sed judicem induens, gravi, severâque voce in eos, qui nollent ablata restituere, invectus, anathemate, & diris percussit; erant plerique Henrico chari, & in aula præpotentes. Tum sacris perfunctus convivio assedit, hilari, solutóque animo, ac vicinæ morti insultans. Quarto pòst die, cùm sicarij nuntiarentur, & omnes fugam suaderent, ipse gravi, lentóq; gradu, & velut per otium in Ecclesiam processit, fores, quas alij metu occluserant pandi jussit, armatos excepit, blandéque allocutus est: ac tandem cùm vibrari gladios cerneret, oravit, cervicem inflexit, & manibus ante pectus junctis primum vulnus recepit; tum in genua procubuit, ac tandem in faciem repetitis vulneribus: non gemitum, non querelam emisit, nec aliud dolentis, timentísve argumentum edidit: & quod miraculo videntibus fuit, corpore jam exangui,

exangui, & tot plagis lacero eadem venuſtas, idémque color duravit, ſomno potiùs, quàm morte ſolutum diceres. Ultima ad ſicarios verba fuére: *Ego pro Deo meo paratus ſum mori, & pro aſſertione juſtitiæ, & Eccleſiæ libertate. Quòd ſi caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis DEI, ne in aliquo noceatis, ſed ſint immunes à pœna, ſicut extiterunt à cauſa.* Et paulò poſt. *Deo, & Beatæ Mariæ, & ſanctis hujus Eccleſiæ Patronis, & Beato Dionyſio commendo meipſum, & Eccleſiæ cauſam.* Nec ultra locutus eſt, aptavitque ferro cervicem; crederes ſicarium provocâſſe commoditate feriendi. Calebat adhuc cadaver, & miraculis abundabat, feſtinante velut Deo oſtentare Martyris innocentiam. Inter alia illud quoque notatum, cùm funus Choro inferretur, & pompam, precéſque funebres expleviſſent, elevatâ placidè manu, velut gratias obſequio relaturum adſtantibus benedixiſſe, tum reſedit, & tumulo illatus eſt. Vulgatâ ejus morte, dici haud poteſt, quantum ubique luctûs, & querelarum non Angliam ſolùm, ſed univerſum ferè Occidentem impleverit.

Alexander Papa repetitis nuntijs ex Anglia, Galliáque, ubi necem Archiepiſcopi audivit, adeò turbatus eſt, ut toto octiduo publico abſtineret, ne ſuis quidem ad colloquium admiſſis: Angliæ Legatos, qui purgando Regi advenerant, nec videre ſuſtinuit; tandem Cardinalium hortatu, poſt dierum quindecim moras, & præſertim quòd Henricum promitterent imperata facturum, duo ex Legatis, Abbas videlicet Wallacienſis, & Archidiaconus Lexovienſis auditi ſunt, Epiſcopis Wigornienſi, & Ebroicenſi, aliiſque excluſis, quòd ſuſpecti haberentur. Cùm Henricum nominâſſent, adeò Pontifex ſolo nomine inhorruit, exarſitque, ut velut ex dicto ab omnibus clamaretur: *Suſtinete, ſuſtinete.* Quippe deteſtari Regem videbatur, & ne ferre quidem de illo dicentes, ubi tamen Regem innocentem, & quidquid imperaret, facturum eſſe intellexit, utcúnque placatus eſt, & diras Regi paratas in eos convertit, qui ſancti Archiepiſcopi necem quovis modo juviſſent. Legati dein in Angliam miſſi, qui cauſam examinarent. Conſtabat parricidium Rege non ſolùm ignaro, ſed etiam dolente peractum eſſe: enimverò nuntiatâ ejus cæde, ſtupenti, & attonito ſimilem amici viderunt, cum lacrymis ac ſqualore ſordidum, & Regiam lamentis complentem nullâ majeſtatis curâ.

Triduum

Triduum latuit, caruitque cibo, & hominum alloquio, omnis solatij, quod molliendo dolori adhibebatur, impatiens, credebántque voluntariâ morte periturum vitæ fastidio, & pudore admissi sceleris, quamvis se ignaro, invitóque. Juravit etiam tactis sacris Codicibus, contra animi sui sententiam cædem Archiepiscopi patratam, & ejus morti plusquàm parentum suorum illacrymatum se esse: consuetudines recèns à se inductas abolevit: antiquas moderari ad præscriptum Romani Pontificis promisit: Sacram militiam ad triennium, nisi Alexandro aliter videretur, professus est: ducentis militibus annuum stipendium numeravit trecentis in singulos aureis: adjectæ occultæ abstinentiæ, & largitiones in pauperes, preces, & alia expiando parricidio, cujus ipse non causa quidem, sed occasio fuit, crebris in Archiepiscopum querelis; quæ tantâ modestiâ, & pœnitentiâ à Rege alioquin feroce, & iræ immodico accepta sunt, ut Legatis Cardinalibus hæc diceret: *Ecce Domini Legati, corpus meum in manu vestra; scitote pro certo, quòd quidquid jusseritis, seu proficiscendi Hierosolymam, sive Romam, sive ad S. Jacobum, vel quidquid sit, paratus sum obtemperare.* (a) Tum Templo eductus, flexisque ad limen genibus absolutus est. Sicarij adeò omnibus exosi, ut in angulo Insulæ laterent, nullo omnium consortio; imò ne canum quidem, qui porrectas ab eis escas aversabantur; nec triennio supervixère. Qui primum ictum vibraverat, brachium, totúmque corpus tabe absumptum est; alij Romam, & Hierosolymas peregrè profecti sunt, & silvis, ac speluncis abditi flagitium luxére perpetuis lacrymis, donec, ut dixi, finirentur. Plerique verò amicorum, & Sancto exilij comites ad præcipuas dignitates provecti sunt: Hubertus Lombardus Romano Pontificatu nomine Urbani III. potitus, Heribertus sacrâ purpurâ donatus est, Joannes Saresberiensis Carnotensem, Robertus Filioth Herefordiensem, Reginaldus Lombardus Herefordiensem, Ghirardus Conventriensem, Gilbertus Roffensem Episcopatus adepti sunt, alij alias dignitates. Sed Divinæ justitiæ necdum satis litatum erat. Fatale inter Reges Patrem, Filiúmque odium exarsit, & odio par bellum; & Patrem quidem plerique deseruerant, ac Filium sequebantur, potentiâ, armísque Galliæ Regis, cujus Filiam duxerat,

(a) Vid. lib. 5. epist. 88.

rat, succinctum. Consilium ergo cepit Martyrem placandi, ejúsque tumbam adeundi; cui Northmanniam, aliásque Provincias ab hoste infestas liberandas reliquit: ipse mare ingressus est, appulítque; ubi in conspectum Ecclesiæ Cantuariensis venit, abjectis regijs insignibus, nudúsque pedes processit; erátque spectaculum retrò sæculis invisum, cernere Regem tot victorijs felicem, & cùm exercitus duceret, hostibus suis formidandum, delitijs, annísque florentem, nudatis nunc pedibus, & luto squallidis, oculis solo defixis, ac lacrymas depluentibus, lineóque tantùm amiculo seminudum corpus velante, tacitum trementémque plateam metiri; quo spectaculo tota Civitas in lacrymas fluxit. Ubi Ecclesiam subijt, eam diem noctémque inter preces consumpsit, somni cibique expertem: scapulas etiam plagis subiecit, quas ab Episcopis quinas accepit, à Monachis verò duas super octoginta: consuetudines illas, quæ materiam incendio præbuêre, penitus abdicavit: ac tandem Sacris, quæ in memoriam Martyris peracta sunt, adfuit summâ animi pietate, ac demissione; quo ipso momento Scotiæ Regem inter præcipuos Henrici hostes, florentissimis copijs cinctum, pauci ejus milites palantésque ceperunt. Secuta eodem anno pax, & res totâ Angliâ compositæ, non dubio Martyris auxilio. Quis jam non crederet propitium, placatúmque Numen tot pœnis aut immissis, aut sponte susceptis? nec tamen vindictæ satis. Duo ejus Filij immaturâ morte sublati, inter quos Henricus primogenitus; cum tertio usque ad mortem bello conflixit, cui etiam diras imprecatus est: ipse tandem, si Rogerio credimus, felici, & paratâ morte, ac peccatis confessione, sacróque epulo positis, extinctus est: alij miserè defunctum volunt. Illud certum est, ab eo tempore, quo adulantium artibus corrumpi cœpit, & cum Archiepiscopo collidi, vertisse fortunam, & perpetuis malis, domi, forísque conflictatum esse. Et hic quidem tam longi certaminis conflictus fuit: cui enarrando equidem immoratus sum, quòd Regalia illi exercendo materiam suggesserit. Ubi simul Ecclesiasticæ libertatis egregium specimen luxit. Atque ut tunc in Anglia, ita hâc tempestate in Gallia pari ferè causâ, & ijsdem momentis, similíque acie pugnatum fuit: non Galliæ suus Thomas, non Alexander, non Londonienſis, non Eboracensis Episcopi defuêre:

paria exilia, parésque ærumnæ, & si sanguis defuit, lacrymæ compensârunt. Quantis in Anglia rationibus, aut potiùs insidijs pugnatum est, ut Ecclesia Aulæ serviret? quantis mendacijs actum, ut veritatem, & justitiam opprimerent, uno tantùm Archiepiscopo nixas? Et hunc arrogantiæ, fastûs, proditionis, pertinaciæ, imprudentiæ, peculatûs, ac ut nihil calumniæ deesset, læsæ Majestatis accusârunt, imò & effecerunt, ut talis crederetur; quippe innocentiam fastidimus, cùm misera est, & ideò gravis. Et quid tandem tanto mendaciorum apparatu factum? ut proscriberent, ut exosum Principi redderent, ut occiderent? omnino: sed non ideò victores; cecidit ille, & veritati sanguine litavit, ac tunc primùm in palmas efflоruit: tunc innocentia erupit, tunc veritas agnita, tunc Deus, & Ecclesia causam decidit, ista cultu, ille miraculis: abolitæ consuetudines, calumniæ proditæ, persecutores pœnitentes, & puniti, Rex ipse odia veneratione, & amore commutavit, & sic vicit innocentia. Exadverso Londonienſis, & Eboracensis Episcoporum memoria, qui tunc aulam gubernabant, abolita est, nec aliter ipsos posteritas, quàm ut sacrilegos, & impostores notabit. Quòd si sanctus Archiepiscopus aulæ cessisset, turpíque obsequio brevem illam, & fallacem pacem omníque bello pejorem redemisset, & ille Martyris gloriâ, & Ecclesia pulcherrimo exemplo careret. Falluntur ergo, qui ut pacem Ecclesijs suis, aut potiùs sibi concilient, eas Principum voluntati dedunt, & ne prælio quidem tentato signa submittunt. Non hæc Apostolorum, aut Martyrum militia est, quibus à Deo mandatum: *Ecce constitui te super gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & plantes. Tu ergo ne formides à facie eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram Regibus Juda, & Principibus ejus, & Sacerdotibus, & Populo terræ, & bellabunt adversùm te, & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* (a)

Cæterùm ut in D. Thoma insigne fortitudinis exemplum, ita in Pontifice Alexandro constantiæ, & prudentiæ habemus: quot ille omnium Principum, imò sancti ipsius querelis pulsatus est, quòd Regem anathemate non feriret? Et cùm tamen cunctaretur

(a) Jerem. 1.

retur meliorum spe, ac pejorum metu, quàm acerbè in aulam conclamatum? *Romæ nullum innocentibus jus dici, nec asylum veritati, sed potentiæ dari; vincere, qui plus auro, non justitiâ valeret: Pontificem tot precibus, Legationibus, & litteris in Angliam missis quid aliud effecisse, quàm ut ostenderet contemni se posse, & patrocinia innocentibus data intra verba consistere, obstinato interim Rege, & Alexandrum semper minantis, & nunquam ferientis habitu ridente. Romæ omnes miserere, neminem succurrere, & ideò tot malis à Deo premi, quòd oppressis non subveniret.* Hæc palàm, & ab omnibus dicebantur, qui Angliam fulminari volebant, sed immoto Alexandro; qui cùm hâc severitate, & Regem perdi videret, cogique in defectionem, nec tamen Archiepiscopo subveniri, maluit ferro abstinere, & ægrum si non sanare, at saltem nec perdere. Quod quàm prudenter ab Alexandro factum sit, exemplum Henrici VIII. Angliæ Regis posteà docuit, tot lacrymis deploratum, & necdum deletum.

§ IV.

Innocentij XI. Pontificis Maximi, contra Regaliæ abusus Decreta, & curæ; & quàm immeritò ab aliquibus notata;

SUMMARIA.

1. Multæ in Gallijs Ecclesiæ Decreto Concilij Lugdunensis, & quatuor sæculorum beneficio à Regalia liberæ, idq; Episcopi Galli agnoscunt, & tamen Edicto Regio subscribunt, & quas ob causas?

2. Soli Episcopi Alectensis, & Apamiensis causam sustentant ab alijs metu desertam, quod ipsorum testimonijs ostenditur. Apamiensis exilium, & mors.

3. Vicarijs ab Apamiensi Capitulo electis alij à Tholosano Archiepiscopo oppositi, sed nullo jure. Nova, & sæva persecutio.

4. Aliæ in Monasterio Carronensi turbæ.

5. Romani Pontificis in tot malis curæ, & remedia malè à quibusdam accepta, & quas ob causas? quæ sigillatim refelluntur.

I.

IAm supra ostendimus, Concilij Lugdunensis Decreto cautum fuisse, ne Jus Regaliæ ad eas Ecclesias proferretur, quæ hactenus ab hac servitute immunes fuerant; gaudebántque Ecclesiæ hâc nativâ, & canonicâ libertate annos ferè quadringentos, quot videlicet decurrerunt ab anno MCCLXXIV. quando Concilium Lugdunense celebratum est, usque in annum MDCLXIII. cùm Regis Edicto omnes totâ Galliâ Ecclesiæ huic oneri subjectæ sunt. Neque hoc ipsi Galli diffitentur; cùm enim anno MDCLXXXI. mense Majo Episcopi aliquot convenissent, & futuro generali Conventui ad proximum Octobrem materiam agendorum pararent, unus & præcipuus inter alia hæc Episcoporum nomine locutus fertur: *Jus Regaliæ servitutem esse, quæ præsertim, collationes Episcoporum quod attinet, imponi nisi ab Ecclesia, ejusque consensu non possit, semper nobis persuasum fuit; & ideò cùm Concilium Lugdunense Regaliam, ubi hactenus invaluerat, tolerandum esse duxerit; ad eas verò Ecclesias, ubi hactenus insueta, extendi omnino, & sub pœna anathematis gravissimè interdixerit; sequitur, ut nec illæ hanc ipsam servitutem recusare debuerint, quæ hactenus eam tulerant; illæ verò, quæ hactenus naturali, & canonicâ libertate fruebantur, justissimè usque in annum MDCLXXII. ferre renuerint.* (a) Ubi vides fateri Galliæ Episcopos, quorum nomine loquebatur, Jus Regaliæ servitutem esse, nec eam aliâ, quàm Ecclesiæ auctoritate imponi potuisse: ab hac verò Regalia immunitatem, fructum esse canonicæ, & naturalis libertatis, quâ quadringentis annis Ecclesiæ, ubi hactenus contraria consuetudo non obtinuit, gavisæ sunt: quæ omnia quàm verè à Gallo sint dicta, jam suprà abunde ostendimus, nec animus est repetere. Hanc ergo Libertatem Edictum Ludovici Regis submovit; quod licèt novum, & Galliæ hactenus invisum, non tamen obscurum fuit, quorum consilijs id suggestum, peractúmque. Erant in aula, qui

(a) V. la lettera indirizzata ad un Vescovo dell'Assemblea die 8. August. 1681. f. 5.

qui Principis gratiam quovis pretio parabant; & quia potentiæ, gloriæque, ac proferendæ dignitatis avidum cernebant, facilè captari poterat, ijs propositis, quæ huic cupiditati blandirentur: tantóque màgis, si victoria nec armis, nec auro constaret, & bellum indiceretur vinci volentibus. Ecclesiæ ergo Edictis petitæ, & quòd Majorum exemplis ea res careret, tantò magis Principem invitabat omnes retrò se Reges vincere festinantem: accedebant in eos, qui maximè videbantur obluctaturi, privata odia, unde criminandi, vindicandíque occasio; & denique si hæc omnia abessent, quæstus urgebat; Rege enim ad majora intento, alijs Sacerdotia dispensandi cura dabatur: in istos ergo præmia, favores, & clientelæ redibant, magno potentiæ, opúmque incremento: & cùm publica utilitas obtenderetur, privata quærebatur, quod posteà eventu patuit. Cæterùm velandæ cupiditati rationes passim quæsitæ, ac omni colorum genere, ut Principi placerent, ornatæ; & pronum erat fallere, armorum potiùs, aulæque, quàm Canonum, & Ecclesiæ gnarum. His ergo artibus Edictum illud prodijt, quo omnes totâ Galliâ Ecclesiæ, & in provincijs etiam recenti bello quæsitis, Regaliam admittere jubebantur, adjectúmque, ut electi Antistites intra duos menses à præstito fidelitatis Sacramento litteras à Rege obtinerent, quibus claudi Regalia inciperet, & proventus Episcopis cedere: litteræ verò in tabularia Cameræ Computorum referrentur: cæterùm Episcopi jam olim electi tenerentur hâc ipsâ solemnitate defungi. Hæc novæ servitutis professio fuit; nec alibi, quàm Parisijs edi poterat, magno quidem Episcoporum incommodo, sed non minori eorum emolumento, qui Regaliæ præerant. Varijs in Gallia animis, & foris non minori expectatione Regium hoc Edictum acceptum est; necdum enim memoriâ exciderat, sæpe id in aula tentatum, sed nullo eventu, Clero Gallicano semper obluctante, & semper victore; nec minoribus jam animis pugnaturi credebantur, quippe eadem in causa, & libertatis Gallicanæ, quam Pontificibus toties objectabant, memores; ac Rege, si veritatem doceretur, æqui amante. Cæterùm vana expectatio fuit. Pleríque jugum accepêre, querebantur tamen, dolebántque se invitos cogi, & Notarios, ac testes adhibebant, qui, ne libertati suæ id quidquam noceret, in Tabulas referrent, misero inanique solatio

perditæ Libertatis! *Capi, vinciri volumus, & hoc ipsum chirographo testamur; id tantùm scribite, liberos nos esse.* Recusârunt alij, sed tamen Capitulis suis permisêre, ut Regaliæ subscriberent; perinde ac si nulla Pastoris culpa esset, si ejus non imperio quidem, sed permissu oves errâssent; (a) si enim Regaliam suis Ecclesijs imponi justè crediderant, cur ergo ipsi abnuebant? si injustè, cur, ut Canonici id facerent, patiebantur? Enimverò non minus in animarum, quàm militum Ductore eadem, parísque momenti culpa est, facere, & non prohibere, cùm possit. Sed Regalistarum importunitas Beneficia, fructúsque raptantium effecit, ut qui istorum grassationibus liberari vellent, jugum subirent, fædâ quidem, sed utili servitute.

II. Duo tantùm Episcopi Regijs Edictis obnixi sunt, Alectensis videlicet, & Apamiensis; & primò quidem omni reverentiâ, & obsequio certatum est, demonstratâ Ecclesiarum immunitate, quam & Concilij Lugdunensis auctoritas, & annorum supra quadringentos decursus firmaverant: sed cùm in aula non rationibus, sed imperio ageretur, & soli ipsi certarent, reliquo agmine aut victo, aut composito, nihil effectum est: nec ideò cessêre; nunquam enim adducti sunt, ut subscriberent, imò vibratis censuris, edictisque propositis procul Regalistas arcebant: Romam etiam inclamârunt, commune Episcoporum asylum, cùm periclitantur. Sed quid facerent soli? imò hoc illis crimini dabatur, quòd causam ab omnibus desertam soli sustinerent. Ergo omni malorum genere exerciti, nullâ ætatis, quæ jam provecta erat, nullâ virtutum, quâ præcipuè florebant, nullâ dignitatis reverentiâ; nec alterius culpæ postulabantur, quàm quòd Ecclesias suas, ab hominum memoria, & decreto Concilij Lugdunensis ac ipsorum Galliæ Episcoporum testimonio liberas, nollent in servitutem rapi; imò nec poterant velle, quippe Concilio Lugdunensi enixè idipsum vetante: quid ergo facerent? Regi potiùs, an Concilio obedirent? omnino sic illis visum, quibus delitiæ, & quies, ac Principis gratia præ Libertate fuit: nec quid Ecclesijs, ac cœlo, sed quid mundo deberent, cogitantibus: quid ergo facerent, si secures, & flammæ, & alia tyrannorum instrumenta sævirent? illi sanguinem funderent,

(a) M. de Pamiers fol. 177.

rent, qui vocibus pepercêre? & Neronibus, ac Decijs veritatem edicerent, ante Regem Christianissimum muti, pavidíque? agnovisse enim Galliæ Episcopos, nullo jure Ecclesias gravari, solóque offendendi Regis metu, Regaliam admisisse, ipsorum confessione, & litteris Innocentij Summi Pontificis, palàm est, sic enim loquitur: (a) *Animadvertimus litteras vestras à metu ordiri, quo suasore nunquam Sacerdotes Dei esse solent, & in ardua, & excelsa pro Religione, & Ecclesiastica libertate vel aggrediendo fortes, vel perficiendo constantes: timuistis ergo, ubi non erat timor, &c.* Et infrà. *Nobis excusationem allaturi rerum à vobis actarum exaggeratis periculum, ne Sacerdotium, & Imperium inter se colliderentur; proinde existimâsse vos, ad officium vestrum pertinere utili condescensione Canones temperare; proinde vos jure vestro decedentes, illud in Regem transtulisse.* Hìc planè agnoscunt Galliæ Antistites, non potuisse Regaliam universim, & ad omnes Ecclesias extendi, nec istud ad Regni, & coronæ jura, ut aulæ videbatur, pertinere; alioquin nec dispensare illos, nec jure suo cedere oportebat; nemo enim jure alieno cedit: nec Reges, ut jure suo utantur, dispensatione egent.

Illud mirum fuit, nec hactenus auditum, ut Episcopi in causa dispensarent, tot, ut supra vidimus, Concilijs, & ultimo Lugdunensi prohibita. An ergo potestas illis est, Decreta Conciliorum universalium solvendi? & qui Pontificem Romanum Concilijs subesse volunt, ipsi Concilijs se præferunt? dispensatio enim ad Superiorem pertinet.

Nec alia in re tanti momenti dispensandi causa, quàm vanus offendendi Regis metus, & præclara illius de Ecclesijs merita. Regem ergo injustum faciunt, impiúmque, qui justitiâ, & veritate offendatur, nec Antistites ferat officij sui, ac juramenti memores; supponunt ergo Regem ignaviâ tantùm, & adulatione, ac sacrilegio placari, quo nihil indignius de Rege tam justo, tot virtutibus, ac facinoribus claro dici potest. Neque hoc remunerari Principem fuit toties de Ecclesijs, & bene meritum; non enim remuneratur, qui perdit blandiendo; illud potiùs remunerari erat, si errantem revocâssent, ostenso præcipitio, in quod perversis consilijs agebatur, tenuissent lapsurum: nisi fortè tanti Regis animam minoris, quàm corpus, & sanitatem ducant, negligántque curare, quia

(a) Breve Innoc. XI. ad Galliæ Episcopos Anno. 1682. die 11. April.

quia æternitati perituram. Quanta Davidis in Regnum, & Ecclesiam merita? num ideò celari adulterium, & conniveri homicidio debuit? num pœnæ abscondi, ne quietum, & securum turbarent? imò quia amabat, quia fidus erat, & gratiam bene merenti referre properabat, ideò explicatè, impavidéque monuit Propheta, terruitque lethargo periturum: *Tu es*, inquiens, *ille vir: Uriam percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon; quamobrem non recedet gladius de domo tua in æternum, &c.* Idem spiritus, idem amor, & libertas Joannis Baptistæ fuit: bene Herodes de illo merebatur, *qui libenter dicentem audiebat, & eo audito multa faciebat.* Num ideò incæstu, & adulterijs fœdo pepercit? aut non potiùs rogavit, monuit, ac tandem cùm aures flagitio clauderentur, nullo Regis, nullo meretricis metu, amore, ac potentiâ ferocis, quantâ potuit voce inclamavit pereuntem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Non ergo benemeritos remunerantur, qui connivent, præbentque nocitura, sed qui negant. Sed nec minùs admirari illas voces, aut horrere juvat, cùm dicunt: *Jure nostro decedentes illud in Regem contulimus.* Vos ergo Ecclesiarum, quæ vobis creditæ sunt, arbitri, & Domini, non custodes, & tutores estis? earúmque jura, ac privilegia, ut metus aut cupiditas fuerit, in alios transfertis? hoc nimirum jurâstis, cùm infulas acciperetis, & vos mortem potiùs subituros, quàm, ut Ecclesiæ libertatem proderetis, spopondistis? Quo ergo jure transferre potuistis, quæ nec vestra sunt, nec vobis commissa alijs donanda, sed tantùm custodienda? Vobis ergo, vestræque voluntati Concilia, & Canones subsunt, imò fides, & juramenta, & Ecclesiarum Libertas, ac disciplina, quam, ut libuerit, Principibus, & Laicis submittitis, ac interim Romanum Pontificem tam indigna respuentem, per Conventus, & Decreta monetis, ut Canones custodiat. Ergo, ut dixi, reliquis omnibus terga vertentibus soli Alectensis, & Apamiensis Episcopi in acie perstiterunt, & quòd causam Ecclesiæ impigrè suscepissent, omni ærumnarũ genere vexati sunt, Rege aut ignaro, aut falsis eorum criminationibus, qui privatis studijs agebantur, prævento; nam Jansenismi, novarúmque rerum, & contemptæ Majestatis accusati sunt, cùm tamen non aliâ culpâ laborarent, quàm quòd nollent novæ servituti succumbere, nihilq;

æque

æquè illos angebat, quàm quòd viderent, Beneficia titulo Regaliæ perinde ac si Ecclesia vacâsset, indignis conferri; quæ pœna nova omnino erat, & nunquam audita: nec tam Episcopos, quàm Ecclesias, Deúmque spectabat, ingenti animarum clade. Quippe Episcopus Apamiensis Canonicos suos sub Regula D. Augustini ad illud vitæ genus reduxerat, quod in primitiva Ecclesia olim florebat, abdicatis videlicet patrimonijs, & nullâ temporalium curâ. Toti ergo in animarum salutem, & virtutes incumbebant eâ professione dignas; nec major alibi, quàm in ea Ecclesia ardor sanctitatis. At verò Antistite rebus suis spoliato, alij ex delectu Regij Confessarij catervatim irruebant, non animarum, sed honoris, quæstúsque avidi, quíque assumptâ tesserâ, *hilaris societatis*, ludis, epulísque, & amatorijs cantibus noctes ducebant, ac illis ipsis, qui eos delegerant, pudori erant. Ergo, ut dixi, nova hâc, nullísque sæculis auditâ pœnâ non tam Episcoporum culpæ, si quæ fuerant, quàm Ecclesiæ plectebantur, & majori animarum, quàm facultatum damno; crevítque malum Episcopi morte. Is ærumnis confectus est, cùm prius ad Regem litteras dedisset, quibus rogabat, monebátque, pulcherrimo Libertatis & reverentiæ temperamento.

III. Expletis funebribus, & corpore in sepulchrum illato, Capitulum convenit, & Vicarios Generales, dum novus Episcopus optaretur, Daubaredum, & P. Rech elegêre. Daubaredus cùm Archiepiscopum Tholosanum convenisset, humaniter acceptus est, permissúsque officio fungi: datæ etiam ad Regalistas litteræ, quibus monebantur, ut contenti proventus accipere, sacris officijs in Ecclesia Apamiensium abstinerent, ne materia novis tumultibus præberetur: quod cùm illi neglexissent, adessémtque Vesperis, Daubaredus defuncti Antistitis vestigijs, & exemplo inhærens, censuris obstinatos perstringit, nec multò pòst exilium illi, & carceres decreti, imperio Regis. Eadem fortuna Recho fuit. Is ad Aquas Augustas (vulgò Acqs) relegatus haud procul Burdigalâ; quò cùm perveniisset, ad carceres raptus est à Præfecto Aquitaniæ, támque inclementer habitus, ut ne panis quidem suppeteret, præter buccellas à militibus mendicatas. Cerles Capituli electione Daubaredo suffectus est; sed isto velut usurpatæ potestatis ab ijs

accusato, qui nuper anathemate percussi fuerant, Archiepiscopus Tholosanus Fortassinum quendam suum eleemosynis præfectum Vicarium Generalem, ac Officialem jubet. At Cerles libello palàm proposito dignitatem suam vindicare, Archiepiscopo injustitiæ notato; quippe nullum Metropolitano in Diœcesin vacantem jus esse, nisi Capitulo aut negligentiâ, aut malitiâ delinquente. (a) Neutrum verò contigisse: aut si quæ esset, vocandas partes, causâmque, & factas Vicariorum electiones examinandas fuisse, pro quarum valore jura præsumant, nisi contrarium probetur: nunc verò nec vocatis partibus, nec exploratâ causâ, electiones subverti, electos turbari, & alienos, ignotósque submitti, sicque Ecclesiam Apamiensem recentibus adhuc lacrymis, viduámque, novo schismate funestari: niti Archiepiscopum, ejúsque sententiam vanis rationibus, & ab adversario suggestis, videlicet, invalidas fuisse Vicariorum electiones; quippe Regalista quodam (b) præterito; cæterùm hunc nominatim excommunicatum fuisse, tanto censuræ neglectu, ut ne absolvi quidem curâsset: prætereà neque ex numero Capitularium esse, quippe alterius instituti socium, & Canonicorum Regularium vitam ne Tyrocinio quidem expertum; non ergo ad Conventum Regularium vocari debuisse, nec ejus absentiâ electiones irritas fieri. Hæc à Vicario Apamiensi tantâ ratione dicebantur, ut negari haud possent; & planè Archiepiscopum Tholosanum movére, ut Fortassino suo personam adimeret, tam malè in theatro comparentem: quæsiti tamen colores, artésque aulis notæ celando pudori; cùm enim exilia, carceres, prædationes, equitum turmæ, & quidquid in hostes parari solet, nullo sacrorum Ordinum, & Canonicorum, ac sexûs discrimine admoverentur, & reos faceret vel sola amicitia defuncti Antistitis; Fortassinus velut tædio ærumnarum, & quòd coactum se diceret, Vicariatu abit: ipsæ sacræ Virgines oblatum à Fortassino Confessarium recusârunt, *malle se*, dicentes, *semel in anno ad Ecclesiæ præscriptum expiari, quàm ignoto, intrusóque subjici:* tanto majori dedecore, quòd à fœminis, & ideò procul vindictam. Fortassino solum vertente, novum à Parlamento Parisiensi decretum, quo Canonici Apamienses intra triduum convenire, & viduæ Ecclesiæ Vicarium

(a) cap. Ecclesiæ. de suppl. negl. Prælat. in 6. junctâ Gl. (b) Vulgò M. se Juge.

rium dare jubebantur, niſi facerent, Metropolitanum ſuppleturum: nec multò pòſt Tholoſanus Archiepiſcopus reſcribit: *Quia ex Parlamenti præſcripto Canonici Apamienſes non conveniſſent, nec Vicarium vacanti Eccleſiæ dediſſent; ſe vices negligentium ſupplere, & Epiſcopum Leonenſem Vicarium deſtinare.* Recuſavit Leonenſis, noluítque implicari tam fœdo operi; cùm enim ad Epiſcopatum Apamienſem multò Leonenſi opulentiorem nominatus à Rege eſſet, jam ſe itineri Pariſios accinxerat, viámque inierat, ignarus videlicet omnium, quæ Apamijs contigerant. Ubi ea intellexit, iter continuò vertit, recuſavítque generoſo contemptu infulas tam indignè jactatas. Cùm ergo Vicarij alij deeſſent, is, qui crucem Archiepiſcopo præferre ſolebat, Vicarius datur, perinde, ac ſi ejuſdem momenti res eſſet crucem præferre, & Eccleſiam regere. Cæterùm tam inconcinnè hic ludus agebatur, ſive is caſus, ſive imprudentia fuerit, ut nemo riſu temperaret, artificio nimis patente. Jubebantur Apamienſes Canonici intra triduum convenire, cùm tamen conſtaret aut incluſos, aut proſcriptos eſſe, totámque Galliam exilijs implere; quî ergo convenirent? & tamen velut neglexiſſent, novis à Tholoſano Vicarijs eorum Eccleſia gravabatur, exauctoratis, quos nuper, validéque elegerant; ligati ergo, retentíque jubebantur incedere, & quia non poterant, pœnas dabant, velut contumaces, inertéſque. Quid rogo apud Americos Braſiláſque fieri poterat inclementiùs? & tamen factum eſt aliud, quod nulla Poſteritas credet, & Gallia factum inhorruit. Johannes Cerles Capituli electione Daubaredo, & Recho Vicarius ſucceſſerat, nec dubitari poterat, quin legitimus eſſet, Tholoſano, ut vidimus, nullo jure obnitente, acceſsítque Romani Pontificis confirmatio, Tholoſanum intentato anathemate prohibentis, ne quietum turbaret; at hoc ipſum, quod remorari tantum Præſulem debebat, multò magis accendit. Scribit Parlamento Tholoſano, ut in Cerlen, ejúſque pertinaciam inquirat, eúmque eâ pœnâ plectat, quæ alios exemplo terreat, & obedientiæ moneat. Nemo dubitabat ijs verbis ultimum ſupplicium innui; nec tamen aliâ culpâ gravabatur, quàm quòd innocens eſſet, & juramenti Eccleſiæ ſuæ, ac Pontifici Romano præſtiti memor, retinénſque; omnes ergo judicium recuſabant, in quo aut damnari innocentia, aut offendi Tholoſanus deberet. Addun-

tur aliæ, & ferociores litteræ, quibus ignaviam, moráſque incuſabat, urgebátque judicium feſtinari. Territi Judices, & dicta ſententiæ dies. Adfuit Archiepiſcopus, & vultu minaci, ac funeſta promittente aulam invectus, vehementi oratione in Vicarium Apamienſem declamavit, eo digreſſo, omnium votis damnatus ad mortem eſt. Ferunt ex judicibus unum aſſurrexiſſe, & his verbis collegas allocutum: *Nemo deinceps magnam timoris vim, mirámque eſſe negaverit: ecce enim, quem omnes innocentem creditis, omnes damnatis!* Nec clementior executio fuit, cùm enim Vicarius aut lateret, aut dilapſus eſſet, ejus ſimulacrum paleis, & centonibus ſuffultum, & ne quid ludibrio abeſſet, religioſo amiculo tectum plauſtro imponunt, totáque Civitate circumducunt, & tandem eo loco, quo puniri ſolent malefici, aut laqueo, aut gladio finiunt: nihil poterat Londini, aut Genevæ ſævius fieri; ſed omnia ſuperabat, Religioſum, & Sacerdotem plecti accuſante Archiepiſcopo: nec facilè par exemplum reperies; hactenus enim veniam reis impetrare, non urgere ſupplicium, Epiſcopis mos erat, niſi fortè plus in hominem innocentem, quàm reum licebat, & quòd Romæ abſolutus eſſet, delictum onerabat. Additum ſententiæ fuerat, ut effigies Joannis Cerles magni Vicarij, Apamijs, alijſque præcipuis Eccleſijs eodem ſupplicio afficeretur, quod etiam factum: illud Apamijs contigit memoratu dignum, ut videlicet Lictor Apamienſis nocte intempeſtâ cum uxore aufugeret, ne ſe tanto facinore impiaret; adeò ultimæ etiam ſortis homines pudebat tam indignæ ſententiæ.

IV. Hæc in Gallijs, & præſertim Tholoſano Archiepiſcopatu agitabantur; quibus ab Archiepiſcopo Pariſienſi non diſpar infortunium acceſſerat. Caronæ Vico agri Pariſini Monaſterium viſitur: illic ſacræ Virgines degunt, Congregationis B. Virginis Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Auctore Petro quodam Fourier ejuſdem inſtituti viro, & notæ in Lotharingia pietatis. Earum aliquæ bellis Lotharingiam vaſtantibus in Belgium migrârunt, ubi cùm Aurelianenſi Duciſſæ inſigni morum innocentiâ placuiſſent, eandem extincto Richelio Cardinali in Galliam comitatæ, haud procul Pariſios conſedere; illic ſuis ſumptibus Monaſterium Duciſſa erexerat, (a) & dote inſtruxerat, impetra-

(a) Anno 1643.

impetravítque ab Alexandro Pontifice, (a) ut Magdalena quædam eidem Monasterio perpetuò præesset; quamvis ex Regulæ instituto triennio tantùm durarent, & Matris non Antistitæ nomine; sed adjecta conditio, ut extinctâ Magdalenâ gratia finiretur, & triennales Matres, electæque Virginum suffragijs redirent. Sed quod fieri amat, ea gratia alias incendit, ut eâdem potiri vellent. Magdalenâ morte sublatâ, alia quædam (b) Ordinis D. Benedicti obtentu Regij chirographi, & favore Archiepiscopi Parisiensis, Monasterij præfecturam occupat, prævenítque electionem, & interim Romæ agit, ut Diploma obtineat, quo ad solutiorem ordinem transire possit, & Antistita confirmetur: ambitioni necessitas prætexta, collapsas Monasterij facultates reparandi. Romæ utrúmque negatum, nec diu pòst vivis excessit. Videbatur Libertas eligendi reddita; cùm subitò eodem Regis, & Archiepiscopi favore nixa alia quædam (c) ex Cistertio irrumpit, servis, epulis, pompáque insignis: nec Matris nomine contenta, Abbatissam se ferens; hanc quoque instaurandæ Oeconomiæ, frugalem scilicet, parcámque sumptuum, necessariam dicebant, nec aliam toto ordine reperiri. Sed cùm Romæ impetrari Bullæ non possent, ingenio certatum est, ut Antistita esset, & perpetua quidem, non tamen diceretur. Jubet ergo Archiepiscopus, officio fungeretur, dum Bullæ Româ venirent; at certum erat, nunquam venturas Pontifice invito: sæpe Archiepiscopo, Parlamento, Regíque à sacris Virginibus supplicatum, sed nunquam auditæ: diu cum intrusa luctatæ sunt, dum tandem effractis foribus, & vi adhibitâ, magna cum sæcularium manu Monasterium irrupit, sacris Virginibus aras amplexis, & Amazonem aversantibus. Hæc ubi Romam pervenêre, non potuit Romanus Pontifex Innocentius XI. se Patrem oblivisci, datóque ad afflictas, oppressásque diplomate, libertatem eligendi reddit, (d) omníque obedientiâ in ferocem illam armatámque Antistitam solvit.

Hæc ferè sunt, quæ ab Anno MDCLXXIII. usque in annum MDCLXXXII. contigêre; quæ quanti momenti sint, quámque Ecclesiasticam disciplinam, & immunitatem offendant, vulnerént-

 que,

(a) Anno 1657. (b) Madama di Quervenò. (c) Angelica le Maitre. V. Regale Sacerdotium. fol. 13. (d) Anno 1680.

nihil attinet dicere, se ipsis enim clariora sunt, quàm, ut exponi debeant, & fortè in locis Catholicæ Religioni sacris nihil simile antiquitas vidit, saltem nihil pejus. Nova, gravísque servitus Ecclesijs imposita; termini, quos Universale Concilium posuerat, submoti: anathemata, quæ idem Concilium inflixerat, contempta: quatuor sæculorum possessio, quæ pessimam etiam causam tueretur, turbata: Canones Sacri, imò totum Concilium Lugdunense prophanis tribunalibus adstare jussum, ibíque ut Parlamento videretur, causam dicere: Episcopi nec clementius, quàm si prophani essent, habiti, nullâ ætatis, sacríque ordinis reverentiâ: in Clerum verò, Deíque servos velut in plebem, prædâ, exilijs, carceribus sævitum: putâsses antiquas persecutiones fervere, nisi quòd in istis plus sanguinis funderetur, in illis plus dedecoris. Illud verò quale spectaculum fuit, Sacerdotem, & Proepiscopum coram sæculari Magistratu ab Archiepiscopo accusatum, & quamvis innocentem omnes agnoscerent, damnatum, percussúmque Carnificis manu? nam quòd simulacrum, non ipse reus ceciderit, nihil flagitium mitigavit, infamiâ pœnam supplente. Additæ Sacrarum Virginum vexationes, adempta electio, Regulæ turbatæ, intrusa invitis Antistita, claustra, forésque violatæ, migrationes ad laxiores ordines permissæ, quæ tamen omnium consensu soli Pontifici Romano reservantur, ejusdem Pontificis monita, minæque insuper habitæ, & denique in Conventu Parisiensi omni retrò Antiquitati, Canonibus, Conciliísque etiam Generalibus bellum indictum, perinde, ac si paucis Episcopis jus esset totam Ecclesiam turbandi, evertendíque quatuor propositionibus, quæ Concilia Generalia exemplo, & doctrinâ stabiliverant, nec aliâ ratione id factum, quàm ut Pontificis curas, à quo paternè monebantur, aliò averterent, bello domi accenso.

V. Suspirabat ad hæc Romanus Pontifex, & tempus, quod dolori supererat, quærendis remedijs aptabatur. Dissimulatum diu, si fortè, ut fieri solet, malum dilatione, moráque languesceret; neque hoc ignaviæ, aut timoris, sed providentiæ fuit; quædam enim silentio curantur, præsertim ubi pudet fecisse. Sed cùm malum ingravesceret, additæ paternæ monitiones, quæ Regi, & Episcopis rei enormitatem ostenderent, & par animæ periculum, nisi

nisi absisterent: & quamvis eæ litteræ spirarent libertatem Pontifice dignam, & omni fortunâ majorem, tantundem amoris addebatur, temperatâ Majestate: cùm nec istæ proficerent, aliæ secutæ minis permixtæ, nec tamen nimiæ: rescissa acta, appellationes receptæ, Rex officij, & exempli Majorum admonitus, Episcopi objurgati, quòd Ecclesiæ causam deseruissent, timore, ut ipsi fatebantur, & conniventiâ victi, & denique, quæ pro Regalia decreverant, oblitterata, quippe metu expressa, & supra Episcoporum potestatem. Quid minus fieri poterat, post tam multa, indignéque commissa? Sed clementia Pontificem morabatur, & spes meliorum, præsertim Rege non suo, sed aliorum consilijs errante; & tamen ausi sunt aliqui tam benignum, parcéque severum, nimiæ severitatis postulare, nec alia causa fuit in ultimo Parisijs Conventu, ejus auctoritatem, si possent, exarmandi, quàm quòd nimis minacem crederent, an potiùs credi vellent quæsito aut vindictæ, aut impunitati colore? Cæterùm quàm injustæ querelæ fuerint, facilè constabit, quæ à nobis dicta sunt, animo reputanti. Conferantur solùm, quæ Romæ, quæque in Gallijs agitata sunt, & quanta hîc moderatio, illic, ut modestissimè loquar, impetus fuerit, patebitque, utra pars materiam querendi habuerit, quæ plagam intulit, an quæ accepit? Regaliam, ejúsque substantiam quod attinet, nihil Episcopi opponebant Innocentio Pontifici, imò nec poterant, ijsdem enim principijs nitebantur: *Regaliam ex tolerantia Ecclesiæ, non jure aliquo Regio provenire: esse servitutem canonicæ, & naturali Ecclesiarum libertati oppositam; & ideò à Concilio Ludunensi ad loca, ubi hactenus inoleverat, restricta, nec extendi à Regijs posse, sed solo Ecclesiæ consensu.* (a) Hæc, inquam, etiam Galliæ Episcopi fatebantur, ut videre est ex illis, quæ in Conventu paucorum Episcoporum primus Commissarius Parisijs disseruit: & in alio pleniore Conventu, ubi Regaliæ, ejúsque extensioni subscriptum est. In epistola ad Romanum Pontificem data, hæc inter alia Episcopi habent: (b) *Existimavimus ad nostrum officium pertinere, aliquam inire rationem tollendi de medio gliscentis dissidij; nulla verò*

(a) Conventus Paris. Majo Anno 1681. habitus. Breve Innoc. XI. ad Episc. Galliæ circa fin. Regale Sacerdotium. fol. 32. Lettera ad un Vescovo dell'assemblea Generale del Clero di Francia. 10. Aug. 1681. fol. 5. (b) V. Breve Innoc. ad Episcopos Galliæ die 11. April. Anno 1682.

Gallia Vindicata GIII 23c

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

verò apparuit commodior utili condescensione canones temperandi; propterea nos jure nostro decedentes, illud in Regem transtulimus. Ubi apertè supponunt, Regaliæ extensionem canonibus prohiberi, eáque jura Episcoporum violari, quibus tamen cedere Episcopi velint, pacis inter Ecclesiam, Regémque conciliandi causâ. Hæc ipsa fuit, ut supra vidimus, omnium retrò Galliæ Episcoporum sententia, non tantùm, qui in Concilio Lugdunensi sedêre, quíque terminos Regaliæ statuerunt, audiente, nec obluctante Philippo Audaci, (qui nunquam id passus esset, si Regaliam sui juris credidisset) sed omnium aliorum, qui semper Parlamentis Regijs, cùm proferre hoc jus vellent, obstitêre, vicerúntque. (a) Ergo, ut diximus, substantiam Regaliæ quod attinet, Romæ Galliæque una sententia Episcoporum fuit, nisi quod isti Parlamento, Regíque cesserunt, sive is metus, sive obsequium fuit. Totum ergo certamen circa modum, formam procedendi scribendíque vertebatur, & quædam alia, quæ Vicarios Apamienses, & Sanctimoniales Caronenses spectabant; nam Galli, cùm acie victoriam desperarent, manipulos, & impedimenta carpebant.

Querebantur: *Romanum Pontificem nec vocato, nec audito Tholosano, Vicarios à Capitulo Apamiensi electos confirmâsse, & qui deinceps eligerentur, confirmaturum spopondisse: eundem dirus percussum non observatis formis, quæ hujusmodi pœnis præmiti in Gallia solent: ejusdem Tholosani jura in Ecclesiam Apamiensem aut diminuta, aut impedita, Vicarijs, quos elegerat, in ordinem redactis, alijsque, quæ decreverat, Romæ abolitis. In negotio quóque Sanctimonialium Caronæ Papam festinâsse sententiam omisso medio, nec Archiepiscopo præmonito: debuisse ex præscripto Concordatorum Judicem in partibus delegari, non Romæ sententiam finiri: sic etiam ejusdem Monasterij Matrem Romæ confirmatam esse, non Parisijs: imò Archiepiscopum ejus loci Ordinarium præteritum fuisse; ergo non regiâ viâ, sed per abrupta Romæ procedi. Sed & nimis pronas Pontificis aures esse excipiendis querelis: narratum Romæ, creditúmque Caronæ fractas Monasterij fores, & Antistitam armis, ac vi inductam; sed id vanissimum esse; id potiùs mirandum, Pontificem Romanum rebus maximis debitum minutijs detineri, ac rixis fœminarum onerari, tanto fastigio indignis; Confessarij has curas, non Pontificis esse.* Hæc Parisijs, & Tholosæ dicebantur, non quia vera,

(a) Clerus Gallicanus Parlamento Regaliam extendere volenti obsistit Anno 1577. & Anno 1583. & 1606. & 1608. & 1629. & 1655. V. M. de Pamiers à fol. 37.

vera, sed quia aulæ grata. Addebant aliqui: aliud esse Pontificis Personam, aliud Dignitatem; hanc omnis culpæ expertem, & supra omnem venerationem: illam naturæ humanæ conditionibus, & nebulis affici: ignorantiâ, affectibus, privatisque studijs rangi, & ideò sicut errori obnoxiam, ita nec semper oraculi loco esse. Sed facilis ad hæc omnia responsio. Archiepiscopum Tholosanum nec vocari, nec audiri oportuit, re aliàs clarâ, & quam ipse fatebatur. Constabat mortuum Episcopum Apamiensem, Capitulum intra octo dies convenisse, collatisque suffragijs Vicarium Ecclesiæ dedisse: constabat etiam alios Vicarios à Tholosano suffectos: nec minus certum erat, nullo jure id ei permissum, nisi Capitulo aut malitiâ, aut ignaviâ cessante, sed neutrum contigerat: quæ enim ignavia, cùm continuò elegerint? aut quæ malitia, cùm optimos? nec alterius culpæ à Tholosano postulabantur, quàm quòd aulæ, & Patronis Regaliæ displicerent. Cùm ergo omnia constarent, & ipse fateretur, quid vocari illum, audirique oportebat? & fortè nec vocatus responderet; nam & litteras à Pontifice acceptas nec responsô dignatus est; quid ergo interrogares non responsurum? dedecori parsum: præsertim cùm ejus calamo uteretur, qui objurgando Pontifici eloquentiam suam probabat; tanta illi modestia! Sed & Archiepiscopus Fortassinum, aliósque Vicarios suffecerat, nec vocato, nec audito Capitulo Apamiensi; quæ ergo verecundia fuit, velle Pontificem ijs legibus obstringere, quas ipse respuebat? Sed & illud fabulæ, & ludo propinquum: querebatur hoc Pontificis Decreto Ecclesiam Apamiensem Vicarijs destitui, qui Viduam gubernarent; & interim Vicarios à Capitulo legitimè electos persequebatur, movebátque officijs, imò morti addicebat, cunctantibus judicibus conscientiâ præpeditis. Cujus ergo culpa erat, Ecclesiam Vicarijs carere? Tholosani legitimè electos persequentis, an Papæ eosdem tutantis? Quòd verò Pontifex rescripserit, *Se, quos Capitulum eligeret, deinceps confirmaturum:* pari æquitate nitebatur; cur enim non posset promittere, quod poterat facere, imò quod tenebatur? Tholosano enim non tantùm electos non confirmante, sed etiam persequente, quis alius præter Pontificem confirmaret? nam si qui alij erant, Tholosano adhærebant in aula præpotenti: & si jus Ecclesiæ Apamiensi Vicarios

statuendi ad Tholosanum devolvebatur, Capitulo negligente; quantò magis jus confirmandi ad Pontificem redibat, Archiepiscopo, aliisque non solùm negligentibus, sed etiam odio iráque flagrantibus? Nihil ergo æquius fuit, quàm Pontificem Archiepiscopo, si non præferre, at saltem æquare, & jus devolutionis quod huic, etiam illi præstare, eo solùm discrimine, quòd Pontifex summo jure id peteret, Archiepiscopus nullo. Quod *de Archiepiscopo diru percusso* dicebatur, somnium erat, aut potiùs juris malè intellecti ignorantia; Pontifex enim non inflixerat censuras, sed tantùm intentaverat, nec præterita, sed futura memorabat: verba Brevis Apostolici sunt: *Districtè, & in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus, ne in posterum sub pœna excommunicationis, &c.* Quæ omnia excommunicationem significant comminatoriam, non verò actualem, aut latæ sententiæ: quis verò nescit alias esse cautelas, formásque adinferendam, & comminandam censuram? & veniam merentur aulæ potiùs, quàm Canonum intelligentes, si maluissent ignorata tacere, quàm edicere; sed festinatio declamandi, demerendíque Archiepiscopum attentationem turbabat. Illud æquè vanum: *Diminuta fuisse Archiepiscopi jura, & quæ ipse decreverat, Romæ abolita.* Nullum enim in Apamienses Archiepiscopo jus erat, nisi malitia, aut negligentia ostenderetur; sed neutra ostendi poterat; non ergo minuebantur, quæ nunquam fuerant: quæ verò contra Canones peracta, prius abolita sunt, quàm Romam devenissent; quippe suis initijs, & semper irrita: nec Pontifex Romanus abolere se illa dixerat, *sed appellationes admisisse.* (a) Et planè si quis animum in ea intendat, quæ Apamijs contigêre, moderationem potiùs in Romano Pontifice, quàm severitatem mirabitur; nec verò id novum est, ut ad Romanum Pontificem Galli appellaverint, sic enim S. Leo Papa ad Episcopos Provinciæ Viennensis loquitur: (b) *Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestra etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum antiqua consuetudo obtinebat) appellatione causarum aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.*

Quæ de festinata sententia, neglectóque ordine in negotio Carronensi dicuntur, eâdem facilitate refelli possunt: septem ferè

(a) Breve Apost. Calend. Jan. 1680. (b) S. Leo ad Episcopos Vienn. epist. 89.

ferè annos expectatum Romæ est, dum illi Monasterio, ab ijs, qui turbaverant, pax redderetur, & hæc festinatio dicitur? quot ergo annis expectandum erat, ut modesto nec citato gradu incedere Pontifex diceretur?

Sed *turbatus est ordo:* enimverò nunquam minùs: factum in aperto erat, & in conspectu Urbis Regiæ patratum: septem annos vexatio duraverat: nec lis inter privatos pendebat, sed ipsi Papæ intentabatur; hujus enim est sacras fundationes, & Regulas mutare, & Religiosos ad Monasteria transferre laxioris disciplinæ: ipsa Monasterij Antistita negotium in manus Pontificis deposuerat, à quo Bullas, & confirmationem expectabat premebátque: & denique Archiepiscopus Parisiensis tantùm abest, ut Matrem eligi pateretur, electámque confirmaret, ut potiùs electiones impediret, & extraneam intruderet. Ex quibus efficaciter concludas, non debuisse Pontificem Parisiensis Archiepiscopi, ejúsque asseclarum consensum, & sententiam expectare: tum quia frustra expectaret, cùm hi maximè obstreperent: tum quia in re tam patente sententiæ, & vota aliorum necessaria haud erant, quæ in dubijs tantùm adhibentur: tum quia ipsæ partes negotium jam Pontifici detulerant, à quo Bullas, & confirmationem petebant; cur ergo Pontifex ab aliorum sententijs penderet, causâ suo Tribunali jam oblatâ? & denique cùm negotium ex majoribus esset, nec posset nisi Pontificiâ auctoritate componi, nec partes id negarent, quæ Romam propterea inclamabant; quid opus erat aliena Tribunalia morari huic causæ longè imparia? non ergo Pontifex ordinem turbabat, sed Galliæ Episcopi, qui causas soli Pontifici reservatas, suis, Regijsque Tribunalibus sistebant. Quòd verò dicerent: *Parvi momenti has causas esse, & Pontifice indignas*; planè ostendebant, quàm malè animarum pretia æstimarent. Mutuis dissidijs, odijsque Virgines Carronenses deflagrabant, & ut fieri solet, orationi, disciplinæ, charitati, aliisque virtutibus Christiano, & Religioso dignis nullus locus supererat, sed omnia factionibus, partiúmque studijs fervebant, pari scandalo, & animarum clade: & hæc parvi momenti essent, & indigna, ut à Pontifice curarentur? si in Gallijs una urbs, aut castrum periclitaretur, quantus illic armorum strepitus, & turbæ essent, omnibus auxilium festinantibus? Et quòd in litteris nuper

Gallia Vindicata

nuper à Pontifice ad Regem scriptis duo trésve apices acriores viderentur, quantùm in aula, in Senatu, & ab Episcopis declamatum est? Veniam ergo Pontifici dabunt, si quantum illi castrum, & apices, tantùm ipse animas curet; nisi fortè inter libertates suas etiam illud reponant, ut videlicet animabus perire volentibus, non liceat Pontifici subvenire. Cæterùm si negotium Caronense tam parvi, ut dicunt, momenti fuit, cur ergo tam ardente, & tot annis Archiepiscopus Parisiensis illud persecutus est, Regémque implicuit? an verò puderet Pontificem defendere, quod illos non pudebat invadere?

Quòd verò *inter Personam Regnantis Pontificis, ejúsque Dignitatem distinguerent, & huic omnem venerationem, non illis promitterent, utpote erroribus, & naturæ defectibus obnoxiæ*; planè responsum haud meretur; omnes enim Regnantes hæc criminatio petit: an simili obtentu non etiam sui Regis imperia eluderent? imò quia Dignitas, & Persona conjunguntur, ob reverentiam Dignitatis etiam defectus Personæ ferendi sunt, & huic obsequium debetur illius merito; alioquin nulla amplius obediendi necessitas fuerit, si conditio naturæ Majestati, & Imperijs officiat. Non hæc sensa Carolo Magno, non hic animus fuit, cujus virtutes parciùs aliqui imitantur, quàm laudant; is enim in Legibus ad omnes Provincias suas missis ita loquitur: (a) *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra Rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Quæ ita à nobis dicuntur, ut locum habeant etiam, cùm vita Pontificis dignitati haud respondet; quid ergo dicendum erit, ubi Sanctitas vitæ dignitati sociatur? quòd in moderno Pontifice ne hæretici quidem diffitentur: non est animus mihi virtutes Innocentij in has chartas deponere, quippe impar materiæ, & modestiæ gravis futurus, ac silentio venerari, quàm clamore, & pompâ solitus: ipsa tantùm Gallia audiatur: *Hujus Pontificis solida pietas, & fuci expers: ardor dilatandæ fidei conservandæque disciplinæ Ecclesiasticæ: morum integritas: idem sibique similis gubernandi tenor, procul omni quæstu, & cupiditate, nec in carnem, ac sanguinem pronus, &c.* Hæc Galli

(a) Naucler. Generat. 28. Concil. Tribur. cap. 3. & habetur d. 19. cap. 3.

Galli humanissimo elogio. Si ergo tanta est moderni Pontificis Sanctitas, æquitásque, quantam vel ipsi Galli profitentur, quid opus erat inter dignitatem, & Personam distinguere, quasi ista non illam sustineret? Num ergo sanctus hic Pontifex, & incorruptus tunc solùm imperfectus esse incipit, cùm Gallos perstringit? Sed Innocentio à Gallis evenit, quod Paulo à Galatis: *Sicut Angelum DEI excepistis me: testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi; sed inimicus factus sum vobis vera dicens.*

§ V.

Rationes in Regaliæ patrocinium à Gallis productæ, & refutatæ.

SUMMARIA.

1. Jus Regaliæ non est Coronæ Gallicæ ingenitum, ut Politici volunt.

2. Falsóque supponi ad ea jura, quæ nec præscribi, nec alienari possint, pertinere.

3. Nihil Regaliæ suffragari Galliæ Concordata.

4. Nihil jura feudi.

5. Nec etiam jus Patronatûs.

6. Multóque minùs Beneficia à Regibus Galliæ in Episcopos, & Ecclesias collata.

I.

MEmoriâ repetentem, quæ ex una parte contra Regaliam ex Concilijs, & Ecclesiæ Gallicanæ, imò Regum ipsorum sensu, usúque à me suprà producta sunt; ex altera verò quanto studio, ac contentione in Gallijs pugnatum pro illa sit, admiratio subibit, quænam tandem ratio-

(a) Ad Galat. 4.

nes illæ fuerint, & quàm validæ, ut Concilijs, Patrum Decretis, antiquis Canonibus (quos Galli tam impensè venerantur, & suæ libertatis bases affirmant) & Ecclesiæ Gallicanæ opponi potuerint? quantæ enim molis erat, ut hunc Colossum à Gallis erectum, ipsi Galli everterent? Et tamen, quis crederet! tanti momenti curæque causam, tantóque strepitu, ac pœnarum apparatu agitatam leves adeò rationes muniebant, ut meritò dubites, fueritne his aliquando susceptæ acrioribus studijs, & minoribus meritis. Et planè cùm ipsi Episcopi Galliæ se Pontifici purgârunt, nullum aliud patrocinium, quàm à metu repererunt: cessimus, renuntiavimus, subscripsimus, non æquitate, non ratione, sed metu victi; adeò eorum causa omni præsidio carebat, ut metus in auxilium vocaretur. Qualescúnque ergo rationes illæ, aut prætexus fuerint Politicorum (nam Episcopi solum metum allegabant) hic in medium adducemus, ut aspectu vilescant.

Opponitur 1. Jus Regaliæ est jus Regium, hoc est, Regiæ potestati insertum, & coævum, nec tam hominum, aut Pontificum indulgentiâ, quàm cœlesti dono Galliæ datum, adeò ut quemadmodum nec radijs solem, nec coronam gemmis ei insertis, ita nec Reges Galliæ hoc jure exuere possis, Monarchiæ congenito; sicut ergo Regia potestas universas Provincias, non unam tantùm, aut alteram complectitur, ita jus Regaliæ ei potestati annexum.

℟. Hæc est præcipua Regiorum Demonstratio, quam Edictum Regium insinuat, (a) & Regij Advocati verbis magnificis, at rebus vacuis exaggerant: & planè nihil dici præstantius poterat, si vera essent; mirúmque est, his principijs nixos, Regaliam tantùm Regibus concessisse; nimis hoc parcè; pari enim jure, ijsdémque rationibus dicere poterant, Regem Galliæ, & Episcopum, & Patriarcham esse, privilegio cœlitus dato, & coronæ innexo, quamvis à majoribus nunquam exercito: sed nec minùs mirari subit, ausos esse rebus tam à vero alienis, fidémque superantibus, ac vanè confictis Regem ludificari. Si per jus Regium intelligunt facultatem aliquam, & privilegium Galliæ Regibus ab Ecclesia concessum, verum est, Regaliam jus Regium esse: at non sequitur, hoc

(a) Edictum Regium de Anno 1673. M. Servin. prevu. des Libertez. cha. 17. n. 59. Guilelm Bened. in cap. Raynut. n. 396.

hoc jus illimitatum esse, & toto Regno diffusum; cùm in Concilio Lugdunensi Ecclesia illud restrinxerit, & ijs solùm locis concesserit, ubi longâ consuetudine receptum fuerat; quo ergo jure, quod Ecclesia restringit, ipsi extendunt? Si verò per jus Regium, potestatem aliquam intelligas ab Ecclesia independentem, non privilegio, non indulgentiâ datam, sed Coronæ, & Imperio ingenitam, aliisque Regijs juribus similem, qualia sunt, belli, pacis, militiæ, vectigalium jura; negandum omnino est, Regaliam jus Regium esse; jus enim percipiendi vacantium Ecclesiarum fructus (saltem si feudales excipias, in Provincijs, ubi ex consuetudine post mortem Vasalli Domino debentur) & præsertim Beneficia, & Canonicatus conferendi, non ad Regiam, sed Ecclesiasticam Dignitatem pertinet, & ideò supra Canones, & concessionem Ecclesiæ extendi haud potest; quid enim magis ad Ecclesiam pertinet, quàm Ecclesiæ ministros deligere? ex istorum enim virtute, & præstantia non minùs Ecclesiæ disciplina, quàm ex militum delectu victoria pendet: nec minùs absurdum est dicere Regiæ potestatis officium esse, Sacerdotes, & ministros Ecclesiæ dare, quàm ad Ecclesiasticos pertinere, ut militem conscribant, duces præficiant, tentoria metentur, aciémque instruant; quòd si hoc absurdum, illud multò magis. Cùm verò dicunt, hoc privilegium Coronæ Gallicæ cælitus advenisse; miracula narrant nullibi scripta, & nunquam lecta: lego ampullam sacro balsamo plenam, & clypeum aureis lilijs sparsum, cælo demissa esse, Regaliæ nulla mentio, & si argumentari ita licet, quid non tandem Galli sibi vindicent obtentu cælestis privilegij? Sed ex ijs, quæ suprà diximus, vanitas hujus rationis evidenter convincitur; ostendi enim suprà, sub primi, & secundi stemmatis Regibus, nullum Regaliæ vestigium observari, imò neque sub primis Regibus tertij stemmatis, usque in sæculum ferè duodecimum, ut testimonio Gerberti (a) Archiepiscopi Rhemensis monstratum est. Quî ergo fieri potest, Regaliam Monarchiæ Gallicæ coævam, & ingenitam esse, quæ tanto post tempore, sexcentis videlicet annis à baptizato Clodovæo exorta est? Rursum jus istud Regaliæ non à solis Galliæ Regibus, sed etiam à Regibus Angliæ, aliisque inferioris lineæ Prin-

(a) Gerbert. epist. 118.

Principibus usurpatum est, videlicet: (a) Comitibus Britanniæ, Flandriæ, Andegaviæ, Campaniæ, Sabaudiæ, Tholosæ, Narbonæ, Ducibus etiam Nortmanniæ, Aquitaniæ aliisque. Non potuit ergo solius Monarchiæ Gallicæ privilegium esse, quod ad alios æquè Principes pertinebat; nec ostendi potest, cur istis minori jure, quam illi competeret; nam si Galli cæleste privilegium obtendant, obtendent & alij eodem, parique fundamento; hoc est, obtendent quidem, sed non ostendent. In Concilio Lugdunensi jus Regaliæ ijs tantùm locis, ubi usu inoleverat, permissum, alijs omnibus sublatum est: nec Galli, qui frequentes aderant, & præsertim Philippi Audacis Legati, quidquam obstitêre; non ergo credebant, jus istud Coronæ Gallicæ proprium, & innexum esse, alioquin non ferrent illud violari, restringique, aut saltem repugnarent, & aliquas rationes, ac privilegia opponerent, præsertim cœlo lapsa; quis enim credat, sexcentos annos, & in re tanti momenti, Galliam omnem cœcam, mutámque fuisse, & tot sæculorum decursu, ne unum quidem tantùm hoc privilegium scriptis, aut memoriæ commendâsse? A quibus ergo moderni illud accepêre, antiquitate silente? Et si jus istud Coronæ adnatum est, cur Gallicæ tantùm, non etiam Hispanicæ, Anglicæ, Lusitanæ, aliisque? jura enim Regia non uni tantùm Coronæ, sed omnibus communia sunt. Cur denique Jus istud Regium in tot alijs Galliæ Provincijs, quæ Coronæ subiacebant, nunquam exercitum acceptúmque? quod supra ostendimus. Ipse Philippus Pulcher, quamvis Regaliam Jus Regium appellaverit, aliquoties testatus est, eam universalem non esse, (b) sed ad aliquas tantùm Regni sui Ecclesias pertinere, ut supra vidimus. Ex quibus omnibus nemo non videt, primam illam, præcipuámque Regiorum rationem, & cui velut basi ingentem illum Colossum imponunt, planè frivolam esse, vanámque; ut mirum sit, imò indignum, tanto Regi decipiendo adhibitam esse. Quid diceres, si quis annulum à te peteret gemmâ insignem, & à majoribus tuis longo ordine acceptum, eúmque

(a) V. Matth. Paris. & Guilelm. Pis. ad ann. 1089. Zonar. T. 3. annal. Balsamon in can. 35. sextæ Synodi. Altesserram. lib. 3. de ducib. Gonzal. ad cap. 4. de Offi. Ord. Marcam lib. 8. cap. 18. & cap. 27. Balluc. ibid. in Annotat. M. de Pasmiers de la Regale fol. 22. (b) Philippus Pulcher in Edict. de Anno 1302. & 1303.

cúmque deberi ſibi vellet, nec alio titulo, quàm cœleſtis cujuſdam privilegij, quod nec probare poſſet, nec exhibere? Hoc Galli fecerunt.

II. Opponitur 2. Jus Regaliæ nec alienari à Regibus poteſt, nec ab alijs præſcribi; pertinet enim ad jura Coronæ, quibus renuntiare Reges non poſſunt, adeò ut ne juramenta valeant, quæ hujuſmodi alienationibus confirmandis adhibentur, ut Innocentius III. in celebri ſua Decretali (a) definivit; nullæ ergo Eccleſiæ aut privilegio, aut præſcriptione, quo minùs Regaliæ ſubjaceant, tueri ſe poſſunt.

℟. In hac argumentatione duæ propoſitiones aſſumuntur, quarum utraque falſa; ſaltem in eo ſenſu, quem Adverſarij intendunt, ut facilè intelligas, quàm vera ſit concluſio ex falſis principijs illata. Sunt aliqua jura Regiæ Dignitati adeò intima, & innexa, ut deponi non poſſint, niſi abdicatâ majeſtate; qui enim jure belli, & pacis, indicendi remittendíque tributi, gratias, & ſupplicia ſtatuendi cederet, non Rex, ſed ſubditus eſſet, nec ſuo, ſed alieno imperio viveret; & hujuſmodi jura non poſſe alienari ultrò concedimus: ſed negamus, Regaliam tale jus eſſe; quot enim Reges ſine hoc jure vivunt, integrâ tamen, & florente majeſtate? An Clodovæus, Pipinus, Carolus Magnus, aliíque uſque ad Ludovicum VII. Reges non erant, quia Regaliæ expertes? Non ergo Regalia ejus naturæ jus eſt, ſine quo conſervari majeſtas non poſſit. Sunt alia, quæ ad jus Regium pertinent, quæque in cauſas prophanas alienari non poſſunt, ſed in ſacras, & præſertim Eccleſias: quæ enim in Deum transferuntur, ejúſque divinæ Gloriæ propagandæ adhibentur, non alienari, ſed ei, cujus aliàs ſunt, reddi cenſentur: nec hujuſmodi donationibus Regna, & æraria minuuntur, implentur potiùs, Deo nunquam ingrato, & ſemper beneficijs vincente, quod exempla Conſtantini, Clodovæi, Caroli Magni, aliorúmque ſatis oſtendunt. (b) *Tuum Domine Regnum*, inquiebat pijſſimus David, *tua victoria, & tu es ſuper omnes Principes, tuæ divitiæ, & tua eſt gloria, & tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

Hæc ergo, quæ Eccleſijs, aliíſque pijs cauſis à Regibus donata ſunt, non poſſe revocari, certa ſententia eſt, & à Gallis admiſſa;

(a) Innoc. III. in cap. intellecto. de jurejur. (b) Paralip. lib. 1. cap. ult.

hi enim antiquos Canones venerari se profitentur, & illis libertatem suam Gallicanam, velut basibus imponunt: at Canones Concilij VIII. Oecumenici ita loquuntur: (a) *Placuit huic sanctæ, & magnæ Synodo, ut res, vel privilegia, quæ Dei Ecclesijs ex longa consuetudine pertinent, sive ab Imperatoribus, sive ab alijs DEI cultoribus, in scriptis, vel sine scriptis, donata, & ab eis per triginta annos possessa sunt, nequaquam quæcúnque Persona secularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat. Quisquis ergo secularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus judicetur, & donec se correxerit, & Ecclesiæ propria Privilegia restituerit, anathema sit.*

Idem suis Nepotibus S. Ludovicus in Pragmatica Sanctione accuratè, enixéque commendat, ejus verba sunt: (b) *Item libertatem, franchisias, immunitates, jura, & privilegia per Francorum Reges Prædecessores nostros, Ecclesijs, & Personis Ecclesiasticis Regni nostri concessas, & concessa, innovamus, laudamus, approbamus, & officiarijs, ac subditis nostris præsentibus, & futuris districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnia, & singula diligenter, & attentè servent, &c.*

Idem Sanctus Rex Philippo Audaci filio hæc monita reliquit jam moriturus: (c) *Cave*, inquit, *ne libertates, & Privilegia à Majoribus tuis in subditos collata unquam infringas, &c.* Et planè gloriosus ille *Christianissimi, & Primogeniti Ecclesiæ filij* titulus hoc ipsum convincit, obstringítque Reges Galliæ, privilegijs, aliísque juribus Ecclesias ne exuant, quin potiùs augeant, doténtque; ídque majorum exemplis, quibus nunquam magis victoriæ, opésque abundabant, quàm cùm in Ecclesias profusi erant; & verò hostes tanti Regis, non amici sunt, qui omnium, quotquot in Gallico diademate fulserunt, pulcherrimam margaritam fœdare aggrediuntur, Pietatem videlicet, ac Religionem Regibus Franciæ præcipuam: & perinde, ac si cum Indorum, Persarúmque, non Chistianissimo Rege agerent, omnia utilitate metiuntur, nulli Ecclesiæ, & honesti curâ. Ergo, ut dicebam, etiamsi daremus Regaliam ad jus Coronæ pertinere, non ideò sequeretur, non potuisse illam in Ecclesias privilegio transferri, & istis præscribi; præsertim cùm Reges Galliæ eâ die, quâ sacro Oleo inunguntur, incingúntque diadema, solemni Sacramento se obstringant Episcopis, & Ec-

(a) Concil. VIII. Oecum. can. 18. (b) Pragmat. Sanctio Ludov. IX. de Anno 1268. (c) Joinville in Vita.

& Ecclesijs *Canonica Privilegia conservandi*; at verò, quod Privilegium magis canonicum esse potest, quàm quod tot Canonibus, Decretísque Patrum, præsertim ultimo Lugdunensi Concilio, tam sanctè Ecclesijs assertum, & gravissimis pœnis sancitum est? Regem ergo Sacrilegum faciunt potentiæ obtentu. Cæterùm & illud in viris eruditis, quales sunt, qui Regaliam extendunt, mirum est in re tanti momenti, & Principis animam implicante, tam levi, vanóque argumento niti, ut quod probare oportebat, supponere cogantur: *Non potest*, inquiunt, *Rex jura Gallicæ Coronæ alienare, nec Ecclesiæ ea præscribere.*

Demus. *Atqui Regalia pertinet ad Jura Coronæ, & Reges eam alienâssent, si Ecclesijs cessissent.* Atqui in hac propositione omnia supponuntur, quæ probari debebant. Supponitis dari Jus Regaliæ in eas Ecclesias, quæ nunquam hoc onus subierunt; at hoc probandum erat, nam hîc certatur. Supponitis hoc Jus Regaliæ quoad eas Ecclesias, quæ hactenus exemptæ fuerant, à Regibus alienatum esse; at hoc quoque probandum erat, nihil enim magis negamus; quî enim poterat à Regibus alienari, quod Reges nunquam possederant? quod ad Reges nunquam spectavit? & Ecclesiæ quî poterant Jus illud præscribere, quo nunquam caruerant, & quo tanquam proprio, innatóque gaudebant? nemo enim rem suam præscribit. Supponunt ergo, quæ probari debebant, & tamen velut acie victores, servire Ecclesias jubent, eámque Libertatem Ecclesijs adimunt, quam ne vilissimo possent: idque facinus prædicant Christianissimo Rege, Ecclesiæque Primogenito dignum; quod quàm dissentiat ab illius pietate, nihil attinet dicere.

III. *Opponitur 3.* Per Concordata, seu Transactionem inter Leonem X. Pontificem Maximum, & Franciscum I. Galliæ Regem, Jus ad omnes Episcopatus, & Abbatias nominandi, præsentandique ad Reges translatum est, sublatis electionibus; ergo vi Concordatorum redijt antiqua potestas, quâ Reges primi, secundíque stemmatis omnia Beneficia, & pro arbitrio dispensabant, idque non aliquibus tantùm locis, sed toto Regno; atqui dispensatio Beneficiorum primum Regaliæ caput, præcipuúmque constituit.

℟. Hæc Ratio iterum ex falsis principijs contexitur; supponit enim primi secundíque stemmatis Reges omnia Beneficia contu-

lisse, electionibus oppressis. At falsum id esse, ex multis constat. Clodovæus Electiones Episcoporum nunquam turbavit. Idem à Constantino Magno observatum est, nisi cùm jam electos auctoritate suâ contra æmulorum insidias muniebat. Et planè cùm ex præscripto Conciliorum, sacrorúmque Canonum Gallicanæ Ecclesiæ tunc temporis regerentur, Canones verò eligi Episcopos juberent, dubium non est, non imperio Principum, sed votis, & electione fieri Episcopos debuisse. (a) At rarum est intra terminos, legésque magnam Potentiam diu cöerceri. Extincto Clodovæo non eadem sacris Canonibus observantia & reverentia stetit, & sæpe ab ejus filijs turbatæ, occupatæque electiones sunt, Episcopis ex castris, auláque submissis, nec merito, sed aut gratiâ, aut pretio delectis. Cui malo sæpe remedium à Concilijs Gallicanis quæsitum est, (b) decretúmque, ut liberæ electiones essent, nec tamen præter Regis assensum. Clotharius II. in Conventu Parisiensi edictum proposuit, quo ad normam sacrorum Canonum libertas electionibus dabatur. (c) Sed eas Principum cupiditas, præsertim Palatij Magistrorum, & denique Martelli penitus subvertit, adeò, ut publico mercatu, & velut sub hasta Infulæ venderentur, & indignissimis provenirent. Istos, quòd exemplo, & moribus Ecclesias corrumperent, Pipinus, & Carolomannus sedibus expulére, alijs ex consilio S. Bonifacij in Ecclesias evectis: quod ut tanto securiùs agerent, privilegio Zachariæ Pontificis, deligendi, quos mallent, donati sunt: hujus privilegij meminit (d) Lupus Ferrarienſis, Florus Magister, Marca Archiepiscopus Parisiensis, Maimburgus alijque, & innuunt etiam Joannes X. & Paschalis II. Carolus Magnus, aut libertatem electionibus reddidit, ut aliqui volunt; aut saltem non nisi Pontificum, seu Hadriani, seu Zachariæ privilegio Infulas dispensavit, quas potentiores certatim

(a) Cypr. epist. 68. Clem. epist. ad Corinth. 1. Orig. hom. 6. in Lev. Tertull. Apolog. cap. 39. Concil. Nicæn. cap. 4. Con. Chalced. cap. 13. S. Leo, epist. 84. cap. 5. (b) Conc. Aurel. V. can. 10. Anno 549. Conc. Par. III. can. 8. Anno 557. Conc. Paris. V. can. 1. Anno 715. Conc. Cabill. can. 10. Anno 650. V. de elect. Reg. Sacerd. à fol. 43. (c) Edict. Clotharij de anno 615. (b) Lup. Ferrar. epist. 81. Flor. in fragm. de elect. circa ann. 820. Marca lib. 8. cap. 20. Maimburg. histor. Iconocl. fol. 259. Joan. X. PP. epist. ad Herimann. anno 921. Paschal. II. apud Malmesb. lib. 5.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tatim rapiebant; idque non jure Regio, sed Pontificum gratiâ, quam temporum calamitas extorquebat. A Carolo sic factum esse, præter citatos auctores, etiam Galli fatentur. (a) Ludovicus Pius Caroli Filius Regio diplomate in antiquam libertatem, & præscriptam à Canonibus formam electiones restituit, ut habetur in ejus Capitularibus, (b) quæ Abbas Ansegisus, Hincmarus, & Jvo Carnotensis Carolo adscribunt; alij verò, & plerique, Ludovico; non ideò tamen, aut Ludovicus, aut alij ab eo Reges penitus ab electionibus excluſi; quippe Regum consensus quærebatur, & eorum, qui imperare poterant, preces pro votis, & electione erant, ut quàm plurimis exemplis constat, & litteris etiam à Concilio Parisiensi (c) ad Ludovicum datis. Quia ergo aut precum, aut Regij consensûs obtentu, aut etiam apertâ intrusione electiones canonicæ turbabantur, sæpe illis vindicandis Regum edicta repetita sunt, qualia imprimis Ludovici IX. & Caroli VI. (d) Tandem conventione Leonis X. & Francisci I. totum jus nominandi, abolitis electionibus, ad Reges translatum est. Ex hactenus dictis facilè intelliges, quantum aut ignorantiâ peccaverint, aut impostura, qui ausi sunt scribere, Reges Francorum primæ, secundæque Stirpis Episcopatus pro arbitrio, & jure Regio contulisse, & huic Juri, quo alij Reges per ignaviam decesserant, post Concordata Leonis redditos esse; quantâ enim injuriâ, contemptúque veritatis ista dicuntur, cùm exempla, legésque Clodovæi, Caroli, Ludovici, Clotharij, & Ecclesiæ Gallicanæ, quæ suprà produximus, ignorari haud possint, saltem non debeant; cur enim istarum rerum peritiam profitentur, libríque ostentant, si ignorant? aut quis pudor est, argumentis tam apertè vanis, irritísque Regaliam fulcire, & Principem deludere? Et cur, rogo, Pipinus, & Carolomannus Zachariæ privilegio instruendi erant, si Episcopatus Jure Regio conferebant?

Sed nec altera ejusdem Argumenti pars majori fundamento nititur: dicunt enim *concessis nominationibus ad omnes Regni Episcopatus,*

(a) V. Maimburg. lib. 10. de l'Arianisme fol. 155. Christian. Lup. in Canon. Tomo 3. dissert. 3 cap. 9. P. Thomasin. de la discipl. dell' Egl. p. 3. lib. 2. cap. 24. Regal. Sacerd. fol. 49. (b) Lib. 1. cap. 84. (c) Concil. Paris. V. lib. 3. cap. 22. (d) Pragmat. Sanctio S. Ludovici Anno 1268. & Carol. VI. Anno 1406. & Anno 1418.

quod per Concordata factum est, concessas etiam intelligi ad omnia Beneficia, & Canonicatus vacantium Ecclesiarum. At verò, quàm fœda hæc consequentia, & viribus cassa? Constat usque ad Reges tertiæ Stirpis nullum locum Regaliæ fuisse; quo tamen tempore volunt Reges pro arbitrio, supremóque jure Episcopatus contulisse. Constat etiam eo tempore Regaliam prodijsse, quo electiones reductæ, plenáque libertate, ex ipsorum confessione, qui hæc objectant, donatæ sunt: nulla ergo inter hæc duo jura connexio est, quæ toties separata sunt; quod si nulla connexio, quæ, rogo, simplicitas est, unum ex alio inferre? an nunquam in Juris-prudentiæ, & Dialecticæ scholis audierunt, à separatis non fieri bonam illationem? in odiosis (& quid verò magis, quàm servitus Ecclesijs imposita, & Canonum antiquatio?) restringendas, non ampliandas Leges? In Contractibus non expressa pro omissis haberi? & mille alia, quæ argumentationes istorum elidunt: an verò etiam post Concordata non omnium Galliæ Regum hæc ipsa mens fuit, & ipsius Francisci primi, qui nunquam Regaliam extendi permisere? nisi fortè ignorantiæ istos accuses, perinde, ac si Concordata, quæ ipsi inierant, malè intellexerint, & ab istis, qui tanto pòst tempore venerunt, nec aliâ re magis, quàm adulatione claris, imperandi artem didicerint.

IV. *Opponitur 4.* Demus, primis Ecclesiæ temporibus, quando Episcopi spontaneis oblationibus, sine alijs patrimonijs vivebant, nullum Regaliæ locum fuisse; at verò quando ingentibus patrimonijs, feudísque donati sunt, mutârunt conditionem; feudorum enim fructus, quæ hæreditate non acquiruntur, qualia sunt Sacerdotijs annexa, ad Dominum redeunt, eique, & nulli alteri, proveniunt. Jure ergo feudi vacantium Ecclesiarum fructibus Principes potiuntur. Quamvis verò alij etiam proventus, præter feuda, ad Episcopos pertineant, ut tamen Episcopatibus annectuntur, continuò nobiliorem habitum, feudíque naturam induunt; & ita extincto Antistite, ad Principes spectant. Collationes Beneficiorum, quia sacrorum Canonum dispositione fructibus æquantur, eandem fortunam cum feudis subeunt, ac Principi cedunt.

℟. Hoc Maimburgi argumentum est, in quo istius Auctoris indolem, & artificia jam passim nota facilè observes. Jus Regaliæ uni-

universim ad Reges Francorum pertinere docet; id verò ex Canonibus, sacrisque Concilijs, & usu in Ecclesijs recepto probandum erat; quippe Jus illud sacrum, non prophanum est; & ideò sacris, non prophanis legibus metiendum: sed cùm nullæ suppeterent, quin potiùs omnes adversarentur, eas altissimo silentio premit, præterítque, & ad argumentum à comparatione vertitur, quo nihil, in foro præsertim, debilius est, & maximè, cùm comparatio à valde dissimilibus ducitur, qualia sunt feudum, & Regalia, ut paulò post ostendam. Deinde cùm ne hoc quoque sufficeret, protegendæ Regaliæ aliud non minùs extraneum, remotúmque principium ex Philosophia conductum est, videlicet, de elevatione qualitatum; dicit enim: *Decimas, oblationes, aliósque proventus Episcopales, hoc ipso, quòd feudis conjunguntur Ecclesiæ donatis, elevari ad statum nobiliorem, & in naturam feudi migrare*; eo ferè modo, quo ex sententia Philosophorum qualitas sustantiæ conjuncta elevatur ad nobiliorem causæ gradum, producendámque substantiam: influentiæ cœlestes, ut conjunguntur Intelligentiæ, elevantur ad producendas formas viventes; quæ quàm sint inania, & longè petita, ac planè indigna, ut in causa tanti momenti vel audiantur, nemo non videt. Pergit deinde vera falsis miscere, ut etiam istis fidem conciliet, colore veritatis inducto. Verum est, quod scribit: postquam Ecclesiæ ingentibus divitijs auctæ sunt, Principes sibi jus adscripsisse Episcopatus conferendi; id inquam verum, sed illud falsum, quod paulò post innuit: *Ab omnibus Principibus factum id esse.* Jam enim ostendimus, sub primæ, & tertiæ stirpis Regibus Galliæ liberas electiones fuisse, & quamvis sæpe ab aliquibus Regum turbatæ, & interceptæ sint, aut privilegio, aut Ecclesiarum rogatu, aut usurpatione factum id est; à quibus deduci argumentum non potest; si enim exempla Regnantium pro jure, & legibus sint, quid tandem non liceat? Verum etiam est: *Jus Regaliæ à feudis ortum duxisse.* Sed illud falsum: *Jus infeudandi, seu Investituræ idem esse cum jure Regaliæ.* Jus enim Investituræ ad feuda solùm extenditur; at verò jus Regaliæ ad omnes omnino fructus, sive isti ex decimis, oblationibus, sive aliunde proveniant: imò Beneficiorum Collationes complectitur, quæ nullo pacto ad feuda pertinent; & ipsa feuda Sacerdotijs annexa non sunt personalia, nec morte Episcopi vacant, ut falsò

im-

imperitéque supponit; nec enim Episcopis, sed Ecclesijs donantur; istæ verò sunt perpetuæ, nec cum Personis defunguntur, & ideò nec vacationi locus est. Cùm ergo feuda Ecclesiæ non sint personalia, sed potiùs *expacto, & providentia*, ut loquuntur Jurisperiti, & assimilentur *feudus familiæ*, certum est, ex jure communi, eorum fructus ad Principes non redire sublatis Episcopis, quamvis novâ Investiturâ opus sit: nisi fortè in ipsa feudorum donatione aliter cautum fuerit. Illud verò quàm vanum est? Decimas videlicet, aliásque oblationes fidelium Ecclesijs donatas, *ad nobiliorem statum elevari, & feudi naturam induere, sicque ad Principes devolvi.* Egregiam enimverò Philosophiam! elevationis nomen indit servituti, & quæ hactenus totâ retrò antiquitate, & noto Patribus idiomate, *Bona Dei, pretium peccatorum, patrimonia pauperum vocabantur*, Maimburgo *bona nobilia* appellantur: & si quæras, in quo hæc nobilitas consistat? ut impunè, *inquit*, in Principum spolia, & peculium cedant; hactenus hæc mancipatûs nota, nunc nobilitatis est. Olim Canonum, legúmque sententia fuit: *Quod rei sacræ adhæret, sacrum fieri*: & ideò res fluxas, prophanásque Ecclesijs dicatas, in sacras evadere, omníque prophano commercio exemptas; sed Maimburgus hujus jurisprudentiæ aut negligens, aut ignarus, aliam complexus est, aulæ, sibíque accommodatam, & cupiditati blandientem, quamvis tam malè sartam tectámque, ut pudor fuerit ostentare. Sed adjungit Maimburgus solemnes modestiæ clausulas: *Hæc à se commemorari, non tam ex sua, quàm aliorum sententia; quid enim ipse opinetur, non tanti esse, ut vulgari oporteat.* (a) Cæterùm, si non hæc Maimburgi sensa, sed aliorum erant, oportuit aut illa reticere, aut etiam, quæ ad illa responderi solent, recitari; cur enim unius partis argumenta, non alterius promit, si in neutram inclinat? An nescit ex Principum legibus, crimen falsi, & prævaricationis etiam tacendo committi? ab historico præsertim, cujus partes sunt, veritati, non studijs, aut factionibus scribere. Ejusdem tincturæ est, quod dicit de Collationibus Beneficiorum: *Eas videlicet ad fructus pertinere.* Id enim in aliquo sensu verum est: in alio, & quem Maimburgus intendit, falsum. Si enim velit, Collationes Beneficiorum fructus esse Episcopalis potestatis, quia ab hac dependent,

(a) Maymburg. lib. 2. de la decadenze fol. 215.

pendent, & ex ista consequuntur, id verissimum est, & in hoc sensu Canones loquuntur, ut videre est apud Glossam (a) & Barbosam, (b) aliósque Doctores. (c) Cæterum ex fructibus hoc sensu acceptis nulla consequentia duci potest, quæ Regaliæ faveat: illi enim fructus à sacra, & Episcopali potestate proveniunt, & sunt in se ipsis jus aliquod sacrum, subjacéntque dispositioni sacrorum Canonum, non verò legum prophanarum: non ergo ad potestatem Regiam pertinere potest, nec Regijs Edictis induci, extendíque, quod eleganti, & plenâ libertatis voce S. Ambrosius Valentinianum Imperatorem monebat: *Noli*, inquiens, *te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ Divina sunt, imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, si vis diutius imperare: esto DEI subditus; scriptum est enim, quæ DEI, DEO, quæ Cæsaris, Cæsari: ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotes Ecclesiæ: publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum: si ex meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id, quod mei juris est, libenter offerrem; sed templo DEI nihil possum decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum accepi.* (d) Hæc est vera sanctorum Patrum, & antiqua jurisprudentia, quorum ego vel unam, liberámque vocem, & tamen charitatis, ac reverentiæ plenam, pluris æstimem omnibus illis blanditijs, & adulationibus, quas Maimburgo aut timor, aut cupiditas dictavit, & animus in omne obsequium devinctus, nullo honesti inhonestíque discrimine, ac servo, quàm Sacerdote dignior.

V. *Opponitur 5.* Rex Galliæ Patronus est omnium, quæ in Gallia sunt, Ecclesiarum, & Beneficiorum; atqui Patroni privilegium, & munus est, ut præsentet, nominétque ad Beneficia vacantia, ídque præcipuum Regaliæ caput est: quod si Regibus concedas, cur non etiam aliud, quod multo inferius est, jus videlicet percipiendi omnes vacantium Ecclesiarum fructus?

℟. Duobus modis Patronus dici aliquis potest: primo, quia Ecclesiam aliquam fundavit, dotavítque: secundo, quia unius, aut plurium Ecclesiarum Advocatus, & Defensor est, id enim præcipuè ad Reges spectat, ut Ecclesias auctoritate suâ muniant,

P pro-

(a) Gloss. in cap. cùm olim. de Major. & obed. (b) Barb. de Appellat. verb. 103. n. 21. (c) Rosa, Rebuff. (d) S. Ambros. epist. 33. & in orat. contra Maxentium.

Gallia Vindicata G III

protegántque ; sed neuter hic titulus fundandæ Regaliæ, multóque minùs totâ Galliâ, devictísque Provincijs proferendæ. Qui fundavit, dotavítque Ecclesias, jus quidem habet nominandi Pastores ; sed aliud est nominatio, aliud, quod obtentu Regaliæ usurpatur : nominatio, jus examinandi, instituendi, confirmandíque, Episcopis, Metropolitanis, aut Summo Pontifici relinquit, quorum nihil observatur in Beneficijs Regaliæ titulo obtentis; hæc enim pleno jure à Rege conferuntur, omnes Episcoporum, & Pontificis partes peragente. Deinde quàm multæ sunt Ecclesiæ, quæ à Regibus nec fundatæ, nec dotatæ sunt ; quo ergo jure etiam istæ Regaliæ subduntur ? An verò in Gallia solùm Patronos reperire est, & non etiam toto ferè orbe Catholico ? quis istorum tamen Regaliam ambivit, usurpavítque ? & mirum est, toto quatuor sæculorum decursu, omnibus retrò Galliæ Regibus, totíque Concilio Lugdunensi, & Gallicanæ Ecclesiæ jus istud ignotum, imò exosum, proscriptúmque fuisse: cùm tamen abundarent, qui Ecclesias fundabant, dotabántque, & Patroni titulum merebantur. Planè si Regalia titulo Patroni nitatur, non solùm defuncto, sed etiam vivente Episcopo omnes Canonicatus, & alia Ecclesiæ Beneficia conferri à Patronis possent, quod ne ab ipsis quidem conceditur, qui Regaliam maximè tuentur. Denique Canones omnes antiqui, recentésque pervolvantur, (a) & nunquam Patronis concessum fuisse reperies, ut vendicare sibi possent proventus Ecclesiæ, imò id illis enixè prohibitum. Quòd ergo Patroni Ecclesias aut fundaverint, aut dote instruxerint, nihil eos juvat, ut Regaliâ frui possint. Sed nec titulus Protectoris, Advocatíque. Verum est nihil magis, quàm Ecclesiarum curam, & tutelam Regibus deberi ; in illis enim pro eorum salute, & felicitate preces, & vota deponuntur : & magis apud aras, quàm in ipsis castris victoriæ parantur, Deo precibus, non armis placato ; quod egregiè Patres Concilij Parisiensis adnotârunt, quorum inter alia hæc sunt verba : (b) *Clementissimus Imperator,* (Ludovicum Pium alloquuntur) *non ideò est tua misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni Principatûs accepit ; sed si in Imperiali culmine rectâ fide vivat : si præ omnibus ita se sanctæ Matris Ecclesiæ memo-*

(a) V. Can. filijs 16. q. 7. & c. 4. de jure Patron. & Trid. Sess. 25. de Reform. c. 9.
(b) Conc. Parisiens. sub Ludov. Pio. Imperat. l. 2. c. 1. & 2. Tom. 3. Conc. ann. 829.

meminerit filium, ut ejus paci, & tranquillitati per totum mundum prodesse, sudm faciat Principatum; magis enim Christianum regitur, atque propagatur Imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cum in parte quacúnque terrarum pro temporali securitate pugnatur; Principes enim sæculi potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas sua imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per Regnum terrenum cœleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur. Cognoscant Principes sæculi, debere Deo rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt; nam sive augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati Ecclesiam credidit. Reges ergo Ecclesiárum Patroni, & Potectores sunt, at non ideò vendicare sibi Regaliam possunt; hæc enim protectioni potiùs, & tutelæ repugnat; Ecclesias enim suis fructibus, & juribus, quæ in vacantia Beneficia habet, exuere, & Regijs thesauris inferre, non tueri, sed prædari est, nec protegere, sed vastare; quod tamen à Regum pietate, & intentione, si veritatem doceantur, alienissimum est: & ideò tot Canonum Regúmque Edictis, & omnium ferè Galliæ Juris-Consultorum, Regijque Parlamenti votis Regalia damnata est, aut saltem intra certos terminos cohibita, ut suprà ostendimus; quamvis haud ignorarent Protectores, seu Patronos Ecclesiarum Reges esse. Quòd si quæras, quo igitur stipendio, aut mercede Reges Galliæ Ecclesias tueantur, si expertes Regaliæ sint?

Respondebo, indignum esse de stipendio, & mercede cum Regibus loqui; hæc enim servorum præmia, non Principum sunt; an parùm lucri est Deum habere debitorem, & victorias, ac triumphos mercedis loco esse, & fortunam in obsequium accinctam? hoc stipendio Constantini, Theodosij, Clodovæi, alijque Ecclesijs militârunt; quanquam nec ingratas Ecclesias fuisse satis decimæ loquuntur, aliæque Cleri Gallicani ingentes largitiones.

VI. *Opponitur 6.* Qui Ecclesias, aut fundârunt, aut dotârunt, jure præsentandi gaudent; (a) quantò magis Reges hoc ipso jure, totóque Regno gaudebunt, qui Ecclesijs multò majora Beneficia

(a) Russæus 1. p. præfat. n. 7.

contulerunt? Præsertim quia Rex etiam illarum Ecclesiarum proventu, in quibus longo usu, & Concilij privilegio, omniúmque consensu Regaliâ potitur, in pia opera, augmentúmque Ecclesiæ profundit, quos tamen ærarijs suis inferre posset; ergo hæc ipsa Regum moderatio, & liberalitas privilegium Regaliæ meretur; alioquin etiam Princeps liberalitati suæ modum, finémque imponet, quod majori damno Ecclesijs fuerit, quàm si Regaliam totâ Galliâ extendas.

R. Patronis jus præsentandi privilegio Ecclesiæ concessum est: jus verò Regaliæ non solùm ab Ecclesia concessum nunquàm est, sed semper, gravitérque prohibitum, præsertim in ultimo Lugdunensi Concilio, cujus hac in re Decreta, Regaliam extendere prohibentis, omnium Galliæ Regum, Parlamentorum, & Ecclesiæ Gallicanæ reverentiâ, ac quadringentorum annorum lapsu sancita sunt: quæ ergo Philosophia est, à concessis ad inconcessa, à privilegijs ad prohibita argumentari? Et quia Regibus aliqua concessa sunt, velle etiam, ut ijs liceant, quæ vetita, & negata sunt? Præsertim cùm jus præsentandi multùm à Jure Regaliæ differat, ut suprà observatum est. Quòd verò additur, Regem proventus ex Regalia quæsitos in pia opera largiri, laudem quidem meretur, éstque Regiæ pietatis argumentum, nec tamen purgandæ Regaliæ satis est; nam *primò* alij etiam Francorum Reges hujusmodi proventus pijs operibus addixere, nec tamen ausi sunt ultra terminos à Concilio præscriptos Regaliam extendere, quod maximè patuit in Diplomate, & Declaratione (a) Ludovici XIII. Patris Ludovici regnantis; cur ergo prohibent Parentis sui, & Avorum exemplis filium inhærere? quæ aut damnare oportet, id verò impium sit, aut imitari. *Secundò* facienda non sunt mala, ut eveniant bona; non ergo libertas, immunitas, & disciplina Ecclesiæ tot Canonibus sancita, evertenda fuit, ut Neophytis subveniretur: an verò tam inopes, exhaustíque Reges Galliæ sunt, ut Beneficia non habeant, nisi Ecclesiarum spolijs, & damnis quæsita? id procul ab eorum potentia, & Majestate; nam & in privatos vindicarent, qui, ut paucos tegerent, centum spoliâssent: & planè æquius esset aliqua pietatis opera omitti, præsertim nullis legibus præcepta,

(a) Declaratio Ludov. XIII. de Anno 1641.

cepta, quàm cum peccato exercere majori culpâ, quàm præmio, quod in simili causa Alexander Papa Henricum Angliæ Regem monebat: *Si*, inquiens, *universa, quæ in usus tuos per hujusmodi angarias de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel alijs operibus pietatis expenderes, obsequium non magis DEO gratum efficeres, quàm si altari quolibet discooperto aliud cooperires: aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum à mortis periculo liberares. Recolere siquidem debes, qualiter Rex Saul devicto Amalech prædam contra Divinum præceptum reservare volebat, cùm se ad excusationem sui hæc ad sacrificandum reservare proponeret, à Domino fuit reprobatus, & alius eo vivo in dignitatem, & potestatem Regiam subrogatus, &c.* (a)

Cum ergo dicitur, proventus Regaliæ in pia opera expendi, priùs quærendum est, an Regaliam justo titulo possideant; nam si injusto (ut de Ecclesijs, ad quas recèns extensa est, hactenus monstravimus) frustra sibi de pijs operibus blandiuntur, quæ si ex alieno fiant, ne titulum quidem pij operis merentur. Et quid dicent de Collationibus Beneficiorum? quo istæ pio opere compensantur? imò Simoniam redolet, si jus tam sacrum, sacræque dignitati annexum, ob aliquas in pios usus largitiones ab Episcopis in Laicos transferatur. Accedit, quòd Regaliâ semel Principi vendicatâ, ejúsque arbitrio subditâ, quæ jam in pios usus, paulò pòst in prophanos expendentur; quis enim pollicetur, omnibus futuris Regibus eandem pietatem, & moderationem fore? nec enim eadem virtutis, & abusuum natura est: illa paucorum, & ideò brevis: abusus multorum sunt, & ideò in longum grassantur, & retinentur.

§ VI.

Aliæ Rationes in patrocinium Regaliæ à Gallis productæ.

SUMMARIA.

1. An Reges Galliæ inter sacras Personas reputari debeant, & ideò Regaliæ capaces?

(a) Alexand. III. ad Henric. Angliæ Regem.

Gallia Vindicata G III 23

2. Causam Regaliæ in Parlamentis sæpius agitatam fuisse, quo jure, quóve eventu?

3. Episcoporum consensum, aut spe, aut metu expressum nihil Regijs favere.

4. Multóque minus eorundem Episcoporum subscriptionem.

I.

Opponitur 7. Reges Galliæ non sunt inter Personas merè Laicas censendi; nam & sacro cælestíque oleo perunguntur, & morbos quosdam solo attactu medentur, & Lilia insignium loco ab Angelis accepére, & denique multis in locis Canonicorum officio perfuncti sunt, & habitum gestárunt. (a) Si ergo tot titulis sacri sunt, quid obstat, ut sacrorum jurium capaces sint, & Beneficia jure Regio conferre, fructúsque vacantium Ecclesiarum occupare possint? nam & olim apud Romanos Græcósque, ac etiam Judæos Dignitas Regia, & Sacerdotalis miscebantur.

R. In hoc, & similibus argumentis vix aliquid reperias responso dignum; nec aliud magis probant, quàm pessimam esse causam, quam tuentur; quippe tam vanis rationibus nixam, & quas pudor sit, tot Canonibus, Concilijs, & quatuor sæculorum exemplis opponere. Si, quæ in medium adducunt, Reges Galliæ sacris Personis adscribendos esse probarent, mirum est, si non Episcopum illum, & Pontificem faciunt. Num omnes retrò Reges ijsdem prærogativis non gaudebant, quas illic enumerant; & tamen quis eorum se laicis exemit, sacrisque Personis adscripsit, & Regaliam toto Regno extendit? nec enim oleum, aut lilia cœlo missa Sacerdotem, & Clericum faciunt, sed per ministros Ecclesiæ legitima solemnisque inauguratio. Apud Romanos Græcósque Idolorum cultores, ubi omnia prophana, & pro aris lupanaria, sacrilegia pro sacris erant, mirum non est, eosdem Reges, & Sacerdotes fuisse; quod enim absurdum, eos, qui latrones, meretrices, parrici-

(a) V. Limn. ad capit. Caroli a. 30. n. 62.

parricidáſque pro Dijs habebant, etiam Reges pro Sacerdotibus habuiſſe? In Judæorum Republica certum eſt, alia Sacerdotum, alia Regum munia partéſque fuiſſe; quis enim neſcit Oziæ Regis, quòd Sacerdotum munus occupâſſet, inflictas à Deo pœnas? & ideò Joſaphatus Rex ſacri prophaníque Magiſtratûs officia diſtinguens: (a) *Azarias*, inquiebat, *Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zebadhias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad officium Regis pertinent.*

Ubi vides, utriúſque Dignitatis officia, Sacræ Regiæque diſtingui; nam quòd Salomon Abiatharem Majeſtatis, & mortis reum exilio multaverit, & Pontificatu amoverit, id non ut Rex, ſed ut Propheta, & ſententiæ Divinæ jam olim in Heli pronuntiatæ executor fuit, quod ijs verbis, quæ mox ſubduntur, ſignificatum videtur: *Ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.* (b) Adde modum, formámque Iſraeliticæ Reipublicæ gubernandæ, etiam in ijs, quæ cultum templi externum ſpectabant, ceremonialem fuiſſe, unáque expirâſſe cum Lege Moſaica; & ideò nec extendi poſſe ad ſtatum Legis Evangelicæ. Sed ut videas, quàm imbecillum ſit hoc argumentum, & quàm multis partibus laboret, demus omnia, quæ aſſumit, adhuc nihil concludet. Quamvis enim Laicis Perſonis Regem Francorum eximas, & coronæ tiaram jungas, non ideò jus illi, & poteſtas erit Regaliæ dilatandæ; quod enim ab univerſali Concilio, omniúmque retrò Principum, & quatuor ſæculorum obſervantia ſancitum eſt, ne ab Epiſcopis quidem refigi poteſt: imò ſi propoſitiones Conventûs Pariſienſis audias, ne à Pontifice quidem; quantò minùs à Rege? nihil ergo agunt tot facibus rationum malè compactis, quàm ut oſtendant, ſe velle quidem, conaríque Regaliam fulcire, ſed non poſſe, malâ causâ ingenium vincente.

II. *Opponitur 8.* Cauſa Regaliæ jam aliquoties in Parlamentis, Regióque Senatu agitata, & cognita eſt, præſertim anno 1608. in Parlamento Pariſienſi, Henrico magno imperante, in quo Regaliam toto Regno extendendam eſſe, deciſum eſt. Secutæ ſunt aliæ Regij Conſilij (c) ſententiæ, quibus omnes Archiepiſcopi, Prælatique

(a) Paralip. 2. cap. 19. (b) Regum 3. cap. 2. (c) Sententiæ Regij Senatûs Anno 1637. & 1638. & 1639. & 1651, & 1653. & 1654. & 1673.

latíque Provinciarum Septimaniæ, Provinciæ, Delphinatûs, aliíque jubebantur intra sex mensium spatia titulos, causásque prætensæ libertatis, & exemptionis offerre; & Episcopi acquievere productis libertatis suæ titulis, instructísque Procuratoribus, qui coram Regio Senatu causam Ecclesiarum agerent, & si possent, Regaliam excuterent. Pependítque ea lis triginta sex annos, ab anno videlicet 1637. úsque in annum 1673. mutuo Cleri, Regísque conflictu: donec eo, quo dictum est, anno, in Regio Senatu, & posteà ab ipso Rege pronuntiatum est, ad omnes Regni Ecclesias Regaliam pertinere. (a) Cùm ergo Henricus IV. hanc causam ad Regium Consilium avocaverit, ibique tot annis discussa, & definita fuerit, Episcopis Galliæ, quorum intererat, avocationi non solùm non obluctantibus, sed etiam tot annorum decursu, Judices agnoscentibus, suásque rationes, ac titulos, quibus muniri credebant, allegantibus. Quid jam queruntur, disputántque causâ tam lentè discussâ, & tandem finitâ? num tempus defuit tot annis ductum? num Judicem incusant, toties agnitum, & nunquam repulsum? num inauditi, indictáque causâ damnati, quam in tot Conventibus, repetitis vicibus dixere? num denique ad legitimum Judicem, justámque sententiam aliquid defuit, quam tot annis expectárunt, & nunc modò incusant, cùm causâ ceciderunt, sero, & intempestivo dolore?

¶. Constat ex ijs, quæ dicta superiùs sunt post Concilium Lugdunense Regaliam trecentos, & ultrà annos, ijs tantùm locis exercitam esse, quæ huic oneri à longo tempore assueverant, reliquis naturali, & canonicâ libertate fruentibus, quod etiam Ecclesia Gallicana in ultimis Comitijs, & litteris ad Innocentium Papam, ipsíque Reges, & Parlamenta Galliæ professa sunt: nec Adversarij diffitentur; quibus cùm ista objicias, id solùm respondent: *Non potuisse eorum negligentiâ Coronæ, & Regum Jura deleri, præscribíque, nec Reges exemplis ligari.* Primùm ergo ab anno 1583. Henrico III. Galliam moderante Ecclesiarum libertas pulsari cœpta, Regio Advocato Regaliam extendere aggresso, qui tamen repulsus est, & silere coactus. Ab eo tempore verum est, perpetuam ferè pugnam Ecclesiæ

(a) Arrestum Regij Consilij Anno 1673. & ei conformis, ac duplex Regis Declaratio Anno 1673.

cleſiæ cum Regijs fuiſſe, illâ ſemper victrice; quanquam non Regum, ſed miniſtrorum importunitas fuit, quæſtum, & gratiam ex lite captantium. Et verò qui iſtarum rerum notitiam aliquam habet, fateri cogetur, à Regijs miniſtris varijs artibus certatum eſſe, ut Clero imponerent, falleréntque incautos. Nam *primò* Regi perſuaſere, Jus Regaliæ proprium innatúmque Coronæ eſſe, & ideò nec alienari à Regibus, nec à Clero præſcribi potuiſſe: unde Regaliam ad totum Regnum pertinere deducebant; quæ à veritate quàm ſint aliena, & captionis plena, jam ſuprà oſtenſum eſt, nec tamen Epiſcopis communicabantur, ut refelli poſſent, contenti intra Principis aures latere, tanto tutiùs nocitura, quòd occulta.

Secundò. Epiſcopi omnes, nullóque diſcrimine citati ſunt, ut rationes, titulóſque ſuæ libertatis proferrent; quod omnino captioſum fuit, & dolo factum; qui etenim privilegio, aut contractu oneroſo libertatem adepti erant, meritò titulum petebantur; ſecus qui naturali, & canonicâ libertate, ac quatuor, & plurium ſæculorum poſſeſſione, non privilegio, nec contractu tuti erant; ab his enim titulus peti non poterat, cùm nullus major, notiórque tot ſæculorum, & pacatâ poſſeſſione: & tamen, ut dixi, dum omnes, nullóque diſcrimine vocantur, factum eſt, ut etiam illi compărerent, litémque ſubirent, qui extra omnem aleam, litémque erant, clamantibus interim Regijs, qui pedicas ſparſerant, agnoviſſe illos Judicem, forúmque Regium, & ita causâ dictâ, agnitáque damnatos eſſe.

Tertiò. Sed & illud novum, inſolénſque, ac planè iniquum, quòd cogerent Epiſcopos cauſas titulóſque ſuæ libertatis producere: quis enim neſcit, probationes non ad Reum, ſed Actorem pertinere? & poſſeſſionem tot annorum, ac juri, & libertati Eccleſiaſticæ, omniúmque retrò Regum Edictis conformem omni titulo majorem eſſe? non ergo Eccleſijs probandum erat, cur eſſent liberæ, ſed Regijs, cur vellent in ſervitutem rapere; & ita ſemper in Gallijs more receptum fuerat, ut ſuprà oſtendi; iniquum ergo fuit, omníque juri contrarium, quòd onus probandi Regi debitum in Epiſcopos transferrent.

Quartò. Nec minùs novum, quòd diem dicerent, & forum ſtatuerent, citaréntque Epiſcopos, ubi nulla lis, nullum dubium

esse poterat: at verò an Regalia toto Regno extendi deberet, controverti amplius, nec in litem deduci potuit, causâ in Generali quingentorum Episcoporum Concilio, & Rege Philippo, totáque Galliâ approbante, jam dudum decisâ, finitáque, cui Henrici IV. & Ludovici XIII. sententiæ, & usus quatuor sæculorum accesserat; quæ, rogo, causa dici debuit finita, si hæc non debuit? Et quem in finem iterum liti pugnæque subdebatur, cùm nec meliùs probari, nec clariùs decidi posset, quàm jam probata, & decisa fuerat? ut omnino appareat, non fuisse Episcoporum mentem, cùm se Regijs ministris sistebant, causámque Ecclesiæ tuebantur, novam litem ingredi, (id enim non poterant, nisi ministros Regios ipsis Regibus, totíque Generali Concilio præponerent) sed solùm conscientias eorum instruere, & veritatis admonere, qui pacem turbabant, & obtentu Regaliæ, ac chirographi à Rege extorti, pacificos Beneficiorum possessores impetebant. Non ergo Episcopis Galliæ judicium subire, sed vexationes redimere, quas patiebantur, animus erat, productâ veritate; quod sine judicio fieri posse, quis non videt? Et ideò Syndicus (a) Provinciæ Narbonensis protestatus est: *Se titulos producturum, quibus suarum Ecclesiarum libertatem muniri credebat; nolle tamen, ut is actus juri, & exemptioni Ecclesiarum fraudi, aut damno esset.* Eodem ferè modo, similique protestatione usi sunt Episcopi, dum anno MDCL. Regi supplicârunt, ut Ecclesias libertati, & possessioni suæ, quâ tot annis fruebantur, relinqueret. Nec exempla desunt, non solùm Episcoporum, sed etiam Summorum Pontificum, qui innocentiæ suæ, bonæque causæ certi, coram prophano tribunali causam dixere, non quòd judicem illic agnoscerent, sed ut innocentiam suam purgarent, ejúsque testes etiam hostes haberent: & historia Ecclesiastica exemplis abundat, & Gratianus aliqua notat. (b) Sed demus judices Regios ab Episcopis agnitos, eorúmque sententiæ libertatem Ecclesiarum submissam esse; quid inde consequitur? num jure id egerant? num poterant Ecclesiæ suæ privilegijs, quæ in tutelam, & depositum acceperant, præjudicium inferre? & quibus ne fundi quidem alienandi potestas erat, possent alienare libertatem, quâ nihil præstantius, & majus est? aut forsan eorum arbitrio stabat, ut Concilij universalis

(a) Anno 1639. (b) V. S. Greg. l. 9. epist. 39. Gratian. 2. q. 7. Regal. Sacerdot. f. 358

salis Canones, tot pœnis armatos, omniúmque consensu receptos, & Gallorum sententiâ Romano etiam Pontifici inviolabiles, ipsi violarent, aut violandos alijs permitterent?

Quod si, ut ipsi dicunt, jura Coronæ, & Regiæ Dignitati annexa, nec alienari in Ecclesias, nec præscribi possunt; & ideò omnium retrò Galliæ Regum oblitterari exempla, & edicta volunt, quibus Regaliam restringebant; quanto majori jure, & eorum pace dixerim, nullis Episcoporum votis, nullâque conniventiâ, privilegia Ecclesiarum, & libertatem alienari in Laicos, præscribique potuisse, & ideò frustra exempla, & conniventiam eorum allegari, quibus nec potestas alienandi, nec voluntas fuit: & quo jure ipsi Galliæ Regum, ego Galliæ Episcoporum exempla damno; imò multo majori; nam quæ ipsi in Regibus damnant, juxta Canones: quæ ego in Episcopis, contra Canones fuere.

Quanquam si verum fateri volumus, nunquam Episcopi Regijs ministris, eorúmque sententijs, extensionem Regaliæ quod attinet, detulere; nam Parlamentum Parisiense pro adversario potiùs, & libertatis suæ invasore, quàm pro judice habuerunt, ab eóque decreta non ut sententias amplexi, sed ut injurias, injustósque conatus aversati sunt: præsertim Arrestum anni MDCVIII. quo Henrici magni Edictum abolebant; & planè nihil dici, viderique potuit eo Arresto absurdius, magisque alienum ab omni æquitate, & reverentia Regi suo debita; præterquam enim, quòd sententiam ferebant sacris Canonibus, Regnique legibus adversam, (quæ, ut vidimus, Regaliam extendi vetabant, & onus probandi Regi, non Ecclesijs imponebant) illud, rogo, quale fuit, ut Edictum à Rege sancitum, & in Parlamento agnitum probatúmque, ipsi posteà refigerent, delerentque, Majestatis, & reverentiæ oblíti, perinde, ac si auctoritas illis supra Regem esset, eorúmque arbitrio staret, ut, quod is statuerat, ipsi everterent: & tamen, qui contra Regaliam nuper pronuntiârunt, eo præsertim Arresto, tot capitibus irrito, nituntur; dicunt enim nihil se novi moliri, sed antiquis tantùm documentis, exemplisque insistere: & si quæras, quænam ea documenta, & exempla sint? Arrestum illud inculcant, quo, ut dixi, nullum unquam infirmius fuit, magisque in omnes regulas, & æquitatis, & reverentiæ offendit; & ideò neque

aliud magis ab Episcopis impetitum contemptúmque. Ministris ergo, & Officialibus Parlamenti nunquam in hac causa tanquam legitimis judicibus delatum est. Verum est, ad Regem, Regiúmque Consilium delatas à Clero querelas esse, non quòd in hac causa judicem agnoscerent; nec enim aut Regi, aut Episcopis in mentem venit, ut crederent sententiam in Concilio universali jam latam, mutari à Regibus, aut aboleri posse, nec totâ retrò antiquitate exemplum occurret; sed ut ejus auctoritate Parlamenti conatus sisterentur, quod ab Episcopis sæpius posteà repetitum, quoties videlicet à Regijs infestabantur, patétque ex eorum Conventibus diversis annis celebratis, (a) quibus contra Regios acerbissimè conclamatum (tantum abest, ut judices agnoscerentur) & de medijs actum, eorum molestias, conatúsque eludendi: & præsertim Anno MDCLXX. quando Episcopi Alectensis litteræ, quibus rationes pro Ecclesiarum libertate continebantur, in Conventum allatæ, omniúmque approbatione, plausúque acceptæ sunt, & rogatus Parisiensis Archiepiscopus, ut Episcoporum querelas, petentium, ne Arrestum, & Declaratio in favorem Regaliæ edita executioni daretur, in sinum Regis deponeret; quod facturum se promisit, sed incertum, an præstiterit.

Falsum ergo est, quod dicitur, acquievisse Episcopos Parlamenti sententiæ, & Regiæ Declarationi. Sed acquieverint; an verò ignorant, postquam experientia docuit, etiam tribunalia insidijs, & errori patere, multa remedia, quibus sententiæ corrigerentur, prodita esse? *Revisionis*, videlicet, *Restitutionis in integrum*, (quæ exemplo minorum Ecclesijs datur) & præsertim *melioris informationis*, quæ uti plurimum æquitatis juxtà, & reverentiæ habet, ita minimùm Majestatem Principis lædit. Quod si licuit ministris Regijs, tot Regum Edictis, ac repetitis sententijs, & quadringentorum annorum morâ usúque repulsis, imò omnium Galliæ Juris-Consultorum, in litem redire, & petere toties negata; cur, rogo, id Episcopis non liceat, vitióque vertatur, qui non aliena, sed sua petunt: nec Canonibus prohibita, sed concessa, causámque fovent tot partibus æquiorem? Aut quæ modestia est, eos silentium imperare, qui nullum dicendi finem faciunt, toties tacere jussi?

Quintò.

(a) Conventus Generales Cleri Gallicani Annis 1650. & 1655. & 1670.

Quintò. Liquet etiam ex dictis falsissimum esse illud principium, & captionis plenum, quod semper inculcant, videlicet: *Causam Regalia non alibi, quàm in Parlamentis agitatam esse, nunquam verò in foro Ecclesiastico.* Si velint, cùm inter eos, qui ab Ordinario, & qui à Rege obtentu Regaliæ Beneficia acceperunt, lis oritur, hujus cognitionem ad Parlamenta spectare, haud equidem contenderim; hactenus enim id more receptum est, & Ecclesia toleravit: at verò, cùm non inter particulares lis vertitur, sed de ipsa Regalia, ejúsque extensione certamen est, & quæritur, an ea ad Jus Coronæ pertineat, an Regiæ Dignitati innexa, & ab Ecclesiæ consensu nullo modo dependeat, & ita pro arbitrio Regnantium toti Regno inferri possit, & Parlamento Parisiensi Universalis Concilij Canones subdantur; hæc, inquam, nego ad cognitionem Parlamenti spectare posse; negabuntque omnes, quotquot inter sacram Dignitatem prophanamque distinguunt, & unam alteri non miscent; nec argumentis hic opus est, aut longis discursibus, cùm vel primo intuitu istarum propositionum absurditas pateat, videlicet: *Jus Beneficia Ecclesiastica conferendi, percipiendíque fructus vacantium Ecclesiarum, & Canones laxandi ab Universali Concilio conditos, ad potestatem Laicam, & Parlamentum Parisiense pertinet.*

Cùm Decimæ à Clero Gallicano, aut alia subsidia petuntur, sublevandis Regni necessitatibus, non id arbitrio sæcularium, & imperio agitur, sed nutu ac sponte Ecclesiastici Ordinis, cujus Delegati singulis lustris conveniunt. Si ergo nec Parlamenta, nec alij Regis ministri jus sibi vendicant legendæ à Clero pecuniæ, quæ tamen est res merè temporalis; quî ergo fieri potest, ut suæ auctoritatis faciant Beneficia Ecclesiastica conferre? abolere Concilium Universale tot sæculis à Regibus, totáque Galliâ receptum? Libertatem Ecclesiarum perpetuo jugo addicere? idque non paucis tantùm annis, sed semper, nec uno tantùm alteróque loco, sed ubique? nullâ Canonum, nullâ legum, nullâ Principum, ne Regnantis quidem reverentiâ; hujus enim animam produnt tot alijs curis intentam, & ideò fraudibus facilem: illorum verò Edicta legésque oblitterant, & ignaviæ accusant, quasi jurium Regníque negligentes; duplicis culpæ rei, & quòd mortuos infestent, & quòd vivo adulentur. Et si alia omnia desint, quî potuit Parla-

mentum eam causam cognoscere, quæ cùm sit ex majoribus, (a) non solùm ex veterum Canonum (qui Libertatis Gallicanæ fundamenta sunt) sed etiam ex Concordati ipsius præscripto ad Pontificem Romanum spectat ? An etiam in Concordata legésque Regni, & Ecclesiæ fundamentales Parlamento Jus est?

III. *Opponitur 9.* Quamdiu spes est, ut conando, & obsistendo efficere aliquid possis, laudandi conatus sunt ; at spe omni consumptâ, imprudentiæ fuerit conniti, quod non possis ; nam & Medici desperatis in morbis remedia abrumpunt, & cùm prodesse non possint, cessant mederi, præbéntque infirmo, saltem quæ placent, si desint, quæ juvant. Quis nautam laudaverit in portum connitentem adversis ventis ? nam satiùs erat à portu abscedere, & vicinum littus subire, tempestate vitatâ, quàm pertinaci irritóque conatu naufragium quærere. Id in Regaliæ causa evenit: pugnatum ab Episcopis est, quamdiu licuit ; at cùm viderent obsisti non posse, Rege in victoriam obstinato, & triginta annorum pugnam finire certo ; instaréntque, nisi cederent, pericula, & clades, & quicquid timeri potest ab irata Majestate, quid aliud superfuit, quàm ut arma potentiori submitterent, & certam cladem spontaneâ deditione occuparent ? Nec id timor aut ignavia, sed prudentia fuit, pacem quærere desperatâ victoriâ. Hoc ipsum sacris Scripturis edocemur : (b) *Noli*, inquiunt, *resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvij.* Et alibi. (c) *Ubi non est auditus, non effundas sermonem.* Et Salustius: *Frustra niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est.* (d) Et S. Augustinus: *Si scirem tibi non prodesse, non te terrerem.* Ex qua D. Augustini regula ab omnibus recepta Theologi cum D. Thoma (e) concludunt: *Ubi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, à correctione, cujus finis est emendatio, desistendum ; quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari secundùm quod exigit ratio finis.* Et ita Samuel (f) Populo temere Regem deposcenti, consultè cessit, deditque Saulem, quamvis eum non lateret, hanc Populi petitionem Deo displicere. Sic Alexan-

der

(a) Causæ majores ad Roman. Pontif. pertinent. Innoc. I. ep. ad Victor. Rothom. cap. 3. Vigil. epist. 7. ad Aux. Arelat. Greg. M. epist. 52. lib. 4. Marca lib. 1 cap. 10. & lib. 7. cap. 12. & 13. Concord. inter Leon. X. & Francis. I. (b) Eccles. 4. v. 32. (c) Ecclesiast. 32. v. 6 (d) S. Aug. hom. 41. & cap. siquis 2. d. 7. de pœnit. (e) S. Thom. 22. a. 6. (f) 1. Reg. 8.

der III. cùm vereretur, (a) ne Angliæ Rex in ſchiſma dilaberetur, adeò multa diſſimulavit connivítque, ut teſte D. Thoma: (b) *Clamitaretur in plateis, prædicaretur per Civitates, quòd Romæ juſtitia non fieret de potentibus.* Et alibi. *Romana Eccleſia poſuit firmamentum ſuum formidinem, aut res captat, aut Perſonas accipit, & authoritate, quâ præeminet, iniquæ gerentibus non occurrit.* Quibus iſtorum querelis Alexander Papa propoſiti, & moræ tenax, hæc reſpondit memoratu digna: (c) *Nos ſicut noviſti, Regem in patientia, ſicut decuit, & humilitate vincere cupientes, ei hactenus multum detulimus, & de miſericordia Chriſti ſperantes, quòd ille, in cujus manu corda Regum ſunt, voluntatem & animum ejus mitigare deberet.* Et in litteris ad Ludovicum Galliæ Regem: (d) *Si petitioni prædicti Regis quandóque annuimus, & ejus viſi ſumus voluntati favere, more periti medici id fecimus, qui agro, de cujus ſalute deſperat, contraria quæcúnque appetit, tribuit, tentans ipſum, qualitercúnque poteſt, ad ſanitatem revocare. Quapropter cùm conſuetudinis ſit Romanæ Eccleſiæ potiùs in ſervanda maturitate plerúmque damnum, & jacturam incurrere, quàm in præcipitatione peccare, tua non miretur, nec moveatur Serenitas.* Galliæ ergo Epiſcopi, cùm triginta totos annos pro Eccleſiarum libertate contra Regaliam certâſſent, & ultimis hiſce temporibus non tantùm victoriam deſperarent, ſed etiam cladem proſpicerent, Rege victorijs feroce, & obſequium imperante, exemplo Alexandri Pontificis Principi detulere, pacem ſaltem, ſi nihil aliud lucrati. Quam in rem duo alia exempla à Maimburgo celebrantur, (e) unum Gregorij M. aliud Hildeberti Archiepiſcopi Turonenſis, Sanctitate, & doctrinâ clari, & cujus virtutes à S. Bernardo egregiè laudantur. (f)

Mauritius Imperator legem conſcripſerat, quâ milites nec-dum expletâ militiâ, aut miſſione acceptâ vetabantur Monaſteria ingredi, & Religionem profiteri, juſſitque Beatum Gregorium hanc ipſam legem promulgare. Is lædi hoc Edicto Religionem, & pietatem credebat, expreſſitque rationes, quibus ad id credendum movebatur; ſed cùm Cæſar mandatis inſiſteret, paruit Gregorius, clauſítque his verbis reverentiæ, & obſequij plenis: (g) *Ego verò hæc Dominis meis loquens quid ſum niſi pulvis, & cinis? Ego quidem juſſioni ſubjectus*

(a) Lib. epiſt. D. Thomæ Cantuar. lib. 2. epiſt. 46. (b) Ibid. lib. 5. epiſt. 47. (c) Ibid. lib. 4. epiſt. 32. (d) Ibid. lib. 4. epiſt 51. (e) Maimburg. du Lutheraniſme lib. 2. f. 279. (f) S. Bernard. ep. 123. & 124. (g) Greg. lib. 2. epiſt. 72. Ind. 11.

Gallia Vindicata

subjectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmittere feci, & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis meis nuntiavi. Utrobique ergo, quod debui, exolvi, qui, & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minimè tacui. Adjungitque Maimburgus: *En*, inquit, *Pontificis verba pietate, & doctrinâ præcipui, cujus utinam exemplo discant Episcopi, non esse Principibus obluctandum obtentu Zeli, tuendæq; immunitatis Ecclesiasticæ; oportet enim eum Zelum, ut Apostolus monet, scientiâ, & discretione temperari, miscerique modestiam libertati; istam, ut audeas, quæ Principis, tuámque conscientiam gravant, monere: illam, ut monito, & tamen obsequium urgenti, tandem acquiescas: nec velis opinionibus tuis, velut totidem oraculis Principem illigari.* Pergit de Hildeberto narrare. Ludovicus Crassus Galliæ Rex, vacante Ecclesiâ Turonensi, duos ejusdem Ecclesiæ Canonicatus titulo Regaliæ contulerat. Negabat Hildebertus id jure factum; quippe Ecclesiâ Turonensi Regaliæ, & servitutis experte, adiitque Regem, injuriam questurus. Dati à Principe judices, qui causam cognoscerent, sedebant Palatio: dicta utrinque causa, & rationes expositæ; sed victoria, & sententia à Rege stetit. Archiepiscopus ab aulico judicio ad Sacrum provocavit, quod solum dicebat huic causæ finiendæ pares esse, ex Canonum præscripto. Rex provocatione offensus, velut alienum tribunal peteretur, omnes Turonensis Ecclesiæ fructus intercipi jubet, & ærario inferri. Quid ageret Hildebertus gratiâ Principis, & opibus lapsus? omissis anathematis, aliisque armis iratis, infensique Sacerdotis, ad ultimas preces devolvitur placandúmque Principem, adhibito etiam mediatore, quo facilius veniâ potiretur, ad quem hæc verba supplicantis leguntur: (a) *Nec tamen loquor, tanquam vobis clamorem super Christo Domini deponens, tanquam postulans per Ecclesiasticæ rigorem disciplinæ subvenire Ecclesiæ: & mihi deprecor postrum interventum, & Regi ex charitate suggeri, ne sagittas suas in sene compleat Sacerdote.* Hæc Hildebertus notæ Sanctitatis, probatæque miraculis: nec Honorius II. factum improbavit, Rege suis juribus relicto, addítque Maimburgus: (b) *Honorio Pontifici, æquè ac Gregorio persuasum fuisse, in causis ambiguis, & rationibus utrinque munitis, partes subditorum esse, ut Principi acquiescant, ejúsque voluntati, ac legibus cedant.*

Sub-

(a) Hildebert. epist. apud Luc. d' Acher. tomo 13. Spic. (b) Maimburg. in Luther. lib. 2. fol. 280.

Subdítque Lutheri, & Melanchtonis exempla, Concione abſtinentium, quòd Carolus Imperator eas aliquamdiu vetâſſet; *idque egregium exemplum vocat, & omnibus imitandum.* (a) Non ergo omnis generis exempla defuere, Epiſcoporum, & Pontificum, Regibus obtemperantium, etiam cùm ipſi aliter ſentirent; cur ergo fas non fuerit iſtos imitari? nam Sanctitate, & doctrinâ florebant, & ferè eadem cauſa vertebatur.

R. Hoc tandem verum, & unicum argumentum eſt, quod plurimos permovit, ut Regaliæ ſubſcriberent, & ſervituti annuerent. Timor offendendi Regis, excidendi gratiâ, & ijs, quæ gratiam comitantur, turbandíque pacem ignavis timidíſque ingenijs charam, veræ cauſæ fuerunt Regaliam admittendi: reliqua velando timori, quem pudebat fateri, quæſita ſunt. Hanc ergo carnalis prudentiæ, humanique timoris arcem, quam nemo meliùs, ſed neque turpiùs Maimburgo munivit, evertere animus eſt, & ad ſingula reſpondere, quæ objectabantur.

Nam *primò* ſupponunt Principem, ut Regaliâ cederet, perſuaderi non potuiſſe; at falsò id ſupponi, certiſſimis argumentis evincitur; nihil enim ejus Religione, & pietate indignius dici poteſt, quàm noluiſſe veritati acquieſcere, ſi oſtenderetur; id enim pertinacis potiùs animi, quàm Regij eſt, qui nullâ re magis ut veritate delectantur, quòd S. Ambroſius eleganter expreſſit, cùm Auguſtum alloqueretur: (b) *Peto, ut patienter ſermonem meum audias; nam ſi indignus ſum, qui à te audiar, indignus ſum, qui pro te offeram, cui tua vota committas: ſed neque imperiale eſt, dicendi libertatem denegare; neque Sacerdotale, quod ſentiat, non dicere; nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare, tam amabile eſt, quàm libertatem etiam in ijs diligere, qui obſequio militiæ vobis ſubditi ſunt; ſiquidem hoc intereſt inter bonos, & malos Principes, quòd boni libertatem amant, ſervitutem improbi: nihil etiam in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm, quod ſentiat, non liberè pronuntiare; ſiquidem ſcriptum eſt: Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. In cauſa DEI quem audias, ſi Sacerdotem non audias; cujus majore peccatur periculo? quis tibi audebit verum dicere, ſi Sacerdos non audeat?* Moderni ergo Regis virtutes non patiuntur, ut credam,

(a) Ibid. fol. 270 Lutherus epiſt. ad Elect. Saxon. (b) S. Ambroſ. lib. 5. epiſt. 29. ad Theodoſ. Imperat.

noluisse eum veritatem à Sacerdotibus edoceri, & vera dicentibus periculum ingruisse, ne illius gratiâ, & amicitiâ caderent, & Ecclesiæ premerentur. Pace eorum dixerim, nihil poterant objectare tanto Principe indignius, quæque illius famam magis perstringerent. An ergo Christianissimum Regem, & Ecclesiæ Primogenitum Neronibus, & Decijs comparant, qui exilia, & mortes statuebant veritatem edicentibus ? Præsertim cùm is juramento se obstringat ad Ecclesiæ libertates, & privilegia observanda; ejus juramenti verba hæc sunt, cùm Regiam dignitatem init: *Promitto vobis, & unicuique de vobis, & Ecclesijs vobis commissis Canonicum Privilegium, & debitam legem atque justitiam, &c.* Vanus ergo is timor fuit, & procul ab ea pietate, & Religione, quas in Principe veneramur. Principes enim, alioquin sapientissimos, aut multitudine rerum, quæ magnam Dominationem semper comitantur, aut adulatione ministrorum falli nemo ignorat: & exempla Davidis Miphibosetum servi delatione punientis, quamvis innoxium, ac Theodosij Magni satis ostendunt; ut mirum non sit, etiam Galliæ Regi tot curis bellisque intento, & militiam præ Canonibus sectanti, impositum esse. Quanta ergo spes erat recusandæ servitutis recèns impositæ, si non duo tantùm Alectensis, & Apamiensis Episcopi, sed omnes, quorum intererat, & causa agebatur, pari modestiâ, & libertate, omnique ferocia procul, quæ vim argumentis obtundit, lædítque Majestatem, Regem adijssent, monstrâssentque: Regaliam contra Canonum decreta, contra Concilij Lugdunensis sententiam, totâ Galliâ receptam, contra Regum Edicta, cursúmque quatuor sæculorum extendi; imò contra Regis ipsius Sacramentum, dum Regnum auspicatur, & omnium retrò Gallorum jurisprudentiam. Quæ verò de antiquitate Regaliæ dicuntur, quòd nec alienari, nec præscribi possit, sitque privilegium Coronæ insertum, voces esse sono magnificas, rebus vacuas, & assentatione quæsitas, quod etiam Gallici Scriptores observârunt: nec Galliæ Regis Majestatem tam inopem esse veris titulis, ut ad vanos, confictósque recurri oporteat: nunquam magis Regnum floruisse, quàm cùm pietate in Deum, amore in Ecclesias sustentabatur: hæc Galliæ Regum decora fuisse: his effectum, ut quantum alios Religione, tantum felicitate, & potentiâ vincerent: sicut exadverso nihil magis

magis obstitisse Regnis, eorúmque casus festinâsse, quàm cùm Ecclesiarum facultates, & privilegia carperentur. Hæc plena reverentiæ, & charitatis; nec dubium, non æquis tantùm auribus, sed etiam libentibus ab eo Principe auditum iri, cujus clementia, & comitas tantopere commendantur. Tantóque magis animari debebant, quòd toties vicissent; cùm enim ministri Regij à triginta, & suprà annis libertatem Ecclesiarum attentâssent, semper obsistentibus Episcopis repulsi sunt, & contra Regaliam Edicta à Regibus impetrârunt. Quid ergo metuere poterant in tam justa causa, sempérque victores? An non potiùs sperandum erat in eadem omnino causa, & sub æquissimo Rege eandem quoque fortunam, & eventum fore? Quòd si modò victi sunt, & Regijs semper hactenus victis, victoriam cessere, non Regis hæc culpa, sed eorum fuit, qui non pari cum majoribus suis virtute pugnârunt, & libertatem eorum sudoribus partam, Regio favori submisere, aulæ magis, quàm aris addicti; ficto interim vulgatóque metu, ne gratis viderentur, & sine causa servitutem accepisse; nec cogitabant interim, quàm turpe foret metum obtendere, Sacerdotibus præsertim, quibus supra omnem rerum mortalium curam, & conditionem positis, nihil extra Deum sperare, aut timere licet, alioquin nec unquam officij partes explebunt; nam si navis gubernatorem undæ ventique percellant, & Ducem hostilia signa, ac ferrum nudatum, nec iste victoriam, & pacem, nec ille portum obtinebunt: quantò id in Episcopis verius Ducibus, & gubernatoribus animarum? tantóque damnabilior formido fuit, quòd ne tentato quidem hoste fugam arripuerint, ut Innocentius XI. illis verbis, dum ad Episcopos Galliæ scriberet, egregiè notavit: *Non dubitamus, si stetissetis coram Rege pro causæ tam justæ defensione, neque defutura vobis verba, quæ loqueremini; nec Regi cor docile, quo vestris annueret postulatis. Nunc cùm muneris vestri, & Regiæ æquitatis quodammodò obliti in tanti momenti negotio silentium tenueritis, non videmus, quo probabili fundamento significetis, vos ad ita agendum metu adductos, quòd in controversia victi estis, quòd causâ cecidistis: quomodo cecidit, qui numquam stetit? Ecquis vestrûm tam gravem, tam justam causam, tam sacrosanctam curavit apud Regem? Quis ausus est invidiæ se offerre? quis vel vocem unam emisit memorem pristinæ libertatis?* (a) Patet ergo ex dictis,

(a) Litteræ Innoc. XI. PP. Max. ad Episc. Galliæ. Anno 1682.

dictis, quæ de metu, & periculis, & monitione nihil profutura dicebantur, nullo fundamento subnixa, multóque plures sperandi, quàm desperandi causas subfuisse: nec Regem suo vitio, sed aliorum culpâ, & conniventiâ inexorabilem factum.

Secundò. Sed demus hæc omnia: fingamus inflexibilem Regem, nullámque ei permovendo spem illuxisse: Episcopos gratiâ lapsuros, paratas obsistentibus pœnas, exilia, & quod magis terrebat, Principis iram; non ideò causa Ecclesiarum omittenda, & servituti acquiescendum fuit, tot Canonum decretis vetitæ; quantò minùs subscribi illam, probarique ab Episcopis debuit, Canonum, Ecclesiarúmque custodibus? Si enim culpa silentium fuit, multò magis ipsa societas, & comprobatio criminis: nec illas Apostoli Regulas ignorare poterant: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Et non solùm, qui talia agunt, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Si enim, ut ipsi fatebantur: *Extensio Regaliæ servitutem continebat canonicis institutis, & naturali Ecclesiarum libertati adversam, ac insuper à Concilio Universali prohibitam, & quæ Ecclesijs imponi non poterat, nisi ipsius Ecclesiæ consensu.* Si, *inquam*, hæc ita sunt, nullis ergo minis, nullo periculo, aut metu, imò ne oblatâ quidem morte impelli debebant, ut assensum præberent rei toties prohibitæ, ac tot pœnis malæ, quin potiùs repetendæ erant illæ voces, libertatis, & animi plenæ, ac in simili causa à D. Ambrosio prolatæ: (a) *Si patrimonium meum petitur, invadite: si corpus, occurram: vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ergo me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolabor.* Et infrà: (b) *Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondi: Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ Divini sunt juris, imperiale aliquod jus habere, &c.* Et alibi. *Nabuthe Sanctum Virum scimus interpellatum petitione Regiâ, ut vineam suam daret, ubi Rex succisis vitibus olus vile ferret, scimúsque eum respondisse: absit, ut ego Patrum meorum tradam hæreditatem. Si ergo ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? Quid igitur responsum est à me contumaciter? dixi enim conventus: absit à me, ut tradam hæreditatem Christi. Si ille non tradidit Patrum hæreditatem, ego tradam Christi hæreditatem? Sed & hoc addidi: absit, ut tradam Patrum hæreditatem: hoc est, Dionysij,*

(a) S. Ambros. epist. ad Marcellinam Sororem. (b) Idem in Orat. contra Auxent. de Basil. trad.

Dionysij qui causâ Christi in exilio defunctus est: hæreditatem Eustorgij Confessoris, hæreditatem Myroclis, hæreditatem omnium retrò fidelium Episcoporum. Respondi ego, quod Sacerdotis est; quod Imperatoris est, faciat Imperator; prius est, ut animam mihi, quàm fidem auferat. Hæc Ambrosius Imperatori unam tantùm Ecclesiam petenti; quid dixisset, rogo, non unius tantùm, sed omnium Ecclesiarum libertatem infestanti? Nec Ambrosio Imperatoribus charo, & aulis innutrito, aut sanctitas deerat, aut doctrina, ut videri posset impetu ferri, non ratione; aderántque pericula multò præsentibus majora, Augustâ sæviente, Imperatore offenso, & contemni se rato, ac mulieri devincto, denuntiatis exilijs, paratis pœnis, ac facibus totâ urbe volitantibus; & tamen inter tot mala, timorisque argumenta, ac omnibus Ecclesijs intentatâ clade, num ideò aut expavit, aut connivit Ambrosius, aut turpissimis pactis furentem Imperatricem placavit? Stetit, & vicit, pulcherrimo libertatis exemplo.

At, *inquiunt*, frustra, & nullâ spe obniti, imprudentis consilij est. Respondeo has voces eorum esse, qui humana solùm spectant, nullâ DEI fiduciâ Ecclesiam suam gubernantis; si enim res humanæ, & præsertim sacræ, mortalibus tantùm, & fluxis consilijs agerentur, locus timori esset, & desperari de exitu posset; nunc verò ubi Deus ad clavum sedet, præsidétque rebus Ecclesiæ, nulla ratio desperandi subest; jubet enim, & juvat, nec alios magis auxilio suo sustentat, quàm qui eo nituntur, faciúntque imperata, fiduciâ, & obsequio prompti. Non ergo frustra, & nullâ spe obnititur, qui Deum Protectorem habet; hic enim etsi justos permittat adversis conflictari, ubi tamen virtutem suam, & constantiam probârunt, & exempla imitationi reliquere, eorum vota, & conatus implet, seminum, & plantarum more, post nives, hyemésque, cùm mortuæ viderentur, efflorescentium, eámque in rem exempla omnium sæculorum abundant. Quis enim, qui eo tempore vivebat, non credidisset, frustra nullóque eventu à sanctis Martyribus contra Tyrannos, à Paulo contra Neronem, à Basilijs, & Athanasijs contra Arianos pugnari? quippe aut pauci quàm plurimis, aut imbecilli potentissimis adversabantur; & si humana consuleres, nullum argumentum, quo victoria sperari posset, apparebat; imò nec alia merces, aut stipendia dabantur prædicatæ veritatis, quàm exilia,

tormenta, mortes, & quidquid etiam impavidos invictósque terrere potest: & tamen illis ipsis artibus veritas triumphavit, quibus premebatur; nec Religionem haberemus, nec Martyres, nec tot alia fortitudinis, & virtutum exempla, si tot illæ blanditiæ, conniventiæ, assentationes, artésque serviendi, quæ modò inter arcana collocantur, animos occupâssent; verum enim est, & mille exemplis comprobatum, quòd S. Thomas Archiepiscopus, & Martyr Cantuariensis monebat: *Non simulatione, non ingenio regendam esse Ecclesiam Dei; sed justitiâ, & veritate, quæ se observantem liberat ab omni periculo.* Libet inter innumera unum seligere, inquo velut in speculo celsitatem animi videas Sacertotali dignitati parem, impavidam videlicet infractámque omníque adulatione, ac turpi obsequio procul, & contra omnes providentiæ humanæ regulas tunc maximè validam, cùm cassura videbatur, quippe Deo nixam, & ideò victricem. Vastaverat Romanum Imperium Gainas Gothus, audebátque victorijs insolens Augustis etiam, ac throno minari. Urbi Regiæ imminenti, vallatóque Gothorum exercitu, quo Asiam percurrerat, Arcadius Imperator Chalcedonem úsque obviàm occurrit; nam id quóque Barbarus petebat, si non potiùs imperium erat. Illic colloquium fuit, & de pace conventum. Conditiones Barbaro dignæ, & tamen impetratæ, Augusto invalido, pavidóque, & ideò facili; eæ verò erant: *Ut Gainas equitum peditúmque præfecturâ potiretur, hoc est, exercitum Imperatoris duceret: Saturninus, & Aurelianus Senatorum præcipui, & consilijs præpotentes, ac ideò suspecti, ac Joannes omnium Principis conscius dederentur.* Nec obscurum erat, Principem consilijs armísque nudari, exponíque arbitrio Gothi Majestatem inermem; sed premebat necessitas, & major præsentium, quàm futurorum metus. Ergo in conditiones, & pacem juratum: Senatores Barbaro permissi, proscriptíque, & Gainas positis armis, victoríque, ac imperanti similis Urbem Regiam invectus est; sed victo Imperatore, majus certamen cum Chrysostomo supererat. Ecclesiam Gainas petebat, in qua Arianorum more cum Gothis sacris operaretur; promittit Arcadius, & accersit Chrysostomum, imperátque Ecclesiam Arianis tradi, ac potentiam, tyrannidem, ferociámque Gainæ exaggerat: *Concedenda esse, quæ negari non possint, tempori*

(a) S. Thom. Cant. epist. 46. lib. 2. epist.

tempori aliquid dandum, & prementi necessitati satiùs esse unam, quàm omnes Ecclesias, & Imperium Barbaris cedere: rogare illum, qui imperare possit, & preces armis urgere; medendum ergo præsentibus malis, & cætera temporis fore. Videbantur honesta, quæ Arcadius memorabat, & tempori apta, sed non Chrysostomo, res sacras Divinásque non ex fortunæ, sed Dei arbitrio metienti: negat ergo id fieri posse, & colloquium cum Barbaro poscit Arcadio coram. Postridie ad Cæsarem Gainas evocatur, & Ecclesiam, ut Cæsar promiserat, deposcit: cui Chrysostomus: *Quæ tibi Arcadius pollicitus est Gaina, & tu meritò reposcis, nec ille abnuere potest, quippe nihil tam Regium est, ut fidem ac promissa exsolvere; unam ergo Ecclesiam pollicitus, jam omnes offert, patent omnes arbitrio, & pietati tuæ, ut voles, ingredere, & illis nobiscum fruere.* At Gainas: *Neque hoc se petere, nec Arcadium promisisse. Arianum se esse, & Ecclesiam Arianis petere, nec posse Catholicis misceri. Quantum hoc præmij esset, si pro Romano Imperio tot prælijs, & victorijs defuncto vel ara donaretur? & hanc tamen si à Cæsare non possit, à gladio impetraturum.* At Chrysostomus vultu Majestate composito, ac cæleste aliquid spirante, & quod etiam Barbaro reverentiam afflaret: *Aræ*, inquit, *Gaina, & Ecclesiæ non à gladijs, & Imperatoribus, sed à Sacerdotibus petuntur: nec eas Imperator promisit, nec potuit, nec tu mereris: nam quòd prælia, & victorias memoras, pro stipendijs illa, non pro Ecclesijs geruntur: nec tibi honores, & præmia defuere ampla, & ingentia, ac, si verum audire velis, multò meritis tuis majora. Num ergo consulares isti fasces, & exercitus curæ & imperio tuo dati, ac fastigium Principi proximum pauca tibi videntur? At mihi non cupidines tuas, sed merita, & acies numeranti, multò debitis plura. Et tu quóque, si pristinas tuas sordes, & angustias, & paupertatem censueris, eósque habitus, cum seminudus tremènsque Danubium transmitteres, huic auro gemmísque, & dignitatum fastigio contuleris, quæ Cæsarum largitate accepisti, fateberis mecum, fortunam tuam supra meritum esse; nec aliud votis tuis relinqui, quàm ut Cæsarum beneficia pari gratitudine, & obsequio æques; hanc nimirum Theodosio jurabas, cùm ejus clementiâ perituras servarêris: hanc filijs ejus, hanc legibus debes, quas modo delere, frustrarique paras.* Simúlque Theodosij Magni Edictum, quo omnes Ariani Ecclesijs arcebantur, sinu expromens: *En*, inquit, *Gaina, legem tuis votis adversam: agnosce Theodosij Majestatem adhuc in filio regnantis, & cui tu vitam, ac fortunam hanc debes, reverentiam, & obsequium redde, & aliquod inter servum, & Principem discrimen admitte. Quid faciunt hæc signa, & acies in Principem suum, & Rempublicam armata?*

armata? quid ista facies imperanti potiùs, quàm supplicanti similis, & nisi manes Theodosij vetent, parricidij plena? Asiam incendisti, Rufinum, & Eutropium propè in Principis sinu obtruncâsti, Saturninum, & Aurelianum Augusto charos intimósque exilio proscripsisti, & tandem tot facinorum reus, & velut nec castra tuis flagitijs, nec aula sufficerent, transferri illa in Ecclesias jubes, parùm videlicet te fortem, & impavidum ratus, nisi utrámque Majestatem calcares, humanam, Divinámque. Hæc dicentem Gainas non patienter tantùm sustinuit, sed dejecto etiam vultu, ac pudore suffuso, & ne quidem respondere ausо; quæ omnia Theodoretus, (a) & Sozomenus (b) memorant. Ubi simul observes, quanta sit potentia, & veneratio veritatis, cùm à Sacerdote profertur, in quo virtus juxta, & dignitas sociantur. Si Maimburgum aut Arcadius, aut Chrysostomus interrogâsset, quos ille metus, pericula, incendia, bella, & aliorum Principum exempla hæreses ferentium non produxisset in favorem Gainæ? At verò, ut alius spiritus Chrysostomo, alius Maimburgo, sic alia utriúsque consilia, isto quæ mundi sunt, illo quæ DEI sapiente. Nec à DEO patrocinium, & suffragium defuit; cùm enim Gainas Urbem, & palatium incendio, Arcadium neci destinâsset, visæ sunt Gigantum specie Angelorum excubiæ, Regiam, & Principem obvallantium, Gotho absterrito, & Urbem, quòd insidiæ patuissent, egresso. Ubi iterum Chrysostomi virtus, & libertas enituit. Cùm enim Gainas, quòd hostis declaratus esset, irâ vindictáque flagraret, Thraciâ ferro & igni vastatâ, nec reprimendo Barbaro copiæ suppeterent, quas ille præmijs, aut studijs devinxerat, jámque Urbi ãmmineret, visum est, ut per Legatos adiretur. Omnibus recusantibus, seu metuerent, seu desponderent, Chrysostomum deligi placuit; nec ipse renuit, quamvis recenti adhuc conflictu, & simultate. Venienti obviàm Gainas processit, dextrámque amplexu, & osculo strinxit, & liberos ad genua provolvi jussit, pulcherrimo virtutis triumpho, etiam ab hoste, & tyranno probatæ. Ejusdem posteà oratione, & eloquentiâ flexus pacem juravit; quam cùm regnandi libidine iterum violâsset, fusus tandem est, perijtque, eodem simul tempore Romanis placido mari utentibus, Barbaris verò tempestate jactatis; crederes etiam ventos Chrysostomo militâsse, ut pacem, quam à Gaina non poterat, ab undis impetraret. En

(a) Theod. lib. 5. cap. 32. (b) Sozom. lib. 8. cap. 4.

En ergo Chrysostomum contra leges, & Philosophiam Palatij toties victorem! Gainas, qui leges Imperatori scribebat, qui ante illius oculos, & penè in sinu charissimos amicorum cædebat, cujus arbitrio capita Senatorum metebantur, gemente Principe, & tamen invalido; qui pacem, ut libuerat, dabat, solvebátque, & cujus armis Coronæ quatiebantur; hic tamen ad unius Sacerdotis, & Episcopi vocem supplex treménsque, & genibus advolutus, Barbarie sopitâ, ac tandem, cùm armis non posset, vento marique oppressus est. Quando id unquam toto illo blandiendi, adulandíque, & connivendi apparatu Maimburgus effecisset? Hæc idcirco narrare volui, ut falsam ostenderem Maimburgi aliorúmque opinionem, statuentium: *Non esse Principibus obsistendum, cùm injusta petunt, nec spes est aliqua eos inflectendi.* An verò Gainas, Arcadius, & Eudoxia Imperatrix non injusta imperabant? aut forsan rationes aberant, & potentia, quibus velarent imperium, urgeréntque? Et quæ spes erat, vinci illos posse? Num ideò cessavit, tacuítque Chrysostomus? aut forsan nullo præmio, sed irrito perditóque conatu depugnavit, quia displicuit, quia exulavit, quia occidit? imò nunquam magis ejus virtus, & innocentia effloruit, victo Gaina, pœnitente Arcadio, confectâ Imperatrice, deletis persecutoribus, cœlo terráque innocentiam testantibus, & denique triumphante exulis cadavere; quæ omnia cessâssent, si Gainæ, si Augustis blanditus esset, eorúmque votis annuisset, brevi quidem pace, at perpetuo dedecore. Verum est ergo illud Jobi vaticinium: *Justus cum se consumptum putaverit, sicut Lucifer orietur, & quasi meridianus fulgor consurget tibi ad Vesperam.* In quem locum egregiè S. Gregorius: (a) *Peccatoris lumen in die, est obscuritas in vespere, quia in præsentis vitæ felicitate attollitur, sed adversitatis tenebris in fine devoratur. Justo autem meridianus fulgor ad vesperam surgit, quia quanta sibi claritas maneat, cùm jam occumbere cœperit, agnoscit.*

Sed nec illud tacendum, eos ipsos, qui tantam curam ostentabant Regiæ dignitatis tuendæ, id tandem adulando effecisse, ut Principes perderent. Eudoxia, postquam gratiâ Mariti excidisset, mœrore collapsa est, nec cineribus quidem quiete permissâ. Arcadius fraternis odijs, & intestinis bellis appetitus, florente ætate, &

(a) S. Greg. lib. 10. cap. 12.

fato immaturo extinctus est, memorando regnantibus exemplo, nullos magis adversari Principum fortunæ, quàm qui maximè blandiuntur. Jam reliqua videamus.

Tertiò. Quæ de Samuele afferuntur, Regem populo concedente, ad rem non faciunt; nec enim suâ sponte id fecit, sed Dei jussu: nec nobis est quæstio, quid Deo, sed quid Sacerdotibus liceat. Deus enim mala aliqua permittit, vel ut puniat, vel ut majus bonum ex malo eliciat. At verò Episcoporum officium non est, ut malum permittant, id enim privatorum; sed ut avertant, aut saltem conentur: nam nec Medicorum ars in eo versatur, ut morbos permittant, sed ut medeantur: nec Pastorum, ut oves errare vagarique sinant, sed ut reducant. Multò minùs Alexandri Pontificis exemplum aliquid probat; quid enim non egit, ut sanctum Archiepiscopum exilio liberaret? quot precibus, quot minis, quot Legationibus laboratum? ac tandem intentata Friderici Imperatoris pœna, cui Regno simul, & coronâ interdictum fuerat, Henricum permovit, ut in gratiam cum Sancto rediret. Celebrantur etiam ejusdem Pontificis voces, quando minitanti Regi defectionem intrepidè respondit: (a) *Se duas illi proponere vias, vitæ & mortis; facilè quidem posse illum contemptâ gratiâ, & patientiâ DEI pereuntium propligere viam, sed se Domino propitiante non recessurum à via recta.* Illud verum est, vibrandis Ecclesiæ fulminibus diu multúmque abstinuisse; videbat enim Regem in extrema paratum, nec ideò Thomam rediturum; & si hoc telum misisset, inermem se fore, ac ludibrio expositum nudatâ Majestate, idque experientia, & eventus docuit. Prudentis ergo consilij fuit, minari potiùs, quàm ferire, & timorem augere dilato vulnere; nec aliud Alexander fecit, cujus arcanum, qui non assequebantur, damnabant. Cæterùm non hoc silentium, & adulatio fuit, quam solam persequimur.

Quartò. Gregorium quod attinet, res sic habet. (b) Scripserat Mauritius Imperator Legem, quâ milites, nisi expletâ militiâ, Religionem profiteri vetabantur, misítque Gregorio Pontifici, ut eam alijs Episcopis deferendam, vulgandámque curaret. Gregorius obniti, quòd eam Legem injustam, & impiam diceret, datísque litteris

(a) Joan. Saresber. lib. 2. epist. S. Thom. Cantuar. epist. 66. (b) Anno 593.

litteris modestiâ, & libertate plenis, Augustum monere: (a) *Hanc legem à Juliano Apostata editam primùm esse, nec decere, ut Edicta ab Ethnico, & Tyranno, & in odium Religionis scripta, in Christianos transeant. Ut milites se priùs ære alieno exolvant, caveántque creditoribus, quàm Monasteria subeant, æquissimum id esse, nec vocari in dubium posse: cæterum ubi hæc præstiterint, cur Monasteriis arceantur, ubi delicta expient militaris licentiæ? invitandos illos potiùs, quàm prohibendos esse, nec ab ullo retrò Imperatorum, quamvis & bellâssent, & vicissent, aliquando id tentatum: cur ergo novis legibus turbaretur Ecclesia, & lacrymæ pœnitentium? Et tamen his magis victorias promoveri, quàm bellantium numero; quamvis nec istum minui paucitate illorum, qui castra Monasteriis commutent. Id nuper expertum Imperatorem, quando non armis Persas, nec bellico apparatu, sed precibus debellâsset; istas verò cum Monachis augeri. Imperatores Dei servos esse, Monachos Dei milites. Non ergo deseri, sed impleri militiam, cùm ab Imperatore ad Deum, à servo ad Ducem transitur; æquum non videri, ut cùm castra Cæsaris militibus abundent, evacuentur castra Dei.* Hæc plena animi, & libertatis; adjecit alia paris modestiæ: *Ego verò hæc loquens Dominis meis, quid sum nisi pulvis, & cinis?* Sed mox flagrante iterum Spiritu, in hanc Apostrophen plenam ardoris, & Majestatis erupit: (b) *Ecce! apertâ voce dicitur, ut ei, qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Jesu Christo militare non liceat. Ad hæc, ecce, per servum ultimum suum, & vestrum respondebit Christus: Ego te de Notario Comitem Excubitorum, de Comite Excubitorum Cæsarem, & de Cæsare Imperatorem, nec solùm hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci. Ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo servitio milites tuos subtrahis? Respondè, rogo, pessime Domine Servo tuo, quid venienti, & hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo?* Et tandem epistolam claudit in hæc verba: *Ego quidem jussioni subjectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia Lex ipsa Omnipotenti Deo minimè concordat, ecce, per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minimè tacui.*

Gregorius ergo, quantum fas erat, paruit Imperatori, ejus lege in diversas Provincias missâ; eo enim temporis Romana Urbs Imperatoribus subdebatur, & modò sub Ludovico Pio, Pontifici

(a) Gregor. lib. 2. epist. 63. Indict. 12. & epist. 65. ad Medicum Imperatoris.
(b) Greg. lib. 2. epist. 62.

relicta, (a) nisi quòd *Jus Regni*, hoc est, fidelitatis Sacramentum, & condendarum legum potestas ad Imperatores spectabat; sed hoc quóque à Carolo Calvo in Pontifices translatum est. (b) Gregorius ergo ut Civis, ac membrum Romani Imperij, non minùs Imperatoribus, eorúmque legibus subdebatur, quàm modò Archiepiscopi Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis, alijque. Cæterùm quia eadem lex aliqua ex parte iniqua erat, cùm videlicet milites monasterijs arcebantur, tantùm abest, ut eam observari voluerit, ut potiùs Pontificiâ auctoritate usus correxerit, mutaveritque: & quantum valere illa, aut non valere deberet, illis ipsis Episcopis, ad quos mittebat, præscriberet; ubi apertè ostendit, se in hac parte non subijci Imperatoribus, sed præesse: nec obsequi, sed imperare: & alias esse Civis, alias Pontificis Romani partes; quod enim majus potestatis argumentum, quàm Imperatorum leges censere, erroris notare, ac demum corrigere, & sic correctas, nec aliter observandas proponere? Id fecit Gregorius; non ergo, ut voluit Maimburgus, paruit Imperatori, sed Imperator Gregorio. Hæc ex ipsis litteris Gregorij intellige, quas unà cum Edicto Mauritij ad Episcopos transmisit. Sic ergo ad Orientis, & Occidentis Episcopos scribit Gregorius: *Gregorius Eusebio Thessalonicensi, Urbicio Dyrrachitano, Constantino Mediolanensi, Andreæ Neapolitano, Joanni Corinthi, Joanni Cretensi, Martino Ravennati, Januario Sardiniæ, & omnibus Episcopis Siciliæ. Legem, quam pijssimus Imperator dedit, ne fortasse hi, qui militiæ, vel rationibus publicis sunt obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasterijs convertantur, vestræ studui fraternitati transmittere; hoc maximè exhortans, quòd hi, qui sæculi actionibus implicantur, in Clero Ecclesiæ præproperè susciendi non sunt. Quòd si etiam tales Monasterium petunt, susciendi nullo modo sunt, nisi quoque rationibus publicis absoluti fuerint. Si qui verò ex militaribus viris in Monasterijs converti festinant, non sunt temere susciendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita, & juxta normam Regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc Monasticum habitum Deo auctore susipere. Qui si ita sunt probati, atque susceptì, & pro anima suæ pœnitentiam de perpetratis agere studeant, pro eorum vita, & lucro cœlesti, non est talis conversio renuenda. Quâ de re etiam Serenissimus, & Christianissimus Imperator, mihi credite, omnimodò placatur, & libenter eorum conversionem*

(a) Anno 814. (b) Anno 875. V. Cantelium fol. 211.

versionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit. Hactenus Gregorius, qui, uti vides, Imperatoris Constitutionem ad terminos juris communis, & sacrorum Canonum reduxit, correxítque; sacri enim Canones statuerant, ne obligati rationibus, & officijs publicis ad Sacros Ordines reciperentur, ut habetur, *in Concilio Carthaginensi primo, cap. 8.* (a) Quod licet de sacris tantùm Ordinibus loquatur, ob paritatem tamen rationis, etiam de statu monastico intelligendum est. Cæterùm si quis se publicis rationibus exsolvisset, aut dedisset idoneos fidejussores, & insuper triennali experimento, & tyrocinio constantiam probâsset, recipi illum ad Religionem posse, quidquid Imperator decrevisset, Gregorius statuit. Ex hac facti narratione, non meis, sed Gregorij verbis contextâ facilè intelliges, multa à Maimburgo taceri, multa aliter narrari, quàm se habeant. Vult enim, ut Pontifices Imperatori subdantur, eorúmque legibus, quamvis iniquas putent, obtemperent, idque exemplo Gregorij probat, qui Mauritium *Dominum suum* appellat; qui se *cinerem, & vermem* vocat, quíque ejus legem, quam iniquam putabat, nihilominus promulgaverit. At interim tacet Gregorium, cùm hæc scriberet, initio epistolæ protestatum esse, se Pontificis auctoritate sepositâ, amico tantùm, & privati stilo usurum; & ideò non per Legatos, & Apocrisarios suos, sed per Medicum Imperatoris tradi epistolam voluit, privato, non publico ritu. Verba Gregorij sunt: (b) *Omnipotenti Deo reus est, qui Serenissimis Dominis in omni, quod agit, & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione néque ut Episcopus, néque ut servus jure Reipublicæ, sed jure privato loquor, &c.* Et epistola ad Theodorum Medicum Imperatoris: (c) *Nolo eam* (epistolam) *à Responsali meo publicè dari; quia vos, qui ei familiariùs servitis, loqui ei liberiùs & apertiùs potestis, quæ pro ejus sunt anima, quoniam in multis est occupatus, &c.* Quid ergo mirum, si Gregorius indutâ privati personâ, privati etiam stilo, ac phrasi utatur? nam oportet sermonem personæ aptari. Secundò & præcipuè tacuit Maimburgus Legem Imperatoriam à Gregorio correctam, emendatámque fuisse, & ita, nec aliter Epi-

(a) Concil. Carthag. I. Anno 348. in cap. un. de oblig. ad ratioc. V. Suar. T. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7. & d. 53. in Decret. Grat. (b) Greg. lib. 2. epist. 62. Indict. II. (c) Greg. lib. 2. epist. 65. Ind. II.

Gallia Vindicata

scopis transmissam, præceptámque observari ; at hoc non subjectionis signum, sed imperij, & auctoritatis fuit ; cur ergo circumstantiam tacuit, in qua totus rei cardo vertebatur ? sed nec potuit ignorare, quî enim epistolam ignoraret typis vulgatam, & eodem loco à Baronio productam, in quo priorem epistolam ad Mauritium Maimburgus repererat. Denique Maimburgum interrogo, an omnia, quæ Gregorius fecit, scripsítque, pro talibus habeat, quæ nec argui erroris, nec improbari possint ? An verò admittat aliqua ab eo facta, aut dicta esse, quæ pro conditione fragilitatis humanæ possint erroris notari ? Si hoc ultimum Maimburgus admittat ; dicam ego, hunc unum ex illis nævis fuisse, qui Sanctum Pontificem aspersérint, dum videlicet legem Imperatoris, quam credebat Divinis legibus ad versari, nimiâ in Augustos indulgentiâ Episcopis misit, promulgavítque ; si enim mala, repugnánsque Divinæ legi, deleri debuit supprimíque, non vulgari. Si verò, an injusta ea lex esset, dubitabat, ad Pontificem, non Augustum pertinebat illud dubium resolvere : & quid Lege Divinâ permissum, aut vetitum esset, definire ; quis enim non indignetur rideátque, si Episcopi casus conscientiæ Imperatori mittant resolvendos, quantò magis si Pontifices Romani ? perinde, acsi miles expugnandæ Urbis rationem à statuarijs petat, aut nauta de Pleiadum exortu, eventúque sartores consulat. Si ergo Gregorius dubitabat, æqua, an iniqua lex esset Mauritij, ipse de hoc dubio statuere, non Principi remittere debuit, juxta illud Michææ: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem meam requirent ex ore ipsius.* Ubi vides, ex ore Sacerdotis legem Dei, non Imperatoris quærendam esse. Si verò dicat Maimburgus, nihil eorum reprehendi posse, quæ sanctus Gregorius fecit, scripsítque, sed omnes illius actiones regulæ instar nobis esse debere ; quæro ex ipso, cur ergo non semel S. Gregorium ipse reprehendat ? eúmque obnoxium errori fateatur ? in historia enim, quam recentissimè scripsit de Pontificatu S. Gregorij M. *lib. 2. fol. 106.* cùm Joannis Patriarchæ Constantinopolitani causam contra S. Pontificem defendendam susciperet, hæc præmittit: *Rem*, inquit, *à suis principijs examinabo, & quis tandem cardo fuerit controversiæ inter utrúmque agitatæ ; néque me magnum illud Gregorij nomen, & auctoritas morabitur, quin edicam ingenuè, uter istorum*

istorum jure, an injuriâ certaverit. Equidem persuasum habeo, neminem in hoc mundo, quantavis sanctitate florentem ab ea Regula exemptum esse, quæ habet, falli omnes mortales, ac errare posse. Et eodem *lib. 2. à fol. 152.* Prolixè rationes B. Gregorij confutat, quibus legem Mauritij impietatis arguebat. Agnoscit ergo Maimburgus, errâsse Gregorium, cùm Mauritium, & Joannem Patriarcham arguebat. Quid ergo mali fuerit, si ergo & errâsse Gregorium dicam, non tunc quidem, cùm Mauritium reprehendit, sed quando nimiâ indulgentiâ connivit, ejúsq; legem, quam iniquam censebat, recepit, transmisítque Episcopis. Tu Gregorium errâsse dicis, cùm Mauritij legem incusavit: ego errâsse dico, cùm recepit. An fortè tunc solùm Gregorius errori obnoxius, cùm Imperatores arguit, & non etiam cùm blanditur? Malè ergo exemplo Gregorij utitur Maimburgus, cùm eâdem libertate, quâ ipse Gregorium severitatis, ego indulgentiæ damnem.

Ejusdem fidei, & farinæ est, quod Maimburgus de Hildeberto narrat: (a) *Hic*, inquit, *Ludovico Regi Regaliam exigenti restitit primò, deinde cessit; cur ergo non alij etiam Episcopi ejus factum imitentur? nam sanctitate, & doctrinâ florebat.* Sed mirum est Hildeberti exempla produci, quo nemo fortiùs adversùs Reges, majoríque libertate pugnavit, ut posteà videbimus: quòd si daremus, eum in causa Regaliæ Principi cessisse, adhuc nihil probâsset; quo enim tempore Hildebertus floruit, anno videlicet 1222. necdum Concilium Lugdunense peractum, necdum Canones extabant, & anathemata, quibus extendi Regalia vetabatur: necdum Parlamentorum Senatûs-Consulta, Regum edicta, & quatuor sæculorum observantia; verbo, necdum lis decisa erat, & sententia pro Ecclesijs lata: nunc verò causa finita, & nullus amplius excusationi locus est. Non ergo eadem est conditio Episcoporũ, qui ante Concilium Lugdunense, & qui post illud vixere; olim venia errori, nunc nulla dari potest. Accedit Ecclesiam Turonensem, pro qua Hildebertus laborabat, ex illis Ecclesijs esse, quæ jam olim Regaliæ subdebantur, & de quibus nulla modò quæstio est. Cæterùm veritas est, nunquam Hildebertum eum fuisse, qui in damnum Ecclesiasticæ libertatis Regibus cederet, imò constantissimè obluctatum, quod ex ejus epistolis, actisque perspicuum est; is enim maluit sævissimâ persecutione ab Henri-

(a) Maimburg. du Lutheranisme. lib. 2. fol. 279.

Henrico Angliæ Rege jactari, & carceres subire, quàm ut ejus postulatis contra Ecclesiæ libertatem annueret; sic enim in una suarum epistolarum loquitur: (a) *Longum est enarrare, quàm constanti tyrannide Rex Anglus in nos sævierit, qui temperantiâ Regis abjectâ decreverit non priùs Pontifici parendum, quàm Pontificem compelleret in Sacrilegium; quia enim turres Ecclesiæ nostræ dejicere nolumus, transmarinis subjiciendi judicijs coacti sumus injurias pelagi sustinere.* Et alibi in epist. ad Episcopos, & Clericos omnes: (b) *Oro vos, orate pro me; nam pro Redemptione nihil ago. Semel Christi sanguine redemptus, iterum redimi non requiro. Sanguis ille Redemptio mea, Sanguis ille pretium meum: præterea infamis est Redemptio, quâ libertas perit Ecclesiæ, quâ servitus comparatur, &c.* Epistolâ ad Honorium II. *Quantis tribulationum turbinibus Turonensis agitetur Ecclesia, vestram, Venerande Pater, latere non credo Sanctitatem; adhuc enim Francorum Rex meam persequitur innocentiam, & quod constat esse Sanctuarij, addixit Fisco. His aliisque premor angustijs, quia Zelo Zelatus sum legem Domini DEI: qui non sum transgressus terminos, quos posuerunt Patres mei: quia dignitates Ecclesiasticas nec ex Regis præcepto dispposui, nec ei disponendi facultatem indulsi; sciens enim, quòd oporteret Deo magis obedire, quàm hominibus, Personas elegi, quæ in disponendis Ecclesiæ negotijs pondus diei portarent, & æstûs.* (c) Et alibi: (d) *Jam nihil est, quo serenitatem nimbosi temporis expectem: nihil est, quo navis, in cujus puppi sedeo, crebris agitata turbinibus portum quietis attingat. Silent amici, silent Sacerdotes JESU Christi, denique silent & illi, quorum suffragio credidi Regem in gratiam rediturum. Eorum tamen erat, si res ita postulâsset, opponere se murum pro Domo Israël. Verùm apud Serenissimum Regem opus est exhortatione potiùs, quàm increpatione, consilio, quàm præcepto: his ille conveniendus fuit, his reverenter instruendus, ne sagittas suas in sene compleret Sacerdote: ne Sanctiones canonicas evacuaret: ne persequeretur cineres Ecclesiæ jam sepultæ. Inter has tamen angustias nunquam de me sic ira triumphat, ut alicui super Christo Domini clamorem deponere vellem, seu pacem ipsius in manu forti, & excelsa adipisci. Suspecta est pax, ad quam non amore, sed vi, sublimes transeunt Potestates, & sæpe fiunt posteriora pejora prioribus, &c.* Et tandem in' hæc verba concludit digna memoratu: *Si invenero gratiam in oculis DEI, gratiam Regis vel facilè consequar, vel utiliter amittam; siquidem offendere hominem propter Dominum, lucrari*

(a) Epist. 20. Tomo. XII. Bibliot. SS. PP. V. Baron. ad Ann. 1107. n. 11.
(b) Epist. 39. in fin. (c) Epist. 67. ad Honor. II. Tomo XII. Biblioth. PP.
(d) Hildeb. epist. 75. ibid.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lucrari est gratiam Dei. Hîc jam vides Hildeberti mentem multò aliam, quàm ei Maimburgus affingat; vult enim tumultu, clamoribus, pœnísque canonicis abstinere, quæ Principes irritare magis, quàm mutare solent; sed interim moneri illos, instruique jubet, & misceri reverentiam libertati, paratus tamen eorum potiùs gratiâ proscribi, quàm Deum silentio offendere, & hoc ipsum lucro adscribens. Planè non est istud Regibus annuere, quod voluit Maimburgus, sed potiùs obniti, servatâ tamen reverentiâ Majestati debitâ. Quæ ergo fiducia Maimburgo fuit, Hildebertum inter exempla recensere Regibus assentantium? qui tamen maluit carceres, & inopiam ferre, quàm ut Regibus Ecclesiæ libertatem submitteret: alioquin, eâdémque ratione, & Susanna inter amantium, & Samson inter timidorum exempla referri possent.

At Hildebertus Intercessores quæsivit placando Regi. Verum id quidem; sed aliud est Principi assentiri, aliud rogare, ut innocentiæ, & ætati parcat jam sponte collabenti, & in occasum pronæ: si quis enim apud Barbaras gentes Evangelium prædicaret, captúsque & ærumnis confectus, aut auro se redimi, aut Principum officijs curet, quis propterea desertæ illum fidei incuset, aut sentire cum Barbaris dicat?

Quod verò Lutheri, & Melanchtonis exempla imitanda esse Episcopis dicat, quia à Carolo Imperatore jussi, concionibus abstinuere; id tam indignum, & ab omni procul ratione est, ut pudeat referre, nedum respondere; quis enim nescit ex Lutheri, & Melanchtonis disciplina Ecclesiæ ministros prophanis Magistratibus subdi? mirum ergo non est, ex istorum præscripto, aut tacere illos, aut loqui. At alia Catholicorum doctrina, alia instituta sunt; nisi fortè litare nos Jovi, & Marti, & Junoni jubeat, quia Aristoteles, & Demosthenes idem fecere; sed piget cum umbris luctari, pudétque Maimburgi tam fœda jactantis, séque ipsum ludibrio exponentis tam vilibus mercibus.

Sextò. Concludit Maimburgus: *In causis ambiguis, & quæ rationibus utrínque muniuntur, partes Episcoporum esse, ut acquiescant Principum voluntati; & istam Honorij, & Gregorij Pontificum sententiam fuisse.* (a) Hæc Conclusio suis principijs respondet, imò multò illis pejor est; nec

(a) Maimburg. du Luther. lib. 2. fol. 279.

tamen præsenti causæ accommodatur, quæ ambigua non est, sed luce meridianâ clarior, notæque certitudinis. Si enim, quod in Generali Concilio definitum est, quod totâ Galliâ receptum, quod quatuor sæculorum observantiâ, Regúmque Edictis, ac usu perpetuo exercitum, probatúmque est, non meretur, ut certum, clarúmque dici possit, quærimus, quid ergo sit rem esse claram, & certam? aut ad veram certitudinem, & claritatem quid illi desit? Nam quòd à Gallorum nonnullis negetur, non ideò certitudinem, & claritatem amittit: alioquin nec cœlum moveri, nec terram, & montes stare, nec furtum minus flagitium homicidio esse, res erunt certæ indubiæque; quippe ab aliquibus, Zenone videlicet, Copernico, Stoicisque Philosophis negatæ. Quid certius, quàm lilium candere, & fragrare rosas? at istud Domitianus negabat fimetis assuetus: illud ictero, & bile perfusi. Non ergo paucorum contra communem sensum opiniones, præsertim cùm affectibus velut morbis imbuuntur, certitudinem rebus, & claritatem adimunt. Quod verò addit, in rebus ambiguis, & rationibus in utrámque partem militantibus, cedendum esse Principum voluntati; id planè novum mirúmque est, & ab omni ratione alienum: imò in rebus ambiguis quid fieri, omittíque debeat, Sacerdotum, non Principum est, judicare, dicente Scriptura: (a) *Si difficile, & ambiguum judicium apud te esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variare; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæréque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem, & facies quodcúmque dixerint.* Et alibi: (b) *Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum, & pollutum, & cùm fuerit controversia, stabunt in judicijs meis, & judicabunt.* Hic vides in rebus controversis, pugnísque opinionum non Sacerdotes Principum voluntati, sed istos submitti Sacerdotum judicio; alioquin cùm nunquam rationes aliquæ Principibus desint, nunquam etiam corrigendi erunt, sempérque eorum voluntati Episcopi subjacebunt; quod quid est aliud, quàm Hierarchiam confundere, & ordines, ac castra Ecclesiæ turbare? Quantis rationibus Valens, Theodosius, Valentinianus, aliíque Imperatores cum Athanasio, Ambro-

(a) Deuter. 17. (b) Ezech. 44.

Ambrosio, Chrysostomo pugnabant? at nunquam impetrârunt, quæ postulabant; quippe Pastorum est regere, non ovium: Ducum imperare, non militum: Navarchi ad clavum sedere, ac ventos distinguere, non turbæ: Medici remedia, ac morbos cognoscere: & tandem Sacerdotum, non Principum, Ecclesiam docere.

Quod si absurdum est, ut quis artem doceat, quam nunquam didicit, calluitque, ut si auriga præcepta navigandi, tonsor pingendi tradant, & pictor tonsori, nauta parere aurigæ jubeatur; quantò absurdius, ut Principes castris, & aulis nati, sacrorúmque Canonum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ, & regendarum animarum ignari, Ecclesijs, & Episcopis præscribant, & isti ab illis ducantur, hoc est, videntes, & docti, à cæcis, ignarísque? præsertim cùm regulæ, & principia, quibus aulæ, & Ecclesiæ reguntur, tantis differant intervallis. Imò fatale semper Principibus fuit, se causis Ecclesiarum miscere, & arcam contingere prophanâ manu, quod Ecclesiasticam historiam percurrenti perpetuò occurret. Constantini M. Imperium, pace, victorijs, diuturnitate, amplitudine felicissimum fuit; crederes fortunam, & gratiam sub ejus signis militâsse, adeò omnia ex voto, prosperéque fluebant: Maxentius, & Licinius Imperatores victi: Scythæ Gothíque aliàs indomitæ gentes, fusi fugatíque, & vectigales redditi: Persæ debellati: Pax Imperio reddita, internis externísque bellis sopitis: & denique ab ultimis terræ partibus Indorum Legati auro gemmísque graves, universo velut orbe florem hunc Principum, & delitium generis humani adorante. At verò, ubi manum in Ecclesias vertit, proscripto Athanasio, quem intercepti ex Ægypto frumenti accusaverant, (a) continuò prosperorum finis, & mors secuta, veneno à fratribus propinato; quam ei mortem Athanasius prædixit; cùm enim exulandi imperium intrepido ut semper, invictóque animo accepisset, ferunt in has voces erupisse: (b) *Judicabit Dominus inter me & te, quoniam tu consentis calumniatoribus modestiæ nostræ.* Eadem ferè Theodosio juniori calamitas. Proclo Episcopo è vivis sublato successerat Flavianus; displicebat ea electio Chrysaphio Evnucho in aula præpotenti, & Eudoxiæ charo; quippe Flaviani sanctitatem verebatur flagitijs suis adversam, & Pulcheriæ viribus sub-

(a) Anno 333. (b) Epiphan. hær. 68.

Gallia vindicata

subnixam. Consilium ergo à dolis quæsitum. Monet Flavianum, ut Imperatorem sacro aliquo dono afficiat; id præmium fore acceptæ dignitatis, & arrham gratitudinis. Duo panes submissi; sed contendenti Evnucho, aurum, non panes expectari, respondit Episcopus: *Nullam sibi auri copiam esse, præterquam Sacri: hoc verò pauperibus, non aulæ deberi.* Hinc aucta offensio, & tunc præsertim, cùm Flavianus Pulcheriam monuit, eam ambitionis suspectam Ecclesijs destinari, ut Regiâ submoveretur: prævenítque illa spontaneo recessu, Episcopo interim reo vulgati arcani; nec prius cessatum, quàm armatis in illum Eutychianis, Synodóque Ephesinâ in exilium ageretur, annuítque Theodosius, privatis odijs à Chrysaphio, & Eudoxia imbutus. Secuta Dei vindicta, sequenti mox anno, Theodosio, dum venatui indulget, equis lapso, & in Album fluvium abrepto. (a)

Anno CCCCLII. Valentinianus III. Imperator lege editâ immunitatem Ecclesiasticam minuerat, sublatâ fori exceptione, quâ Clerici hactenus gaudebant, & servis, inquilinis, colonísque, ne votis monasticis se illigarent, prohibitis. Eodémque Anno Attila Italiam ingressus est, vastavítque torrentis more; Aquileia, Mediolanum, Ticinum captæ: & jam Romæ imminebat, cadebátque Imperium, nisi eloquentiâ, & Sanctitate Leonis Papæ respirásset, Barbaro in fugam, & ultra Danubium pulso. (b) Eam postea Legem Imperio fatalem Marcianus abolevit.

Anno DXVII. Hormisda Pontifex Max. Legatos cum Epistolis ad Anastasium Imperatorem miserat, monebátque, ut relictâ Eutychetis hæresi in Ecclesiæ sinum rediret, abstinerétque persequendis Episcopis. Legati non solùm auditi non sunt, sed etiam rejecti, & fragili cymbæ imparatæque impositi, cùm ventis, & undis liberet, perituri: inter alia contumaciter dicta etiam hæc audita, & diplomati inserta: (c) *Nos jubere volumus, non juberi.* Sed quo eventu? sequenti anno insomnijs, & spectris vexatus, ac fulmine percussus, cùm fugiens thalamos pererraret, infeliciter extinctus est. Elias verò Hierosolymis, Flavianus Antiochiæ Episcopi,

(a) V. Baron. ad Ann. 450. ex Ced. Nic. & Zon. (b) Marcellin. & Cassiod. in Chron. (c) Anastas. in Hormisd.

scopi, quos exilio punierat, decimo post die, cælesti tribunali assistere visi sunt, & causam suam contra Anastasium dicere. (a)

Anno DLXV. Justinianus Imperator non legibus, non armis contentus, quibus æternam gloriam sibi paraverat; dum etiam in ipsas aras manus profert, Concilio Chalcedonensi bellum intendit, Vigilium, aliósque Episcopos damnat, proscribitque, ac totas noctes versandis rebus Ecclesiæ insumit, repentinâ morte sublatus est, cùm priùs hæresin incidisset. Lis inter scriptores de Anima est; ego pænituisse crederem, & absolverem, si modò juvari posset credendo, optandóque: illud timorem auget, quòd eo momento raptus sit, quo Episcopo Antiocheno exilium dictabat. (b)

Anno DCCCCLXXXIII. Otho II. Episcopatum Merseburgensem Beato Laurentio dicatum extinxerat, unierátque Archiepiscopatui Magdeburgensi: eodem anno festinante Deo vindictam ejus exercitus à Græcis in Calabria cæsi, & ipse Imperator vix natando evasit, pervenítque Romam, ubi etiam mœrore consumptus est. Auctor Vitæ S. Hildeberti (c) narrat paulò ante mortem, & nocte intempestâ juvenem apparuisse, decoro ignitóque vultu, & candido amiculo, purpureáque stolâ insignem. Aureum solium Imperatorem sustinebat, circumfusâ Episcoporum, Optimatúmque coronâ. Illuc juvenis accurrit, subduxitque argenteum suppedaneum irato simili; & uni, ne id ageret, inclamanti, minaciter respondit: *Imò, si meum dedecus non emendat, majora faciam, & subtracto scabello ipso solio deponam.* Paulò pòst, ut fides vaticinio esset, secuta clades, & mors Imperatoris. In hujus filio Ottone videlicet III. Magni Ottonis Nepote (qui veneno perijt chirothecis ab Amica infuso) concidit Regnantium Ottonum stirps; idque, ut creditur, in pœnam usurpatæ Pontificum electionis, ut scribit Baronius. (d) Nam si Ottonis fortunam, virtutes, & potentiam spectes, perpetuum in ejus familia videri Regnum poterat, fuissétque, si intra aulam, & castra stetisset, Ecclesijs intactis.

Anno MXXXVII. Conradus Imperator Mediolani Archiepiscopum Imperio perduellem bello petijt, agrum Mediolanensem vastavit,

(a) V. Spond. ex Cyrillo, & Sophron. Anno 518. (b) V. Niceph. lib. 17. cap. 31. Enag. lib. 3. cap. 2. (c) Auctor Vitæ S. Hildeberti contemporaneus apud Sur. die 23. Apr. (d) Baron. ad Ann. 1002.

Gallia vindicata

ſtavit, & leges victis præſcripſit; inter quos Placentinum, Cremonenſem, & Vercellenſem Epiſcopos exilio damnavit; ſed Deo improbante: (a) cùm enim Coronam Imperialem incingeret, tonitrua, & fulmina micare, tantóque impetu tempeſtas agebatur, ut alij mente, alij vitâ exciderent; & Bruno Epiſcopus teſtatus eſt, viſum à ſe, dum Sacris operaretur, Sanctum Ambroſium irato minacíque vultu vindictæ accingi: nec multùm dilata eſt, ingenti peſte in exercitus immiſsâ, quæ etiam domum Cæſaris libavit, & ipſe inopinâ morte deceſſit. (b)

Anno MCVI. Henricus III. Imperator, qui Gregorium VII. auſus fuerat Pontificatu exuere, Antipapam Guibertum decernere, Romam invadere, omnes, qui legitimo Pontifici adhæſerant, perſequi; (c) tandem à Principibus deſertus, à filio oppugnatus, coactúſque imperio cedere, vitam privatus abſolvit, omnium ferè, quiejus ſcelera execrabantur, gratulatione.

Anno MCXC. Fridericus Ænobarbus Imperator, cùm in Oriente militaret, & ingentibus victorijs Saladinum profligâſſet, cæſis unâ acie quadringentis millibus equitum, cùm ipſe ſexcentos tantùm haberet: alterâ ducentis millibus; infelici caſu ſpem omnem, fructúmque tot laborum amiſit; cùm enim propter ripam Cydni amnis, quem paulò ante tranſmiſerat, epulatus eſſet, æſtum ſolis, qui tum maximè flagrabat, levaturus, invitante puriſſimo liquore, in amnem ſe conjecit, excepit deliquium animíque defectio, & ſub veſperam mors. Secutæ omnium lacrymæ, etiam hoſtium. Fas equidem non eſt, Divina conſilia metiri oculo mortali. Neubrigenſis (d) tamen non dubitat cæleſti vindictæ adſcribere, quam Fridericus provocaverit perſecutione Alexandri Pontificis, & quòd electiones Epiſcoporum turbâſſet. Friderico Henricus Filius ſucceſſit, & huic Otto; nam Philippum ex Henrico Friderici Nepotem Innocentius III. rejecerat, utpote diris implicitum, cùm à nonnullis Principum electus eſt: & illi res proſperæ, florénſque fortuna, dum ſacris reverentiam habuit. At verò, ubi Beneficiorum immemor, quæ ab Innocentio III. acceperat, Eccleſiæ terras invaſit,

(a) Sigebert. in Chron. ad Ann. 1039. (b) Herman. Contract. ad Ann. 1037. (c) V. Otton. Friſing. & Urſperg. in Henr. III. (d) Neubrig. Lib. 4. cap. 13.

invaſit, multis prælijs cæſus, à ſuiſque relictus, Imperio, & vitâ caruit; pœnituit tamen, doluitque. (a)

Fridericus II. Romanæ Eccleſiæ, ſummíſque Pontificibus toties infeſtus, & anathemate percuſſus, tandem à proprio filio ſtrangulatur. (b)

Infinitus ſim, ſi omnia percurram, quæ in hanc rem dici poſſunt. Sunt etiam memoratu digna, quæ in ſacris litteris proponuntur: Oziæ videlicet Regis: (c) *Qui cùm roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum; ingreſſúſque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare Thymiamatis, & minabatur Sacerdotibus, ſtatímque orta eſt lepra in fronte illius, &c.* Et Saulis, cujus pavendum Regibus exemplum, cùm Sacrificia obtuliſſet contra præceptum Samuelis, Sacræ litteræ ita recenſent: (d) *Et obtulit Saul Holocauſta, & pacifica; cúmque complèſſet offerens Sacrificia, ecce Samuel veniebat, & egreſſus eſt ei obviàm, ut ſalutaret eum; & dixit ei Samuel: Quid feciſti? Reſpondit Saul: Quia vidi, quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras juxta placitos dies, porrò Philiſtijm congregati fuerant in Machmas; neceſſitate ductus, obtuli holocauſtum. Dixítque Samuel: ſtultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini DEI tui, quæ præcepit tibi; quod ſi non feciſſes, jam tunc præparâſſet Dominus Regnum tuum in ſempiternum; ſed nequaquam Regnum tuum conſurget.* Hic jam vides, quantum inter ſe differant DEI, & Politicorum conſilia: volunt iſti, ut Principibus aliqua imperantibus, & rationes imperandi afferentibus, Epiſcopi non ſolùm non obſiſtant, ſed etiam obſequantur, quamvis iniquum imperium putent, improbéntque rationes, velut Divinæ Legi contrarias, quæſitáſque velandis flagitijs. At alia DEI ſententia eſt, qui in rebus ambiguis vult ex Sacerdotum arbitrio Reges pendere; ſtultóſque appellat, qui in rebus ſacris exiles aliquas prudentiæ humanæ regulas eorum præceptis anteponunt. Quæ non obtendebat Saul, ne imperio Samuelis ſtringeretur? Morari Sacerdotem, exercitum dilabi, hoſtes imminere, & tandem neceſſitatem omni lege majorem. Si Maimburgus in caſtris, & Senatu fuiſſet, non unum tantùm Samuelem, ſed omnes Prophetas, & Patriarchas his rationibus repuliſſet, nec ullum finem laudandi Regis inveniret; & tamen is ſtultus appellatur,

(a) V. Abb. Urſperg. & Stadenſ. ad Ann. 1214. (b) Anno 1250. (c) Paralip. 2. cap. 26. (d) Reg. 1. cap. 13.

Gallia vindicata

latur, & in præmium contempti Sacerdotis Regno movetur. Idem ferè in alijs exemplis, quæ produxi observes; nemo enim Imperatorum, cùm Sacerdotibus obsisteret, suis rationibus carebat: nec istæ unquam Principibus desunt, in tanto adulantium numero, & qui ingenia, calamósque locant inaurandis mendacijs, celandisque, ne appareant. Nec funestos eorum exitus casui adscribas, non destinatæ vindictæ; quæ enim casu fiunt, rarò paucisque contingunt, nec uni facto alligantur; nec enim omnes, qui fodiunt, in thesauros incidunt: nec omnes, qui navigant, in novas Insulas, & Regna jactantur; at verò omnes ferè, qui rebus sacris, & Sacerdotibus salubria monentibus infesti fuerunt, cælestem vindictam experti sunt. Huc tendunt Maimburgi insignes Aphorismi, quos meritò *Artem* appelles, *blandissimè pereundi.*

IV. *Opponitur* 10. Plerique Episcoporum, imò omnes, si duos excipias, Regaliæ, ejúsque extensioni subscripsere: cur ergo omnium sententia non duobus prævaleat? nam & pietate, & doctrinâ conspicui erant. Quis ergo credat, aut cæcos illos omnes, aut impios fuisse, ut veritatem vel non viderent, vel proderent? Et planè cùm in rebus moralibus maximum sit momentum in auctoritate dicentium, ea vincet sententia, quæ plus habet auctoritatis; ea verò plus habet auctoritatis, quæ omnium, quàm quæ paucorum est.

℟. Multa sunt, quæ responderi possent ad hoc argumentum; supponit enim falsum, videlicet duos tantùm fuisse Episcopos, qui se Regaliæ opponerent; imò plerique obstitere, & quàm ægrè, invitóque animo Regiam Declarationem acciperent, multis signis expressérunt: alij protestati sunt: alij eodem momento, cùm subscribebant, cogi se clamabant, jubebántque à Notario, & testibus in tabulas referri: (a) omnes denique, cùm ad Pontificem scripsere, timorem professi sunt. (b) Agnoscebant ergo injusta imperari, & quæ libertatem Ecclesiarum, & conscientiam læderent. Nec consensus dici potuit, quem metus expresserat.

Non ergo Alectensis, & Apamiensis Episcopi contra omnes soli sentiebant, imò cum omnibus, cùm nemo esset, qui ignoraret, iniqua à Regijs postulari. Solitamen ausi sunt veritatem exilijs, & pœnis præferre, & humanum timorem Divino posthabere. Nec ista,

(a) M. de Pamiers Tract. de la Regale f. 178. (b) Epist. Innoc. XI. ad Episc. Gall.

ista, ut Politici vocant, singularitas, aut obstinatio fuit, sed constantia, & libertas Sacerdotibus digna; alioquin obstinati omnes Martyres: & Ambrosius, Chrysostomus, Athanasius, Basilius obstinati fuistis. Quòd si, ut dicunt, plurium exemplis vivendum est, quæ non flagitia licebunt, aut qui locus virtuti? cùm ista paucorum sit, illa verò multorum?

Deinde quâ fiduciâ dicunt solos fuisse Alectensem, & Apamiensem Episcopos, qui noluerint extendendæ Regaliæ consensum præstare? quî enim soli, qui cum Concilio Universali Lugdunensi mille, & quingentis Patribus frequenti (inter quos duo Patriarchæ, Constantinopolitanus, & Antiochenus, quindecim Cardinales, septuaginta Archiepiscopi, & Episcopi quingenti) hoc est, cum flore totius Reipublicæ Christianæ, cum omnibus quatuor sæculorum sacris prophanisque Doctoribus sentiebant? Et si omnia deessent, qui suffragio imperióque Romani Pontificis nitebantur: si hoc est esse solum, quæro, quid ergo sit cum multis sentire? aut qui sunt illi, quos audeas, non dico præferre, sed etiam æquare Concilio Lugdunensi? Et si omnium sæculorum documenta, moresque percurras, invenies id semper à sanctis Episcopis observatum, ut illi causæ adhærerent, eámque probarent, quæ Romanis Pontificibus placuisset, & ab hoc victoriam, non à multitudine sperarent. Exempla in promptu. Athanasium totus ferè Orbis, omnésque Episcopi damnaverant, solus Liberius tuebatur; cui cùm Constantius Imperator objiceret: *Totus terrarum Orbis non de ejus impietate solùm, verùm etiam, quòd tempus ludere conatus est, sententiam tulit, omnésque terrarum Episcopi, qui in Concilio Tyri celebrato aderant, eum condemnaverunt. Tantáne Orbis pars in te, Liberi, residet, ut tu solus homini impio subsidio venire, & pacem Orbi, ac Mundi totius dirimere audeas?* Respondit Liberius, quæ ad rem præsentem apprimè faciunt: *Qui ejus damnationi subscripserunt, hoc ideò fecérunt, vel quòd gloriam à te assequi, vel quòd metu perculsi, vel denique quòd infamiam extimescere viderentur, nec Dei gloriam amplexantes, tua munera ei prætulerunt. Esto, quòd ego sim solus, non propterea causa fidei sit inferior; nam olim tres solùm erant reperti, qui Regis mandato resisterent.* Et cùm Constantius replicaret: *Unum est, quod quæritur: volo, ut tu Ecclesiarum Athanasium condemnantium communionem amplectaris, & deinde Romam redeas; proinde paci consule, subscribe, ut Romam*

 rever-

Gallia vindicata

revertaris. Respondit dignam Pontifice sententiam: *Jam fratres, qui Romæ sunt, valere jussi; nam leges Ecclesiasticas observare pluris facio, quàm Romæ habere domicilium.* (a)

Hìc vides, nec Liberium multitudinem, nec Athanasium spectâsse, sed huic Liberij sententiam, Liberio Athanasij innocentiam, & æquitatem ante omnem multitudinem fuisse. Joannem Chrysostomum ab omnibus ferè desertum, damnatúmque in gratiam Imperatricis, nihil magis inter tot mala solabatur, ut Innocentij Pontificis cura, & amicitia secum sentientis; sic enim, cùm Cucusi exularet, ad eundem Pontificem scribit: (b) *Tertium nunc annum in exilio versamur, expositi pesti, fami, bello, continuis obsidionibus, solitudini indicibili, quotidianæ morti, & Isauricis gladijs: & non mediocriter consolantur vestra solida fides, & charitas, quæ se in me tam tenui, ac simplici obtulerunt. Hìc noster murus, hæc securitas, hic portus absque fluctibus, hic multorum bonorum thesaurus, hæc lætitiæ, mirificæq; causa voluptatis, &c.*

Advertis, quid Sanctis olim solatio fuerit, Romanum videlicet Pontificem à suis partibus stare. Solus erat Anselmus, qui libertatem Ecclesiæ Anglicanæ sustineret, reliquis omnibus silentio, & metu defixis; sic enim narrat Matthæus Paris. (c) *Anselmus à Rege ut læsæ Majestatis reus postulatur; huic accusationi, & plurimi Episcopi, præter Episcopum Rossensem, suum calculum adjiciebant, & facti sunt ut canes latrare non audentes.* Sed quid Anselmo animos adderet, disce ex Wilhelmo Malmesburiensi: *Jubetur,* inquit, *Anselmus Regi hominium facere, vel absolutis morarum nexibus Regno excedere. Quin potiùs, respondit ille, inspiciatur Apostolicæ litteræ, & quod tenor earum continet, fiat, &c.* Solus D. Thomas Cantuariensis in acie perstabat, reliquis omnibus in fugam aversis; sic enim Bosoni Cardinali scribit: (d) *Quem aliorum Episcoporum in Insula nostra vidisti, aut legisti se pro tuenda libertate Ecclesiæ, pro conservandis Institutionibus Patrum, pro reverentia, & obedientia Sedis Apostolicæ, præter Cantuarienses, se opposuisse Principibus? & nostrâ quidem ætate, nec usquam extitit: & si veteres revolvantur historiæ, nullus occurret, &c.* Sed quid eum sustentaret tot adversis impulsum, audi ad Alexandrum PP. scribentem: (e) *Non est, ad quem habeamus refugium post Deum, nisi ad vos cum*

(a) Theodoret. lib. 2. cap. 16. Anno 355. (b) S. Chrysost. epist. 2. ex 7. Anno 406. (c) Matthæus Paris. sub. Gul. 2. ad Ann. 1094. (d) Epistolæ & Vit. D. Thomæ lib. 1. epist. 136. (e) Ibid. epist. 47. lib. 2.

cùm etiam ipſi opponant ſe nobis favore hominum, qui intuitu pietatis, & juſtitiæ ob reverentiam Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ nobiſcum ſtare debuerant, & pugnare pro nobis. Et ad Henricum Cardinalem: (a) *Certum verò ſit, quòd nos peram noſtram, vel cauſam Eccleſiæ non credemus, niſi judicio Domini Papæ, cui Eccleſia Anglicana ſtabit, aut cadet.* Ergo D. Thomæ tam fœdâ tempeſtate jactato portus Romæ, & anchora fuit; idémque omnibus ſanctis Epiſcopis animus erat, qui Chriſtum in ſuo Vicario, cùm extremis premerentur, amplexabantur: idque D. Hieronymus egregiè expreſſit: (b) *Ego*, inquiens, *nullum præmium, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio; quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt, &c.* Et iterum: *Hic in tres partes ſciſſa Eccleſia me ad ſe rapere feſtinat; ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Non ergo obſtinati, non ſingulares, Alectenſis, & Apamienſis Epiſcopi fuerunt, qui omnium retrò Patrum, & Galliæ ipſius exempla, ac Pontificis Romani juſſa, adulationi, ſuiſque commodis prætulere; aut ſi iſta contumacia fuit, Apoſtoli, Martyres, omnéſque ſancti Epiſcopi iſtius culpæ rei ſunt; iſtos priùs incuſent, nam exemplis præluxere. Quòd ſi veritas aliquando, & apertè dicenda eſt, ac Principibus obſiſtendum: nec pœnæ, exilia ac regnantium odia curanda ſunt; quæro, quando id magis, quàm in præſenti cauſa agendum fuerit, ubi tot modis veritas eluxit, ut ne ab adverſarijs quidem negata ſit; & qui illam prodidere, ſolum metum profeſſi ſint. At metus nec militem, nec Epiſcopum excuſat, cui dictum eſt: *Bonus Paſtor ponit animam ſuam pro ovibus ſuis.*

Quando animam ponent, qui ne vocem quidem auſi ſunt ponere memorem priſtinæ libertatis? aut quæ ignavia Paſtoris fuit, non tantùm cominus non pugnare; ſed ne clamare quidem auſi contra lupum irruentem? miſeras oves his cuſtodibus creditas! ſed quid dicas, quando nec pugnatum pro ovibus eſt, nec clamatum, ſed fœdus potiùs, & ſocietas cum vaſtantibus inita? At iſtud non Chryſoſtomi, non Baſilij, non Ambroſij fecere, quorum virtuti, & doctrinæ, ſi Maimburgum componas, ne umbram quidem

(a) Ibid. lib. 2. epiſt. 73. (b) Hieron. epiſt. ad Damaſum Papam.

dem efficiet; neque ipse pro sua modestia diffitebitur: cur ergo non eorum potiùs exempla imiteris, quàm istum audias?

Dices. At eorum auctoritas, qui Regis Declarationem, extensionémque Regaliæ admiserunt, hanc opinionem probabilem reddit; cur ergo non liceat amplecti? nam & hæc est probabilium sententiarum natura, & privilegium, ut eas impunè, ac innocenter amplecti possis: & hac tempestate id more receptum, ut patet totam Theologiam moralem decurrenti, in qua nullam ferè paginam reperias, non hoc saccharo animarum refertam. Et ferè, ut jam novitas, ac illecebræ colorum in vestibus, ita novitas sententiarum in scholis admissa est, mundóque arridet; quidni ergo te tempori aptes?

℟. Non est otij, ac instituti mei, quantam moribus, ac disciplinæ Ecclesiasticæ cladem opinandi licentia intulerit, hic ostendere: satis experientia loquitur, & dedecora sententiarum, quæ Theologiam defœdârunt, adeò, ut non amplius castæ Matronæ similis, sed impudica, crudelis, mendáxque procedat, & qualem vel ipsi Gentiles, Socrates, & Aristoteles, aversentur: mille videlicet coloribus fucata, & omnium amoribus, & cupiditati prompta; possémque longâ inductione demonstrare, nullum ferè Decalogi præceptum esse, quod illa non corruperit, cassúmque reddiderit; imò non Catholicæ tantùm, sed etiam Christianæ Religionis fundamenta convellit; hinc tot illæ Episcoporum, & Pontificum querelæ, conatúsque huic malo sedando: nec alij magis ei tollendo, ut Galliæ Episcopi laborârunt. Malè ergo præsidium petunt ab opinandi licentia, quam & ipsi erubescunt, damnántque, sed, ut dixi, alterius loci hæc quæstio est. Hîc solùm asserimus, sententiam, quæ docuit Regaliam extendi posse, nequaquam inter probabiles censeri; quî enim probabilis esse possit, quæ ab Universali Concilio damnata est? quæ diris percussa?

Quæ in Concilijs Universalibus decreta sunt, adeò ex sententia Conventûs Parisiensis pro certis habenda, ut ne à Pontifice quidem mutari possint. Si certa, ergo quæ illis opponuntur, non sunt probabilia, sed penitus improbabilia, & absurda; quemadmodùm quia hæc propositio: *Nix est alba:* est certa; ideò propositio illi opposita, videlicet: *Nix non est alba:* est omnino improbabilis; nam, ut dixi, quid-

quidquid certo opponitur, est penitus improbabile. Quòd si illa, quæ Conciliorum Decretis opponuntur, sustineri ut probabilia possunt; ergo quæ ab Ario, à Nestorio, à Pelagio, Luthero, aliisque hæreticis tradita, & à Concilijs improbata sunt, defendi ut probabilia, tenerique poterunt; nam si dicas: *Ideò hæreses esse, quia Scripturis adversantur, & à tota Ecclesia rejectæ.* Continuò respondebunt: *Hoc ipsum quæri, an Scripturis adversentur, an Ecclesia rejecerit? utrúmque quidem in Concilijs definitum esse, sed utrúmque à se negari: sententiam Concilijs contrariam, ut probabilem sustineri; quippe non tantam esse Conciliorum auctoritatem, ut contra illam non agere, non sentire liceat.* Vides, quo tandem deveniant, quibus non tam veritas ad scribendum, quàm affectus, & cupiditas fuit; coguntur enim refellere, quæ prius edixerant: & auctoritatem Conciliorum, quam priùs ad stellas usque evexerant, cùm videlicet eam Pontifici opponebant, nunc tantundem deprimere, cùm se illâ vident impugnari. Ergo Concilia nunc infirma, nunc valida sunt, ut Gallis conduxerit. Et quid rogo Concilijs opus, tot expensis, tot laboribus, annisque coactis, si quæ illa vetant, fieri adhuc possunt probabilitatis obtentu? hæc enim aperit, quod illa claudunt: parúmque interest exire volenti, si cùm unam clauseris januam, alteram pandas.

Sed Concilium, dices, *non potuit admere, quæ ad jura, Regúmque Dignitates spectant; id verò est Jus Regaliæ.*

Respondeo Jus Regaliæ plura complecti: Jus videlicet percipiendi fructus feudales, & Regalium: Jus percipiendi alios fructus ex oblationibus, & donationibus fidelium: & denique jus conferendi Canonicatus, & alia Beneficia vacantis Ecclesiæ: hæc duo ad Regiam potestatem pertinere, nec legibus Ecclesiæ subijci, tam est falsum, ut nihil amplius; aut enim hæc jura sunt sacra, aut profana? si sacra, non ergo ad Dignitates profanas spectare possunt: si profana, cur Canones toties, imò semper de illis disponunt? cur vetant in usus profanos converti? cur sacrilegij notant qui illa invadunt? cur Simoniacos, qui dato acceptóque pretio acquirunt? hæc planè haud conveniunt merè profanis: & mirum est, aut ignorâsse Concilium, quæ illius essent, vel non essent potestatis: aut voluisse aliena usurpare: aut Principes, qui tanto numero aderant, passos esse sua jura involari, præsertim Galliæ Reges (qui hoc Concilij

Decretum quadringentis ferè annis amplexati sunt, nunquam injuriam questi) aut denique Maimburgum, eique similes, quæ jura Principum essent, meliùs, quàm ipsos Principes, Patrésque Concilij calluisse; hæc omnia tam clara sunt, ut ab illis tantùm ignorari possint, qui *nolunt intelligere, ut bene agant.*

Ex his omnibus manifestè conficitur, nullam Conventui Parisiensi contra Universale Concilium auctoritatem fuisse, nec posse, quæ illi statuerunt, ut probabilia sustineri; præsertim cùm metu agerentur, quod ipsi in epistolis ad Innocentium XI. Pontificem Maximum professi sunt; quis enim nescit, suffragia metu extorta pro nullis haberi? nec is metus ex vano erat, cùm passim spolia, exilia, carceres, & pejora etiam illis omnibus indicerentur, qui Regaliæ obsisterent; quî ergo vota numerari possunt tot minis pœnisque expressa? absint catenæ, cessent proscriptiones, odia minásque removete, ineantur suffragia sine contentione, & minis; liberæ sint voces Sacerdotum, & tunc demum vota, & consensus numerate, nunc verò quid extorta objicitis, & prolata invitis animis? voces, non vota fuerunt. Et denique si absint hæc omnia; quis nescit Acta Conventûs Parisiensis à Pontifice Romano improbata esse? sic enim in litteris ad Galliæ Episcopos datis loquitur: *Quamobrem per præsentes litteras traditâ nobis ab Omnipotente Deo auctoritate, improbamus, rescindimus, & cassamus, quæ in istis vestris Comitijs acta sunt in negotio Regaliæ, cum omnibus inde secutis, & quæ in posterum attentari continget, eáque perpetuò irrita, & nulla, & inania declaramus; quamvis cùm sint ipsa per se nulla, cassatione, & declaratione hujusmodi non egerent.* (a)

At verò Acta Conciliorum, quæ Pontifices Romani improbârunt, nullius roboris esse, nec posse in opus deduci obtentu probabilitatis, res est certa, & toti retrò antiquitati nota, ac alibi probata. Sufficiat nunc audire S. Leonem: (b) *Consensiones,* inquit, *Episcoporum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per Auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Et Beatum Gregorium: (c) *Cuncta acta illius Synodi Sede contradicente*

(a) Litt. Innoc. XI. ad Arch. & Episc. Galliæ Anno 1682. (b) Acta Conciliorum à Romanis PP. improbata nullius momenti esse Regal. Sacerd. lib. 2. § 10. S. Leo ep. ad Pulch. 55. (c) Greg. lib. 4. ep. 34. Basil. ep. ad Athanas. 52. Theodoret. lib. 2. cap. 22. Sozom. lib. 4. cap. 18. & iterum Greg. lib. 7. cap. 70.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dicente Apoſtolicâ, ſoluta ſunt. Nec audebunt Galli negare, qui ſaltem Concilia particularia infra Pontificis auctoritatem eſſe docent, ejúſque legibus, & poteſtati ſubjecta. In quamcúnque ergo partem te vertas, nulla eſt Comitijs Pariſienſibus auctoritas, nulla probabilitas, quâ munire te poſſis.

Objicitur 11. At ſaltem, quamvis omnia alia deſint, nomen, & auctoritas Eccleſiæ Gallicanæ multum momenti, & ponderis habet, & aliquid ei deferendum erit, nec enim perſuaderi hominibus poteſt, errâſſe viros tantâ doctrinâ, & virtute, ac famâ præcipuos.

℟. Mirum non eſt, illic errorem fuiſſe, ubi alios odium, & vindicta, alios ſpes, & cupiditas, omnes verò metus urgebat. Quanti Oſius, Tertullianus, Lucifer, Origenes, Patréſque Ariminenſes viri? & hi tamen ijſdem cauſis cecidere. Etiam angelos ſubvertit faſtus, & æmulatio. Quòd ſi durum, creditúque difficile tibi videtur aliquot Galliæ Epiſcopos errâſſe: at mihi multò durius, errâſſe Concilium Lugdunenſe, mille Infulis frequens, & cum illo quadringentos fere annos errâſſe Eccleſiam Gallicanam, quæ in hæc uſque tempora Regaliam negavit poſſe dilatari; vanitas enim & fucus eſt, cùm dicunt Gallicanam Eccleſiam Regaliæ ſuffragari; imò nulla magis obnixa eſt, nec olim tantùm, ſed etiam hac tempeſtate ut injuſtam agnovit; & planè ab Eccleſiæ Gallicanæ genio, ac inſtitutis degenerat, qui proferendæ Regaliæ aſſenſum præbuit.

Anno MCCLXXIV. Concilium Lugdunenſe, cujus Galliæ Epiſcopi magna pars erant, Regaliam extendi vetuit: idémque Regis Chriſtianiſſimi Philippi Audacis Oratores cenſuerunt: imò, ut fatetur Guillelmus Durandus (a) teſtis oculatus, quíque Canones Concilij pertexebat, hoc ipſum Decretum *ad clamores Prælatorum Franciæ promulgatum eſt.* Nobiſcum ergo tunc Gallia ſentiebat.

Anno MCCCII. Philippus Pulcher jubet Regaliam *ad aliquas* tantùm Eccleſias, & ubi hactenus *conſueverat*, pertinere.

Anno MCCCIV. Philippus Valeſius in ſua Philippina Conſtitutione Regaliam non ab omnibus Eccleſijs exigi vult, ſed ab ijs tantùm, *quæ Juri Regaliæ ſubſunt.* Eodem modo loquitur Conſtitutio: *Dum Epiſcopus.* Et Codex de antiquis moribus Galliæ: (b) *Non omnes Epiſcopatus Juri Regaliæ ſubduntur.* Anno

(a) Guill. Durand. in Concil. Lugdunenſ. edito à Simone Majolo Anno 1569.
(b) L' ancien. Coutumier de France lib. 3.

Anno circiter MCCCC. Celebris illa Constitutio edita est, cujus initium, *Dominus Rex*, in qua index omnium Episcopatuum contexitur, in quibus Regaliæ locus est, aut non est, ibi: *Dominus Rex, prout constat per antiqua scripta Cameræ, consuevit capere Regaliam, cùm vacaverit in Provincijs, quæ sequuntur: in tota Provincia Senonensi, &c. Exceptis Diœcesi Antisiodorensi, Cameracensi, Lemovicensi, Cathurcensi, Ruthenensi, Albiensi, Mimatensi, Maclovensi, Trecorensi, Auxitanensi, Arelatensi, & totâ linguâ Occitanâ.* Evidens ergo est, ad aliqua tantùm Galliæ loca Regaliam fuisse restrictam.

Anno MCCCLII. Alia, & antiquior Constitutio, seu Designatio edita est Ecclesiarum Regaliæ subjectarum, cui titulus: *Ecclesiæ cadentes in Regaliam*: & habetur in Regesto rationum Cameræ Parisiensis, continétque triginta Diœceseon nomina, inter quæ nulla penitus Ecclesia Provinciarum Aquitaniæ, Septimaniæ, Provinciæ, & Delphinatûs; supponit ergo has esse exemptas.

Anno MCCCCXCIX. Ludovicus XII. prohibet sub pœna Sacrilegij, ne Officiales Regij in eos Archiepiscopatus, aut Episcopatus Regaliam inducant, in quibus hactenus ea Regi non competebat.

Anno MDLXXXIII. Cùm Pybracus celebris Advocatus contenderet Regaliam toto Regno extendi, reclamaverunt Ecclesiæ Gallicanæ Deputati, & Henrico III. demonstrârunt: Ecclesias, non solùm quæ titulo oneroso, sed etiam quæ à tempore memoriam hominum excedente libertatem suam possedissent, Regaliâ exemptas esse.

Anno MDCVI. Cùm eandem Regaliæ extensionem Regij Advocati urgerent; ad querelas Ecclesiæ Gallicanæ Henricus IV. edixit: *Suæ mentis non esse, ut ultra morem, receptámque hactenus consuetudinem Regalia extendatur.*

Anno MDCVIII. Advocato Servino eandem Regaliæ ad omnes Ecclesias extensionem urgente, à Clero Gallicano repetitæ querelæ, suas immunitates minui clamante; & Henricus supersedere jussit, causámque ad se avocavit.

Anno MDCXXXVIII. Syndicus Ecclesiarum Narbonensis, & Tholosanæ Senatui Regio titulos, & documenta exhibet, ob quæ in eas Ecclesias nullum esse Regaliæ locum contendebat, protesta-

tus

tus tamen, ne hic actus, & abundans, nec necessaria probatio, ullum ijs Ecclesijs præjudicium afferret.

Anno MDCLV. In Comitijs Cleri Generalibus Bosquetus Glanensis Episcopus, & Marca Archiepiscopus Tholosanus coram Mazarino Cardinali eleganter solidéque Exemptionem Ecclesiarum Septimaniæ, aliarúmque, & nomine Cleri Gallicani prosecuti sunt.

Anno MDCLXX. In Comitijs Cleri Archiepiscopus Hebromanensis pro eadem à Regalia exemptione insigniter diffuséque peroravit; ejúsque de hac re Dissertatio in Cleri Archivia reposita est.

Anno MDCLXXXII. Illi ipsi, qui Regaliæ subscripserunt, in litteris ad Innocentium Pontificem datis, profitentur: *Se timore adactos, ne Imperium, & Sacerdotium colliderentur, multorúmque malorum, quæ in Ecclesiam, & Rempublicam consequi possent, jure suo cessisse, & illud in Regem contulisse.* Fatentur ergo, jus percipiendi fructus vacantium Ecclesiarum, conferendíque Beneficia, ad Clerum, non ad Regem pertinere: alioquin quomodo cederet Clerus, quod ad eum non pertinebat? quomodo in Regem transferret, quòd aliàs ad Regem spectaret? Denique in hanc nostram sententiam omnes ferè Galliæ Juris-Consulti conveniunt, videlicet: Gille le Maistre, Glossa in Pragmaticam Sanctionem, Duarin de Grassalis, Probus, Choppinus, Carondas, Rebuffus, Pasquier, Ossatus Cardinalis, Marca Archiepiscopus Parisiensis, Bosquet, &c.

Quæ cùm ita se habeant, quærimus, quænam tandem sit illa Ecclesia Gallicana, cujus nomine gloriantur, & quam volunt Regaliæ suffragari? & quibus membris constet? Regibus? at isti extendi Regaliam vetant. Clero? at semper obstitêre. Juris-Consultis? pro nobis scribunt, decidúntque. Quid ergo de Ecclesia Gallicana illis supereſt, quæ tota nostrarum partium est? Et sæpe, cùm ista mecum perpenderem, subijt dubitatio, an Galli dicendi, aut saltem an Galliæ spiritu, & doctrinis imbuti essent, qui tam aliena à Gallorum sensu dicerent scriberéntque? & quæ tam mira constellatio fuerit, quæ Ecclesiæ Gallicanæ novam hanc indolem, vultúmque induxerit ab antiquo dissimilem? Nihil ergo in hac causa Gallicanæ doctrinæ, præter nomen agnoscimus; quo in singulis ferè paginis repetito, terrere Maimburgus ignaros voluit, sed unà seipsum ridendum dare, magno quidem sono, sed rebus vacuo.

§ VII.

Respondetur ad ea, quæ à P. Alexandro Natali ad sæculum XIII. & XIV. in favorem Regaliæ producta sunt.

SUMMARIA.

1. Patris Alexandri Natalis pro Regalia Dissertatio istius causæ imbecillitatem demonstrat.

2. Exempla à P. Alexandro producta, ex illis ipsis auctoribus, quos citat, iniquitatis convicta.

3. Totam ferè Dissertationem suam extra orbitam, statúmque quæstionis perducit.

4. Principia ab hoc Auctore posita contra Regaliam militant.

5. Quàm sint inania, & friuola quæ ad Patrum, Canonúmque testimonia respondet.

6. Nihil exemplis probari, ex antiquo Testamento petitis.

7. Ad alia objecta respondetur.

8. Arresta, Senatûs-Consulta, ultimam Regiam Declarationem, Consensúmque Patrum Parisiensis Conventûs nihil pro Regalia facere.

I.

Scripsit quóque in favorem Regaliæ P. Alexander Natalis ex Ordine Prædicatorum, Theologiæ Doctor, & Professor in Collegio Parisiensi. Quæ ab isto pro tuenda Regaliæ causa conscripta sunt, duos in me affectus produxêre. Primò, quòd perspectis, expensísque ejus rationibus

tionibus ſemper magis, magíſque intellexerim, iniquiſſimam eſſe cauſam Regaliæ, profuítque veritati impugnatam fuiſſe. Quis enim à Religioſo, à Theologo, à Doctore Pariſienſi, à viro tot libris & eruditione claro, non aliquid exſpectâſſet, tot ſperandi titulis dignum, & par materiæ? præſertim cùm calamum arripuiſſet, hac Regaliæ causâ à tam multis doctíſque jam diſcuſsâ; unde facile erat, ſi quid Regaliam juvare poſſet, & abunde, & cum ſelectu proferre, quippe flagrantibus nundinis ac Mercatorum plenis. Et tamen, quæ ab hoc viro, Regiæque cauſæ Patrono allata ſunt, adeò miſera, detorta, aliena, frigida, ac longiſſimè & ab ultimis terræ plagis quæſita ſunt, ut credam nunquam peius Regaliam habuiſſe, quàm ſub hujus patrocinio. Planè nihil ita movit, ut eam iniquiſſimam reputarem, quàm quòd viderem tam inania eſſe, & plena pudoris, quæ pro illa dicerentur; ſed omnia pervicit ardor Regem demerendi; huic Veritas, Pietas, Religio, omnia ceſsêre: & dum omnes ex flore Majeſtatis roris aliquid melliſque libare certant, aranearum & crabronum more, perimunt, ut impleantur.

II. Patris ergo Natalis in favorem Regaliæ argumenta hæc ſunt. *Primò*, ut probet Regaliam ſub Regibus primæ & ſecundæ ſtirpis in uſu fuiſſe, exempla profert palàm iniqua, & à Patribus damnata, perinde ac ſiquis adulteria, uſuras & furta, Davidis, Achabi, & Zachæi exemplis purgaret; quod verò flagitium eſt exemplis nudum? Sic *Diſſertat. 8. a. 3. §. 4.* Exemplum Caroli Martelli affert, *qui Epiſcopatuum, Abbatiarum, aliorúmque Beneficiorum Eccleſiaſticorum proventus Nobilibus conceſſit.* Atqui certum eſt, impiam & ſacrilegam fuiſſe eam bonorum Eccleſiaſticorum uſurpationem: idque Patres Rhemenſis & Rotomagenſis Provinciarum in Synodo Cariſiacenſi palàm profeſſi ſunt *capite 7.* Imò Martelli ipſius filij Carolomannus, & Pipinus in Synodis Liptinenſi, & Sueſſionenſi magnam uſurpatorum bonorum partem reſtitui fecere; nec enim omnia poterant: unde Carolus Magnus nepos, & Ludovicus Pius Martelli pronepos ultimam manum adhibuere, ac reſtitutionem proſecuti ſunt. Eodem *articulo 3.* ex appendice Flodoardi hæc verba allegat: *Defuncto Tilpino Archiepiſcopo tenuit D. Rex Carolomannus Rhemenſe Epiſcopium in ſuo Dominatu, & dedit villam Novilliacum in Beneficium Anſchero Saxoni.*

Atqui ex eadem appendice Flodoardi, & operibus Hincmari *Tomo 2. Edit. Sirm.* constat eam villam à Ludovico Balbo Ecclesiæ Rhemensi fuisse restitutam Hincmaro Regi ostendente: *Auctores Sacrorum Canonum damnare Spiritûs Sancti judicio eos, qui Defunctorum eleemosynas retinent, & Ecclesijs tradere demorantur, qui ut infideles ab Ecclesia abijciendi, & quasi egentum necatores, &c.* Et *a. 3 §. 13.* ex epistolis Joannis VIII. probat hunc Pontificem consensum Carolomanni pro Constitutione Episcopi Vercellensis postulâsse, unde concludit *Monarchiæ Francicæ jus conferendorum Episcopatuum coævum esse:* & tamen ex epistola 10. ejusdem Joannis ad Theodoricum Bisuntinensem Archiepiscopum certum est, id juris non spectâsse ad Regem; ita enim scribit: *Monemus per DEUM Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Apostolicâq; auctoritate expresè jubemus, ut ibi Episcopum, néque ex jussu Regis, néque ex petitu plebis consecrare præsumas, &c. Articulo 4. §. 6.* adducit exemplum Ludovici Crassi, qui præbendas ac dignitates, quæ Ecclesijs viduatis vacaverant, conferebat frustra obnitente Hildeberto Episcopo Turonensi. Ceterùm quàm parùm æqui fuerint Ludovici conatus, nemo melius Hildeberto depinxit; sic enim scribit epistola 67. ad Honorium II. Papam: *His alijsque premor angustijs, quia Zelo Zelatus sum legem Domini mei, quia non sum transgressus terminos, quos Patres nostri posuerunt, quia dignitates Ecclesiasticas nec ex Regis præcepto disposui, nec ei disponendi facultatem indulsi.* Et de Ludovici in Ecclesiasticos asperitate gravissimæ sunt D. Bernardi querelæ, quas videre licet epistolis 45. & 59.

Articulo 4. §. 12. utitur exemplo Ludovici Junioris à S. Thoma Cantuariensi ab Innocentio II. & III. & Alexandro III. Summis PP. laudato; is verò Regaliam exercuit. Sed quàm sæpe multúmque in bonis Ecclesiasticis usurpandis Ludovicus sui oblitus fuerit, luculentè S. Bernardus testatur epistola 122. *De quo jure præsumit, ut Ecclesiarum Possessiones & terras devastet, ut Christi ovibus Pastores præfici non permittat, ut his quidem electorum promotionem prohibeat, alijs verò dilationem electionis indicat, donec universa consumpserit, donec diripuerit pauperum facultates?* Nec obstant laudes Ludovico datæ; multa enim gessit laudibus digna, sed non omnia: quanta Davidi encomia etiam à Deo tribuuntur, quanta Theodosio Magno ab Ambrosio, quanta Brunihildi, & Mauritio à Gregorio Magno; num ideò adulteria, homicidia, rapinas istorum liceat imitari? non ergo honestas actionum

num exemplis, sed legibus metienda est, leges enim semper justæ sunt, alioquin leges non forent; exempla etiam in bonis sæpè perversa. Vide de malè usurpatis Ecclesiæ bonis eundem Bernardum epist. 224. ad Stephanum Prænestinum Episcopum, qui apertè usum Regaliæ in Ludovico damnat; postquàm enim dixisset: *Non sufficit spoliari bonis præsentibus Domos Episcopales.* Mox tanquam malum multò gravius indigniúsque adjungit: *Etiam in terras & in homines manus sacrilega, circumquáque desævit, totius anni ex eis reditus sibi vendicando.* Articulo 4. §. 16. exemplo Henrici II. Angliæ Regis Regaliâ fruentis causam suam confirmat, eámque ab Alexandro III. non fuisse improbatam contendit. At contrarium testimonio Alexandri constat, cùm enim inter articulos consuetudinum Anglicanarum, quibus subscribere S. Thomas Cantuariensis recusabat, duodecimus fuisset Alexandro exhibitus, & in hæc verba conceptus: *Cùm vacaverit Episcopatus, vel Archiepiscopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis, debet esse in manu ejus, & inde percipiet omnes reditus, & exitus sicut Dominicos. Et cùm ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ, & in Capella ipsius debet fieri electio assensu Regis & consilio Personarum, quas ad hoc faciendum vocaverit, & ibidem Electus faciet Homagium & fidelitatem Domino Regi sicut Ligio Domino, de vita & membris, & de honore suo terreno, salvo ordine suo, priusquàm sit consecratus.* Huic inquam articulo Alexander post maturum examen hanc censuram apposuit: *Hoc damnavit.* Nec obstat quod excipit P. Alexander, videlicèt Regaliam non fuisse absolutè quoad *usum fructum* videlicet *vacantium bonorum, & quoad Collationes Beneficiorum*, damnatam; sed tantùm quoad abusus illic enumeratos. Ceterùm vana est hæc elusio: *tum* quia cùm Pontifex partem tantùm damnabat articuli alicujus ex consuetudinibus à Rege Angliæ damnatis, hac formulâ limitatâ utebatur: *Hoc partim damnavit, partim admisit vel toleravit*; cùm ergo Pontifex articulum 12. absolutè, non limitatè damnet, certum videtur, fuisse omnino, integréque rejectum, & consequenter etiam quoad usum fructum, & collationem Beneficiorum, & consequenter quoad Regaliam. *Tum* quia Matthæus Parisiensis ad Annum 1164. illas consuetudines vocat iniquas, Deóque detestabiles. *Tum* quia auctor vitæ S. Thomæ id expressè testatur his verbis: *Mos enim prophanus in plurimis jam Regnis inolevit, quòd Episcopatus vacantes, & Monasteria Reges pro voto tenent,*

& quasi Christo proscripto applicantur Fisco dos viduæ, & Crucifixi patrimonium, calamitosorum refrigeria, & subsidia egenorum. Tum deniqne quia Stephanus Henrici I. Angliæ Regis Successor, Regaliæ, hoc est usurpationi bonorum vacante Ecclesia renuntiaverat, teste Wilhelmo Malmesburiensi ad ann: 1135. in hæc verba: *Dum verò Sedes propriis fuerint Pastoribus vacuæ, & ipsæ & omnium earum possessiones in manu sint & custodia Clericorum, & proborum hominum ejusdem Ecclesiæ committantur, donec Pastor canonicè substituatur.* Pessimam ergo hanc consuetudinem, cui Stephanus renuntiaverat, Henricus II. reducere conabatur, obnitente S. Archiepiscopo Cantuariensi.

Articulo 4. §.38. exemplo utitur Ermengardis Vice-Comitissæ Narbonensis, quæ juri Regaliæ renuntiavit; *habuit ergo*, infert P. Alexander, *jus Regaliæ, alioquin renuntiare illi non poterat.* Sed quanti pretij hoc exemplum sit, & quàm justo titulo Regaliam niti Ermengardis crediderit, ex ipsius Renuntiationis verbis intellige: (a) *Ego Ermengardis Narbonensis Vice-Comitissa recognoscens injuriam, quam Parentes mei & ego in possidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ hucúsque fecimus, &c.* Et Hadrianus IV. Pontifex Max: in Diplomate, quo eam Renuntiationem confirmat: *Dilecta in Christo filia Ermengardis, pravam quandam consuetudinem, quæ contra DEUM, & Ecclesiam vestram antiquitus inoleverat, abolere desiderans.* Ergo quod *injuria*, quod *rapina*, quod *prava & contra DEUM consuetudo* appellatur, id P. Alexander pro basi Regaliæ habet; quid pejus de illa dicere posset, si ex proposito impugnandum suscepisset?

Quàm plura sunt hujusmodi exempla à P. Alexandro in citata Dissertatione prolata, quæ cùm constet iniqua fuisse, sequitur iniquam etiàm causam Regaliæ, quæ ex illis deducitur; & Patrem Alexandrum illius patrocinium suscepisse, non ex meritis causæ, sed ex animi affectu, quicúmque tandem is fuerit: quis enim sibi unquam persuadeat hominem doctum, & eruditum, studijs innutritum, ex Professione Theologum Criticúmque, non animadvertisse exemplis adeò iniquis ab Ecclesia damnatis Regaliæ causam non tam constitui, quàm destrui? Sed utcúmque res se haberet, fixum erat Regi placere, hæc meta scribendi.

III. *Secundò.*

(a) Stephanus Balluc. in addit. ad D. de Marca lib. 8. cap. 18. de Concord. Imper. & Sacerd.

III. *Secundò.* Totam ſuam Diſſertationem rebus & teſtimonijs infercit nihil ad rem pertinentibus, unde fatigato Lectore, impletíſque paginis, ac oculis foliorum numero deceptis, nihil tandem dicit, quod quæſtioni reſpondeat. Quæſtio enim eſt: an Rex Galliæ Regaliam toto Regno extendere poſſit, etiam ubi hactenus nunquam more recepta fuerat? Majore ſuæ Diſſertationis parte P. Alexander oſtendere conatur Reges Galliæ *Cuſtodiâ rerum Eccleſiaſticarum potitos eſſe, feuda conceſſiſſe, Epiſcopos nominâſſe, in aliquibus locis Regaliæ jus exercuiſſe.* At quæſo quid hæc ad rem faciunt? imò contrarium oſtendunt, ut poſtea dicemus. Ergo cùm navigandum in Ortum eſſet, vela fecit in Occidentem.

IV. *Tertiò.* Imò ut paulò antea inſinuaveram; ex principijs Alexandri, contrarium potius ſequitur. *Rex Cuſtodiâ gaudet:* eſto, ſed non cuſtodit, qui conſumit; ſacríque Canones Cuſtodibus præſertim, Patroníſque ſub graviſſimis pænis prohibent, ne res Eccleſiaſticas attrectent. Nullus Principum eſt, cui in ſuo Dominio Eccleſiarum cuſtodia commiſſa non ſit; num ergo omnes Principes Regaliâ gaudent? cur ergo propria eſſe dicitur Gallici Diadematis? an etiam omnium ſubditorum ac patrimoniorum Cuſtodes Reges non ſunt? num ergo licebit illis titulo Cuſtodiæ, mortuóque Patrefamilias, patrimonia mortuorum occupare? aut ſi hoc non licet in bona profana, cur licebit in bona Deo ſacra? aut cur iſtis jus cuſtodiæ magis præjudicabit, quàm illis? & cur pejor ſit cauſa viduæ Eccleſiæ, quàm viduæ uxoris? Filiorum Chriſti, qui pauperes ſunt, quàm filiorum defuncti Mariti? *Sed Reges Eccleſias fundârunt.* Non planè omnes, præſertim quas novis victorijs in Belgio, Alſatia, Lotharingia, Burgundia Rex Coronæ ſuæ adiecit, ſed nec omnes in Gallia; cur ergo ex omnibus vacantes fructus rapiuntur? num ſolus Gallus Eccleſias fundavit, & non alij quóque Principes Chriſtiani? cur ergo ſoli Gallo Regalia? & quæ æquitas ut quæ majores fundârunt Chriſtóque dedicârunt, rapiant Nepotes, & fiſco addicant? quòd ſi ſemel Regi aut etiam privato donata repeti non poſſunt, cur repetantur Chriſto & Eccleſiæ donata? *Sed Principes Eccleſias feudis auxerunt.* Demus; ſed vacantium feudorum proventus (niſi ubi jus Relevij obtinuit) non ad Dominum, ſed ad vaſalli hæredes ſpectant: imò cum feuda non Epiſcopis, ſed Deo & Ec-

Gallia indicata G III

& Ecclesijs donentur, & istæ non moriantur, numquam vacare censentur. Decimæ quóque & oblationes (quæ in plerisque Episcopatibus majorem proventuum partem conficiunt) nihil habent cum feudis commune, multóque minus Collationes Beneficiorum; cur ergo ista omnia nullo discrimine subducuntur Regaliæ? vides quàm inanes sint consequentiæ pro Regalia productæ: & tamen istis Regalia unicè innititur, ut sæpè P. Alexander profitetur. Ludere eum diceres, & in schola cavillari tyrones tentandi causâ, nisi Rex Galliæ arma & potentiam suam lusui misceret.

V. *Quartò.* Sed & leviſſimæ sunt ac risu dignæ interpretationes, quas sacris Canonibus adhibet, ut eorum vim effugiat; ego planè nihil vanius legi. Exemplum unum alterúmue adjungam. Opponitur Regaliæ Canon 25. Concilij Chalcedonensis, quo Regalia expresè his verbis prohibetur: *Reditus verò viduatæ Ecclesiæ integros servari apud Oeconomum ejusdem Ecclesiæ placuit.* Hic Canon insertus fuit Codici Canonum, quo Gallicana Ecclesia utebatur, neque hoc negat Alexander, estque testis locupletissimus Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis *epist. 9. cap. 41.* & *epist. 29.* ad *Carolum Calvum*, & *epist. 21. ad Vulfadum, & epist. 45. & Annales Bertiniani ad annum 881.* Quid ad hoc Alexander? *Non sunt*, inquit, *Canones Chalcedonensis Concilij stati & constanter in Gallijs recepti.* Qui ergo sunt Canones, quos Galli recipiunt, si non recipiunt canones quatuor primorum Conciliorum, quos Gregorius M. quatuor comparat Evangelijs? & si non recepti, cur Codici Canonum Ecclesiæ Gallicanæ inserti? & unde tibi constat receptos non esse? *Quia*, inquit, *Reges non semper observârunt.* Si ergo illi Canones nec recepti esse, nec obligare dicuntur, quos aliqui Regum subinde non observârunt; nulli deinceps sunt canones, nullæ Decalogi leges, de quibus dici non possit, eas nec receptas esse, nec obligare. Cùm recentia Sacrorum Canonum summorúmque Pontificum Decreta & Diplomata Regijs Ministris pro vindicanda Ecclesiastica disciplina exhibemus; negant se illis teneri privilegio Gallicanæ libertatis: cùm quærimus, quibus principijs, regulísque Gallicana libertas nitatur? respondent, *quatuor primorum Conciliorum Canonibus.* Cùm ergo eos primorum Conciliorum evidentissimis & certissimis testimonijs ac Decretis convincimus: respondet P. Alexander; *Canones Chalcedonensis & Nicæni*

Concilij

Concilij (nam hoc quóque citato loco adjungit) *in Gallijs non fuisse receptos, nec observatos.* Qui ergo Canones supersunt, quibus Gallicana Ecclesia gubernari possit, si nec recentes admittit, nec antiquos recepit? An verò libertas Gallicanæ Ecclesiæ definiri hoc modo non debebit: *Libertas Gallicana est privilegium, quo Ecclesiæ Gallicæ nullis nec antiquis nec recentibus Canonibus, sed solis Regijs præceptis obligantur?* Regijs enim præceptis eos obligari, & ista Pontificis Maximi diplomatibus præferri, átque ex Senatûs Regij arrestis arbitrióque pendere, admitti an repelli debeant, quæ Româ imperantur, nimium experientia, & quæ hactenus scripsimus, demonstrant; Gallicanæ ergo Ecclesiæ libertas est, *servire Regi, & obluctari Canonibus.*

Aliam deinde P. Alexander explicationem Decretis Chalcedonensibus adhibet puerilem sanè ac omnino risu dignam: vid: *Concilium Chalcedonense non esse intelligendum de Custodia vacantium fructuum, sed de ipsis bonis, prædijsq; fructuosis, quæ Successori Episcopo integra servari debeant, fructibus interim Principi concessis.* Canon Concilij ita loquitur: *Reditus viduatæ Ecclesiæ integros reservari apud Oeconomum ejusdem Ecclesiæ placuit.* Quis umquam hactenus audivit *reditus* significare *prædia?* Reditus, *inquit Tiraquellus*, ita appellantur, quòd singulis annis redeant; numquid prædia quotannis redeunt? & quomodo *apud Oeconomum prædia servari poterunt?* horreis vid: aut cellis, aut gazophylacijs prædia includentur; quem non pigeat cum hujusmodi hominibus disputare, qui cùm victos se videant, malunt rerum vocabula commutare, ac tempus fallere pudendis responsis, quàm cedere veritati. Fidem ac famam perdit, qui ita scribit.

Ejusdem coloris sunt interpretationes, quas effugiendo Lugdunensi Concilio adhibet. Concilium ita loquitur: *Generali Constitutione sancimus, universos & singulos qui Regalia, Custodiam sive Guardiam Advocationis, &c. vel Defensionis Titulum in Ecclesijs de novo usurpare conantes bona Ecclesiarum vacantium occupare præsumunt, quantumcúnque dignitatis honore præfulgeant, &c. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, quòd ea quæ non pertinent ad fructus, sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent.* Primò nomine *Regalium* non occupationem vacantium fructuum, *sed jura Imperialia*, vid: *Collectas, Tributa, portus & vectigalia* intelligi dicit; at quàm evidenter id falsum, & contra

apertam mentem Concilij? istæ enim Concilij voces: *Custodia, Guardia, Advocationis Titulus, fructus, reditus provenientes vacationis tempore,* nimis clarè ostendunt, Concilium loqui de Regalia, prout modò de illa quæstio vertitur. Ipsi Episcopi Gallicani Parisijs jussu Regio congregati (nam hoc quóque ad Libertatem Gallicanæ Ecclesiæ pertinet, ut ad Regium mandatum Episcopi Galliæ compareant, dispareantque, átque ut in theatris fieri solet, sibilo Principis scenam ac faciem mutent) in epistola anno 1682. Februario mense data ad Innocentium XI. Pontificem Maximum fatentur Concilium Lugdunense de Regalia in nostro sensu loqui: *Si jus illud,* inquiunt, *quod Regaliam dicimus, aut fidei fundamentis, aut morum Regulis esset adversum; non illud sacrum Lugdunense Concilium suâ auctoritate firmâsset.* Et in processu verbali eorum Antistitum cum priori anno 1681. æquè Parisijs convenissent: *C'est sur ce principe, que le second Concile de Lyon ayant tolerè l'usage de la Regale dans le lieux, ou elle estoit pour lors etablie, & defendu en meme temps de l'etendre d'avantage. Secundò. Alij,* inquit, *censent restrictionem Concilij non spectare Regem Christianissimum, sed Duces, aut alios viros Nobiles, qui jus illud usurpabant, ut colligitur ex Guillelmo Durando, commentario in Concilium Lugdunense, cujus unus ex Patribus fuit, &c.* At Durandus testis oculatus expressè testatur eam restrictionem ad Reges pertinere, sic enim ait in Verbo: *Regalia: Notâ quòd Regalia hîc vocantur jura Regia in quibusdam Ecclesijs competentia.* Et infrà: *Quantæcúmque Dignitatis, sive Regiæ, sive Comitivæ, vel cujuscúmque alterius sit (de Mandatis Princip. lib. 1. quia reatus hominum honorem excludit lib. 1. cap. ut Senatus, &c,* Et ipsa Concilij verba) *quantæcúmque Dignitatis honore præfulgeat,* id satis indicant.

Hi sunt loci communes P. Alexandri, quibus Regaliæ patrocinatur vid: exempla apertè iniqua, quæstiones omnino alienæ, & nihil ad rem pertinentes, interpretationes extortæ, pueriles, ipsíque auctori erubescendæ. Sed alia quóque videamus, quæ speciali responso indigent, ne videantur silentio probata.

VI. *Opponit 1. Artic. 1. §. 3.* Legimus in veteri Testamento Reges deficiente Sacerdote functos esse ministerio Pontificis etiam ad præficiendos Ministros, ut de Davide legimus *1. Paralip. cap. 24.* & Salomone *3. Reg. cap. 1.* & Juda Machabæo *in libris Machabæorum,* & est textus Isidori *in cap. Cleros d. 21.*

Respondit ad hanc objectionem jam dudum Gelasius Primus Ponti-

Pontifex Max: in libro de Anathemate: *Fuerint hæc ante adventum Christi, ut quidem figurabatur, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti pariter Reges existerent, & pariter Sacerdotes; sed cùm ad verum ventum est, Regem eumdemq; Pontificem, ultra nec Imperator Pontificis sibi nomen, nec Pontifex Regale fastigium sibi vindicavit.* Si exemplo antiqui Testamenti argumentari licet, sequeretur Reges, imò quoslibet Patres-Familias Ecclesias consecrare, ac etiam Sacrificium offerre posse, id enim legimus sæpe in veteri Testamento factum esse, quàm hoc absurdum? nunc verò postquam longè alia ratio est novi & antiqui Testamenti: postquam Christus Pontificatum, Sacerdotia, & Ecclesiam instituit: postquam jussit Ecclesiam audiri: postquam Ecclesia Laicis prohibuit, ne se immiscerent officijs Sacerdotum: quàm rogo præposterus ordo est, exempla antiqui Testamenti perquirere, & non potiùs leges Evangelij ac Decreta Ecclesiæ? num ergo Filij Synagogæ sumus, ut ex hujus exemplis, & non Ecclesiæ vivamus? magnum enimverò Regis Christianissimi decus, si Judæorum mores imitetur. Sed & in ipso antiquo Testamento, ubi legimus Reges usurpâsse vacantium Sacerdotiorum proventus? nihil ergo hoc argumentum concludit.

VII. *Opponit 2. Artic. 1. §. 3.* In traditione rei suæ potest quilibet apponere pactum quod vult, etiam in spiritualibus. *Textus & Glossa in cap. Eleutherius 18. q. 2.* Reges ergo Christianissimi cùm Ecclesias fundârunt, poterant sibi fructus vacantium Ecclesiarum reservare. Nec requiritur, ut Reges hoc jus sibi expressè reservent, præsumuntur enim reservâsse, & sufficit ostendere, quòd Rex fuit dotator Ecclesiæ, ad hoc sibi jus consequendum. *cap. significavit. de testibus. Et ibi Abbas cap. Dilectus 3. de Prabend. & Glossa notabilis in cap. si quis Basilicam. de consecrat. d. 1.*

℟. Supponit hæc ratio omnes Galliæ Ecclesias à Regibus fundatas, & dotatas esse; id verò apertè falsum est, cùm sint quàm plurimæ aut à privatis fundatæ, dotatæque, aut solis decimis & oblationibus auctæ: idque præsertim verum est in Provincijs recentibus victorijs Galliæ adjunctis. Et si hæc Regula vera est, sequetur omnibus Patronis Regaliam convenire, quod Galli utique nunquam concedent. Præsumuntur quidem Patroni jus præsentandi sibi reservâsse (id enim plerúmque fieri solet, & Jura

præsumunt, quod plerúmque contingit) sed nullo modo jus pleno jure Beneficia conferendi, vacantésque fructus occupandi, néque citati canones quidquam de hoc dicunt, ut legentibus palàm est. Hoc ergo argumentum ex duobus principijs contexitur, videlicet: ex falsis suppositis, & textibus juris perperàm allegatis.

Opponit 3. Art. 3. §. 5. Sub secunda Regum Galliæ Dynastia Gallicanæ Ecclesiæ feuda possidebant cum omnibus oneribus feudalibus: atqui onus & lex feudalis est, ut moriente Vasallo Dominus interim fructus feudales percipiat, dum alius investitur: hoc ergo jure Reges gaudebant in Ecclesijs vacantibus, titulo videlicèt & lege feudali.

℟. Primò falsum est fructus vacantium feudorum ad Dominum pertinere (nisi ubi jus Relevij receptum erat, quod paucis in locis receptum est) pertinent enim ad hæredes, seu potiùs ad proximos agnatos, quibus jus feudi ex antiqua investitura quæsitum est cum onere tamen recipiendæ intra diem & annum Investituræ, idque tam notum est, ut mirer P. Alexandrum ignorâsse. Deinde esto, fructus Ecclesiarum feudales ad Principes pertinuerint (de quibus intelligendum est Chronicon Cameracense, (a) cùm narrat in historia Gundberti usum fructum vacantis Cameracensis Ecclesiæ ad Imperatorem Lotharium pertinuisse) num ideò fructus decimarum, oblationum, ac præsertim collationes Beneficiorum pertinere ad fructus feudales possunt? & si non possunt, quâ ratione dici potest lege feudali ad Regem spectare?

Opponit 4. Art. 5. § 22. Frustra contra Regaliam antiqua Senatus-Consulta, Regúmque edicta proponuntur, hæc enim ultimâ Ludovici XIV. declaratione abolita sunt; est verò noti juris, priores leges posterioribus abrogari.

℟. Aliud est antiquam legem abrogare, aliud jus suum alteri eripere; id verò fieri non potest, & præsertim cùm is, quem jure suo spolias, subditus tuus non est. Jus conferendi Beneficia, fructúsque percipiendi ad Ecclesiam pertinet, idque non Regum privilegio, sed innatâ, & canonicâ libertate; quâ ergo conscientiâ dici potest, posse hanc libertatem Ecclesijs adimi posterioribus Ludovici Regis declarationibus? aut quæ unquam Theologia docuit

(a) Balder. Noviom. Episc. lib. 1. cap. 48.

cuit Regem in causa spirituali, & quidem maximi, præcipuíque momenti judicem esse? & posterioribus Regum legibus posse Decreta universalis Concilij Lugdunensis aboleri? Hæc sunt tam paradoxa, & à primis Theologiæ principijs aliena, ut mirer potuisse Theologo, qualem se P. Alexander profitetur, non dico in calamum, sed ne quidem in mentem venire. Ex quo responso solvitur quóque similis ejusdem P. Alexandri oppositio, cùm scribit: *Articulo 5. §. 22. Habere Reges potestatem revocandi privilegia à suis Antecessoribus concessa, si contra jura Coronæ, & in detrimentum supremi dominij concessa credantur, quòd in omnia subditorum suorum, & ipsarum Ecclesiarum temporalia bona sibi legitimè vindicant.* Jam enim sæpe probatum est, Ecclesias non privilegio Regum, sed innatâ, & canonicâ libertate Regaliâ absolutas, & exemptas esse; unde cùm Reges illas Regaliæ subdunt, non revocant privilegia à Regibus, sed à Deo, naturâ sacrísque canonibus data. Quod verò dicit Alexander: *Reges supremum dominium in bona temporalia Ecclesiarum habere*, voces profanæ sunt, & hactenus inauditæ, & ex Alcorano, non sacris Canonibus exscriptæ, unde nec responsum merentur. Ejusdem farinæ est, quod dicit Privilegia Ecclesijs data revocari à Regibus posse, si enim donationes privatis factæ revocari non possunt, quanto minùs Deo & Ecclesijs factæ? quæque non merè gratuitæ sunt, sed antidorales? quid restabit Ecclesijs, si omnia feuda, oblationes, fundique illis à Principibus assignata, moderni Principes repetant, & Avorum liberalitatem majori avaritiâ deleant? Præsertim *cùm quidquid semel fuerit DEO consecratum, sanctum Sanctorum sit Domino. Levit. 27.* Certum est liberalitate in Ecclesias crevisse Imperia, unde Theologia P. Alexandri, quàm ei lucrosa est apud Principem pretio adulationis, tam Imperio est fatalis rapiendi indulgentiâ.

Opponit 5. Articulo 6. §. 4. Bona defectu hæredum vacantia ad Regem pertinent, & ad fiscum devolvuntur; porrò fructus Episcopatuum, vel Abbatiarum vacantium istius generis sunt. Accedit quòd Regio fisco multæ utilitates depereunt, ob bona in Ecclesias translata; ad fisci ergo damna compensanda Reges sibi usumfructum vacantium bonorum reservârunt, ac etiam in pretium litterarum Amortizationis, cùm videlicèt facultatem concedebant, ut fundi ad Ecclesias transferrentur.

℟. Quàm rogo hæc absurda & longè petita ? fateor mihi nunquam magis Regaliam fastidio fuisse, quàm cùm hæc legi. Defuncto Episcopo non vacant bona, sed ad Ecclesiam pertinent, huic enim præcipuè, & Deo donantur ; quæ ratio est, ut Episcopi testari non possint ; si ergò non vacant, quâ ratione dici potest ex jure vacantium ad fiscum pertinere ? An Beneficia Ecclesiastica sunt bona confiscabilia ? & in quibus litteris Amortizationis Reges sibi usumfructum vacantium bonorum reservârunt ? vana sunt ista, & Alexandro indigna.

Opponit 6. Rex cùm Beneficia confert, nihil spirituale confert, sed Ecclesiasticas possessiones, seu portionem reddituum spiritualium.

℟. Ipsi quidem fructus, & proventus sunt res temporales ; at jus eos percipiendi ob functiones & officia spiritualia, est spirituale ; Beneficium enim est propter officium, alioquin vendi, emique possent Beneficia ; nec Simoniam incurreret, qui ea pretio aut acciperet, aut conferret ; dici enim posset, ea non vendi, emique, nisi quoad jus percipiendi fructus, hos verò ex sententia P. Alexandri esse rem merè temporalem. Deinde cùm Rex obtentu Regaliæ Beneficia pleno jure conferat, nec Episcopi in hâc collatione ullam partem habeant, certum est à Rege non jus tantùm percipiendi fructus V.g. canonicales conferri, sed etiam ipsum officium & dignitatem canonicatûs cum omnibus juribus ei annexis, videlicèt : Jus capitulari, electionis activæ & passivæ, quæ omnia sunt jura spiritualia. Denique demus jus percipiendi fructus Canonicales non esse jus spirituale, sed temporale, non ideò sequitur posse à Rege usurpari, cùm sit jus alienum, & Ecclesiæ tum innatâ, & canonicâ libertate, tum multorum sæculorum possessione, Regúmque edictis quæsitum : non utique P. Alexander inter jura Coronæ jus reponet aliena rapiendi. Vide quot rimas habeant hujus Theologi argumenta ; nimirum nullum ingenium sufficit tuendæ falsitati, quin erumpat, séque ipsam fœtore prodat.

VIII. *Opponit 7.* Ex diversis Arrestis à tempore S. Ludovici satis constat causam Regaliæ in Regio Senatu agitari, finiríque solitam. Nam anno 1258. de Regalia Anicienſis Ecclesiæ. Anno 1272. de Regalia Ecclesiæ Albigensis. Anno 1277. de Regalia Ecclesiæ Bituricensis,

Biturícenſis, eodémque anno de Regalia Eccleſiæ Burdigalenſis. Anno 1275. de Regalia Eccleſiæ Aquenſis in Regio Senatu actum eſt. Anno quóque 1463. Ludovicus XI. declaravit Regaliæ cauſas & controverſias circa jus illud de novo emergentes ad Regiam, Senatúſque Pariſienſis cognitionem dumtaxat pertinere, Laicíſque ſub pœna capitis prohibuit, ne ad Curiam Romanam, alióſve Judices Eccleſiaſticos Regaliæ cauſas deferrent. Anno 1575. de Regaliæ jure in Armoricis Eccleſijs, ac præſertim Vannetenſi. Anno 1608. de Regalia Bellicenſis Eccleſiæ, deinceps ſequentibus annis de Regalia Provinciarum, Provinciæ, Delphinatûs, Aquitaniæ, & Occitaniæ in Regio Senatu diſceptatum eſt, ac denique Anno 1673. à Ludovico XIV. in Regio conſiſtorio cauſa Regaliæ finita eſt, & ad omnes Regni Eccleſias extenſa, cui declarationi quatuor Provinciarum Præſules, totúſque Clerus Gallicanus conſenſum præbuit. Patet ergo longâ, & perpetuâ inductione, cauſam Regaliæ ſemper in Parlamentis, Regijſque conſiſtorijs agitatam fuiſſe.

℟. Ad hanc objectionem per partes reſpondendum eſt. *Primò* ergo ex Arreſtis ab Alexandro modò citatis clariſſimum eſt Anicienſem, Albigenſem, Biturícenſem, Burdigalenſem, & Narbonenſem Eccleſias aut ex toto, aut ex parte à Regalia exemptas, immunéſque fuiſſe, & videri poſſunt *de Marca lib. 8. Concord. cap. 24. & cap. 26. Acta Cleri Gallic. Tom. 2. pag. 2. tit. 6. P. Labbe 1. p. Concil. T. 2. pag. 49. Catell. in Hiſt. Comit. Toloſan. pag. 195.* Cùm ergo hæc omnia Arreſta apertè declarent Regaliam non eſſe totâ Galliâ extenſam, ſed ad certas Eccleſias limitatam, quo rogo aut pudore, aut conſcientiâ allegantur, ut probetur Regaliam ad totum Galliæ Regnum proferri? aut enim Arreſta illa pro juſtis, aut injuſtis habes? ſi pro juſtis, cur Regaliam extendis, quam illa reſtringunt? ſi pro injuſtis, cur illa producis, ut cauſam tuam probes? num injuſta ſententia patrocinari, aut probare aliquid poteſt? Si ergo illa Arreſta juſta ſunt, pro nobis faciunt; ſi injuſta, fruſtra à P. Alexandro in ſui favorem producuntur. Deinde verum quidem eſt ex illis conſtare cauſam Regaliæ in Regio Senatu fuiſſe cognitam, & pro Eccleſijs pronuntiatum, non quòd hæc cauſa *in forma juſtitiæ* ad Regium forum pertineret, aut Galliæ Antiſtites Regium Senatum pro legitimo judice agnoſcerent; ſed quia à Regijs miniſtris vexati ad ipſum Regem tanquam

tanquam ad *Ecclesiæ Defensorem, Protectorem, Advocatum, Canonumque executorem, ac brachium sæculare*, per viam querelæ, & implorati auxilii, seu informationis recurrendum censebant; duplici enim modo Rex adiri potest, primò ut Judex; secundò ut defensor; hoc secundo modo Galliæ Præsules se Regi stitêre, & præcitata Senatus-Consulta in favorem Ecclesiæ impetrârunt; id ita esse, patet *tum* ex ipsius causæ natura, quæ cùm sit Ecclesiastica, coram solo Ecclesiastico Judice *in forma Judicij* expediri potest: *tum* ex protestatione Bertrandi Æduensis Episcopi, qui cùm anno 1329. coram Philippo Valesio Ecclesiæ jurisdictionem & libertates defenderet, protestatus est se de Ecclesiæ libertate coram Regio tribunali dicturum, *non ad finem subeundi quodcúnque judicium, sed solùm ad Domini Regis, & assistentium conscientiam informandam*: (a) *tum* denique quia quando contingebat litem cum ipso Rege, & non cum ministris esse, aut Rex ministris committebat, Antistites Gallicani causam summo Pontifici deferebant, & is postea Regibus imperabat, quid fieri oporteret, id patet & ex Lugdunensi secundo Concilio anno 1274. cujus decretum de restringenda Regalia teste Durando oculato, & postea Mimatensi Episcopo: *Ad clamorem Prælatorum Franciæ, & Angliæ promulgatum est*: & Gregorij IX. ita scribentis: *Ad audientiam nostram pervenit, quòd Senescalli & Balivi in Christo filij nostri illustris Regis Franciæ in Narbonensi Provincia constituti decedentibus Ecclesiarum Prælatis in eadem Provincia, castra, villas, & alia bona Ecclesiarum vacantium contra jus debitum usurpare, & id de novo in Ecclesiarum juribus attentare præsumunt, quod nullo tempore à Prædecessoribus ipsius Regis, vel alijs occasione Regalium, vel aliâ viâ fuit attentatum, unde ipsis nostris litteris dedimus in mandatis, ut à prædictorum excessuum præsumptione omnino desistant.* Benedictus quóque XII. in litteris ad Cardinales in Gallia Legatos extensionem Regaliæ *ad Provinciam Turonensem & alias multas Regni Ecclesias, tanquam Juri divino & humano contrariam, & plurimùm redundantem in oppressionem & conculcationem Ecclesiasticæ libertatis* Philippo Valesio interdicit. Videri potest utriúsque Bulla apud Marca de Concord. *lib. 8. cap. 18. in Appendice.* Denique Alexander III. *in cap. quanto. de Judicijs.* ad Regem Angliæ de Patronatu, quod multò infra jus Regaliæ est, plenásque collationes, ita scribit: *Causa juris Patronatûs ita conjuncta est, & annexa spiritualibus causis, quòd nisi Ecclesiastici judicio valeat definiri.* Secun-

(a) V. Bibliothec PP. T. 14. anno 1618.

Secundò. Ad Ludovici XI. Edictum quod attinet, facilè responderi posset, aliud esse jus, aliud Regum exempla; alioquin si Principum exemplis judicandum sit, quid non denique licebit? præsertim cùm notum sit, non pauca fuisse à Ludovico XI. contra Ecclesiasticam immunitatem peracta. Sed quidquid de hoc sit, certum est Ludovicum non loqui de Regaliæ extensione, ac Parlamenti judicio relinquere, an extendi ea possit, aut non possit: sed solùm de particularibus Regaliæ causis, quæ inter privatos vertebantur; id enim jam longo usu receptum & toleratum erat, aut connivente, aut permittente Ecclesiâ. Jam verò alia quæstio est, an videlicet ad Parlamentum pertineat Concilij Universalis decreta abolere, & contra illius ac Pontificis expressam prohibitionem, Ecclesiam libertate suâ, ac quatuor sæculorum possessione privare? id Ludovici edictum non probat.

Tertiò. Verum quidem est in Senatu Parisiensi causam Nannetensis Ecclesiæ, quæ una est ex Armoricis, judicatam fuisse, & contra illius jura pronuntiatum: sed mox in comitijs Blesensibus reclamante Clero, ac contra canonicam libertatem extendi Regaliam conquerente, ea edicto Henrici IV. ad pristinos limites reducta, ac restituta est, anno videlicèt 1606. de quo videantur Acta Cleri Gallicani *Tom. 2. p. 2. tit. 6. n. 8.* Sic etiam anno 1608. cùm Senatus Ecclesiam Bellicensem, & ejus occasione reliquas Ecclesias Regaliæ subditas declarâsset, Clerus non tantùm ejus Arresto non paruit, verùm etiam litteras ab eodem Henrico impetravit, quibus Rex Senatum ejusmodi causarum cognitione prohibebat, tantóque magis, quòd ausus esset contra Regium edictum (quo Regalia extendi vetabatur) pronuntiare, illúdque Henrici IV. Edictum à Ludovico XIII. Regnantis patre renovatum est anno 1629. de quo videantur citata Cleri Gallicani Acta *n. 9. anno 1628.* Exempla ergo à P. Alexandro citata omnino contra illum militant, ejúsque causam pejorem reddunt.

Quodsi paribus animis, paríque Ecclesiasticæ libertatis Zelo anno 1673. Antistites Gallicani Ludovico XIV. obviàm processissent, ejúsque declarationem, quâ libertas Ecclesiarum premebatur, morari ausi essent, nunquam ea contigissent, quæ Ecclesiæ, summique Pastoris sinum intimo dolore confecerunt; sed omnia adu-

lationi cessêre, & ne tentatâ quidem acie, causâ Ecclesiæ prodita est; quanquam & ipsa declaratio per se, & consensus Patrum Parisijs congregatorum tam multis partibus laborant, ut jure optimo reijci, improbarique mereantur; nam *primò* ipsa declaratio Regis Christianissimi contra decretum Concilij Oecumenici Lugdunensis II. contra IV. sæculorum possessionem, contra morem Regum Prædecessorum, ac speciatim contra edicta Henrici IV. & Ludovici XIII. edita est, ac malis artibus extorta. *Secundò* consensus Patrum Parisijs congregatorum metu expressus fuit, ideóque nullus; id ipsi fatentur epistolâ anno 1682. ad Innocentium XI. datâ; & de qua ipse Innocentius in Brevi suo Apostolico, quo Gallis respondet, ita loquitur: *Animadvertimus litteras vestras à metu ordiri; quo suasore nunquam Sacerdotes DEI esse solent vel aggrediendo fortes, vel perficiendo constantes; quem quidem metum falsò judicavistis posse in sinum nostrum effundi.* Et planè non fuisse vanum hunc metum, quamvis Episcopis indignum, persecutio, spolia, carceres, exilia ostenderunt, quæ in eis exercita sunt, qui Regaliæ obstiterunt. *Tertiò* Procuratores Prælatorum (qui Comitijs non intererant, quique multò plures numero erant) nullum speciale mandatum habuere subscribendi Regiæ declarationi. Id verò mandatum necessarium erat, utpote ad rem gravissimam, & speciali notâ dignam. *Quartò* præscripsit Aula, designavitque Antistites, qui ad Comitia mitti deberent, exclusis videlicèt, qui minimè propitij credebantur, nullâque Concilijs Provincialibus permissâ libertate deligendi, mittendique, quos aptiores credebant. *Quintò* nulla potestas fuit Comitijs Parisiensibus judicandi Concilij Oecumenici decreta, multóque minùs ea abolendi. *Sextò* nec in Episcoporum potestate & arbitrio erat Ecclesijs his (quarum custodes non arbitri erant) tam duram & universalem servitutem imponendi; si enim inconsulto Pontifice non potest alienari fundus Ecclesiæ, quantò minus libertas tot sæculis, tot canonibus sancita? *Septimò* causæ majores (qualis utique hæc erat, utpote ad tot Ecclesias pertinens, tot canonibus & concilijs subnixa, collationésque Beneficiorum præcipua Ecclesiasticæ disciplinæ capita complectens) soli Pontifici tum jure communi, tum ex concordatis Germaniæ reservantur. *Octavò* causâ per appellationem Romam, ad Summúmque Pontifi-

cem

cem delatâ, non potuit ab inferioribus Judicibus ferri ſententia, & ſi lata eſt, nulla fuit. *Nonò* quidquid denique Pariſijs hac in re factum eſt, totum id Romanus Pontifex Innocentius XI. datis epiſtolis ad Patres illius Conventûs anno 1682. irritum, caſſúmque declaravit. Fruſtra ergo Alexander cauſæ ſuæ promovendæ Regiam declarationem, Gallorúmque conſenſum in auxilium vocat, tot capitibus irritum, vanúmque. Hæc ſunt, quæ contra Diſſertationem P. Alexandri dicenda habui, quo nemo pro hac cauſa aut prolixiùs, aut pejùs ſcripſit, ſed néque infirmiùs, docuitque Regaliam contemni, poſtquàm oſtendit: nam priùs timebatur aliquid firmamenti habere, cùm ejus momenta adhuc laterent; nunc verò poſtquam in publicum prodijt, reverentiam & pretium amiſit. Plura qui volet, legat elegantem omnino librum, quem Leodienſis quidam Theologiæ Doctor diſertè, prolixéque contra P. Alexandri Diſſertationem ſcriptis & typo mandavit.

§ VIII.

DOCUMENTA
QUÆDAM
EX GALLICO IN IDIOMA LATINUM TRANSLATA,
AD
ARGUMENTUM REGALIÆ SPECTANTIA.

Documentum I.

Epistola Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nicolai Pavillon Episcopi Alectensis ad Regem Christianissimum.

Anno 1678. 28 Junij.

INgens reverentia, quam Majestati Vestræ profiteor, ac etiam metus Eam, quo tempore gravissimis Regni curis distinetur, intempestivè adeundi, me in hanc diem remorata est, ne, quod jam dudum animo destinaveram, exequerer, Eámque in causa Regaliam spectante litteris convenirem. Nunc verò posteaquam eò res devenit, ut cogerer pro officij mei instituto super hoc ipso Regaliæ negotio decretum quoddam emittere, & illud vulgatum jam sit,

sit, pervenerítque ad aures Majestatis Vestræ; credidi non ampliùs calamum cohibendum esse; præsertim cùm mihi sapientiam justitiam clementiámque Majestatis Vestræ accuratè æstimanti dubitare non liceat; benignè proníque auribus auditum me iri, Eámque æqui boníque consulturam, si quâ par est libertate ea in medium protulero, quæ huic materiæ elucidandæ servire possunt.

Enimverò in hac Regaliæ causa Ecclesiæ meæ, totiúsque Narbonensis Provinciæ (quæ nunquam huic servituti subjecta fuit) præcipuum jus vertitur, ídque non Regum privilegio concessum, sed naturali libertate, sacríque Canonibus nixum, & ipsi Ecclesiarum fundationi congenitum, quódque sub primo, secundóque Regum Francorum stemmate Ecclesijs adhæsit, & tunc etiam, cùm ea Provincia suis, proprijsque Principibus subderetur; eandémque libertatem retinuit Ludovico IX. rerum potito, confectóque celebri illo de investituris certamine, quod quinquaginta & amplius annos Ecclesiam juxtà, Imperiúmque collisit; & dum illud præsertim flagraret, insinuari paulatim Regalia cœpit, vicináque Parisijs Ecclesias corripere, eas præcipuè, in quibus non tam legibus, quàm consuetudine, usúque præscripto vivebatur; nec tamen Ludovicus Sanctus Ecclesiarum Septimaniæ libertatem hac in re minui passus est, Rex videlicet, ut vitæ illius scriptores memorant, Ecclesiæ immunitatum observantissimus. Eadem Philippo Audaci Ludovici filio cura & studium fuit, sub cujus imperio, ejúsque legatis coram, in Lugdunensi Concilio, solemni decreto sancitum, vetitúmque est, ne quis Regaliam ijs Ecclesijs inferre auderet, quæ hactenus liberæ, exemptæque fuissent; præceptúmque Ecclesiarum Sacerdotibus, ut Regaliam proferre conantibus omni stu-

dio, viribúsque obniterentur. Hoc Lugdunensis Concilij decretum receptum in hoc Regno esse, obseruatúmque Majestas Vestra haud ignorat, illique regiâ auctoritate fulciendo Philippi Regis, aliorúmque ejus successorum diplomata, & edicta accessêre; quippe Galliæ Reges contenti tunc temporis erant ijs locis privilegio Regaliæ frui, ubi hactenus usu recepta fuerat; alijs verò abstinebant hujus servitutis expertibus. Et ipse quóque Philippus Pulcher quamvis acerrimè obstitisset Bonifacio VIII. Regaliam evertere festinanti, intra tamen terminos stetit à majoribus suis observatos, imò libertatem hujus Ecclesiæ Narbonensis ipse datis patentibus litteris, quarum autographa in ejusdem Ecclesiæ Archivijs detinentur, agnovit, approbavítque. Ab eo verò tempore usque ad Majestatis Vestræ imperium id semper observatum est, videlicet ut cùm dubitaretur, an aliquæ Ecclesiæ subjacerent Regaliæ, an verò liberæ essent, ad consuetudinem velut ad Lydium lapidem respiceretur. Et denique ut difficultatibus indies emergentibus occurri posset, designatio quædam in modum Edicti, aut Regiæ constitutionis prodita est, quæ omnes Ecclesias subjectas, liberásque complectebatur; inter liberas verò ultimo illius constitutionis articulo Septimaniæ Ecclesias videre est. Eandem Regulam Carolus VI. Carolus VII. Ludovicus XI. & Ludovicus XII. Francorum Reges, & Majestatis Vestræ antecessores secuti sunt, qui omnes non ex alijs provincijs, aut Diœcesibus Regaliæ jus vendicare sibi audebant, quàm ubi antiqua Consuetudine jus illud inoleverat. Imò Ludovicus XII. (cui ob insignem in suos clementiam, justitiámque Patris Patriæ cognomentum accessit) ministris suis sub pœna sacrilegij prohibuit, ne fructus Archiepiscopatuum, Episcopatuum, aliarúmque Eccle-

Eccleſiarum occuparent, in quibus Regaliæ locus non eſſet.

Pariſienſe quóque Parlamentum in ſuis Senatus-Conſultis ſeu Arreſtis jam ſupra trecentos annos hâc ipsâ moderatione uſum eſt, omnéſque Auctores, quotquot de hac materia ſcripsêre, quamvis Coronæ miniſtri, ac præcipuis in Senatu officijs fungerentur, id ſemper pro Maxima, certóque axiomate tradidêre, videlicet: Regaliam non eſſe jus aliquod univerſale, totóque Regno extenſum, ſed intra certos limites, numerúmque Eccleſiarum coerceri, quarum aliquæ exemptæ ſint, præſertim verò Provinciæ Narbonenſis, quæ jam à Concilij Lugdunenſis temporibus intactæ perdurârunt, illibatæque,& antiquæ libertati relictæ.

Hæc ſunt ſtrictim momenta rationéſque,quibus Eccleſiæ meæ aliarúmque iſtarum Provinciarum libertas innititur, quæque mihi animus fuit Majeſt. Veſtræ ſuggerere; explicavítque jam dudum in celebri libro de Concordia Regni & Sacerdotij (ubi libertates & jura Gallicanæ Eccleſiæ eruditiſſimè vindicantur) D. de Marca, cujus virtutem Majeſt. Veſtra amavit unà ſuſpexítque; & auſim Majeſt. Veſtræ affirmare,quæ ab hoc præſtantiſſimo Antiſtite eo in libro de Regalia diſputantur, talia eſſe, támque compertæ veritatis, ut cui vacaverit ea cum aliqua cura evolvere,de Eccleſiarum noſtrarũ libertate dubitare ampliùs non poſſit.

Hæc cùm mecum perpendo, cogor omnino credere, nunquam Majeſt. Veſtræ explicatum, oſtenſúmq; fuiſſe,quibus momentis hæc cauſa niteretur. Imò potiùs Majeſt. Veſtræ,quod ex nupera ejus Declaratione apparuit, Regaliam jus eſſe Coronæ innexum, átque coævum, ideóq; naturâ ſuâ æqualis toto Regno ſimilíſq; conditionis. Quæ tamen aliena omnino ſunt ab omni Hiſtoria, Concilijque Lugdunenſis decretis:

decretis: ab antiquis, novísque Regum constitutionibus, & Parlamentorum Arrestis, omniúmque Auctorum placitis, qui de hac materia scripsêre; ut mirum omnino sit, Majestatis Vestræ ministros ex principijs adeò falsis Ecclesiarum nostrarum libertatem convellere aggressos esse.

Jisdem nec melioribus fundamentis permoti sunt, ut in ultima instantia, quæ in Regio Majestatis Vestræ Senatu agitata est, Episcopis, & capitulis hujus Provinciæ necessitatem imponerent expromendi, proferendíque titulos suæ à Regalia exemptionis, perinde ac si ista privilegijs, indultísque Principum, aut contractibus quæsita essent, & non potiùs naturali ac Canonicâ, & in hunc usque diem productâ libertate niteretur. Quo artificio palàm est voluisse eos Ecclesias suâ naturâ liberas cum ijs confundere, quæ hanc libertatem titulo, & ratione aliquâ particulari adeptæ sunt, ut deinde inferrent, nullâ possessione, nullâque præscriptione, quantumvis longissimâ, & memoriam excedente excuti jugum Regaliæ potuisse, quippe juris nec alienabilis nec præscriptibilis; qua in re nemo non videt eos id supponere, quod maximè in quæstione versatur, probandúmque non supponendum erat; priùs enim ostendi oportuit substitisse, agnitúmque Jus Regaliæ, quàm nec alienari, nec præscribi posse. Imò ne quidem contra eas Ecclesias hæc ratio procedit, quæ à Regalia Principis privilegio liberatæ sunt, ut videlicet spoliari eâ libertate possint, quâ tot annorum decursu potiuntur; si enim nulla ratio, nulla æquitas permittit privilegia civitatibus, subditisque concessa, & pacto firmata infringi, quanto minùs infringi poterunt Ecclesijs concessa, præsertim cùm ijs privilegijs id tantùm agatur, ut antiquæ & naturali libertati

tati Ecclesiæ reddantur. Id planè Majestas Vestra agnovit, quando paucis retrò annis prohibuit, ne Ecclesiæ Atrebatensis exemptioni, quæ in his ipsis terminis versabatur, quidquam detraheretur; palàm ergo est, Majestatem Vestram si veritatem docta fuisset, multo minùs id circa Ecclesias permissuram, quæ totâ retrò antiquitate, & tam multis Regum edictis ac diplomatibus libertate fruebantur. Jam verò Majest. Vestræ aures Ejúsque religionem planè deceperunt, idque non tantùm ea ex parte, quæ substantiam, sed etiam quæ modum spectat, hanc causam in judicio disceptandi; eam quippe Majestatis Vestræ Senatui obtulêre, Sententiam illic, legésque accepturam, idque obtentu quarundam contentionum, quæ inter Regalistas vertebantur, legitimósque beneficiorum possessores. At verò non est hæc causa, quam ex communibus Regij Consilij regulis metiri oporteat; nec Clerus in eo Senatu aut Actoris, aut Rei partes, sed supplicantis tantùm induerat, ut videlicet placeret Majestati Vestræ, Suis ministris prohibere, ne porrò Ecclesias divexarent Regaliæ immunes. Hanc quóque viam sub Henrico Magno item Clerus institerat, quando porrecto Principi libello, Parlamenti Parisiensis Arresto, quod anno 1606. vulgatum fuit, adversati sunt: querebantur enim illo non libertatem tantùm Ecclesiarum, sed etiam Regium edictum duobus antè annis emissum, & cui subscribere Parlamentum recusaverat, oppugnari, perrexítque Clerus Patrem Majestatis Vestræ ijsdem querelis pulsare, à quo anno 1629. declaratio prodijt, quâ profitebatur, nolle se Regaliâ frui, nisi intra limites, usúmque elapsorum retrò annorum, hoc est juxta Henrici IV. edictum; nec illud jus ad loca proferre hujus servitutis hactenus expertia; id quod Principis jussu Cleri deputatis à Galliæ

Cancellario D. de Marillac expositum est. Sperabátque jam Clerus à tam pio, justóque Principe decretoriam tandem, ultimámque sententiam, quæque pacem juxtà & libertatem Ecclesijs sanciret Regaliæ immunibus; sed quæ tam gloriosè Rex Christianissimus animo conceperat, mors intercepit

Hæc & alia plura si Majestati Vestræ quâ oportuit integritate exposita essent, quid aliud ab Ejus æquitate & clementia exspectari potuit, quàm ut tam antiquam & Ecclesijs coævam libertatem, atque à Regibus prædecessoribus toties defensam, Ipsa quóque conservatam vellet, illibatámque? & quis dubitet non Eam id acturam, ut quod jam fecerat Ludovicus Justus, edicto Magni Henrici inhæreret potiùs, quàm Parlamenti Parisiensis Arresto, omnibus retrò Principum edictis, quadrigentorúmque annorum Jurisprudentiæ planè adversanti.

Enimverò omnibus hisce rationibus adductus sum, ut crederem nihil contra Ejus voluntatem, rectásque intentiones facturum me esse, si eâ solemnitate abstinerem, qua Juramentum fidelitatis in Acta publica referre jubebamur; & cùm posteà hanc ipsam omissionem causarentur ministri Regij, juberéntque in Ecclesia mea velut vacante (cùm tamen 40. ferè annis illi præsedissem) Regaliam aperiri; fateor Majest. Vestræ, in eam me conjectum esse necessitatem, ut cogerer, quantùm vires meæ ferrent, Ecclesiam tueri, ejúsque juribus propugnandis ijs medijs experiri, quæ sacri Canones suppeditabant; quid enim aliud poteram, nisi partibus meis deesse vellem? præsertim cùm averti aliàs non possent ingentes illæ turbæ, rerúmque confusio, quam beneficiorum provisiones obtentu Regaliæ, dolísque expressæ Ecclesiæ meæ inferebant, legitimis quie-

quietísque, & tot annorum possessoribus expulsis. Id verò cùm egi, palàm profiteor nihil aliud à me factum spectatúmque esse, quàm ut Ecclesiæ legibus, decretísq; Oecumenici Concilij totâ Galliâ recepti cultíque, & quatuor sæculorum observantiæ parerem. Quod si alij Episcopi nihil simile moliti sunt, non id fuit, quòd in hac causa Regaliæ aliter, quàm ego sentirent; imò ubi se occasio obtulit, satis suam mentem prodidêre, ac etiam scriptis libellis contra Regaliæ extensionem protestati sunt, eósque inter Ecclesiarum suarum documenta recondi voluerunt, testes aliquando futuros impugnatæ ac frustra defensæ libertatis. Mihi equidem conscientiæ meæ stimulos sentienti parùm id esse videbatur, nec aliud supereſſe medium credebam, quo Canonicæ cadentíque Ecclesiæ meæ libertati subvenirem, quàm ut nuperum decretum conciperem, vulgarémque, sicque Jura, proventúsque temporales Ecclesiæ meæ, quâ licuit ratione tuerer, multóque magis ut collationibus beneficiorum onsulerem, quæ planè effectus sunt spiritualis & Hierarchicæ potestatis.

Cùm Apostolus Paulus Judæorum Regi assisteret, & pro fidei ac Evangelij veritate inter catenas causam suam peroraret, non potuit imperare sibi, quin in illas voces prorumperet Apostolici spiritûs, sanctæque libertatis plenas: *O Rex non credis Prophetis? scio quia credis.* Placeat Majest. Vestræ mihi quóque Episcoporum hujus Gallici Regni minimo, sed Christianissimum Regem alloquenti, easdem voces permittere, clementíque animo ferre, si dicam: Non ergo credit Majest. Vestra auctoritati Ecclesiæ in Oecumenico Concilio collectæ? scio, quia credit; quippe inter tot alia insignia, titulósque Gallicæ Majestatis eum inter primos ac pretiosissimos ponit, quo primogenitum

Ecclesiæ, sacrorúmque Canonum protectorem compellari se audit. Scio quàm altè Regio Illius animo memoria sedeat solemnis ejus Sacramenti, quo cùm Regio diademate cingeretur, ad aram se devinxit, promisítque Ecclesiam, ejúsque ministros, ac Episcopos, privilegia, immunitatésque omnes, eorum sacræ dignitati annexas, & vel sacrorum Canonum, vel Regum auctoritate attributas, conservaturam. Scio etiam quantum amor, studiúmque justitiæ Majest. Vestræ cordi sit, quam sine uni quidem ex minimis subditorum unquam negavit, egóne credam negaturam esse Ecclesijs? idque in re tanti momenti, eorúmque libertatem adeò vulnerante? Scio denique Majest. Vestram exemplo D. Ludovici, ex cujus Regio sanguine prognata est, animo Secum æstimare, nihil æquè necessarium esse, sed nec magis arduum, quàm idoneos Ecclesiæ ministros deligere, sícque tantùm abesse augendi, proferendíque ulteri limites concessos hoc munus, curámque periculi adeò plenam contendat, quin potiùs pavidè anxiéque cogitatum sit, quomodo de illis beneficijs Deo sit responsura, quorum nominationibus jam dudum onerata est.

Ignoscat Majest. Vestra hanc libertatem Episcopo annis gravi, & tanto jam tempore Pastorales curas sustinenti, quíque religioni sibi & conscientiæ omnino duceret, silentium tenere in tanti momenti negotio.

Equidem nihil adeò in votis mihi est, quàm ut Majest. Vestra intelligat, me omnem Ei reverentiam, obsequiúmque ex animo profiteri, & si dignata fuerit ad ea animo advertere, quæ hucúsque in Ejus sinum effudi, fatebitur Ipsa nihil à me dictum, scriptúmque esse, quod venerationem minuere possit Ejus Majestati debitam, sed tantùm Ecclesiæ meæ libertati providisse: hanc in manus meas Christus deposuit,

fuit, hanc à me repoſcet; & cùm tempus accedet reddendarum rationum, meæque villicationis finiendæ, inter tam multa alia, quæ animum meum angunt, illúdque tribunal formidandum reddunt, præcipuum planè id eſt, quódque nullâ excuſatione purgari poſſet, ſi contra conſcientiæ meæ voces, apertámque veritatem, cauſam Eccleſiæ Chriſti Sponſæ hoc temporis deſererem. Recordor à ſapiente dictum eſſe, corda Regum in manibus Dei verſari, & ab hoc quocúnque voluerit, inflecti. Hunc igitur enixiſſimis precibus imploro, precórque, ut Spiritum ſapientiæ, pietatis, juſtitiæque in animum Majeſt. Veſtræ effundat, Eámque ſuis benedictionibus, ac gratiâ illuſtret, doceátque quid in præſenti cauſa fieri oporteat, ac etiam in alijs omnibus juxta divini ſui cordis voluntatem Regem efficiat. Hæc ſunt animi mei ſenſa, hæc vota, quibus in meis ad aram ſacrificijs, precibúſque pro Majeſt. Veſtra inceſſanter defungor, nec enim majus aliud pignus invenio, quo meam erga Majeſt. Veſtram fidelitatem, obſequium, verúmque Ejus gloriæ promovendæ deſiderium, ac profundam venerationem conteſter, cum qua vivo, perennóque. Alecti 28. Junij 1678.

Majeſtatis Veſtræ

Humillimus, Obſequentiſſimus & fideliſſimus
Servus & Subditus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum II.

Mandatum Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nicolai Pavillon Episcopi Alectensis contra eos, qui obtentu Regaliæ Alectensis Ecclesiæ Beneficia occupabant.

NIcolaus Dei miseratione Episcopus Alectensis, Charissimis & Dilectissimis Fratribus Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & Collegij S. Pauli Canonicis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicarijs, aliísque Personis Ecclesiasticis Salutem & Benedictionem. Quoniam ex querelis, à Promotore hujus Diœcesis ad aures nostras delatis intelleximus, quamplures subreptitiè, titulóque Regaliæ, non pauca Beneficia, sive Dignitates illæ sint, sive Canonicatus, tam in Cathedrali, quàm in Collegiata S. Pauli Ecclesia obtinuisse, imò conatos insuper esse, ut obtentu dictæ Regaliæ eorundem Beneficiorum Possessionem caperent; idque non attento, quòd major præfatorum Beneficiorum pars per Canonicam legitimámque Institutionem, jam in alios sit collata, ijque longo annorum cursu pacificâ eorundem Possessione fruantur; id verò ad manifestam invasionem, & usurpationem jurium Ecclesiasticorum pertineat, ac antiquis juribus, Canonicæque libertati adversetur Provinciæ Narbonensis, quæ non solùm cùm proprijs privatísque Dominis serviret, verùm etiam posteaquam imperante Ludovico sancto Coronæ Gallicæ juncta est, nunquam Regaliæ subjacuit; imò ejudem Ludovici, ejúsque Successorum Regum patrocinio, antiquas suas immunitates ac jura retinuit, præsertim quoad illa, quæ Regaliam spectant, ac etiam per litteras patentes Philippi Pulchri de Anno 1303. earundem immunitatum ac Privilegiorum confirmationem accepit, & diuturnâ, ac immemoriali possessione libertatem

suam.

ſuam præſcripſit ; imò quantumvis hujus Provinciæ jura minùs firma eſſent minúſque fundata, quàm reipsâ ſint, cui tamen mirum novúmque, & hactenus inauditum non accidat, poſt ſex & triginta annos, quibus huic Epiſcopatui præeſſe cœpimus, eóque pacificè totidem annorum curſu potiti ſumus, ac omnia Beneficia contulimus, nullo Regaliæ impedimento, eandem Regaliam perinde ac vacante Eccleſiâ in noſtra Diœceſi aperiri? Quanto ergo hujuſmodi attentata plus habent novitatis, magíſque in Eccleſiæ præjudicium vergunt, tanto magis noſtrarum partium eſt, ut illa in ipſis initijs ſuffocemus, præſertim cùm titulo Regaliæ jam ſibi videantur poſſeſſionem vendicâſſe in aliquibus Eccleſiæ noſtræ Beneficijs, videlicet, Cimmeliarchatûs noſtræ Cathedralis, quem Clericus aliquis Tholoſanus reſignandum ſibi curavit Regaliæ obtentu, ac inſuper fructus uſurpare conatur, non obſtante Mandato & Interdicto noſtro, quo, ne deinceps virtute Regaliæ, ſecutæque Poſſeſſionis functionibus illius Beneficij ſe ingerere præſumeret, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ diſtrictè prohibuimus. Alterum Beneficium eſt, cui cùm à ſua fundatione cura animarum annexa ſit, habeátque aliquos Parochianos, quantumvis parvo numero ſubjectos, jam tamen per aliquot annos à Perſona laicæ conditionis poſſeſſum eſt, & ab hac ad aliam tranſijt, ne nomine quidem notam. Quæ omnia, niſi remedio aliquo opportuno corrigantur, neceſſé tandem eſt, ut in maximum Eccleſiæ, dictorúmque Capitulorum, ac Diœceſeon damnum & confuſionem redundent. Quæ cùm ita ſe habeant, præfatus Diœceſis noſtræ Promotor inſtanter rogavit, ut ad hunc effectum auctoritatem noſtram interponere dignaremur.

Nos ergo precibus ejuſdem Promotoris permoti, & præ-

præsertim hujusmodi Regalistarum injustis conatibus obviare, ijs verò, qui de præfatis Beneficijs canonicè investiti sunt, ne quidquam molestiæ patiantur, providere cupientes, ac insuper, quantum in nobis est, ac juxta obligationem nobis ex Divinæ Legis, sacrorúmque Canonum præscripto impositam, jura & libertates Ecclesiæ nostræ illibata conservare; Capitulis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, ac Collegiatæ S. Pauli iterum inhibemus, prout jam aliàs inhibuimus, ne quemquam eorum, qui subreptitiè, ac prætextu Regaliæ Collationes, aut nominationes impetrârunt, in præfata Beneficia recipiant, in chorum, aut capitulum, aliásve functiones eorundem Beneficiorum admittant, sub pœna suspensionis, quam ipso facto incurrant, quicunque ad hujusmodi receptionem aut installationem auxilio, aut consilio, aut alio quocúnque modo cooperati fuerint. Ipsis verò, ita ut prætactum est, Provisis, ne se dictis Beneficijs ingerant, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ. Omnibus etiam Personis Ecclesiasticis æquè prohibentes, ne quocúnque modo hujusmodi, ut præfatum est, Provisis, consilium, aut auxilium præstent in capiendâ Possessione, idque sub pœna suspensionis æquè ipso facto incurrendæ. Mandamus etiam Sacerdoti, ad quem notitia istarum primò pervenerit, aut aliàs cuicúnque Clerico tonsurâ insignito, ut omnes actus, aut aliàs quidquid ad hujus Mandati nostri promulgationem necessarium fuerit, diligenter expediat, aut expediri faciat. Datum Alecti in nostris Ædibus Episcopalibus die 5. Martij Anno 1675.

(L.S.)

Nicolaus Episcopus Alectensis

& infrà

Ad Mandatum Illustrissimi

Mercier.

III.

Documentum III.

Mandatum Epiſcopi Alectenſis contra D. de Foix, quo monitiones canonicæ decernuntur ad effectum, ad Declarationem Excommunicationis procedendi.

NIcolaus Dei miſeratione Epiſcopus Alectenſis, omnibus Diœceſis noſtræ fidelibus Salutem & Benedictionem à Domino noſtro Jesu Chriſto. Quoniam intelleximus Joannem Petrum Gaſton de Foix Diœceſis Couteracenſis Presbyterum, Decaniam & Canonicatum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis titulo Regaliæ obtinuiſſe, ſpatio decem & ſuprà annorum à Petro Pommier Capituli dictæ Eccleſiæ Decano pacificè poſſeſſum, ſéque in Poſſeſſionem ejuſdem Beneficij ingeſſiſſe, ac etiam Nonæ, & Veſperarum Divinis officijs ſub ea qualitate & charactere interfuiſſe, prætendátque omnes deinceps ſæpefati Beneficij functiones peragere; id verò manifeſta ſit Mandati noſtri infractio die 5. Maij Anno 1676. emiſſi, eíque heſternâ die debito modo legitiméque inſinuati; quo eidem aliiſque omnibus diſtrictè prohibuimus, ne ſe Beneficijs noſtræ Diœceſis, obtentu Regaliæ ingerere auderent, idque ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Ipſe verò Joannes Petrus ſaluberrimas exhortationes noſtras neglexit, quibus, dum heri nos conveniret, in ſpiritu lenitatis, & charitatis delinire eum conati ſumus. Id autem, cùm non ſolùm in Eccleſiæ contemptum cedat, verùm etiam ſacrorum Canonum Decretis, receptíſque in hoc Regno legibus adverſetur, quibus ſancitum eſt, neminem ſolius Regaliæ titulo, ſuis Beneficijs, quibus pacificè fruebatur, ſpoliari poſſe, niſi priùs coram legitimo Judice conventum damnatúmque, adeò

ut hujusmodi violentis conatibus non solùm jura libertatésque Ecclesiæ nostræ pessumdentur, ac Censuræ in Lugdunensi Concilio super hac re fulminatæ ludibrio habeantur, (cujus quidem Concilij Decreta declarata solùm nupero Mandato à nobis sunt, ac præsenti casui applicata) verùm etiam, ut diximus, legibus in nostro Regno receptis observatísq; injuria fiat. Has inquam ob causas, útque Mandato nostro, Decretóque Concilij Lugdunensis, cujus initium est: *Generali Constitutione:* satisfiat, monitiones Canonicas contra sæpedictum D. de Foix expediri jubemus; eíque virtute earundem monitionum, ne se præfato ingerat Beneficio, sed Decretis Concilij Lugdunensis, nostróque nupero Mandato primùm obtemperet, seriò injungimus. Si verò obtemperare neglexerit, declaramus eum publicè fore denuntiandum, atque Excommunicandum; imò Excommunicationem à Lugdunensi Concilio, nostróque Mandato impositam, ipso facto incurrisse. Quæ quidem monitiones de tertia in tertiam diem eidem insinuabuntur, ita videlicet, ut præsentes nostræ, postquam ei significatæ fuerint, locum primarum monitionum obtineant. Injungimus etiam primo Presbytero, aut Clerico tonsurâ insignito, ut quidquid ad insinuationem, aut executionem præsentis hujus nostri Mandati necessarium fuerit, diligenter, atque incunctanter expediat. Datæ Alecti in Ædibus nostris Episcopalibus 17. Octob. *1676.*

(L. S.)

Nicolaus Episcopus Alectensis.

& infrà.

Ex Mandato Illustrissimi

Mercier.

Docu-

Documentum IV.

Episcopi Alectensis Epistola ad Regem.

Domine, &c.

VEreor equidem, ne Majestatem Vestram importunè molestéque conveniam; tamen cohiberi non possum, ut non omnium reddam certiorem, quæ contra quemdam Ecclesiasticum Decanatum, ejúsque officia in Ecclesia nostra Cathedrali captantem, me necessitas coëgit experiri. Et verò tantum mihi audeo de clementia & æquitate Majest. Vestræ polliceri, ut persuasum habeam, Eam potiùs ijs fidem præstituram, quæ in Majestatis Vestræ sinum pari libertate ac reverentiâ effundam, quàm illorum vocibus, qui non omittent me reddere suspectum Majestati Vestræ, meásque actiones in pejus interpretari. Narrabunt illi, Mandatum à me prodijsse, quo non obstante Regij Senatûs Decreto, Ecclesiasticum illum submovebam, commonebámque, ne Regijs præceptis acquiesceret; cúmque persuaderi à me non posset, ut cœptis absisteret, aliud Mandatum secutum esse, quo ex Disciplinæ Ecclesiasticæ legibus premi illum, arceríque jubebam. At verò, si, quod supplex demissúsque, ac quâ possum reverentiâ, expósco, Majestati Vestræ placuerit hanc causam examinare, fatebitur Ipsa, id à me tantùm factum esse, quod fieri omnino oportuit. Nondum exciderit Majestati Vestræ, me jam semel datis ad Eandem litteris, quibus rationibus jura & libertates Ecclesiæ meæ contra Regaliam munirentur, suggessisse: nec Ipsa, si modò dignata fuerit animum ad ea advertere, inficias iverit, aut Ecclesiam meam à me prodi debuisse; aut ejus libertati tuendæ, nihil, quod modò in

viribus meis esset, intentatum relinqui. Quid enim aliud poteram, quàm ut Ecclesiæ parerem, ejúsque me legibus dederem? At illa in Concilio Generali, quid in hisce angustijs agerem, quémque portum subirem, jam facem præluxerat. Testor veritatem, me nihil aliud egisse, quàm ut Ecclesiæ Mandata exequerer, néque sive me filium, sive ministrum Ecclesiæ cogitarem, parendi necessitate solvi potuisse. Et hoc ipsum est illud, quo me angi vehementer contestor, in eam videlicet me adductum necessitatem, ut videri possem Majestatis Vestræ mandatis obluctari, & tamen nemo Illam demissiùs veneratur; &, cui libuerit, actiones meas in hac causa metiri, fateri cogetur, nihil à me magis minúsque peractum esse, quàm necessitas urgeret, ac remedia morbo aptâsse, nec priùs ad acerba pœnásque Ecclesiæ deventum, quàm spe omni consumptâ, & cùm mitiora non proficerent. Nihil aliorum consilijs, nihil exterorum suggestionibus debeo; & si quidem Majestati Vestræ placeat hoc culpæ adscribere, totum id crimen meum est, sine complice, sine magistro deliqui, nec ullum admisi erroris socium. Ego hanc causam intimè, lentéque discussi, cùm videlicet eam cognoscendi me necessitas & officium premeret. Ego illam omni studio expendi: ego non cursim, nec obiter libavi, sed multa cum cura moráque, non mecum tantùm, sed etiam cum ipso Deo contuli, ejúsque gratiam ac lumen, ne fortè errore aliquo abriperer, demissè imploravi. Nec verò in hoc stadium tanti sudoris ac pulveris plenum, aliam ob causam decurri, quàm quòd persuasum haberem, nisi id agerem, præcipuis mei muneris partibus defuturum; atque hæc opinio nunquam deleri ex animo meo potuit, imò semper invaluit. Cùm enim gravissimo morbo ultimis annis conflictarer, méque

méque jam morti accingerem, vehementer animum meum ea cogitatio pulsare cœpit, quâ tangi me, permoveríque sentiebam, ut ultimos hujus vitæ meæ annos, ac pauca, quæ supererant, momenta, Deo unicè addicerem, impigréque officio meo perfungerer, ac præcipuè in causa Regaliæ, quâ implicatum me cernebam, novum fidelitatis exemplum post me relinquerem. Et quia causæ rationésque, quæ animum meum primò imbuerunt, semper eædem, ac immutatæ persistunt, fieri quoque non potest, ut propositum mutem, aliámque viam insistam. Recordetur Majestas Vestra, me in ea ætate versari, quâ nihil aliud, quàm vicinam mortem, reddendásque Deo rationes cogitare jam lubet. Infelicissimus ergo, & miserrimus fuerim, si, ut quiete ac malaciâ fruar brevissimi temporis, conscientiæ meæ vim faciam, ac stimulis, quibus agi me sentio, lubens prudénsque obnitar, periturus videlicet momenti amore. Id verò si agam, fateor me hac unâ culpâ indignum eo gradu ac Dignitate reddi, in quam me Deus provexit, nullámque mihi ampliùs fiduciam fore pro Majestatis Vestræ, Ejúsque Regiæ Familiæ sospitate cœlestem gratiam implorandi. Equidem persuasum semper habui, neminem Principi suo fidelem fore, qui Deo infidelis esset, eámque semper regulam observandam duxi, quam ab Apostolo hisce verbis consignatam didiceram, videlicet: *Deum time, & Regem honora.* Hæc sunt adversùs Majest. Vestram animi mei sensa, hæc mecum, uti spero, in extrema durabunt, qui tamen gloriari audeo, me nec fide in Majestatem Vestram, nec reverentiâ ulli alteri palmam concedere. Alecti 20. Octob. Anno 1676.

Majestatis Vestræ

Humillimus, Obsequentissimus & Fidelissimus
Servus & subditus
Nicolaus Episcopus Alectensis.

Documentum V.

Mandatum Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis

FRanciscus miseratione Divinâ Episcopus Apamiensis, Charissimis & Dilectissimis Fratribus & Canonicis Ecclesiarum nostrarum Cathedralis, & Collegiatæ Beatissimæ Virginis Campensis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicarijs, aliisque Ecclesiasticis Personis Salutem & Benedictionem. Intelleximus Dominum Paucet Diœcesis Leonensis Presbyterum obtentu Regaliæ, cui Diœcesis nostra Apamiensis nunquam subjacuit, Canonicatûs & Archidiaconatûs Regularium Capituli nostri Cathedralis possessionem captare. Et quia tam Episcopale ipsum officium, quo, licet indigni, perfungimur, quàm etiam Oecumenici Lugdunensis Concilij Decretum, cujus initium est: *Generali Constitutione*: gravem nobis imponunt necessitatem, Ecclesiæ nostræ jura tuendi, impediendíque, ne Regalia in eas Ecclesias ac Provincias irrepat, quæ huic servituti nunquam obnoxiæ fuêre; ideò nisi Censuras à præfato Concilio intentatas incurrere, ac insuper gravi conscientiam nostram delicto obstringere vellemus, non potuimus ullo pacto permittere, ut silentibus nobis, ac turpi conniventiâ defixis, idem Jus Regaliæ in hanc nostram Diœcesin induceretur; tantóque magis, quia licet in hac nostra Diœcesi Regaliæ locus aliquis esse posset, quod tamen minimè concedimus, tamen ad Cathedralem Ecclesiam extendi haud posset; quippe quæ ex sua Institutione Regularis est, ac Reformata; adeóque nisi à Deo ad Religiosum statum evocati, probatíque diuturno ac consueto tyrocinio, ad nullum Canonicatum,

nicatum, aut Dignitatem aliam ejusdem Ecclesiæ nostræ Cathedralis promoveri possunt; quod etiam Pontificio Alexandri VII. Regióque Diplomate cautum est. Actandem toto triginta trium annorum cursu, quibus huic nostræ Ecclesiæ præfuimus, quamvis indigni, omnia Ejusdem Ecclesiæ vacantia Beneficia, sine contradictione, liberéque contulimus. Ex his igitur aliisque causis, útque partibus à Deo nobis impositis deesse ne videamur, hisce nostris præsentibus litteris Capitulis Cathedralis, & Collegiatæ Dominæ nostræ Ecclesiarum districtè inhibemus, ne ad Beneficia, locúmque in Choro, aut Capitulo recipiendum, aliásque præactis Benficijs annexas functiones exercendas hujusmodi ex titulo Regaliæ provisos admittere præsumant, idque sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ; quâ omnes illi obstricti teneantur, qui quovis modo, aut quæsito colore hujusmodi Beneficiorum usurpatores consilio, aut auxilio adjuverint, aut aliàs eorum conatus promoverint. Ipsos verò, ita ut præfertur, titulo ac colore Regaliæ provisos ac Beneficiatos, ne se hujusmodi Beneficijs ingerant, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, æquè prohibemus. Præcipimus etiam omnibus Personis Ecclesiasticis, ne ullum auxilium, consilium aut assistentiam ad capiendam, aut ineundam possessionem hujusmodi Usurpatoribus præstent, idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, &c. Datæ Alecti in Ædibus Episcopalibus 27. April. Anno 1677.

Franciscus Episopus
Apamiensis.

Docu-

Documentum VI.

Epistola ad Regem Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Apamiensis.

Domine, &c.

INter tot Regias virtutes, quas in sacram Majestatis Vestræ Personam Divina manus effudit, persuasum semper habui, nullam æquè Christianissimo Principe dignam esse, ut facilitatem clementiámque, quâ subditorum, ac præsertim Episcoporum preces plenásque reverentiæ voces benignè admittit. Id mihi animos fiduciámque addidit, ut crederem haud fore ingratum Majestati Vestræ, si quam mihi conati sunt calumniam aspergere, quæque tanto altius in animum meum descendit, quòd fidelitatem, obedientiámque Principi meo debitas, fædare conentur, ad pedes Majest. Vestræ supplex purgarem. Persuadere conati sunt Majestati Vestræ, me non morari tantùm, sed nec ferre eos posse, qui militiam profitentur: ac Sacerdotibus Sacramenti Pœnitentiæ ministris in mandatis dedisse, ne quemquam, qui eam vitam amplexi essent, nec illi abnuntiâssent, peccatis expiarent. Facilè equidem mihi esset, tam fœdæ calumniæ diluendæ, eorum numerum recensere, qui ex mea Diœcesi sub auspicijs Majestatis Vestræ, aut Ducum, aut gregariorum militum conditione nomen militiæ dederunt; sed vereor, ut Majestatis Vestræ patientiâ abutar. Possem etiam attestationes ac chirographa exhibere quàm plurium Confessariorum ex locis, ubi miles hyberna egit, asseverantium Sacramenta quamplurimis administrata esse, imò omnibus, modò illis ritè accipiendis

dis animum aptaverant ; & ego nonnullos Sacramento Confirmationis initiavi. Non potui igitur non vehementer mirari, fuisse ex inimicis meis, qui ut animum Majestatis Vestræ à me averterent, auderent Illum tam falsis juxtà, & inverecundis criminationibus imbuere. Num ergo ignorare Episcopus potui, artem vitámque militarem non solùm innoxiam esse, nisi aliunde inquinetur, sed etiam tuendæ augendæque Reipublicæ necessariam? Quòd si aliquando cum militum nonnullis hac in causa locutus sum, id solum fuit, ut eos exemplo Joannis Baptistæ cohortarer ad innocenter militiam exercendam, ac jussa Majestatis Vestræ observanda, quæ à nonnullis calcata videbam, dolebámque, populo varijs exactionibus injuriisque vexato ; adeò ut opus fuerit in eorum nonnullos animadvertere.

Patietur quoque Majestas Vestra, ut hâc ipsâ occasione rationem ei omnium reddam, quæ inter me, & Ecclesiasticum quendam peracta sunt, cùm prætextu Regaliæ Archidiaconatu Apamiensis Ecclesiæ potiri vellet ; ego illum Mandato, ac Censuris Ecclesiasticis procul arcendum duxi ; idque ut agerem, non alias planè ob causas permotus sum, quàm ut conscientiæ meæ, ac juramento satisfacerem, quo cùm Episcopalem Cathedram conscendi, ad Ecclesiæ meæ jura ac libertates conservandas sanctè me obstrinxi. Ecclesia Apamiensis, cujus ego curam quamvis indignus sustineo, nunquam Regaliæ subjacuit, idque non tam privilegio, Principum liberalitate accepto, quàm naturali, & à prima fundatione coævâ libertate. Qui ergo connivere ego possem, ut illa Diœcesin meam inveheretur, nisi & Dignitate, quâ fungor, indignum me redderem, & Decretis Lugdunensis Concilij quatuor sæculorum

culorum obsservantiâ subnixis, & Regum Galliæ Edictis, ac præsertim Henrici Magni, glorioſæque memoriæ Ludovici Majestatis Vestræ Patris adversarer? Accedit, quòd novi hujus juris invectio, ne totam eam Reformationem Ecclesiæ meæ penitùs everti contingeret, quam pari felicitate & favore cum Pontificis Alexandri VII. tum Majestatis Vestræ eam Regio Diplomate protegentis ad metas perduxi; nec enim sperare licet, eum, qui Archidiaconatum nuper obtinuit (primam videlicet Ecclesiæ meæ Dignitatem) quíque illum deinceps sequentur, eo animo huc festinâsse, ut sacræ militiæ tyrocinium facerent, communíque bonorum societate contenti, mundum, ejúsque cupiditates deponerent. Si ergo, qui jam Deo vocante Religionem amplexi sunt, professione suâ, votísque absistere cogantur, ac certum animarum suarum adire naufragium, alijs videlicet, alienísque Beneficia sua, quibus sustentabantur, relicturi, illud quóque & necessariò consequeretur, ut Divinis officijs Ecclesia mea destituatur; nec enim, ut Majestati Vestræ suggestum fuit, ea Congregationi sanctæ Genovevæ unita est, sed suis, ac particularibus statutis & legibus gubernatur. Cæterùm dignetur Majestas Vestra mihi credere, nihil uspiam terrarum esse, quod fidelitatem ac obedientiam meam, quas Eidem profiteor, ulla ex parte minuere, aut inquinare possit, imò nihil æquè mihi cordi ac curæ est, eásque inter præcipua capita mearum obligationum colloco. Nec credo, me aliâ re magis eas Majestati Vestræ probare, testaríque potuisse, quàm si eodem tempore me Deo, ejúsque Divinis præceptis æquè fidum promptúmque ostenderem; quam enim fidem ab illis Principes expectent, qui eam Deo negârunt? Enimverò pro Majestate Vestra nullum finem sacrificandi precandíque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

candíque faciam, quo cœleſtem Ei, totíque Regiæ ſtirpi Benedictionem, ac Gratiam à DEO efflagitem, ac interim, quâ majori poſſum veneratione, & obſequio ſum eróque ſemper. Apamiæ 29. Jun. 1677.

Majeſtatis Veſtræ

Humillimus, Obſequentiſſimus & fideliſſimus
Servus & Subditus

Franciſcus Epiſcopus Apamienſis.

Documentum VII.

Epiſtola encyclica Reverendiſſimi Epiſcopi Alectenſis.

NUllus dubito, ſententiam Vicarij & Officialis Narbonenſis tantâ curâ ſtudióque ubíque locorum vulgatam, & quâ bina à me edita Mandata evertere conatur, in manus veſtras deveniſſe. Enimverò perſuaſum ego habeo, eodem temporis momento, quo illam recepiſtis, unà etiam recordatos vos eſſe, quanta mihi incumberet neceſſitas, jura libertatéſque Eccleſiæ meæ, ac Dignitatem Epiſcopalem, quæ in hac cauſa æquè periclitantur, impigrè tuendi. Id ego conatus ſum efficere Conſtitutione, quam hiſce meis annexam legetis, & ex qua facilè colligere licebit, non unius tantùm, ſed communem, omniúmque hujus Provinciæ Eccleſiarum cauſam, ac periculum verti. Vos ergo, uti ſpero, nec partibus veſtris defuturi eſtis, nec omittetis in veſtris quíſque Diœceſibus ea omnia curare, quæ huic ſententiæ remorandæ, ejúſque effectui ſuſpendendo neceſſaria fuerint. Tantùm id agite, ut ſociatis junctíſque viribus

communem causam amplexemini, vósque Dignitatem Auctoritatémque nostram oppugnantibus, Sacerdotali libertate occuratis, & quod hactenus nimiâ fortè indulgentiâ peccatum est, pari Zelo, oblatáque occasione obliteretis. Ego interim Venerabundus perenno.

Alecti 23. Octob. 1677.

Humillimus & Obsequentissimus Servus

Nicolaus Episcopus Alectensis.

Documentum VIII.

Actus Capitularis Ecclesiæ Apamiensis contra Procuratorem Domini Paucet Regalistæ.

ANno Domini 1677. die vigesimâ Junij comparuerunt in Civitate Apamiensi coram me Notario Regio P. Franciscus Carlat Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Apamiensis, & Prior Claustralis ex una; & Dominus Joannes Ludovicus la Caze Diœcesis Convenensis, ac D. Petri Paucet Presbyteri legitimus Procurator ex altera partibus: qui ultimus exposuit, se circa horam nonam ante meridiem compariturum, atque Chirographum Regium exhibiturum, vigore cujus Archidiaconatus, & Canonicatus Regularis, olim à Domino Mascarone possessus, præfato Domino Petro Paucet Presbytero confertur; rogare proinde, ut nomine ac vice sæpedicti Domini Petri ac Regij Chirographi intuitu, ut in Archidiaconatum ac Canonicatum Apamiensem recipere eum vellent. Cui petitioni per eundem Dominum Franciscum Carlat Archipresbyterum

terum responsum est, se post solemne Sacræ Missæ officium Capitulares convocaturum. Convocatis ergo, atque in unum collectis Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, post communem maturámque deliberationem, ex omnium unanimi, atque concordi sententia responsum est: se videlicet, salvo interim omni respectu Majestati Suæ debito, non posse, nomine quo suprà, dictum Dominum la Caze recipere, idque ex sequentibus rationibus. Primò. Quia per expressam Alexandri VII. Bullam, Diplomate quóque Regio confirmatam, enixè sancitum est, ne quis, nisi post inchoatum, expletúmque jussu Episcopi Tyrocinium, sequutámque deinceps Professionem ad Beneficia Ecclesiæ Apamiensis recipiatur. Secundò. Quia ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo suo Cathedrali Capitulo prohibitum est, ne quemquam titulo Regaliæ ad Beneficia prænominatæ Ecclesiæ admitterent, locum in Choro, aut Capitulo darent, aut aliàs fungi permitterent dictorum Beneficiorum officijs, idque sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. Tertiò. Quia Decreto tum Generalis Concilij Lugdunensis, cujus initium: *Generali Constitutione*, tum etiam Oecumenici Tridentini *Sess. 22. cap. 11.* inhibetur, ne ullâ ratione, consilio, seu auxilio Regaliam promoveant (quæ in Ecclesia Apamiensi locum nunquam habuit) néque sub pœna anathematis jura Ecclesiarum violari, ac labefactari permittant. Utque prædicta Capitularis Declaratio ignorari à nemine possit, &c.

Documentum IX.

Actus Reverendissimi Episcopi Apamiensis ad Reverendissimum Archiepiscopum Tholosanum directus.

ANno 1677. die 18. Octob. In Civitate & Palatio Episcopali Apamiensi, Regnante Christianissimo Principe Ludovico, Galliæ & Navarræ Rege, coram me Notario publico & Regio, ac testibus infrà notandis, Illustrissimus & Reverendissimus Franciscus Stephanus Episcopus Apamiensis personaliter constitutus, átq; per hunc actum à me legitimè conscriptum, verba sua dirigens ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Josephum de Monpezat Archiepiscopum Tholosanum; nec non ad Dominos Gulielmum Cazamagion Presbyterum & Promotorem Ecclesiæ ac Provinciæ Tholosanæ, & Petrum Paucet Presbyterum Diœcesis Leonensis, protestatur declarátque: se ejusdem D. Archiepiscopi Kalendis Septembris proximè elapsi pronuntiatæ sententiæ nullo modo acquiescere ac deferre posse, quâ nuperum, hoc est, vigesimâ septimâ Aprilis emissum ab eodem D. Episcopo Apamiensi Mandatum Legibus Regni Gallicani, communíque tranquillitati, ac hujus Provinciæ Ecclesiasticæ Disciplinæ adversum, ac proinde unà cum Censuris ibidem intentatis, nullum viribúsque cassum declarat, prohibétque insuper, ne quis hujusmodi Censuris, aut Mandatis deferat, eísque obediat, aut illa executioni mandet; multóque magis ipsi Domino Episcopo Apamiensi, ne hujusmodi Mandata deinceps publicari, ac executioni dari permittat, seriò injungit. Præcepit insuper Capitulo Apamiensi sub pœnis à Jure præscriptis,

scriptis, ut præfatum Dominum Paucet in Canonicum ejusdem Ecclesiæ recipiant, installent, inque possessionem immittant, ita tamen, & non aliter, quàm si juxta formam à Sacris Canonibus, ac litteris Provisionis traditam, vota Religionis, sacrámque Professionem emiserit. Denique Promotori suæ Archidiœcesis imponit, ut præfatam sententiam in ipsa Civitate Metropolitana, nec non Urbe Apamiensi, aliísque Archiepiscopatûs sui Diœcesibus legi, affigi, promulgaríque faciat.

Huic ergo à Domino Archiepiscopo Tholosano latæ sententiæ, declarat præfatus D. Episcopus Apamiensis se acquiescere ac deferre non posse, eámque tam secundùm formam, quàm rem ac substantiam ipsam, nullam irritámque esse pronuntiat. *Primò* enim secundùm formam nulla est; quia omni jure etiam naturali cautum est, ne sententia à Judice aliquo feratur, nisi auditis priùs, aut saltem citatis partibus, quarum interest; id quod innumeris ferè auctoritatibus probare liceret, nisi res esset adeò nota, ac in jure tam clarè decisa, ut ne quidem ullâ probatione indigeat. Sufficiat canon 22. Concilij Nicæni: *Caveant Judices Ecclesiæ, ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit.* Et Decretis Innocentij IV. in Capitulo: *Venerabilibus.* de sententia Excommunicationis. In qua casus, de quo agimus, ferè in terminis definitus est; ita enim habet: *Attamen si suffraganeus, vel extra judicium pro suorum jurium defensione: vel etiam in judicio, ex suo proceders officio, inquirendo videlicet, vel simile quid agendo aliquem excommunicet; in hoc casu conveniendus est ipse suffraganeus coram Archiepiscopo, vel ejus officiali; quia ipsius interest, defendere causam suam.* Planè inauditum est, fuisse à Metropolitano contra suffraganeum in causa appellationis, ad solam

Iam instnatiam partis, nec vocatis, quarum intererat, partibus, pronuntiatum. Nec ipse D. Paucet hunc adeò essentialem errorem inficiari potuit, imò illi quâvis ratione obtegendo colores ac prætextus collegit. Ait enim, posse à Metropolitano contra Suffraganeos Episcopos, titulo denegatæ justitiæ, & si Archiepiscopo de causis constat, cur suffraganei administrare justitiam noluerint, sententiam dici. Cæterùm præterquam contra hujusmodi abusum sæpe multúmque ab Episcopis declamatum est, oporterétque eum corrigi aliquando; confundit insuper idem D. Paucet voluntariam ac contentiosam Jurisdictionem, & ea, quæ ad gratiam, quæque ad justitiam pertinent. Si quis enim Apostolicâ authoritate Romæ provisus compareat, ac virtute hujusmodi Provisionis Beneficium ab Ordinario petat, is meram gratiam, ejúsque executionem, & nihil aliud petit, sícque nullâ partium citatione opus esse videtur. Si verò ab Episcopo aut Metropolitano sententia aliqua in Petitorio feratur, quis unquam dubitavit, vocandas esse partes, de quarum jure ac præjudicio agitur; & nisi vocentur, sententiam esse nullam irritámque? Idémque dicendum est de sententia Judicis sæcularis, quando de mera Possessione Beneficij controversia agitur; si enim hâc formalitate careat, & partes, quarum intererat, vocatæ non sint, nemo negaverit hujusmodi sententiam nullam fuisse. Denique in omni judicio tres distinctæ Personæ reperiri debent, videlicet: Actoris, Rei, Judicísque; ideò quamvis fortè Metropolitani gratias impertiri soleant à suffraganeis recusatas, nunquam tamen exemplum aliquod produci poterit, fuisse eorundem suffraganeorum sententias & Decreta à Metropolitanis sublata, & pro irritis cassísque declarata, partibus non vocatis.

Multò

Multo minùs ſuſtineri poteſt, quod in hujus tam manifeſti erroris defenſionem idem D. Paucet allegat, videlicet: Mandatum Reverendiſſimi D. Epiſcopi Apamienſis in eadem Apamienſi Diœceſi ubíque locorum publicatum diſperſúmque fuiſſe, ſícque omnes juxtà rationes & argumenta, quæ eundem D. Epiſcopum ad hoc Mandatum expediendum permoverant, in omnium notitiam perlatas eſſe; non ergo citandas fuiſſe neceſſariò partes ad reſpondendum, cùm jam conſtaret, ac palàm omnibus foret, quid eſſent reſponſuræ. Verùm quî ſciri potuit, omnes Epiſcopi Apamienſis rationes eo mandato contineri, & non plures alias in ſcrinio pectoris occultari ſuo tempore exponendas? Et planè ex induſtria nonnullæ ſuppreſſæ ſunt, ac in commodiorem occaſionem ſervatæ. Sed quidquid de hoc ſit, novum omnino, & inauditum, ac ſine exemplo eſt, fuiſſe Reum à Tribunali, ac judiciali defenſione excluſum, quia extrajudicialiter, privatímque cauſam dixerat; quaſi verò quis neſciat, in ipſo Contradictorio Judicio, Litíſque Conteſtatione, partibus ultro citróque proponentibus, ac reſpondentibus multo clariùs veritatem micare, ac partium jura palàm fieri. Sed nec ipſe D. Paucet unquam mundo perſuadebit, aliam ei cauſam fuiſſe tam neceſſariæ Citationis declinandæ, quàm quòd jura rationéſque Epiſcopi Apamienſis adeò ei clara, omníque exceptione majora videbantur, ut puderet obluctari. Denique ſi nihil aliud, illud ſaltem oportebat ab Epiſcopo intelligere, an opinioni ſuæ, mandatóque jam ſemel vulgato inſiſtere, ac inhærere vellet.

Secundò. Ex eo etiam capite Sententia Tholoſana quoad formam nulla & irrita eſt, quòd in illa dicatur: *Mandatum D. Epiſcopi Apamienſis Legibus Regni Gallicani adverſari.* Quaſi verò Archiepiſcopi partes ſint, de Legibus Re-

gni, earúmque contraventionibus judicare, aut Ecclesiastica Jurisdictio alium finem habeat, quàm Canonum Ecclesiasticorum observantiam ; aut aliquis etiam Judicum sæcularium sit, qui non omnino sibi persuadeat, hujusmodi sententias defectu Jurisdictionis suos limites excedentis, nullas esse irritásque. Præter hos, & essentiales defectus circa formam judicij commissos, alij nec pauci numero accessere, ab honestate ac decoro inter homines observari solito alieni. Demus enim Mandato Episcopi Apamiensis aliquid defuisse, quo rejici mereretur ; at honestas saltem exposcebat, & veneratio Dignitati ac Characteri Episcopali debita, ut priùs moneretur Apamiensis Episcopus (primus videlicet & antiquissimus in Archidiœcesi Tholosana Antistes) & aliqua componendæ liti ratio tentaretur, quàm ut liceret in extrema, ac sententiam procedere multis injurijs sparsam; qualis ea est, quam D. Archiepiscopus nuper pronuntiavit, quæque Domini Paucet supplicationem contemptûs falsíque plenam non admisit tantùm, sed etiam recitavit, ac publico exposuit. In ea siquidem dicitur.

Primò. Promisisse Regi Episcopum Apamiensem, se juramentum fidelitatis in publica acta referendum præstiturum. Id verò falsum omnino est, nec aliâ intentione a Domino Paucet confictum vulgatúmque, quàm ut invidiam odiúmque Episcopo conflaret, perinde ac si ipse fidem violâsset Regi obligatam ; cùm tamen super hac causa neque Rex sit aliquando cum Episcopo collocutus, neque ipsi Episcopo unquam in mentem venerit, Regi aliquid simile aut immediatè per se, aut per alios polliceri.

Secundò. Idem D. Paucet Episcopo Apamiensi objectat, malè sententiam ac Decreta Lugdunensis Concilij ab eo esse intellecta, ídque ex verbis Concilij, ac Glossa constare.

Cæte-

Cæterùm hæc cùm dicit, palàm omnibus facit, se illum ipsum esse, qui mentem Concilij Lugdunensis malè assecutus est, quíque priùs de veritate edoceri, instruíque certiùs debuisset, quàm ut Episcopo hæc exprobraret non sine dedecore, injuriáque sacræ Dignitatis : & prætereà quàm hæc objectio à vero abludat, idem Episcopus Apamiensis, cùm ad hujus quæstionis cardinem ac substantiam sermo perveniet, clariùs ostendet, quàm ut negari ab aliquo possit.

Tertiò. Conatur idem D. Paucet notam læsæ Majestatis Domino Episcopo adspergere, quando adjungit, Censuras ab eo intentatas nullum alium finem spectare, quàm ut Populum concitent, ac legibus Edictísque Regijs rebellem faciant. Id verò quàm est à veritate ac mente ejusdem Domini Episcopi alienum, quámque ejus moribus huc usque inculpatis adversum, tam graves pœnæ debentur temeritati ista scribentis; enimverò Episcopus Apamiensis nulli Galliæ Antistitum, aut fidelitatis, obsequij, aut curæ & observantiæ in Regem, ac publicum Galliæ bonum palmam concedet. Quòd si in præsenti Regaliæ controversia minùs ad Regiam voluntatem accessit, quàm Aula speravit; erit aliquando tempus, cùm Majestati Suæ constabit, id ex solo metu proveniisse Dei offendendi, quem unum Petrus Apostolus honori ac reverentiæ Regibus debitæ præmisit : *Deum*, inquiens, *timete*, *Regem honorate*. Imò tanto firmius est vinculum, quod eundem Episcopum Regio servitio adstringit, quanto magis nulli adulationi mixtum, solóque Dei præcepto, Reges honorari jubentis, obligatione subditorum in Principem, Regiísque virtutibus nixum, quibus Majestas Sua abundat, & dignam Se omni obedientiâ ac fidelitate reddit. Sed nec magis curæ ac Religioni fuit, Provinciæ & Diœcesis Tholosanæ Pro-

motori in regulas decori ac æquitatis offendere, Episcopo Apamiensi debitæ. Dicit enim, hujus Decreto & Mandato multorum conscientias ac Ordinem Ecclesiasticum turbatum esse; perinde, ac si turbas & motus vereri nos oporteat, quæ in dyscolorum animis veritatis & justitiæ leges excitare solent. Nec enim Episcopi Apamiensis Mandatum aliò spectavit, quàm ne Canones Ecclesiæ violarentur, neque per alias vias ad Beneficia accessus pateret, quàm per illas, quæ ab ijsdem sacris Canonibus præscribuntur. Nec ab illo novæ pœnæ dictatæ sunt, sed antiquæ, quæ sacrorum Canonum violatoribus debentur, tantùm declaratæ. Atque utinam secum perpenderet Tholosanus Promotor, pacem, pro qua in hac materia adeò laborat, multo animabus fore pernicioſiorem, quàm quidquid turbarum & inquietis ex Episcopi Apamiensis Decreto profectum esse dicitur; nihil quippe aliud ab Apamiensi Episcopo factum est, quàm ut Decreta exequeretur Lugdunensis Concilij. Cùm ergo anathemata ab hoc Concilio illata Tholosanus Episcopus frustra conetur elidere; sequitur, ut qui illis obstricti sunt, tanto infeliciùs periclitentur, quanto minùs periculum suum sentiunt, eóque liberari haud curant, dicentes: *Pax pax, & non erat pax.*

Id quod postea idem Promotor adjungit, nihil contra Edicta, Declarationes, ac Mandata Regia posse à quoquam sine culpa tentatæ Majestatis decerni; una ex ijs Regulis ac Maximis est, quæ si absque debita limitatione intelligatur, totam evertere Religionem possit.

Sed & illud admiratione dignum: ausum videlicet esse ministrum Archiepiscopalem, cui præcipuè sacros Canones observandi cura incumbit, Archiepiscopo suo supplicare, ut aboleri Decretum faceret, quo executio Lugdunensis

sis Concilij unicè urgetur, útque Apamienſi Epiſcopo prohiberet, ut deinceps ſimilibus Mandatis faciendis vulgandíſque abſtineret. Id verò Juriſdictionem Apamienſis Epiſcopi apertè lædit ; cùm Metropolitani partes ac officium non ſit, leges pro aliena Diœceſi ſtatuere; multóque minùs, ne mandatis ſuffraganei obtemperetur, prohibere.

Prohibet idem Promotor, ne à quopiam mortalium hujuſmodi Mandatis ac Cenſuris deferatur, perinde, ac ſi obedientia illis præſtita, vitio culpæque adſcribi debeat: & ne fortè Promotoris hæc ſenſa in occulto lateant, aut potiùs, ut tanto plus habeant doloris, vulgatum ludibrium; curat urgétque, ut ſententia Tholoſana, quâ Epiſcopi Apamienſis Mandatum irritum caſſúmque decernitur, totâ Provinciâ publicétur, omnibúſque valvis Urbis Metropolitanæ affigatur, ut videlicet tanto hoc apparatu pompáque ſeveritatis omnes Suffraganei Epiſcopi, quamvis nunquam auditi, Tholoſanæ ſententiæ ſe quamprimùm ſubmittant; perinde videlicet, ac ſi ea non unius Archiepiſcopi, ſed totius Provincialis Concilij ſententia foret, in quo tamen æquum eſſet, eos non conſuli tantùm, ſed etiam Perſonam Judicum ſuſtinere. Sed neque hoc ſatis fuit, ut ad fores Eccleſiæ tam inſignis ſententia penderet, illud quóque adjunctum eſt, ut inter publicas ſolemnéſque preces ac Conciones, quæ Miſſæ Sacrificium comitantur, etiam extra Tholoſanam Provinciam promulgaretur.

Ipſe verò D. Archiepiſcopus, à cujus tamen æquitate ſperari debuit fore, ut iſtorum Clericorum audaciam ſuâ auctoritate coërceret, tantum abfuit, ut id ageret, ut potiùs ipſe in Mandatum Apamienſe manus immittat fædétque, impoſitis criminationibus, perinde ac Conſcientiarum tranquillitati, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, ac Gallicis Legibus

adversum; si & Promotoris Tholosani querelis per omnia ac verbatim ferè consentit, unde complures nullitates defectúsque non contra formam solùm, quod modò ostensum, sed etiam contra substantiam ipsius causæ, quod deinceps manifestum faciam.

Tertiò. Tholosana Sententia etiam quod substantiam ac merita causæ ipsius spectat, nulla & irrita est; Episcopi enim Apamiensis Mandatum nihil aliud complectitur, quàm executionem Lugdunensis & Oecumenici Concilij totâ Galliâ recepti, & quatuor ferè sæculorum observantiâ firmati; ex quo sequitur, Dominum Archiepiscopum Tholosanum in præsenti materia incompetentem Judicem esse; cùm enim de causa agatur maximi ac præcipui momenti, totámque Ecclesiam spectante, déque Generalis Concilij executione, qui potest prohiberi Episcopus, ne id agat observétque, quod à tota Ecclesia observari oportet? aut quâ ratione ei adimi, aut restringi potestas, quam ab Ecclesia recepit? Quidquid ergo hac in re ab Archiepiscopo Tholosano fieri poterat, illud fuit, ut Synodum Provincialem convocaret, in eáque examinari curaret, an Episcopus Apamiensis terminos transgressus esset à Concilio Lugdunensi præscriptos; eâ ferè ratione quâ in materia civili non potest Judex subalternus de ijs cognoscere, quæ inferior Judex ex Mandato Superioris, útque *merus executor* decrevit peregítque, nisi forsan excessisset fines Mandati. Ipsimet Archiepiscopi & Metropolitani, si ex Conciliorum sententia loqui velimus, nihil aliud sunt, quàm sacrorum Canonum executores, nec in Episcoporum & Suffraganeorum Diœceses jus ullum habent, exceptis casibus certis in jure expressis. Nec dici potest, spectâsse saltem ad dictum D. Archiepiscopum jus cognoscendi

scendi judicandíque, an Apamiense Mandatum conforme esset Lugdunensi Concilio; præterquam enim quòd nil clarius est, quàm ut examine aliquo, aut sententiâ indigeat, accedit insuper, materiam & causam hanc tanti esse momenti, ut à solo Archiepiscopo sine Concilio Provinciali decidi non possit; & tamen non solùm sine Provinciali Concilio, sed etiam, uti apparet, sine omni alio, etiam privato Concilio decisa est. In Chalcedonensi Generali Synodo ita decretum est. *Can. 9. Si Clerus adversùs suum, vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi Provinciæ ejus conqueratur.* Quod tunc maximè necessarium est, habétque locum, cùm non unius tantùm Episcopi, sed totius Provinciæ causa ac negotium vertitur.

Sed utcunque hæc se habeant, illud saltem certum est, non posse Mandatum Apamiense, ac Censuras in eo contentas pro nullis irritísque haberi, nisi dicamus, aut Lugdunense Concilium de Regaliâ non loqui, aut non esse illud Concilium in Gallijs receptum, aut denique Diœcesin Apamiensem ex illis esse, ubi Regalia jam usu ac consuetudine invaluerat. Sed quidquid ex his dicas, manifestæ falsitatis convinci potest. Primum enim quod attinet, ex verbis ipsius Lugdunensis Decreti, ac Glossæ illud explicantis res tota palàm fiet. Verba ergo Decreti Lugdunensis ita habent: *Generali Constitutione sancimus, universos & singulos, qui Regalia, Custodiam, sive Guardiam, Advocationis, sive defensionis titulum in Ecclesijs, Monasterijs, seu quibuslibet alijs locis pijs, de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcúnque Dignitatis honore præfulgeant: Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & Personas cæteras locorum eorundem, qui hoc fieri procurant, eo ipso Excommunicationis*

sententiæ

sententiæ decernimus subjacere. Illos verò, qui se, ut deberent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum, seu locorum ipsorum, pro tempore, quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtiùs prohibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorúmque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis faciant sollicitè abstinere, quòd ea, quæ non pertinent ad fructus, sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent, nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. De elect. & electi potest. in 6. Hactenus Concilij verba, nunc Glossam audiamus. *Pro intellectu hujus Capitis supponendum est, secundùm veriorem intellectum ipsius, quid propriè textus appellet Regalia. Quidam volebant dicere.* (His verbis ostendit Auctor Glossæ, se non probare primam hanc Regaliæ acceptionem) *quòd Regalia accipiantur pro juribus Imperialibus, de quibus in libris Feudorum. capit. quæ sint Regalia. Ut si Rex donaverit Regalia Ecclesiæ & aliquis ea usurpat, de facto sit excommunicatus. Alij dicunt, quòd Regalia accipantur pro juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Ecclesijs, videlicet: quòd vacante aliquâ Ecclesiâ aliquis Comes, vel Dux, qui dicebat se habere jura Regaliæ, in ipsa Ecclesia occupavit Custodiam Ecclesiæ vacantis, & dicebat, quòd fructus ipsius Ecclesiæ ad ipsum spectabant, licet non fuisset usus ipso jure.* Glossa, quam D. Paucet in sui patrocinium adducit, nocat quidem nomine Regaliæ, *nova tributa, novas collectas, nova vectigalia intelligi.* Sed Archidiaconus hujus Glossæ Auctor adjungit: *Regalia, id est, quæ capiunt Reges vacante Ecclesiâ, ut patet in Franciæ Regno, & Angliæ; nam illic vocantur Regalia jura Regis, quibusdam Ecclesijs vacantibus competentia.*

Id, quod

Id, quod posteà eadem Glossa adjungit ad verbum, *Custodiat*, satis ostendit, fuisse Concilij Lugdunensis mentem universim de juribus vacantium Ecclesiarum disponere, & non solùm prohibere, ne novis tributis, aut collectis gravarentur, sed etiam ne illarum seu temporalia, seu spiritualia jura, quale est Jus Patronatûs, usurparentur; sic enim loquitur Glossa: *Quocúmque ergo nomine censeantur usurpantes de novo talejus in Ecclesijs, & alijs locis pijs, & bona ipsorum locorum vacantium occupantes, excommunicati sint.*

Constat ergo etiam ex sententia ipsius Glossæ, Concilium Lugdunense de jure Regaliæ locutum esse, sive quia illius Constitutionis finis ac intentio fuit, Regaliæ extensionem impedire: sive quia illis verbis: *Regalia, Custodia, seu Guardia*, hoc ipsum jus expressum voluit; & ideò D. Paucet graviter hallucinatus est, cùm dixit, constare ex Concilij Lugdunensis, ac Glossæ lectione, malè illius Decreta ab Episcopo Apamiensi fuisse intellecta.

Apparet etiam non solùm ex illis Concilij verbis: *De novo usurpare conantes*, sed etiam ex illis Glossæ: *Usurpantes de novo jus*. Et illis: *Licet non fuisset usus ipso jure*. Et præcipuè illis: *De novo à quadraginta annis citra*, Concilij mentem ac intentionem fuisse, ne Regalia ad alias Ecclesias, quàm quæ illi jam assueverant, extenderetur. Id quod tam verum, certúmque est, ut quamplures Galli scriptores, qui de hoc argumento libros edidêre, videlicet, Ruzæus, Rebuffus, Le maistre, Baunius Jesuita, alijque, pro primo ac præcipuo fundamento Regaliæ sustinendæ tacitam Concilij probationem ponerent, quam à Concilio factam volunt circa eas Ecclesias, quæ ab immemoriali jam tempore Regaliæ subjacuerant. Ipse Dominus de Marca Archiepiscopus Tholosanus in una suarum Dissertationum, quæ monumentis

numentis Ecclesiæ Gallicanæ inserta est, doctè solidéque demonstrat, Patres Lugdunensis Concilij de Regalia, & juxta sensum Apamiensis Episcopi locutos, illúdque Decretum totâ Galliâ receptum fuisse: nec Reges aliter Regaliâ gavisos, quàm limitatè, & in ijs tantùm Ecclesijs, quæ ab immemoriali tempore huic juri, an servituti? submissæ fuerant. Id quod apprimè concordat cum illis Glossæ verbis: *In quibusdam Ecclesijs: in aliquibus Ecclesijs.* Et cum illis Rebuffi: *In aliquibus Episcopatibus*; adeò, ut optimo jure Pasquierius *Aulæ assentatores* vocaverit, qui ad omnes Regni Gallici Ecclesias Regaliam extendere conati sint. Sed audiendus est Dominus de Marca, qui cùm Decretum Lugdunesis Concilij produxisset, hæc verba subjungit: *Philippus ergo Pulcher, hujus nominis quartus auctoritate Lugdunensis Concilij subnixus, Jus Regaliæ, quod priùs solis moribus usuque receptum erat, Edicto quóque suo de Anno 1302. firmavit, ita tamen verba mentémque suam, verbis ac mente Concilij metitur, ut Regaliam intra terminos solius Consuetudinis restringat, nec ad Ecclesias extendi velit, hujus Consuetudinis expertes; sic enim loquitur. Item quantum ad Regalias, quas nos, & nostri Prædecessores percipere assuevimus, & habere in aliquibus Ecclesijs Regni nostri, quando eas vacare contingit.* Addítque eandem Clausulam Restrictivam inveniri in Edicto Philippi Valesij de anno 1334. Ex quo hæc verba producit: *Pro Ecclesijs Regni nostri, in quibus Regaliam possidemus.* Et adhuc clariùs in Edicto Ludovici XII. Anno 1499. cujus hæc verba sunt: *Inhibemus omnibus ministris, & officialibus nostris, ne in Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & alia hujus nostri Regni Beneficia, Regaliam usurpent, ubi hactenus eam non habuimus, sub pœna suspensionis, &c.* Et in Edicto Henrici IV. de anno 1606. *Non intendimus Regaliæ juribus gaudere.*

gaudere, nisi eo modo & formâ, quâ nos nostríque Antecessores illis hactenus gavisi sunt, nec eam extendi volumus in præjudicium earum Ecclesiarum, quæ hactenus exemptæ fuerunt. Id Henrici Edictum alio Ludovici XIII. confirmatum est de anno 1629. *articulo 16. Non est*, inquit, *voluntatis nostræ, Regaliam titulo Coronæ possessam alio modo quàm lapsis retrò annis, ac juxta Edictum gloriosæ memoriæ Genitoris nostri, nobis vendicare.* Et magis adhuc specialiter in litteris patentibus Philippi Pulchri de anno 1303. in favorem Narbonensis Provinciæ, hoc est, teste Petro de Marca, totius Septimaniæ: *Nolumus, quòd gentes nostræ occupent Regalia Ecclesiarum vacantium Provinciæ Narbonensis.* In qua Narbonensi Provincia semper hactenus Diœcesis Apamiensis numerata est; quippe ab origine & fundatione sua Episcopus Apamiensis, Suffraganeus Narbonensis Archiepiscopi fuit, ut nunc Tholosani.

Tertium punctum non minùs certum est, videlicet, nunquam in Ecclesia Apamiensi Regaliæ locum fuisse, nec ullum allegari exemplum in contrarium poterit. Et quanquam juxta notam receptámque Juris Utriúsque Regulam, *Actoris, & affirmantis, non Rei, sit probare*; percurram tamen notam, indicémque Cameræ Computorum, relatam in acta Cleri Gallicani, & cujus Galli scriptores meminêre, qui de hoc argumento scripserunt, quales sunt Russee, Le Maistre, & Pasquier; ex quo indice simul patebit, Regem in nulla istarum Ecclesiarum Regaliæ juribus potitum esse; nam nihil potuit improbabilius dici, minúsque consentaneum veritati, quàm illud à Domino Paucet tam confidenter ac impavidè assertum, videlicet hoc Jus Regaliæ etiam in Ecclesijs Septimaniæ illis à prima fundatione coævum esse, totáque retrò antiquitate Coronæ innexum. Si enim ita est, ut Jus Regaliæ sit Regiæ Coronæ adjunctum

ctum, nec ab ea separari possit, sequetur omnes Reges hoc jure gaudere, eóque semper gavisos esse, quod tamen falsum omnino est, constátque multis hactenus sæculis inauditum ignotúmque fuisse; nec fundatio, aut dotatio Ecclesiarum aliud jus, quàm Patronatûs tribuit; id verò multo minùs onerosum est, multóque minùs quàm Regalia, jura Ecclesiarum offendit. Sed & ipsi Galliæ Reges longè aliter de Regalia sensêre, quàm Dominus Paucet in eorum gratiam scribat; id quod ex eorum Edictis jam aliàs productis patet, præsertim ex sententia à Philippo III. sancti Ludovici Regis filio data anno 1272. quam Dominus de Marca in antiquo Parlamenti Protocollo reperiri ait in hæc verba: *Sabbatho post Ascensionem Domini restituta fuerunt apud Apamias, & reddita per Dominum Regem Procuratoribus Capituli Albiensis Regalia Ecclesiæ Albiensis, quæ mortuo Episcopo Albiensi Senescallus Carcassonensis ad manum Domini Regis ceperat, & saisinaverat sine causa; cùm Dominus Rex super hoc aliàs nunquam usus fuisset, prout ex aliorum, & ipsius relatione fuit inventum.*

Idem Dominus Paucet in sua supplicatione Regiam Declarationem producit, quæ Cleri postulationem consecuta est, à Rege petentis: *Ut ad se, suúmque Consilium hanc causam evocaret, auditis priùs, examinatísque Cleri, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Capitulorum actis & Documentis, qui se à Regalia immunes esse crederent.* Huic objectioni præter alia multa, quæ dici super hoc argumento possent, quæque sibi imposterum dicenda reservat, respondet præfatus D. Episcopus Apamiensis, sibi eam Declarationem, Cleríque in Regium Tribunal submissionem nullo modo opponi posse; cùm ipse nunquam titulos & Documenta suæ Exemptionis Regio Senatui examinanda subjecerit; nec Generales Cleri Procuratores, imò ne totus quidem Galli-

cani

cani Cleri Conventus Jus compromittere potuerit, quod ad spiritualem Episcoporum Auctoritatem, omniúmque Ecclesiarum Exemptionem pertinet; nec Deputati ullum super hoc Mandatum à Clero habuêre.

Adde, quòd, cùm Diplomate Alexandri VII. ac litteris patentibus Regis feliciter regnantis cautum sit, ne ad Beneficia, Dignitates Cathedralis Ecclesiæ Apamiensis quispiam recipiatur, qui post accuratum ex Mandato Episcopi tyrocinium, emissámque Professionem Regularem statum non sit amplexus; sequitur Regem neque huic particulari statuto, neque juri Communi (quod habet, Dignitates nulli, nisi qui de gremio sit, conferendas esse, nec ex gremio censeri, qui Professionem non emiserit) suâ Declaratione derogatum voluisse.

Æquum igitur fuit, ut super his aliisque, quæ allegari poterant, priùs audiretur Episcopus Apamiensis, quàm ejus Mandatum irritum, nullúmque declararetur; quæque si audita & perpensa fuissent, sperari omnino poterat, multo aliter à Domino Archiepiscopo Tholosano pronuntiatum fore.

Ex his ergo, aliisque suo tempore, & loco productis, & producendis rationibus, protestatur Episcopus Apamiensis, declarátque præfatis Dominis Archiepiscopo, Promotori, & Paucet, se nullo modo potuisse, aut debuisse illi sententiæ deferre, sed, &c.

Documentum X.

Mandatum D. Episcopi Apamiensis, quo declarat nuper à se editas Constitutiones contra Regalistas, non obstante sententiâ D. Archiepiscopi Tholosani, executioni dandas esse.

Die 27. Octob. Anno 1677.

FRanciscus miseratione Divinâ Episcopus Apamiensis, Charissimis & Dilectissimis Fratribus Ecclesiarum Cathedralis & Collegiatæ Dominæ nostræ de Campo, Canonicis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicarijs, aliisque Personis Ecclesiasticis Salutem & Benedictionem. Intellexi-mus, quòd non obstante inhibitione sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, contra Fratrem Joannem Franciscum le Juge (qui se Sacerdotem ac Religiosum Ordinis S. Augustini Professum nominari facit, prætendíque Canonicatum, ac Eleemosynarij officium in Ecclesiâ nostra Cathedrali, titulo Regaliæ) à nobis edita, ne se in prædicti Canonicatûs, ac Eleemosynarij officia, eorúmque possessionem virtute Regij Chirographi ingerere præsumeret, eíque insuper intimari fecerimus, nos interim omnia Juris media parare, ac experiri velle, quibus prætensa sententia D. Archiepiscopi Tholosani Constitutionem nostram die 28. Aprilis nullam pronuntiantis, pro irrita cassáque declaretur: imò quamvis de nullitate hujusmodi assertæ Tholosanæ sententiæ, tam quoad formam, quàm quoad ipsam substantiam, aliàs evidenter constet. Quoad formam quidem, quia nobis nec auditis, imò ne citatis quidem pronuntiata est, in eáque declaratur, Constitutionem nostram præfatam legibus Regni contrariam esse; quod declarari

clarari ab eodem D. Archiepiſcopo non potuit, cùm limites ejus poteſtatis excedat. Quoad ſubſtantiam verò, quia non licuit eidem D. Archiepiſcopo Conſtitutionem revocare, aut irritam pronuntiare, quæ nihil aliud, quàm mera executio fuit Generalis Concilij toto Galliæ Regno recepti, nec non Diplomatis ab Alexandro VII. dati, Regiíſque literis confirmati, ac maximè conformis naturæ ac qualitati Beneficiorum Eccleſiæ noſtræ, quæ à primæva Inſtitutione, ac fundatione ſua Regularis fuit. Et tamen his omnibus non attentis præfatus Le Juge non omiſit præfatorum Beneficiorum poſſeſſionem uſurpare, cujus exemplum plures alij imitari forſan poſſent, eo prætextu, quòd præfata Tholoſana ſententia, donec per Appellationem ejus effectus ſuſpendatur, vires obtineat, obligétque. Nos igitur ob has ſimiléſque cauſas ordinamus, ut tam dicto Le Juge, quàm alijs omnibus, quorum intererit, intimetur, nos à prætenſa illa ſententia Tholoſana legitimè appellâſſe, eámque Appellationem tam præfato Domino Archiepiſcopo, quàm etiam Tholoſano Promotori, vigeſimâ ſextâ currentis menſis inſinuâſſe, atque ex Tholoſana Cancellaria litteras obtinuiſſe, quibus certi reddebamur, actum Appellationis noſtræ tam dicto Le Juge, quàm alijs omnibus, quibus neceſſe fuerit, inſinuatum iri, ne videlicet ignorantiam prætendere poſſint, eóque prætextu immunes ſe credere, liberóſque à Cenſuris, in Conſtitutione noſtra prolatis, quas ſub pœnis ibidem contentis (ob notorios videlicet defectus, & nullitates in ea commiſſas, & alibi fuſiùs à nobis deductas) iterum, quatenus opus fuerit, innovamus. Inhibemus etiam, iterúmque interdicimus, prout in noſtris Conſtitutionibus die 26. Aprilis, & 23. Octobris, jam inhibuimus, atque interdiximus Capitulis

Cathe-

Cathedralis & Collegiatæ B. Virginis de Campo Ecclesiarum, ne quemquam obtentu Regaliæ in dicta Beneficia recipiant, installent, &c. sub pœna suspensionis ipso facto, &c. Ipsos verò taliter provisos sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, &c. Datæ in Ædibus nostris Episcopalibus die 27. Octob. Anno 1677.

Franciscus Episcopus Apamiensis.

Notandum est, Anno 1677. die 22. Octob. similem ferè Constitutionem à Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo Alectensi editam fuisse, contra sententiam Officialis Metropolitani Narbonensis, qui ejusdem Episcopi Mandata, Constitutiones, ac Censuras contra Magistrum Petrum Gaston irritas declaraverat.

Documentum XI.

Epistola Episcopi Alectensis ad Regem Christianissimum.

25. Octob. 1677.

Mihi ultima vitæ meæ momenta numeranti, & quid faciendum superst, ut Divino Tribunali securus sistar, animo repetenti, occurrit illa Christi Domini nostri sententia, quâ jubemur: *Priusquam Sacrificium ad Altare offeramus, fratri nostro, qui aliquid adversùm nos habet, reconciliari.* Cùm ergo jam tempus accedat, ultimum Sacrificium, hoc est, vitam meam Deo immolandi, credidi necessitatem mihi præcipuè incumbere, placandi animum Majest. Vestræ, Quam ab aliquo jam tempore, ob ea, quæ circa Regaliam contigêre, offensam mihi, aversámque experior; tamen possum Majestati Vestræ asseverare, me semper eo sensu animóque

animóque fuisse, quæ fidelissimum subditum deceant; quantumvis Regaliam quod attinet, officij, ac Dignitatis meæ ratio eò impulerint, ut cogerer aliqua facere, voluntati, ac Mandatis Majestatis Vestræ minùs, quàm cuperem, accepta; & tamen idipsum per litteras meas ausus sum Eidem significare, ídque eâ libertate, quæ Episcopos decet, Sacrorum Jurium Depositarios: & nunc quóque in hoc vitæ mortísque meæ confinio Majestati Vestræ profiteor, me nihil aliud egisse, quàm quod crederem Conscientiæ, ac officio meo deberi; ídque unicum esse dolori meo solatium, & quo spero Deum non esse mihi eam indignationem adscripturum, quam in pectore Majestatis Vestræ dolens mærénsque experior; nec ideò tamen has ultimas obligationis meæ partes explere omittam, simúlque hanc ultimam â Majestate Vestra gratiam expetere, dignetur tribus illis ex familia mea Ecclesiasticis Personis, ejúsque Mandato proscriptis veniam clementer impertiri, quippe nullius culpæ reis, quàm quòd Episcopi, legitimi superioris sui, quémque Divinæ voluntatis interpretem agnoscebant, præceptis obediverint. Non diffido, si modò Majestati Vestræ placuerit id secum reputare, veniam merituros, ac præsentibus angustijs, quibus conflictantur, ereptum iri. Impleat Deus Majestatem Vestram cœlestibus Suis Beneficijs, Eámque ad amussim Divini sui cordis, ac voluntatis Regem efficiat. Id unicum est ejus votum, qui plenus venerationis, ac reverentiæ est, erítque semper.

Alecti 25. Octob. 1677.

Majestatis Vestræ

Humillimus, Obsequentissimus & Fidelissimus Servus ac subditus

Nicolaus Episcopus Alectensis.

Documentum XII.

Primum Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Regem Christianissimum.

12. Mart. Anno 1678.

INNOCENTIUS PP. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster Salutem & Apostolicam Benedictionem. Jam pridem inaudivimus, non deesse Majestati Tuæ Consiliarios & administros, qui Tibi persuadere niterentur, ut usum illum antiquum Custodiæ fructuum vacantium Ecclesiarum, quod Regaliam vocant, ad eas quoque Regni Tui Ecclesias extenderes, quas illijuri obnoxias nunquam fuisse, ex ipsis Fisci Regij Tabularijs liquidò constet. Sed nos memoriâ repetentes, omnem ea de re controversiam communi olim Ecclesiæ Catholicæ consensu, & benignâ Sedis Apostolicæ indulgentiâ, provide sapienterque compositam fuisse in Concilio Lugdunensi Generali; minimè ad credendum adduci poteramus, Majestatem Tuam consilijs hujusmodi aures præbituram aliquando esse: multo minùs admoturam operi manum, invitâ Synodo, tantæ apud omnem Ecclesiam auctoritatis, & reclamantibus Constitutionibus, & exemplis Regum majorum, qui Constitutionem in eadem Synodo ad regias preces, regijs Legatis præsentibus, in ipsa Gallia, & tocâ Gallicâ gente efflagitante sancitam, per integrum quatuor ferme sæculorum spatium, certatim probârunt observârúntque, & præcipuo in honore habuerunt. Nec verisimile videbatur, Majestatem Tuam, postquam tantum Sibi apud Deum meriti, & apud homines gloriæ, eximijs pro Religione

gione Catholica rebus gestis comparavit, ut nullius Majorum Suorum Regum clarissimorum memoriæ invidere posset, velle rem aggredi, quæ nullâ urgente necessitate, vel æquitate suadente, magnum esset quamplurimis Galliæ Episcopis, eorúmque Clero incommodum, & justum dolorem allatura, non sine gravi Catholicorum omnium sensu, qui in Francorum Annalibus, & in Sacrorum Canonum statutis animadvertunt, quantum id veteri consuetudini, & Ecclesiasticæ libertatis ac disciplinæ rationibus adversetur. Unde plerique, tum veteres, tum recentes Galliæ scriptores, quantumvis Majestati Tuæ, & imperio subessent, & auctoritati magnitudiníque impensiùs studerent, in eos, qui præfatam Regaliæ extensionem suadere aûsi fuerant, tanquam in malæ perditæque causæ patronos, & favorem aulæ captantes, liberâ indignatione invecti, stylum subinde strinxerunt. Nullus verò Galliæ Regum, vel tentare id voluit, vel tentatum id exequi sustinuit, memorà sapiente præclarè præcipi: *Ne transiliamus terminos, quos posuerunt Patres nostri.*

Illud prætereà nos ejus periculi metu curáque liberabat; quòd, cùm Majestas Tua, non multis abhinc annis, sanctæ Sedis Apostolicæ liberalitate aucta, ornatáque sit penè supra votum, indultis amplissimis, præter ea, quibus jam Reges Majores Tui ejusdem Sedis benignitate gaudebant, nominandi ad Beneficia Ecclesiastica, non putavissemus Te sanctissimi sapientissimíque olim Galliæ Regis exemplo, cogitare de novis ineundis rationibus regiæ in sacros reditus auctoritatis amplificandæ. Sed ubi allatæ fuêre ad Nos bonæ memoriæ Nicolai Episcopi Alectensis litteræ, quibus post debitas religiosi in hanc Sanctam Sedem obsequij, & filialis observantiæ significationes, ad Nos querelas, quas

propè moriens posteà renovavit, ob Regaliæ usum in suam Diœcesin, quæ ab eo libera semper fuit, nuper invectum deferebat, unáque appellationem à sententia Metropolitani Narbonensis; deinde verò edocti sumus, idem Apamiensi Ecclesiæ contigisse pariter liberæ; tandem vidimus Ipsi regium Majestatis Tuæ Decretum, quo omnes Ecclesiæ Gallici Regni, hujusmodi oneri jubebantur assuescere, mirati vehementer sumus Constitutionum Apostolicarum, & Generalium Conciliorum decretis, ac tam rectâ compertáque apud omnes veritate & justitiâ, potiores fuisse illorum conatus, qui terrena potiùs, & caduca, quàm cœlestia & æterna respicientes, dum Majestatis Tuæ gratiam, potentiam amplificando, aucupantur, molestissimos Tibi, & valde periculosos conscientiæ terrores, quod Deus avertat, in id tempus præparant, cùm in districto Dei judicio mortales omnes, quócunque tandem potentiæ & dignitatis loco sint, diligentem reddere debeant omnis anteactæ vitæ rationem.

Nos itaque pro nostra non minùs erga æternam, quæ magnæ nobis curæ est & esse debet, Majestatis Tuæ salutem, quam erga inclitum Clerum, & religiosissimos Galliæ Præsules, imò erga universalem Ecclesiarum, cujus in hoc negotio procul dubio causa agitur, Paternâ charitate seriò admonendum Te, & vehementer hortandum obsecrandúmque judicavimus, ut à tam injustis, & pernicios is ejusmodi consilijs animum abducas; præfatis Alectensi & Apamiarum, cæterísque regni Tui Ecclesijs, quæ usui Regaliæ hucusque obnoxiæ non fuêre, suas libertates atque immunitates sartas tectas relinquas, nec eas de cætero ullo modo labefactari sinas: sed quidquid in contrarium hactenus actum tentatúmque est, repares, & in pristinum statum restitui cures;

cures; néve cœlestis beneficentiæ fontem, quem subditæ Tibi gentes, pietatis imprimis justitiæque merito, sicuti credere nos juvat, expertæ huc usque sunt, secus nunc agendo, & Dei per quem regnas, Ecclesiam tam graviter lædendo, obstruas; qui scias hujus quoque vitæ bona, & regnorum fœlicitatem & incrementa, à Divina bonitate unicè dari, expectandáque esse; sicuti innumera omnium gentium, & temporum exempla testantur.

Nos sanè hos animi nostri sensus in sinu tacitos continere non patitur, vel nostri pastoralis officij ratio, cui solicitudo omnium Ecclesiarum incumbit; vel justitiæ debitum, quo omnibus ad hanc Sanctam Sedem ex veteri justóque more, quem à nulla humana potestate impediri fas est, recurrentibus, jus reddere, consilium, opem, ac paternum patrocinium præstare jubemur; vel denique necessitas occurrendi scandalo, quo christiani latè populi ad tantæ exitum rei conversi, afficerentur, si à laicali potestate, Ecclesiæ, eorúmque Antistites, & Ministri, suis libertatibus atque immunitatibus, earúmque usu & antiquâ possessione, contra generalium Conciliorum decreta, & veterem inconcussámque observantiam spoliarentur; non alio prætextu, quàm novæ atque inauditæ opinionis nullo jure nixæ, cui nonnulli posteà accesserunt, non quòd aliquid novi invenerint, quod rei veritatem tam apertam posset in dubium revocare; sed ut rem suam agerent, nihil soliciti, si publicam perderent.

Speramus Majestatem Tuam, causæ justitiâ, & æquitate cognitâ, quæ patet ipsa per se, Paternæ cohortationi ac precibus nostris, pro spectata animi Tui pietate & sapientia, perpetuáque in hanc Sedem observantiâ auscultaturam; nósque curâ non minùs molestâ quàm necessariâ, inter

tot alias, quibus circumdamur, liberaturum. Sanè si aliter suadentium consilia Majestas Tua paulò attentiùs excusserit, facilè intelliget, homines gratiæ & fortunæ inhiantes, obtentu Regiæ potestatis, suam firmare velle; neque tam esse amplitudinis Tuæ cupidos, quàm laudis inimicos, cùm authores Tibi sint, ut qui longinquis non ita pridem expeditionibus, & ad omnem posteritatis memoriam illustribus, Christianæ Reipublicæ salutem tueri, & Religionem amplificare tantopere studuisti in alienis terris, nunc à Te ipso quodammodo abiens, Ecclesiæ libertatem, authoritatémque in Tuis imminutam velis. Quasi verò facilè Tibi persuaderi posse confidant, æquum esse, vel fieri posse, ut nobilitetur & crescat ex Ecclesiæ ruinis Imperium, quod religiosissimi fortissimíque Reges majores Tui, mirifico in eandem Ecclesiam studio, & pari in Apostolicam Sedem pietate imprimis partum, Tibi eorum vestigijs strenuè insistenti, amplissimum reliquerunt. Tu Reges eos, Fili charissime, vel potius Te ipsum imitare, & eorum Tuáque præclara facta sæpe in mentem revoca.

Nos quidem oblivisci non possumus Prædecessores nostros Romanos Pontifices, qui similibus de causis graves ac diuturnas pati ærumnas, & immanes contentionum & periculorum procellas, in eo confisi, qui mari ventísque imperat, invicto animo subire non dubitârunt. Hæc ad Majestatem Tuam inviti scribimus, qui in lætiori argumento versari magnoperè cuperemus. Sed postquam Apostolicæ servitutis onus subeundo Divinæ voluntati paruimus, liberum jam Nobis non est exequi Nostram, quæ Tuæ obsecundare quacumque in re vellet, sicut in pluribus, quas nobis ratio temporum & publicæ pacis studium hactenus indulgere permisit, cognoscere potuisti. Significavimus hæc

ipsa

ipsa Oratori Majestatis Tuæ Nobili Viro Duci d' Estrées, ut ad Te pluribus referret, itidémque Venerabili Fratri, & Archiepiscopo Adrianopolis Nuntio apud Te nostro; quem ut de tota re differentem, diligenter & benignè, pro more Tuo velis audire vehementer à Te petimus, ac Majestati Tuæ Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. Martij 1678. Pontificatûs Nostri anno secundo.

Marius Spinula.

Documentum XIII.

Secundum Breve Sanctissimi D. N. Innocentij PP. XI. ad Regem Christianissimum.

21. Sept. Anno 1678.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

INNOCENTIUS PP. XI.

CHarissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex litteris quibus Majestas Tua ad nostras quintâ Aprilis datas respondit, & ex ijs quæ ad Nos retulit venerabilis frater Archiepiscopus Adrianopolitanus, eò rem adductam videmus, ut Nos vel officio nostro deesse, retinendo verbum in tempore salutis, vel Tibi fortasse molestiæ esse cogamur. Sed dabis, Charissime Fili, pastoralis officij debito, dabis paternæ solicitudini atque amori in Te nostro, si Te malè consulentium culpâ, in summo æternæ salutis periculo constitutum videntes, opportunè importunè instamus & obsecramus, elatâ voce clamantes, ut è tam præcipiti loco pedem referas. Duo in primis

primis Tibi pro veris atq; indubitatis affirmari cognovimus ex Tuis litteris. Primum quidem Regaliæ jus (uti nuncupant) in Ecclesias Galliæ universas Majestati Tuæ competere, tanquam Regiæ coronæ insitum, & innatum : deinde clarissimos Reges Majores Tuos jus illud, & exercuisse dum viverent, & ad Te morientes hæreditario ordine transmisisse : quibus à Te creditis, minimè miramur, si ad ea progressus fuisti, quæ talium principiorum consentanea erant. Veruntamen illa tam aliena à vero sunt, ut nihil magis. Nemo enim sanæ mentis & doctrinæ ausit in dubium revocare, nullum sæculari potestati in res sacras jus esse, nisi quatenus Ecclesiæ indulsit authoritas. Hæc autem non solùm Galliæ Regibus non indulsit, ut Regaliam prædictam extenderent ad Ecclesias illi oneri non assuetas, sed etiam id fieri apertè vetuit in Generali Concilio Lugdunensi, quod Gallia imprimis veneratur, ac sanctum habet. Reges verò prædecessores Tuos quotquot fuere, ejusdem Concilij dispositionem religiosè semper & per quadringentorum ferme annorum spatium custodivisse, & si quis eorum de illa infringenda cogitavit, re melius pensatâ, ab incepto destitisse, audimus in confesso esse apud omnes Scriptores præsertim Gallos, & Regia ipsa tabularia ad oculum demonstrare. Quamobrem pati non possumus nec debemus, Majestati Tuæ obtrudi errorem tam manifestum, tam conscientiæ Tuæ, tam Galliæ Regno, tam Ecclesiæ universæ pernicioſum. Semel enim admisso, licere Majestati Tuæ adversùs Generalis Concilij Lugdunensis decreta, adversùs Regum majorum Tuorum exempla, adversùs ipsam rerum sacrarum naturam & primigeniam Ecclesiarum libertatem, invehere jus Regaliæ in eas quoque Ecclesias, quæ hujusmodi oneri obnoxiæ numquam fuêre, idque palàm dissentiente

sentiente & reclamante, & ineluctabilem cœlestis iræ animadversionem multis cum lacrymis denuntiante Romano Pontifice, ad quem sicut vetus consuetudo poscebat nonnulli Galliæ Episcopi à Metropolitanorum sententijs appellârunt: nemo non videt, quæ inde Ecclesiæ Catholicæ deformatio ac ruina, quæ sacrarum ac profanarum rerum confusio, sublato quodammodo inter spiritualem ac secularem potestatem pariete medio, sit consequutura, non in Gallia solùm, sed in omnibus alijs Christiani orbis provincijs, manante in dies latiùs exempli authoritate. Accedet ad hæc (nisi error tam absurdus ac tam certus corrigatur) gravis jactura, & periculum animarum in isto Regno. Illi enim, quos Majestas Tua vacantium Ecclesiarum fructibus augebit, in quibus Ecclesis jus illud locum non habet, cum progressu temporis vel monitu Sacerdotum, quibus arcana conscientiæ suæ detegunt, vel etiam ipsi per se (ut in re clara & aperta) viderint, in quos se laqueos induerint, & in quod animam suam perditionis æternæ discrimen adduxerint, tot censuris adeóque tot sacrilegijs obstricti, tot illicitè perceptis bonis Ecclesiæ, quæ restituere coganter, incredibile dictu est, quâ animi perturbatione, quibus conscientiæ terroribus agentur, Regiam beneficentiam Tuam magni infortunij loco habituri. Quorum profectò malorum & discriminum culpam (nisi providè arceantur) Majestas Tua haud dubiè in districto Dei judicio sustineret. Vehementer itaque Majestatem Tuam rogamus, ut pro eximiâ animi Tui æquitate & sapientia, rem seriò perpendas, ac si innumeris amplissimi Regni Tui negotijs impediris, quominus eam per te cognoscas, viros aliquos, non tam doctrinâ, (quæ non adeò magna requiritur ad hujus causæ cognitionem) quàm pietate fidéque præstantes consulas:

sulas: vel, si placet, evolvas Acta ipsa Cleri Gallicani nuper impressa, quæ Tibi rei veritatem luculenter aperient. Quâ cognitâ, minimè dubitamus, quin Majestas Tua illico declaret, nihil sibi majori curæ esse, quàm reddi DEO quæ DEI sunt, à quo tantas opes, tam splendidum amplúmque Regnum, & omni Regno potiora tot præclara animi corporísque bona accepisti. Longiùs fortasse quàm patitur vel evidens causæ justitia, vel egregia virtus Tua, in hoc argumento immoramur. Verùm non ut confundamus Te hæc scribimus, sed tanquam Filium Charissimum monemus, animo reputantes, nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Speramus, Charissime Fili, opus non fore, ut novis eximiam Religionem æquitatémque Tuam precibus in hoc negotio interpellemus. Ea cæteróquin est rei magnitudo, in qua non Gallicanæ solùm, sed totius Ecclesiæ dignitas salúsque vertitur, ut pro Apostolici officij nostri munere, extrema potiùs pati omnia, quàm causam istam negligenter agere debeamus. Reliqua super hoc argumento accipies à præfato Nuntio nostro, ac Tibi Apostolicam benedictionem perpetuo cum felicitatis Tuæ voto conjunctam amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Septembris 1678. Pontificatûs Nostri anno tertio, missum verò die quartâ Januarij 1679.

Documentum XIV.

Tertium Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTIJ PP. XI. ad Regem Christianissimum.

25. Decemb. Anno 1678.

Charis-

Charissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

INNOCENTIUS PP. XI.

CHarissime in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Binis jam litteris fusè & luculenter ostendimus Majestati Tuæ, etiam ex concordi omnium ferè Galliæ Scriptorum testimonio, & ex ipsis Regij tabularij Tui actis, quàm esset Ecclesiasticæ libertati injuriosum, omni humano divinóque juri contrarium, & alienum à perpetuo Regum Majorum Tuorum more & exemplo, editum septem ab hinc annis à Te Decretum, quo consuetudinem illam custodiendi fructus vacantium Ecclesiarum, quam Regaliam nuncupant, ad eas quoque Ecclesias extendi jubes, quæ ejusmodi oneri obnoxiæ nunquam fuêre. In quibus litteris vehementer à Te, pro pastoralis officij nostri debito, & pro paternâ quam gerimus æternæ salutis Tuæ curâ, efflagitavimus, ut decretum ipsum, & alia deinceps acta adversùs jura & libertates Ecclesiarum, abrogari aboleríque mandares. Et sanè illud est causæ ipsius meritum, ea de Regij animi Tui æquitate & magnitudine opinio nostra, ut certâ spe duceremur, Majestatem Tuam, omnibus in locum pristinum quamprimum repositis, cor nostrum ab ulteriori tantæ rei solicitudine, tot alijs in Catholicæ Ecclesiæ procuratione districtum, liberaturam. Verùm post plurium mensium spatium, quod longanimitati nostræ probandæ ab ultimis litteris effluxit, nullum adhuc neque ad eas responsum, neque ex his fructum videmus: quin etiam plurimorum litteris & sermone, pro comperto affertur, omnia deteriore loco in dies esse, & prætextu Re-

galiæ ejusmodi, Beneficiorum collationes, & canonicas institutiones impediri, Episcoporum auctoritatem pessumdari, Ecclesiasticam disciplinam ordinémque turbari, novam denique praxim veteri Ecclesiæ praxi & divinæ institutioni contrariam, invehi à sæculari potestate; neque ea clam & timidè fieri, sed palàm & manu Regiâ. Non repetimus hoc loco (ne actum agamus) quot inde scandala & querelæ, quot in Clerum incommoda nascantur, quod Ecclesiæ universæ à tali exemplo periculum, quæ tempestas immineat, quæ nomini atque honori Tuo macula, quæ conscientiæ labes incurratur. Satis enim ea in superioribus litteris indicavimus: satis patent ipsa per se. Non patitur tamen sincera & planè paterna erga Te, Regnúmque istud amplissimum charitas nostra, Nos in tantâ Divini honoris injuriâ, in tam gravi Tui ipsius periculo adhuc silere. Sed cogimur iterum intimo cordis affectu, & in visceribus Jesu Christi, rogare obsecraréque Majestatem Tuam, ut memor ejusdem Christi verborum ad Ecclesiæ Præpositos: *Qui vos audit, me audit.* Nos potiùs, qui parentis, & quidem amantissimi loco sumus, audire velis vera & salutaria suadentes, quàm filios diffidentiæ, qui terrena tantùm sapiunt, quíque consilijs in speciem utilibus, sed reverâ perniciosis, inclyti istius Regni fundamenta, in rerum sacrarum reverentia, & in Ecclesiæ authoritate juribúsque tuendis posita, convellunt. Qui quidem si ij esse vellent, quos esse ipsorum dignitas & officium, Tuáque singularis in eos benignitas postulat; imitari potiùs deberent integritatem fidémque eorum, quos olim pari loco positos, memoriæ proditum est, & in Gallicani Cleri nuper acta relatum, liberâ aliquando voce in simili causa monuisse Reges Prædecessores Tuos; meminissent, quid, & quâ Religione, ubi

Regni

Regni gubernacula susceperi sacro chrismate inungerentur, polliciti Deo fuissent, se videlicet Divinæ ejus gloriæ, omni ope & studio, inservituros, & pro Ecclesiæ suæ sanctæ juribus & libertate asserenda, paratos fore semper sanguinem ipsum vitámque profundere; considerent fluxam & fugacem esse mortalium vitam, Regum præsertim & Principum, qui ubi ad districtum Dei judicium vocarentur, illuc accederent sine custodibus, sine comitatu, sine ullis Regiæ dignitatis insignibus vel potentiæ præsidijs, nudi atque inermes, reddituri omnis anteactæ vitæ rationem judici scrutatori cordium, quem nulla res latet, apud quem non est acceptio personarum, qui potestatem habet mittere in gehennam, ubi potentes potenter tormenta patientur. Nec superiori sæculo defuit in Gallia Episcopus, qui in frequenti aliorum Præsulum Aulæque Procerum corona, apud Henricum Regem hujus nominis tertium, Cleri Gallicani causam in re non absimili orans, Regi dixerit: observatum fuisse, nunquam Regias in Gallia defecisse stirpes, *nisi* ubi Reges indebitas ad Beneficia nominationes arrogare sibi cæpissent, à quibus Sanctus Ludovicus Rex Christianæ humilitatis gloriâ, quàm Regiæ dignitatis culmine sublimior, usque adeò abhorruisset, ut ultro etiam Pontificiâ authoritate sibi delatas rejecerit. Fuit hæc quondam, fuit in Gallia, imò ad hæc nostra tempora strenuè retenta est, penes Episcopalem Ordinem Apostolica loquendi libertas, nihil metuens, nihil sperans nisi à Deo: neque id solùm per Reges licuit, sed ita Episcoporum monita semper accepta sunt, ut Episcopi ipsi & sibi meritam laudem, & causæ optatum exitum sint consecuti, manseritque propterea inviolata tam diù atque inconcussa sanctio Oecumenici Concilij Lugdunensis: adeò ut nonnulli Galliæ Re-

ges, impios ac sacrilegos publico decreto eos appellaverint, quicumque Regaliam ad Ecclesias ei non assuetas extendere aliquâ ratione tentarent, sicuti in vestris Annalibus traditum reperitur. Hæc autem temporis præsentis infirmitas, eò acerbior nobis accidit, quòd scimus, Majestatem Tuam nihil ducere inter Regij animi ornamenta præstantius, zelo justitiæ & studio divini honoris, pro quo tam pia, tam salubria decreta nuper edidisti, ac tam multa, tanta cum nominis tui laude & bonorum omnium lætitia, in præsens agis, destruendo Synagogas & Azylos Hæreticorum; ut Tibi non minora in cœlo statuere videaris conservatæ propagatæque Religionis trophæa, quàm in terris relicturum speramus devictarum gentium barbararum. Cavendum tamen est diligenter, ne quod dextera, hoc est ingenita pietas Tua ædificat, destruat sinistra, hoc est, callida & iniqua consilia dicentium tenebras lucem, & lucem tenebras; cùm Apostolico moneamur oraculo, qui in uno delinquit esse omnium reum. Non defuere hâc etiam occasione in Gallia quidam, neque plures deessent ex fratribus nostris Episcopis, viri fortes, divinæ legis ac libertatis Ecclesiasticæ zelatores, qui gravissimam hanc, & toti Franciæ Regno, imò Ecclesiæ universæ communem causam, pari constantiâ & spiritu apud Majestatem Tuam agerent: sed metu quodam justo, ut ipsis videtur, ignoscendóque, ut nos autem judicamus, vano, & non solùm Episcopali officio, sed etiam magnanimitati & æquitati Tuæ injurioso, retenti silent, expectantes dum humilitas nostra, à filiali Tua in hanc Sanctam Sedem observantia impetret, quod à Regia Tua justitia, Ecclesijs suis debitum poscere ipsi non audent. Itáque in ijs litteris nostris illorum omnium justum dolorem & preces agnosce: quin imò Dei ipsius voluntatem

lun-

luntatem, ore te nostro alloquentis ac seriò monentis, ut prædictum decretum, & quidquid ejus occasione adversùs Ecclesiæ libertatem & jura actum gestúmque hactenus fuit, corrigi emendaríque omnino cures. Alioquin magnoperè veremur, ne subire aliquando debeas, quam Tibi alijs in litteris denuntiavimus, cœlestis iræ animadversionem. Nos sanè neque hoc negotium per litteras ampliùs urgebimus, neque desides erimus in adhibendis remedijs, quæ traditæ nobis divinitus potestati competunt, quæque in tam gravi periculosóque morbo omittere, sine gravissima neglecti Apostolici muneris culpa non possemus. Neque tandem ullum inde incommodum aut periculum, nullam quantumvis sævam átque horribilem tempestatem pertimescemus; ad hoc enim vocati sumus: neque facimus animam nostram pretiosiorem quàm nos; probè intelligentes, non forti solùm, sed etiam læto animo subeundas tribulationes propter justitiam, in quibus, & in Cruce Domini nostri Jesu Christi nos unicè gloriari oportet. Causam Dei agimus, quærentes non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi. Cum eo propterea, non nobiscum Tibi negotium erit in posterum; cum eo scilicet, adversùs quem non est sapientia, non est consilium, non est potentia. Nos postquam ministerij nostri partes, plantando & rigando, sicut oportet, impleverimus, expectabimus dùm operi incrementum det Deus, à quo accuratâ prece flagitare non desinemus, ut verbis & hortationibus hisce nostris, vim & robur infundat, Majestatis Tuæ animum ad salubriora flectendo, unde & tu mereri possis, & nos lætari, res Tuas omnes secundiore in dies cursu fluere, ac subditas imperio Tuo gentes perpetuâ atque opimâ pace florere. Tibi Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ die 29. Decembris anno 1679. Do-

Documentum XV.

Quartum Breve Sanctissimi D. N. Innocentij PP. XI. ad Regem Christianissimum.

3. Martij Anno 1681.

Charissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

INNOCENTIUS PP. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quò expectatior, eò gratior nobis accidit dilecti Filij nostri Cardinalis d' Estrées in urbem adventus. Virum enim nobis merito suo jam pridem carum judicium de illo Tuum, & huc proficiscenti munus impositum fecit etiam cariorem. Læto itáque ac perlibenti animo eum ad nos adeuntem excepimus, & intimo paternæ caritatis sensu complexi sumus. Gaudium autem hoc nostrum non leviter cumulârunt redditæ nobis ab eo Majestatis Tuæ litteræ, insignibus refertæ notis, non solùm eximiæ & verè filialis Tuæ erga nos, átque erga hanc Sanctam Sedem observantiæ, sed etiam præclari inflammatique cujusdam studij, pietate & avitâ gloriâ digni, de Catholica Ecclesia & de tota re Christiana bene merendi, nostrósque in ea administranda pastorales labores & conatus strenuè juvandi. Quâ quidem pij ac liberalis, & planè Regij animi Tui testificatione nihil evenire nobis optatius poterat, in his rerum angustijs, maximísque periculis, quæ Ecclesiam Dei omni ex parte circumstant, quæque cor nostrum de remedio opportuno valde solicitum continenter excruciant; cùm Tibi, & animi Tui Religio, ac magnitudo suadeant.

deant ut velis, & florentissimæ Gallici Regni opes, & conciliata nomini Tuo apud Barbaras quoque gentes reverentia tribuant, ut possis, quæ liberaliter exhibes, efficaciter implere. Ab hoc tamen solatio, quod perpetuum & in dies uberius cuperemus, penè excidimus, ubi idem Cardinalis disserere nobiscum aggressus est de negotio Regaliæ, in quo illum Regiæ Tuæ mentis interpretem apud nos fore ad nostras litteras in exitu anni superioris ad Te datas, rescripseras. Cùm enim & causæ ipsius meritum, & animi Tui æquitas, post interposita apud Majestatem Tuam tot officia precésque nostras, felicem tandem gravissimo huic, & multis nominibus permolesto negotio, exitum pollicerentur; nósque hâc unâ spe leniremur, & longiorem ejus moram in itinere, & paterni doloris sensum, quo viscera nostra assiduè transfigunt voces Ecclesiarum Galliæ, Apamiensis præsertim, graviter gementium sub novo jugo per decretum, seu arrestum, quod prodijt octo ab hinc annis mense Februario, illis impositio; ea idem Cardinalis Tuo nomine nobis exposuit, quæ nos ad pristinam solicitudinem mærorémque revolvunt; quantum enim ex ejusdem sermone conjicere hactenus potuimus, non aliud videtur Mandatum habere, quàm explicandi causas & rationes quibus innititur Decretum, quod diximus. Qua quidem in consideratione hæsimus dubij, quid consilij caperemus: sed vicit sensus, & vivida vis accensi nostri erga Te amoris: quamvis enim ex certis & indubitatis rationibus, & documentis perspecta nobis exploratáque sit justitia causæ, quam tuemur, & pateat ipsa per se; ac propterea fieri non posse credamus, ut Cardinalis quicquam novi afferat, quod nos à sententia dimoveat; cùm verum non sit verò contrarium: convenire tamen Pontificiæ erga Te charitati nostræ duxi-

mus, patienter excipere, quæ ille nobis exponenda habebat, sicuti fecimus. Audivimus enim illum luculenter, & quantum ei libuit, hac de re disserentem; si quæ addenda prætereà habet, iterum audiemus. Sed tolle moras, Fili Chariſſime, & parentis amantiſſimi veram Tibi, ſolidámque, non fucatam & umbratilem gloriam, tum in hac mortali vita, tum in æterna, illa peroptantis verba plena ſalutis libenter audi, & quæ perperàm acta ſunt, celeriter emenda, & nos ab hac moleſtiſſima cura, & moleſtiore neceſſitate, paſtorale officium exequendi. Te verò ipſum, & Regnum populóſque Tuos, quos omni felicitati florentes cupimus, à divinæ animadverſionis periculo liberes: cui quidem magnopere veremur, ne via quamprimum aperiatur, ſi paternis hortationibus, & juſtiſſimis poſtulatis noſtris aures diutiùs occluſeris. Facile enim fiet, ut dum nos lentà nimis mitíque manu (quod utinam divinam non armet in nos quóque) vulnus Eccleſiæ libertati inflictum tractamus, exurgat Deus, & judicet cauſam ſuam. Nemo eſt, qui non intelligat in hac diſceptatione ſummam rerum Eccleſiaſticarum in diſcrimen adduci. Si enim diſſimularetur diutiùs decreti, ſeu arreſti illius malum in dies magis invaleſcens, brevi profectò fieret, ut disjectis ac revulſis ubique gentium terminis, quos inter utrámque poteſtatem divinâ ordinatione poſuerunt patres noſtri, nulla relinqueretur ratio tuendæ diſciplinæ, nulla ſacerdotio reverentia, nullum Epiſcopali ordini veſtigium priſtinæ dignitatis. Notum eſt jam omnibus, & pervulgatum cauſæ illius meritum. Neque Tu, ut rei veritatem aſſequâre, neceſſe habes peregrina documenta ſcrutari, cùm ampliſſima & certiſſima domi habeas. Interroga majores Tuos, & dicent Tibi. Plura ſunt ab ijs hac de re edita decreta, eáque Regijs tabularijs

incluſa

inclusa & asservata, quæ omnem dubitationem de medio tollunt, accedente præsertim perpetuâ & inconcussâ quadringentorum annorum observantiâ. Stamus adhuc ad ostium & pulsamus, aperi Fili Charissime, aperi cordis Tui sinum vocibus Patris Tui, qui Te assiduo gerit in visceribus charitatis Christi, non minùs anxius de tua æterna salute, quam videt & magno quidem cum animi sui dolore, apertè periclitari, quàm de Ecclesiarum Galliæ libertate, cui sustinendæ manum applicuit. Exigua sanè ab hac Regaliæ extensione accessio fieret ad Regiam Tuam authoritatem, & amplitudinem; sed non parùm nominis Tui laudi decederet, si in animis hominum suspicio oriretur, Te rei parùm consonæ æquitati patrocinium Tuum præbere. Hæc paulò uberiore affectu voluimus ad Te scribere, ut nihil intentatum relinquamus, quod Majestatem Tuam possit ab eorum consilijs abducere, qui præclarè secum, & cum rationibus suis actum iri putant, si summa illa conjunctio animorum, quæ majoribus Tuis Galliæ Regibus, Regnóque ipsi, cum Prædecessoribus nostris, átque Apostolica Sede, semper, & magna quidem cum utrorúmque utilitate, & Catholicæ Ecclesiæ singulari solatio, intercessit; quámque inter nos conservari, átque in dies magis mutuæ charitatis officijs colligari, in præsens, si unquam anteà, necessarium videtur, paulatim debilitari ac dissolvi incipiat. Quod improbum sanè lucrum (quantum ad nos pertinet) nunquam illi assequentur. Te enim, quæcunque hominum vel temporum iniquitas inciderit, intimo & constanti semper amore, (salvis Dei honore, & Sedis Apostolicæ dignitate) prosequemur. Quem interim quasi præsentem in spiritu charitatis arctè complectimur, dum Majestati Tuæ veram in utróque homine

mine felicitatem ab immortali DEO precamur, & Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ die 3. Martij 1681.

Marius Spinula.

Documentum XVI.

Epistola Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nicolai Pavillon Episcopi Alectensis ad Conventum Generalem Cleri Gallicani.

8. Julij Anno 1675.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini.

QUia certum & persuasum omnino habeo, nihil vobis antiquiùs, ac æquè cordi esse, quàm ut jura & disciplinam Ecclesiasticam illibata conservetis, ideò imperare mihi non possum, quin in sinum vestrum querelas meas effundam, doceámque, quæ hisce diebus immunitati ac disciplinæ Ecclesiasticæ æquè funesta contigêre. Primum est, Tholosanum quemdam Clericum ausum esse, me absente, & Ecclesias Diœcesis meæ Visitationis causâ obeunte, obtentu Regaliæ in unam hujus Cathedralis Ecclesiæ Dignitatum irrumpere, ejúsque possessionem captare. Equidem dissimulare hanc invasionem non potui, nisi officio ac partibus meis deesse vellem; & ideò edita in prætensum hunc Regalistam Inhibitione, (cujus hîc copias adjungo) & illi, ne se in illius Beneficij functiones ac munia ingeret; & Capitulo Ecclesiæ meæ Cathedrali, ne illum recipiat, seriò ac enixè præcepi. Nec opus est, credo, ut vobis, *Illustrissimi & Reverendissimi Domini*, hujus Inhibitionis meæ causas & momenta enumerem; sunt enim illa ipsa, quæ lapsis retrò annis Cleri Gallicani Conventus impulerunt,

runt, ut ad conſervandas in hac re non ſolùm Provinciæ Narbonenſis, ſed aliarum etiam Provinciarum, ac particularium Eccleſiarum immunitates tanto Zelo tantáque contentione incumberent. Et ego impetrare à me non potui, ut non imitarer ejuſdem Cleri exempla, eodémque Spiritu animarer, cujus tot notas ac inſignia monumenta leguntur in ultima Compilatione, juſſu Cleri impreſſa. Optâſſem ego quidem, ne cogerer hanc glaciem primus rumpere; quamvis enim maximi momenti ſit Regaliæ cauſa, nec ad meam tantùm Diœceſim, ſed ad plures integráſque Provincias, ac etiam Eccleſias particulares pertineat; nondum tamen mecum planè ſtatueram, quam in hac cauſa oporteret me faciem induere: ídque ſolùm agebam, ut inter tacitas preces lacrymáſque Deo rem totam commendarem, utpote qui omnium Principum corda, in ſua poteſtate ac arbitrio habet, quíque Concilijs Epiſcoporum præſidet, ut is videlicet & Regi ſenſa inſpiraret illius juſtitiâ & pietate digna: & Conventui veſtro media & rationes oſtenderet, jura ac libertates Eccleſiæ fortiter aſſerendi. Sed ecce! ab hac animi ambiguitate inopinatus me eventus liberavit; novus enim ille Regaliſta auſus eſt unam ex Eccleſiæ meæ Cathedralis Dignitatibus occupare, ejúſque poſſeſſionem, perinde, ac ſi Sedes Epiſcopalis vacaret, invadere; neque hoc ſolùm, verùm etiam aſſerere, hanc Provinciam non obſtante antiquâ libertate, & poſſeſſione memoriam hominum excedente, aliíſque tot authenticis titulis, Regaliæ obnoxiam eſſe, imò Regaliam in mea Diœceſi jam eſſe apertam, quam tamen triginta ſex annos pacificè gubernaveram, ac Beneficia omnia poteſtati meæ obnoxia, nullo repugnante contuleram.

En Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini, primum

querelarum mearum caput, quod necessariò insinuandum illis credidi, eósque supplicare, ut suam mihi auctoritatem, ac protectionem dignarentur impertiri.

Alterum est, quòd D. Baro, & Vicarius Generalis Domini Episcopi *Mirepicensis* (a) non dubitaverit Provisionem Regalistæ cujusdam ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ Diœcesis meæ ratam habere, cui tamen haud ignorabat, nec me, nec Vicarium Generalem Domini Cardinalis Bonzij Archiepiscopi Narbonensis subscribere voluisse. Simile exemplum in monumentis Conventûs Anni 1660. reperire est Vicarij Generalis Mirepicensis, ob similem omnino errorem notati. Et quia in quamplurimis Cleri Gallicani Conventibus contra hujusmodi conatus remedia quæsita sunt, ac Decreta sancita; credidi incumbere mihi necessitatem, casum, qui nuper in hac materia contigerat, quíque ex circumstantijs, quæ illum comitatæ sunt, multo gravior evasit, vobis insinuandi; spero enim, nec curam, nec remedia vobis defutura, quibus hujusmodi excessibus imposterum caveatur. Supererant alia quædam Vobis communicanda, sed ea Domino Episcopo *de Beziers*, alias hujus nostræ Provinciæ Deputato confidenter aperui, rogavíque, ut in Comitijs exponeret. Nolo Vos amplius morari, finióque has meas inter preces ac vota, quas pro omnibus illis, qui illustrem hunc Senatum componunt, incessanter effundo, simúlque, quâ maximâ possum, demissione, ac reverentiâ, sum, eróque semper.

Alecti 8. Julij 1675.

Humillimus ac Obedientissimus
Servus
Nicolaus Episcopus Alectensis.

(a) Mirepoix.

Docu-

Documentum XVII.

Epistola ejusdem Domini Episcopi Alectensis ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Franciscum de Harlay, Archiepiscopum Parisiensem, ac in Comitijs Cleri Gallicani Præsidem.

8. Julij Anno 1675.

DUo magníque momenti eventus, qui in hac mea Diœcesi contigêre, argumentum mihi, ansámque præbuerunt ad Reverendissimos & Illustrissimos Episcopos in Parisiensibus Comitijs congregatos litteras exarandi. Et quia hujus venerabilis Senatûs Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra Caput ac Præsidem aget; æquo animo, uti spero, hanc meam libertatem accipiet, quâ ejus Patrocinium imploro, demisséque obtestor, dignetur auctoritatem suam meis postulatis accommodare; quæ verò ea postulata sint, nolo hic exprimere, cùm pro arbitrio, ac commoditate sua à Dominis Episcopis *de Montpellier, & Beziers*, hujus Provinciæ Deputatis intelligere ea possit, quos ego per litteras meas, omnium, quæ occurrunt, reddidi certiores. Ego interim precabor Deum, ut Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram suo lumine ac gratiâ magis magísque illustret, cujus ego, quâ maximâ veneratione ac reverentiâ possùm, sum eróque semper. Alecti 8. Julij 1675.

Illustrissimæ & Reverendissimæ
Dominationis Vestræ

Humillimus & Obedientissimus
Servus
Nicolaus Episcopus Alectensis.

Docu-

Documentum XVIII.

Epistola Episcopi Alectensis ad Eminentissimum Cardinalem Petrum de Bonzy Archiepiscopum Narbonensem.

8. Julij Anno 1675.

BIni eventus, qui paucos ante dies Apamiensem Ecclesiam turbavêre, impulerunt me, ut ad Comitia Generalia Parisijs congregata litteras darem, meásque illic querelas deponerem. Unus est Tholosani cujusdam Clerici, qui titulo Regaliæ unam ex Ecclesiæ nostræ Cathedralis Dignitatibus obtinuit, ejúsque Beneficij possessionem cepit. Alter verò Carcassonensis Clerici, cujus provisionem æquè titulo Regaliæ obtentam Vicarius Generalis Mirepicensis ratam habuit, quam tamen constabat & à me rejectam fuisse, & à D. Dumas Vicario Generali Eminentiæ Vestræ. Quia verò utrúmque hoc factum ad publicam quietem, ac utilitatem spectat, & præsertim Narbonensem Ecclesiam tangit, cui præest Eminentia Vestra, credidi mearum esse partium, Eam omnium, quæ occurrunt, reddere certiorem. Et quidem nunquam opportunior se obtulit occasio, quàm quæ modò affulget; cùm nemini dubium sit, Episcopis, qui ad Comitia Generalia convenêre, non modò justissimos titulos, verùm etiam auctoritatem suppetere, efficaciter magnóque cum fructu in hac causâ laborandi; quod si modò facere omittant, verendum est, ne malum irreparabile evadat, ac remedij expers. Idipsum DD. Episcopis de Montpellier, & de Beziers hujus Provinciæ Deputatis per litteras insinuandum duxi, à quibus plura, quæ ad hujus causæ statum ac necessitatem pertinent,

Eminentia

Eminentia Veſtra intelliget. Cui ego à DEO gratiam, luménque expoſco, ea omnia intelligendi, peragendíque, quæ ad majorem ejus gloriam, ac Eccleſiæ Suæ utilitatem conducere poterunt, ac pari reverentiæ, & ſinceri amoris ſenſu in æternum perſevero. Alecti 8. Julij 1675.

Humillimus & Obedientiſſimus Servus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum XIX.

Epiſtola Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Alectenſis ad INNOCENTIUM XI. Pontif. Max. Super Theologiæ Moralis, & Regaliæ corruptelis.

3. Julij Anno 1677.

BEATISSIME PATER,

PRæſtitum ab humilitate noſtra, Veſtræ in Petri Cathedram exaltationi, gratulationis ac devotionis officium benignè adeò & peramenter excepit Sanctitas Veſtra, ut hoc ipſo animatus majori cum fiducia iterum ad Illam de graviſſimis Eccleſiæ Gallicanæ malis, nec niſi ab Apoſtolica authoritate & charitate ſublevandis, ſcribere inſtituerim. Quid epiſtolæ à pluribus hujuſce regni Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam de perverſis recentiorum Caſuiſtarum dogmatibus deſtinatæ nuper acciderit, jam, credo, Beatiſſime Pater, Sanctitas Veſtra, tum ſui apud Chriſtianiſſimum Regem Nuntij relatione, tum aliorum fortè querelis inaudivit. Qua de re pluribus hîc agere minimè opus fuerit, cùm univerſam hiſtoriæ ſeriem harum dator litterarum auribus veſtris referre poterit. Sanè vulnus iſtud Epiſcopali dignitati inflictum, Beatiſſime Pater, ſentiet & graviter nobiſcum feret Charitas Veſtra omnium

Ecclesiarum solicitudine anxia, & ad Episcoporum voces eo propensiùs sese inclinabit, quò eas indignissimis modis & artibus intercluſas fuisse perspexerit. Nec verò alienis egebat hortatoribus Beatitudo Vestra ad Ethicæ Christianæ corruptores cohibendos. Sat illam stimulat morum instituendorum,& disciplinæ in melius informandæ zelus à familiarissimis sibi sacræ Synodi Tridentinæ decretis, domesticóque Sancti Caroli exemplo excitatus. Unde planè confidimus fore, ut omnes illas doctrinæ corruptelas tanto districtiùs configat, quanto eas à fautoribus audaciùs disseminari intellexerit. Dolore siquidem, imò & indignatione afficietur Sanctitas Vestra, Beatissime Pater, in tantum illos Christianissimi Regis religioni obrepsisse, ut quæsitis coloribus nostrum de scribenda ad Sedem Apostolicam epistola consilium crimini verterint, Episcopósque, abrogato jam pridem contra fas omne provincialium Synodorum usu, etiam de rebus Ecclesiasticis inter se communicandi, & ad Sedem Apostolicam communi nomine referendi antiquo & præcipuo jure interdicere tentaverint. Quod quid est aliud, Beatissime Pater, quàm Ecclesiastici regiminis à Christo Domino instituti, & omnium retrò sæculorum usu comprobati formam pessumdare, unius per totum orbem Episcopatûs vinculum solvere, & ipsius, quo Romana gaudet Ecclesia, Primatûs jura convellere? Nova hæc & hucúsque apud nos inaudita, minùs tamen quis fortasse mirabitur, si frequentes & penè quotidianas in Ecclesiæ libertatem molitiones attenderit, quibus aulici homines Ecclesiasticæ disciplinæ & doctrinæ causas, sæcularibus magistratibus ac Regiæ potestati addicere conantur. Harum dator litterarum plura tum verbis, tum etiam scripto proferet, quibus Sanctitas Vestra, quæ

& quanta in Eccleſiaſtici ordinis labem quotidie gerantur, intelliget. Inter alia verò, Beatiſſime Pater, turbas occaſione juris, ut vocant, Regaliæ, huic noſtræ Diœceſi invectas addiſcet Sanctitas Veſtra; cujus juris ultra antiquas metas extenſione, aliquot abhinc annis, Narbonenſis noſtræ & aliarum quatuor aut quinque Eccleſiaſticarum Provinciarum, & nonnullarum prætereà Diœceſeωn nativam & canonicam libertatem evertere ijdem aſſentatores moliuntur. Equidem cùm edicto Regio hac de re promulgato parere, conſcientiâ prohibente, renuerim, præcipua noſtræ Diœceſis beneficia in Regalia, ut volunt, vacantia, per Regium diploma, pleno jure, pulſis legitimis & pacificis poſſeſſoribus, collata ſunt: quod etiam in Apamienſi Diœceſi, & fortè alijs quibuſdam, ſicubi Epiſcopi non paruêre edicto, factum eſt. Cùm autem, Beatiſſime Pater, ex Decreto Concilij Generalis Lugdunenſis ſecundi, quod incipit, Generali conſtitutione, & pro ſolemni Sacramento â me in Epiſcopali conſecratione præſtito, jura & libertates Eccleſiæ mihi commiſſæ per cenſuras Eccleſiaſticas tueri vellem; eò res adducta eſt, ut duorum Eccleſiæ Cathedralis Canonicorum è familiaribus noſtris, Archidiaconi ſcilicet & Promotoris, indictâ per ſigilli Regij litteras relegatione, uno abhinc anno mulctatus fuerim. Et ecce mihi hanc Epiſtolam meditanti, & præ manibus habenti nova advenit mulcta, nova orbitas; dum ſimili juſſione longè amandatur Canonicus noſter Theologus, quem in priorum locum ſuffeceram, & in miniſterij Epiſcopalis ſubſidium lateri meo adſciveram. Imò & mihi eadem ſors jam hinc à priore anno impendebat, adverſarijs Eccleſiæ Regiam authoritatem ad id enixè ſolicitantibus, niſi eorum conſilium nativâ ſuâ æquitate & moderatione Chriſtianiſſimus

Rex posthabuisset. Sed de hoc quantumcunque gravi negotio plura Sanctitati Vestræ proloqui supersedeo, tum ne longiori privatæ calamitatis querimoniâ molestus fiam, tum quia hujus vexationis adhuc vigentis acta à nobis transmissa, quo pacto res tota gesta sit, declarabunt. Itaque, Beatissime Pater, ad corrupta morum dogmata redeo, quod malum latiùs patet, & plerisque animabus adhuc nocentius est. Huic curando quantum ab initio Pontificatûs studium Sanctitas Vestra adhibuerit, universi nôrunt: quod ut Ipsa brevi assequeretur, nihil demùm utilius aut promptius occurrit, quàm ut præcipua laxioris doctrinæ capita, jam dudum à plerísque Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus in famoso Casuistarum Apologistâ damnata, iterum ad eorundem Episcoporum relationem, à Sede Apostolica solemni Decreto damnarentur. Id autem ut ad optatum exitum, obsistentibus licet Casuisticæ corruptelæ patronis, perducatur, optamus vovemúsque. Verùm, Beatissime Pater, rerum nostrarum experimentis edoctus, & paternâ Vestrâ benignitate fretus ausim dicere, nihil penè in damnandis Casuistarum erroribus operæ pretij fore, nisi Eâdem Vestrâ Authoritate Jansenianæ hæreseos phantasma, quo jamdiu plurimi in his partibus ludificantur, evanescat. Confidentius fortasse quis hoc dictum existimaverit: verissimum tamen est, Beatissime Pater, & nobis res cominùs intuentibus quotidianâ experientiâ certissimum. Apostolicas Constitutiones prædecessorum Vestrorum Innocentij X. & Alexandri VII. submissâ omnes mente accipiunt: nec ullus est, qui cum Ecclesia Romana & Catholica perversos átque hæreticos sensus in quinque propositionibus damnatis contentos non ex animo damnet, quod prædictarum Constitutionum præcipuum est caput: & in cæteris etiam nemo est,

eſt, qui illis perpetuo Eccleſiæ uſu debitam reverentiam non præſtet. Id quod probè intellexit Clemens IX. Alexandri VII. Succeſſor, dum Galliæ Epiſcopis ac Theologis jamdiu vexatis pacem tandem pro Apoſtolica ſapientia & æquitate conceſſit. Verùm, Beatiſſime Pater, hujus tam optatæ pacis fructum hactenus nobis invidit, & vanis artibus ſubripuit pertinax adverſariorum factio, & imperitus ac præpoſterus nonnullorum zelus. Janſenianæ ſiquidem hæreſeos nomen prorſus jam vanum & inane ſummo ſtudio retinuerunt: nec illis præſentius aut validius telum, quo ſe tueantur, & cujuſlibet ordinis homines ſibi adverſantes diſturbent. Hâc futili accuſatione ſanctiorem quámque de moribus doctrinam exſufflant, viros pietate & doctrinâ præſtantes traducunt, átque Eccleſiæ miniſterijs ſubmovent, non Theologos modò, ſed Epiſcopos populis ſuſpectos efficiunt, pios eorum labores & ſaluberrima inſtaurandæ diſciplinæ conſilia intervertunt, libros informandis moribus aptiſſimos fidelium manibus excutiunt, omnem denique inſtituendæ Chriſtianorum vitæ, & ad normam Evangelij componendæ viam occludunt. Illud verò, Beatiſſime Pater, ſummoperè animadvertendum eſt, non ſolùm hujus fictitiæ hæreſeos prætexu graſſantem ubíque morum corruptelam foveri, ſed fidei quóque ſolidiſſima dogmata convelli. Quis enim non doleat caſtiſſimam & ſaluberrimam Sanctorum Auguſtini & Thomæ de gratuita Dei prædeſtinatione & gratia Chriſti ad ſingulos pietatis actus neceſſaria doctrinam ſub invidioſo Janſenij nomine à pleríſque repudiari, & tanquam erroneam, & hæreſeos notâ dignam in cathedris, in pulpitis, in colloquijs traduci? Ita doctrina, quam à multis Pontificibus acriter aſſertam ac vindicatam hæreditario quaſi jure Eccleſia poſſidet, ut ajebat

doctissimus Clemens Papa Octavus, passim hodie conculcatur. Ita dogmata, quæ inconcussa tutissimáque nuncupavit Alexander VII. temerario ausu à multis impetuntur. En, Beatissime Pater, Ecclesiæ Gallicanæ vario morborum genere laborantis status brevi Sanctitatis Vestræ oculis delineatus. Solet quidem ægrotantium dolor multas medendi artes excogitare, sed non omnes æquè commodas & utiles. Unde satiùs erit, patefactis jam nostris vulneribus totos nos Apostolicæ Vestræ charitati & prudentiæ committere: nisi fortè etiam nostros ea de re sensus cognoscere Vestra Sanctitas opportunum duxerit. Certè fausta omnia à Vestra Beatitudine expectamus, maximè protuendis divinæ Gratiæ dogmatibus, pro stabiliendis Ethicæ Christianæ regulis, pro sancienda veteri, & canonica Ecclesiarum libertate. Hæret enim cordi Ejus impressa hæc unius ex suis decessoribus sententia: *Optamus, si fieri potest, in diebus nostris Apostolicam fidem, & Ecclesiæ regulas cum subjectis nobis populis custodire, & omnem novam doctrinam sopire.* Equidem, Beatissime Pater, eò ætatis provectus sum, ut hæc, antequam moriar, in Ecclesia videndi vix spes superstit: peregrinationis tamen meæ cursum jam majori cum alacritate, Pontificatûs Vestri specie recreatus & confirmatus persequor; quæ & quanta in Ecclesiam universam bona Sanctitatis Vestræ operâ diffundenda sint, animo prospiciens: quod ut pro singulari sua pietate, & ardenti zelo fructuosiùs præstare queat, diuturnam Ipsi Pontificatûs administrationem exopto, & post hujus ævi labores cumulatissimam in cœlo felicitatem apprecor. Alecti die 30 Junij. 1677.

Beatissime Pater,

Sanctitatis Vestræ

Humillimus & Obsequentissimus Filius & Servus

Nicolaus Episcopus Alectensis.

Documentum XX.

Breve Sanctiſſimi D. N. Innocentij PP. XI. ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Epiſcopum Alectenſem.

19. Septemb. Anno 1677.

INNOCENTIUS PP. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Suſceptam à Nobis de paſtorali in Alectenſi Eccleſia regenda, ac Eccleſiaſtica diſciplina inſtauranda Fraternitatis tuæ zelo opinionem mirificè confirmârunt Litteræ, quas 30. Julij ad Nos dediſti. Iis enim refertæ ſunt cum pij, tum vigilantis animi ſenſibus, ut nullum Nobis de eo dubitandi locum relinquant. Pro comperto autem te habere volumus, religioſis ſtudijs tuis conſtanti Nos præſidio atque authoritate affuturos, libentérque occaſiones omnes amplexuros, ex quibus propenſam erga te voluntatem Noſtram agnoſcere valeas. Quod attinet ad ea, quæ fusè Nobis tum per litteras, tum per earum exhibitorem ſignificâſti, tanti profectò momenti ſunt, iiſque implicata difficultatibus, ut diligenti, & maturâ diſcuſſione prorſus indigeant. Pro muneris itaque Noſtri debito accuratè eadem examinari mandabimus, illúdque ſuper his conſilium capiemus, quod in Domino expedire judicaverimus. Aſſiduis interim apud ſupremum Patrem luminum juvari precibus vehementer à te petimus, dum Nos dilectionis Noſtræ pignus Fraternitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

19. Sept. 1677.

Docu-

Documentum XXI.

Epistola Reverendissimi Episcopi Alectensis ad Dominum de Bezons Consiliarium Statûs.

30. Maij. Anno 1676.

Litteras quinto Maij ad me datas, elapsâ retrò hebdomade accepi, cùm domum ex itinere in Diœcesim meam susceptо redijssem; & illæ quidem novum titulum addidêre antiquis obligationibus meis, ob memoriam curámque mei, quam in illis prolixè abundéque ostenditis. Id ergo agitis, ut quam mihi olim exhibuistis humanitatem, cùm Jus in hac Provincia diceretis, & cujus pretiosam adhuc memoriam retineo, nunc quoque exercere pergatis; quæ enim in causâ Regaliæ, méæque nuper editæ Constitutionis tam solicitè suggeritis, novum mihi præbent benevolentiæ vestræ argumentum, & à me pari veneratione, & attentione accepta, atque expensa sunt. In ipso epistolæ primo limine profitemini, non esse intentionis vestræ, merita hujus causæ, & an Diœcesis nostra Regaliæ subjaceat, discutere; illud tamen videri vobis, posse ac debere nos curare, ut Sacramentum fidelitatis in acta publica referatur; sic enim omnem, quæ nobis impendet, tempestatem, discussum, ac possessionem Episcopatûs octo & triginta annos à nobis obtenti firmatum iri. Optâssem equidem, ut postulatis tam sincero animo factis acquiescere, & causam Regaliæ à nova hac forma, & solemnitate juramenti fidelitatis separare licuisset; sed hoc ipsum est cujus modum & rationem nunquam hactenus reperi; adeò enim unum cum altero connexum est, ut eodem momento, quo in juramentum consensero, cogar etiam Regaliam, Regiám-

Regiámque Declarationem consentire, quæ ad meam quoque Diœcesim Regaliam extendit. Ego, à quo tempore examinandam hanc quæstionem suscepi, ut tanto securior videlicet, expérsque periculi in hac causa progrederer, Deóque, ac conscientiæ meæ satisfacerem, fateor ingenuè, adeò me certum persuasúmque esse redditum, Diœcesin meam à Regalia immunem esse, ut non ampliùs de illius libertate dubitaverim; néque id tantùm de particulari Ecclesia mea, sed de tota Narbonensi Provincia, cujus quoque immunitas non privilegio, non contractu aliquo nititur, sed innatâ & coævâ, atque ab ipsa fundatione, in hanc usque diem acceptâ productáque libertate. Ipsa Metropolitana Narbonensis Ecclesia, quæ omnium in hoc Regno ferè antiquissima est, & à qua mea Alectensis originem duxit, cum hac libertate nata est, eámque & priùs quàm Coronæ uniretur, & postquam unita est, Ludovico sancto regnante Regum patrocinio retinuit, præsertim post Lugdunense Concilium, quo Regalia prohibebatur in alia loca, quàm quæ illam usu recepissent, extendi; nec exemplum ullum ostendi poterit, violatæ tam sacræ, & antiquæ Possessionis. Id quod Dominus de Marca tam in quadam Deductione ad preces Conventûs Cleri Gallicani de anno 1655. edita, quàm in octavo libro de Concordia Regni, & Sacerdotii, præclarè ostendit; suppetúntque quàm plurima istius rei monumenta in Actis Cleri Gallicani. Hæ, præter alias, sunt rationes, quæ moratæ me sunt, ne paterer juramentum fidelitatis in acta publica referri, néque Regiæ Declarationi acquiescerem; cùm id facere haud possem, nisi conscientiæ, ac officio meo deesse vellem. Sed nec animus mihi erat ulteriùs progredi, si modò per aliorum importunitatem licuisset. Ij enim eâ usi occasione,

ne, quòd juramentum fidelitatis inscribi noluissem, perinde ac si Sedes vacaret, quam tamen triginta & octo annos jam impleo, Beneficia Diœcesis meæ, titulo Regaliæ obtinere conati sunt, eorúmque capiendæ Possessioni certatim advolârunt. Id me in necessitatem inevitabilem conjecit, mentis meæ enixiùs declarandæ; idem quippe futurum erat in hoc rerum statu, silentium tenere, quod Regaliam agnoscere, meámque Ecclesiam prodere. Statui ergo ad Comitia Cleri Generalia, quæ in oppido S. Germani convenerant, litteras exarare, ut exemplo videlicet aliorum retrò Comitiorum hanc causam amplexarentur, Regiámque Majestatem convenirent, Eique rei momenta exponerent. Scio quidem Conventum Cleri solutum esse, Rege super causa tam justa támque necessaria nunquam adito; nec immoror examinandis causis, quæ Clerum retinuerint, ne Regem convenirent, discederéntque re infectâ, & remedijs non solùm non applicitis, sed fortè ne quidem tentatis. Id solùm dicam, cùm paucos post menses intellexissem, plura Diœcesis, & Cathedralis Ecclesiæ meæ Beneficia titulo Regaliæ collata esse, atque hujus Provisionis intuitu legitimos, canonicéque institutos Possessores expulsum iri, credidi necessitatem mihi incumbere, hujusmodi usurpatores arcendi, editâ nuper Constitutione, quæ sola supererat ad jura Ecclesiæ meæ defendenda, impediendáque tam irregulares injustáque Provisiones; nec ego ad hoc remedium priùs deveni, quàm reliquis destitutus, & necessitate adactus justæ defensionis, & si rationes ac momenta expendantur, quæ ad id faciendum me impulerunt, nemo non fatebitur, nihil eâ Constitutione Regijs juribus detractum esse, sed Ecclesiæ tantùm provisum, ne læderetur; neque enim mihi animus fuit Regaliam, quatenus,

tenus, & in quibus locis usu recepta est, impugnare: illud tantùm contendi, non posse salvis justitiâ, & immunitate Ecclesiarum ad loca extendi hujus hactenus servitutis expertia, credidíque, neminem ægro animo laturum, si necessitati, & obligationi meæ obsequerer, & libertati Ecclesiæ meæ tuendæ ea remedia impenderem, quæ à DEO acceperam, præsertim cùm de jure ageretur tanti momenti, & tot annorum possessione firmato. Neque hæc persuasio privata tantùm, & mea est, sed omnium ferè Episcoporum, qui non verentur, ubi occasio tulerit, eam palàm explicare, quanquam ob varias rationes passi sint juramentum fidelitatis inscribi; imò nec defuerint, qui ut juribus Ecclesiarum suarum caverent, protestati sint, eámque protestationem in archivia condiderint, parato in futurum præsidio. Denique jus hoc Immunitatis à Regaliæ servitute adeò clarum & perspicuum est, ut nihil aliud credi dicíque possit, quàm nunquam illud, quale revera est, Regi exhibitum propositúmque fuisse: quin potiùs, ut ex Regia Declaratione constat, Regi persuaserunt, Regaliam jus esse Coronæ Gallicæ coævum innatúmque, sicque non minùs, quàm Regia ipsa potestas, totâ Galliâ extensum; & tamen hæc, quæ pro certis supponuntur, adeò à vero aliena sunt, ut & historiæ, & Lugdunensis Concilij, & antiquorum, ac recentium Galliæ Regum edictorum, & rationum Cameræ Parisiensis, & sententiarum trium ferè sæculorum cursu in Parlamentis dictarum, & denique Celebriorum, qui de hoc argumento scripsêre, Auctorum testimonijs contrarium manifestè ostendatur.

Sed & illud perperàm factum, quòd Ecclesias obstrinxerint ad producendos titulos, & rationes suarum Exemptionum, perinde ac si alijs Ecclesijs similes essent, quæ cùm

olim Regaliæ subjacerent, essentque in Provincijs huic servituti obnoxijs, libertatem tamen suam, aut contractibus onerosis, aut Regum privilegijs redemêre; & tamen, uti sæpe notatum à me est, Diœcesis Apamiensis, aliæque Narbonensis Provinciæ Ecclesiæ, non privilegijs, aut contractibus, quòd Regaliæ sint expertes, sed immunitati, ac libertati naturali debent nunquam hactenus interruptæ. Postquam ergo Ecclesias naturâ, & origine suâ liberas cum ijs confuderunt, quæ hanc libertatem titulo aliquo particulari adeptæ sunt, illud posteà adjecêre, ut eas ipsas Ecclesias, non obstante immemoriali, ac continuâ possessione, Regaliæ eo prætextu submitterent, quasi Regalia ex ijs juribus esset, quæ nec præscribi, nec alienari possunt; hæc verò ratio id omnino supponit, quod priùs probandum erat; priùs enim probandum erat omnes Regni Ecclesias Regaliæ subjectas esse, & tunc modò quærendum, an hoc jus præscribi ab Ecclesijs contra Regem, & à Rege in Ecclesias alienari potuerit. Hæc si Regi suggesta fuissent, nimium ille justitiæ ac religionis habebat, ut Ecclesias eâ libertate, quam ab origine & fundatione sua, omniúmque Galliæ Regum patrocinio obtinuerant, privatas vellet. Hæc ego tanto libentiùs, majoríque fiduciâ vobis commemoro, quòd cùm multis annis huic Provinciæ gubernandæ præfuerítis, ejusdem jura, morésque, præsertim in ijs, quæ Regaliam spectant, comperta habeatis. Nec credo hanc meam agendi scribendíque libertatem ingratam ipsi Regi futuram; imò ubi intima hujus causæ momenta, sinúmque perspexerit, credo equidem, quæ hactenus à me peracta sunt, rata habiturum, adscripturúmque inviolabili in Ejus Majestatem obsequio, immensóque desiderio solidæ veræque Ejus gloriæ proferendæ. Finio, méque amicitiæ

vestræ

vestræ, quam perpetuam cupio, enixè commendo, plenisque reverentiæ, ac gratitudinis æternùm persevero.

Alecti 30. Maij. 1676.

Humillimus & Obedientissimus
Servus

Nicolaus Episcopus Alectensis.

Documentum XXII.

Secunda epistola ejusdem Alectensis Episcopi ad Eminentissimum Cardinalem de Bonzij Archiepiscopum Narbonensem.

Die 8. Junÿ. Anno 1676.

MOnita, quæ Eminentiæ Vestræ placuit circa nuperam Constitutionem meam ad Regaliam spectantem per unum è Vicarijs suis mihi suggerere, cum ingenti animi ac reverentiæ sensu accepi, eumdémque rogavi, ut meo nomine Eminentiæ Vestræ gratias referret; dum interim ego maturè, ac coram DEO re omni expensâ statuere mecum possem; quid ad proposita respondere oporteret, ídque postea Eminentiam Vestram per litteras edocerem. Et verò postquam omnia ad animum revocavi, & quidquid in utrámque partem afferri dicíque poterat, accuratè ac lentè discussi; fateor mihi nihil ex omnibus, quæ afferebantur, dignum occurrisse, quo ad mutandam primam sententiam, meámque Constitutionem revocandam moveri possem. Igitur de Canonica libertate non meæ tantùm, sed omnium hujus Provinciæ Ecclesiarum, si ea, quæ in præfata mea Constitutione exposui, vera sunt, satis hoc erit, ut omnibus, qui modò judicio aliquo pollent, nec partibus addicti sunt, justa valénsque appareat, & planè

siquis examinandæ huic quæstioni animum adjiciat, fatebitur omnia, quæ à me illic producta sunt, non vera tantùm, sed & clarissima, & certissima esse, nec alijs rationibus opus est, quàm ijs, quæ à Domino de Marca ad preces Conventûs Gallicani anno 1656. conscripta, ac memoriæ commendata, quæque in libris de Concordia Imperij & Sacerdotij fusiùs ab eodem producta sunt, adjunctâ dissertatione Domini Episcopi Montispessulani (quam in una sessionum ejusdem Conventûs peroravit) alijsque documentis titulísque, quos inter acta & annales Cleri Gallicani reperire est. In his omnibus hujus Provinciæ libertas & exemptio clarissimè apparet, non privilegijs, non Regum favore & beneficio quæsita, sed naturali innatáque ac canonicâ, ipsáque fundatione ductâ libertate. Hanc sibi adjunctam habuit, cùm ad coronam Gallicam pervenit, eodémq; ferè tempore hanc ei Concilium Lugdunense confirmavit, quo sub pœna excommunicationis omnibus, quantacunque dignitate florentibus, prohibitum est, ne Regaliam ad Ecclesias extenderent, hujus servitutis hactenus insuetas; néve Prælati alijque gubernandis Ecclesijs admoti auxilio aut consilio eam promoverent, quin potiùs quantùm pro virili sua parte possent, illi obniterentur; sed & Galliæ Reges Christianissimi Decretis Concilij Lugdunensis obsecuti, hanc ipsam libertatem intactam illibatámque Ecclesijs voluêre. Nam Philippus Pulcher, quamvis jus Regaliæ pro ijs Ecclesijs, in quibus hactenus usu receptum fuerat, acerrimè tueretur, eâ tamen dato Diplomate, cujus Autographum in Archivijs Ecclesiæ Metropolitanæ Narbonensis asservatur) hanc ipsam Ecclesiam minimè voluit; tantúmque abest, in hac libertatis suæ possessione quatuor ferè seculorum decursu, quæ à Concilio fluxêre, turbatam esse, ut

ut potiùs quamplurimis authenticis titulis legitimísque documentis confirmata & stabilita sit. Ecce, Eminentissime Cardinalis, Constitutionis à me editæ fundamenta. Ea verò nihil aliud complectitur, quàm quæ à jure communi Concilióque Oecumenico quadringentis jam ferè annis totâ Galliâ recepto decreta sunt. Hoc cùm animo reputarem, nunquam difficultates & pericula, quæ ex hac Regaliæ causâ consecutura prævidebam, tanti mihi visa sunt, ut removere me ab inceptis deberent. Explevi quæ conscientiæ meæ ac officio pastorali debui, cætera Divinæ providentiæ committo. Non sum equidem rerum hujus Mundi adeò ignarus, ut non omnino occurrerit, quàm multa & gravia instarent mihi, si pergerem Regijs mandatis obluctari, cæterùm quoties Dei & justitiæ ac Ecclesiarum causa agitur, nihil est tam magnum arduúmque, quod morari ac perterrere nos debeat, præsertim cùm non ego me periculis ac pugnæ objecerim, sed potiùs provocatus coactúsque in aciem processerim, nec priùs loqui cœperim, quàm cùm ampliùs tacere non licuit; & tunc quoque, cùm loqui ac repugnare necessitas fuit, id solùm commisi, ut Sacramentum fidelitatis non permiserim in acta publica referri, id enim si permisissem, hoc ipso videbar in Regaliam consentire. Cùm verò ob neglectam hanc solemnitatem Regaliam in hac mea Ecclesia, cui quadraginta jam annis præfueram, apertam esse contenderent, scripsi ad Comitia Cleri generalia, rogavíque, ut in hoc Regaliæ negotio causam Ecclesiæ sustinerent, ac Regi supplicarent, id enim ab alijs Cleri Conventibus semper hactenus observatum esse, eodémque tempore ad Eminentiam Vestram ac hujus Provinciæ Deputatos litteras exaravi. Non immoror equidem examinandis causis, quæ Patres illius

illius Sacri Senatûs permoverint, ut nec Rege admonito, nec provisis remedijs Conventum absolverint, cùm tamen ea causa esset, quæ præcipuè ad Clerum spectaret. Non ideò tamen minorem mihi credidi obligationem incumbere jura Ecclesiæ meæ defendendæ, quin potiùs tanto majorem eam esse censui, quanto minus auxilij ab alijs sperarem, & cùm paulò pòst certior redditus essem, quamplura ac præcipua Ecclesiæ Cathedralis ac Diœcesis nostræ beneficia titulo Regaliæ collata esse, consilium tandem cepi Constitutionem meam in publicum edendi, cùm hoc unicum remedium superesset, quo libertatem ejusdem Ecclesiæ tueri, turbásque, quæ instare videbantur, avertere liceret. Scio obijci mihi, quod etiam Eminentia Vestra dignata est insinuare, hanc causam à Regio Senatu in Judicio Contradictorio præsentibus Cleri Deputatis judicatam esse, ipsúmque Clerum agnovisse Regium tribunal, séque illi submisisse, non ergo licere amplius reclamare. Hæc oppositio quàm est speciosa, tam fundamento ac soliditate caret. Nec enim in hac causa, si loqui propriè velimus, Regium forum Clerus agnovit, quippe qui Henricum IV. imploravit, suásque apud eum querelas deposuit adversus Parlamenti Parisiensis anno 1608. pronuntiatam sententiam, quam Ecclesiæ libertatibus gravem, Regióque Henrici Edicto duos ante annos vulgato, & cui Parisiense Parlamentum aliquamdiu repugnavit, contrariam affirmabant; easdémque posteà querelas apud Ludovicum XIII. gloriosæ memoriæ, ac regnantis Ludovici Patrem repetijt; ísque, ut ex publicis Cleri documentis constat, manum huic negotio finémque per extraordinarios Commissarios (inter quos quamplures Antistites) apponere destinaverat, feciséetque, nisi mors destinata prævertisset. Lites ac con-

conteſtationes, quæ poſteà coram Senatu Regio agitatæ ſunt, vertebantur ſolùm inter particulares Regaliſtas ex una, promotóſque ab Ordinarijs ex altera partibus; non ideò tamen Clerus Gallicanus aut finem implorandi Regem fecit, aut libertatem Eccleſiarum Compromiſſo ſubmittere voluit, quam ſemper ut certam, nullíque dubio, aut liti expoſitam agnovit. Poterant ergo ſententiæ à Regio Conſilio latæ, & quibus Procuratores intervenerant, privatorum negotia litéſque finire; quippe cùm de dubijs incertíſque cauſis ageretur. Id verò ut ad omnia indiſtinctè negotia extendatur, etiam ad illa, quæ ſpiritualem Epiſcoporum auctoritatem ac Eccleſiarum immunitatem tangunt, quæque nullum prorſus dubium aut litem patiuntur; enimverò indignum id eſſet, plenúmque periculi. Nec verò Procuratorum interventus obligare Epiſcopos eorúmque Diœceſes potuit, cùm in hujuſmodi materijs nullam habeant Deputati, imò ne ipſa quidem Cleri Comitia, concludendi poteſtatem. Cauſa Regaliæ publica eſt, reſpicíque quinque aut ſex Eccleſiaſticas Provincias, complureſque particulares Diœceſes, agitúrque de conſervandis Eccleſiæ non ſolùm redditibus temporalibus, ſed præſertim Dignitatum, Canonicatuum, aliorúmque principalium beneficiorum Collatione, quæ ſpirituale ac Hierarchicum quoddam jus eſt, nec libertas aut Poſſeſſio, quâ Eccleſiæ hac in parte fruuntur, dubia aut incerta eſt, ſed certa, notoria, ac omnino comperta; malè ergo Eccleſiæ negotium geſſiſſent, ſi illud judicio foróque ſubmitterent Regij Senatûs; & ſi demus id factum eſſe, ſempertamen Epiſcopis, quorum intereſt, poteſtas fuit re amandi revocandíque contra jus & canones geſta. Clero coram Regio tribunali nihil aliud præſtare licuit, qu m

ut causæ momenta Principi exhiberet, ejúsque contra Regios Ministros libertati Ecclesiarum infestos opem invocaret, id quod præteritis etiam annis ab eodem Clero factitatum est, quando contra Parisiensis Parlamenti sententiam, Henrico IV. & Ludovico XIII. gloriosæ memoriæ Regibus supplicavit; intelligebat enim, juribus & libertatibus Ecclesiæ quamplurimum detrahi, imò aliquâ ratione ea deseri prodíque, si, cùm certa & indubia essent, pro incertis & indecisis haberi pateretur, ac cognitioni Regiorum Ministrorum submitteret, qui aliàs naturali quâdam propensione feruntur Regum jura ultra terminos proferendi, & tunc præsertim, cùm non de Regis solùm, sed etiam de ipsorummet commodo & auctoritate agitur, ut in præsenti Regaliæ causa. Non ergo formalitates aliquæ, quas dicunt in præsenti negotio observatas esse, Episcopis opponi possunt, quò minùs reclamare, suarúmque Ecclesiarum jura sustinere debeant, præsertim cùm Regijs Ministris jam solemne usúque receptum sit, ut quoties bellum Ecclesijs & earum immunitatibus fecerint, semper speciem aliquam formámque justitiæ obtenderint; quam si morari Episcopi voluissent, nunquam causa Ecclesiæ contra eos, qui opprimere eam nitebantur, defensa esset. Imò rem attentè considerantibus palàm est, hoc unum ex eorum artificijs fuisse, qui Ecclesijs Regaliam imponere moliebantur; sensim enim placidéque plures Procuratores, Prælatos & Capitula induxêre, ut judicio se sisterent Regij Senatûs, suaéque libertatis titulos & acta producerent, ac posteà reclamare volentibus opponerent; causam hanc jam examinatam decisámque in Judicio Contradictorio fuisse; prævidebant enim, nisi hisce compendijs uterentur, & aliquam justitiæ formam præferrent, nunquam ad optatum finem perventuros,

ros,& hâc ipsâ juſtitiæ ſpecie Regis animum occupârunt,effecerúntqüe ut in ſuas partes tranſiret; nec lucrari aliâ ratione eum poterant, quippe æqui juſtíque amantem; ac etiam cùm de ipſius commodis agitur, earum regularum, quæ ſemel conſtitutæ ſunt, obſervantem. Sed nec contenti in ijs, quæ ad formam modúmque pertinent, Regi imponere, id multò magis quoad ſubſtantiam ipſam fecêre; ſuggeſſerunt enim Majeſtati Suæ, Regaliam jus eſſe Gallicæ coronæ coævum, eíque neceſſariò annexum, ac naturâ ſuâ univerſale, ac uniforme, totúmque Regnum complecti: quæ omnia planè nova dogmata ſunt, recénſque inducta, ac hiſtoriæ teſtimonijs, Oecumenici Concilij toto Regno recepti Deciſionibus, novis antiquíſque Regum edictis, authenticis Cameræ Pariſienſis documentis, Parlamentorum ab aliquot jam ſeculis arreſtis, ac denique Auctorum, qui de hoc Argumento ſcripsêre, quíque inter præcipuos Senatores Regíſque Miniſtros numerabantur, ſententijs ac doctrinæ contraria. Prætereà in hoc ipſo, quod nobis obijciunt, Regij Conſilij judicio Prælatos & Capitula ad producendos titulos, & alia ſuæ exemptionis documenta compulerunt, perinde ac ſi privatis privilegijs ac Contractibus (quemadmodum aliæ quædam Eccleſiæ Regaliæ olim, ſubjectæ, & in Provincijs ſitæ huic oneri aſſuetis) libertatem ſuam debeant, cùm tamen ea potiùs ex natura Eccleſiaſticorum Beneficiorum, non aliunde proveniat, nec proinde alio titulo aut probatione, quàm naturalis ſuæ poſſeſſionis indigeat. Has verò Eccleſias poſtquam in earum claſſem redegerunt, quæ particulari titulo à Regalia exemptæ ſunt, continuò adjecerunt, eas nihilominus Regaliæ ſubjectas eſſe, nec defendi poſſe continuâ & immemoriali poſſeſſione; quippe jus Regaliæ adeò coronæ annexum eſſe, ut nec

alienari nec præscribi possit: qua in ratiocinatione illud ipsum supponunt, quod probari, non supponi debuit; si enim jus Regaliæ nec alienari nec præscribi potuit, ergo jus Regaliæ jam constitutum & stabilitum esse oportuit, id verò probari debuit, cùm in hoc ipso tota lis & cardo hujus quæstionis vertatur. Hæc si explicata Regi fuissent, nostrarúmque Ecclesiarum jura & libertas, uti par erat, exposita, nimium haberet ille æquitatis, ut numquam pati posset libertatem & prærogativam Ecclesijs adimi, quibus à prima fundatione fruebantur, quæque alij retrò Reges intactas semper illibatásque voluerunt. Id ergo unum superest, ut Regi vid. res tota, ejúsque fundamenta & rationes, uti se habent, ante oculos ponantur, nec verò aptior alius est, qui præstare id possit, quàm Eminentia Vestra; character quippe & dignitas Metropolitani, ac præsertim gratia, quâ apud Regiam Majestatem floret, Eminentiæ Vestræ ante alios id præstabunt, ut vid. & loqui de hac causa liberè audeat, & à Principe libenter gratéque audiatur. Dignata est jam aliquoties Eminentia Vestra mihi significare, gratum sibi acceptúmque fore, si cùm necessaria aliqua occurrent, non omitterem eam submonere; at verò nihil magis necessarium majoríque momenti occurret, quàm quod præsens occasio monendum offert. Libertas nostrarum Ecclesiarum, quâ immunes à Regalia constituuntur, Depositum quoddam est fidei Episcoporum commissum, nobísque obligatio incumbit integrum illud intactúmque Christo Jesu supremo Ecclesiarum Pastori restituendi. Ego eâ jam ætate sum, ut reddendis villicationis meæ rationibus vicinum me sentiam, nec aliud magis conscientiam meam prægravaverit, quàm si contra officij mei debitum apertámque veritatem jura ac libertates Ecclesiæ meæ prodam.

dam. Nec ego sum solus, cui hæc causa tantopere cordi ac curæ sit; nam Eminentiam Vestram non latet, quid plerique Episcoporum sentiant, & quàm apertè, dum occasio se offert, in hac causa loquantur. Compertum quoque mihi est, nonnullos Episcoporum scriptis protestatos esse, eásque protestationes in Archivia suarum Diœceseon condidisse, ut hâc saltem ratione suarum Ecclesiarum juribus consulerent. Me quod attinet, Deum enixè & ex intimo cordis precabor, ut quæ ad majorem sui nominis gloriam, Ecclesiæ utilitatem, ac Conscientiæ quietem faciunt, Eminentiæ Vestræ inspirare dignetur; Ipsa interim dignabitur eodem, ut hactenus, affectu & benevolentiâ prosequi, qui interim Reverentiæ ac venerationis plenus sum, & ero semper. Alecti 6. Junij 1676.

Eminentiæ Vestræ

Humillimus & Obedientissimus
Servus
Nicolaus Episcopus Alectensis.

Documentum XXIII.

Actus Appellationis ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Alectensi ad summum Pontificem & Sacram Apostolicam Sedem interpositæ contra Eminentissimi Cardinalis Petri de Bonzij Archiepiscopi Narbonensis Constitutionem in favorem Regalistarum editam.

12. Novemb. Anno 1677.

ANno 1677. die duodecimâ mensis Novembris in Civitate Episcopali Palatio Alectensi coram me Regio Notario & testibus infrà nominandis personaliter constitutus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Nicolaus Pa-

villon, Epiſcopus Alectenſis (ab integro jam menſe morbo decumbens) poſtquam intellexit, famulum ſuum carceribus detentum eſſe, quem Narbonam miſerat ad inſinuandum actum & declarationem Appellationis, ſuo juſſu interpoſitæ à Stephano Durand, ædium Epiſcopalium Oſtiario, contra ultimam Ordinationem ſeu Mandatum Eminentiſſimi Cardinalis Bonzij Archiepiſcopi Narbonenſis quinto currentis datam; cúmque bajulus, qui præfatum Mandatum pertulerat, reſponſum, uti promiſerat, non expectâſſet, imò nec tantum temporis morari ſuſtinuiſſet, quantum opus erat, ut id Mandatum Domino Epiſcopo innoteſceret, & ipſe lecto affixus à ſolis Domeſticis conveniri pateretur, multóque minùs virium defectu actum Appellationis expedire poſſet, injunxit præfato Durando, ut ipſe appellaret, quippe quem bajulus Archiepiſcopi convenerat, eíque Mandatum inſinuaverat, promiſerátque reſponſum præſtolari. Has ergo ob cauſas ſæpè nominatus D. Epiſcopus præſenti hoc actu approbat ratámque habet Appellationem à præfato Durand interpoſitam, declarátque famulum, qui modò carceribus detinetur, ſuo juſſu Narbonam profectum eſſe, ut illic demandatam Appellationem inſinuaret; & proin immeritò tam durè & inclementer acceptum eſſe, cùm nihil aliud commiſerit, quàm ut actum juſtitiæ à Domino ſuo imperatum, quíque nullo modo ei culpæ imputari poterat, exequeretur. Declarat ergo præfatus D. Epiſcopus, à Mandato ſeu Conſtitutione D. Archiepiſcopi Narbonenſis quinto currentis data tam per viam nullitatis & incompetentiæ, quàm alio quovis legitimo juſtóque titulo ad Sacram Sedem appellare ac proteſtari, ſicut jam tum proteſtatus eſt, & adhuc proteſtatur contra injuſtam detentionem ſæpè dicti famuli

ſui

ſui, & appellationis ab Epiſcopo imperatæ executoris, utpote qui ex debito officij ſui non potuerint impoſitum appellationis deferendæ Mandatum recuſare. Méque Notarium requiſivit, ut, &c. Actum die & loco ut ſuprà, &c.

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum XXIV.

Projectum Appellationis & Proteſtationis contra Mandatum ſeu Conſtitutionem Eminentiſſimi Cardinalis de Bonzij Archiepiſcopi Narbonenſis, quod tamen expediri non potuit ob mortem Illuſtriſſimi Epiſcopi Alectenſis.

ANno 1677. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Nicolaus Pavillon Epiſcopus Alectenſis coram me Notario conſtitutus Eminentiſſimum Cardinalem Bonzij Archiepiſcopum Narbonenſem, nec non Dominos Candelon, ejuſdem Diœceſis Promotorem, & Joannem Petrum Gaſton de Foix Presbyterum alloquens dixit, ſe, cùm pro tuenda ſacra Epiſcopali dignitate Conſtitutionem quamdam ſub data vigeſimæ ſecundæ elapſi Octobris emittere, eáque licentiam Officialis Narbonenſis, Magiſtri Bernardi du Mas coërcere compulſus eſſet (qui non ſine omnium Epiſcoporum gravi injuria conſtitutiones quinto Martij & decimo ſeptimo Octobris Anni 1676. à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Alectenſi Exemptionis & libertatis Eccleſiaſticæ tuendæ gratiâ publicatas auſus eſſet infirmare irritáſque declarare) non potuit præfatus Dominus Epiſcopus Alectenſis non vehementer mirari, Eminentiſſimum Cardinalem de Bonzij Archiepiſcopum Narbonen-

bonensem non solùm communem omnium Episcoporum causam noluisse amplecti (quorum jura in persona Episcopi Alectensis omnium in ea Provincia Episcoporum antiquissimi apertè violata sunt) verùm etiam Officiali suo se adjunxisse, ab eóque audacter peracta, editâ die quintâ Novembris Constitutione, sustinere aggressum esse, quâ Domini Episcopi Alectensis priorem Constitutionem sacris Canonibus Regníque legibus ab Ecclesia Gallicana hactenus observatis, necnon quieti Conscientiarum ac Hierarchicæ Disciplinæ contrariam, & censuras in eadem Constitutione latas, irritas nullásque declarat, ac omni effectu cassas. Prohibet insuper inhibétque præfato Domino Episcopo Alectensi, ne deinceps hujusmodi Constitutiones promulget, nisi velit Canonicâ districtione puniri. Jubet deinde sententiam ab Officiali suo pronuntiatam Eidem Domino Episcopo & Capitulis tam Cathedralis quàm Collegiatæ S. Pauli Ecclesiarum iteratò insinuari, illíque sub pœna Excommunicationis ipso facto ab omnibus Canonicis alijsque Ecclesiasticis personis, quæ directè vel indirectè executionem præfatæ sententiæ impedirent, incurrendæ, exactè promptéque obediri. Hæc Eminentissimi Cardinalis & Archiepiscopi Narbonensis sententia ut primùm ad notitiam pervenit sæpè dicti Domini Episcopi Alectensis, continuò ab ea appellandum duxit, prout etiam appellavit; tantóque plures dolendi causas conquerendíque se habere credidit, quòd exaratis ad eumdem Eminentissimum Cardinalem litteris (quarum copiæ huic Appellationis actui adjunctæ sunt) rationes & causas prolixè notaverit, ob quas conscientiæ & obligationi suæ defuturum se credidit, nisi Constitutionem suam quinto Martij anno 1676. datam in lucem emitteret, eáque canonicam & naturalem, omníque

omníſque Regaliæ expertem Eccleſiæ Alectenſis libertatem pro virili ſua parte ſuſtineret, & tamen præfatus Dominus Cardinalis ne dignatus quidem ad ea reſpondere, quæ ab Alectenſi Epiſcopo propoſita fuerant, eúmque, ſiqua in re à vero aberrâſſet, præmonere, contra omnes æqui honeſtíque regulas, Conſtitutionem ſuam non vulgandam tantùm, ſed etiam typis imprimendam curavit, ut vid. tantò ſpectabiliùs characterem ac dignitatem Epiſcopalem fœdaret, cùm id potiùs præſtare debuiſſet, ut Officialis ſui temeritatem coerceret, ac injuriam reparandam curaret, quam in perſona Alectenſis Epiſcopi toti Epiſcopali Collegio audacter inuſſerat. Hæc ſunt, quæ præfatum Epiſcopum Alectenſem impellunt, ut ad rationes reſpondeat, quæ in Conſtitutione ſeu Mandato Narbonenſi continentur, illibatâ tamen integráque reverentiâ ſacræ Purpuræ debitâ.

Primò ergo allegatur, ſententiam à Domino de Mas pronuntiatam legitimæ poteſtati inniti; eum quippe cùm ſit Domini Archiepiſcopi Narbonenſis Vicarius Generalis & Officialis, ejúſque auctoritate & poteſtate fungatur, potuiſſe omnia, quæ idem D. Archiepiſcopus poterat; nam ex jurium quoque diſpoſitione Judicis delegati & delegantis eamdem eſſe juriſdictionem & poteſtatem. Ad quod confirmandum ſæpè dictus Dominus Archiepiſcopus multas congerit Jurium auctoritates, quæ Delegatis favere videntur, addítque: *Olim nunc Presbyteros Comitijs Generalibus, nunc Diaconos præſedíſſe, ídque non tam propriâ, quàm aliorum auctoritate, quorum vid. perſonam ſuſtinebant; ſua quoque in Comitijs ſuffragia contuliſſe, quibus Epiſcopos, Archiepiſcopos & Patriarchas damnabant.* Cæterùm, omnia hæc argumenta & auctoritates, quæ Domino Archiepiſcopo congerere placuit, planè inutilia ſunt, nulliúſque momenti,

atque in alienum sensum detorta, idque multis ex causis. Nam *primò* pro fundamento id supponunt, quod apertè falsum est; neque enim Officialis est Judex propriè delegatus, sed ordinarius, & ordinariâ fungens jurisdictione, æquè ac alij ejusdem D. Archiepiscopi Judices, & ita quidquid de Judicibus delegatis dicitur, nullo modo aptari potest præsenti argumento. *Secundò.* Quamvis negari haud possit, causas Episcoporum aliquando à Presbyteris & Diaconis judicatas esse, idque auctoritate Antistitum, à quibus delegati erant; nunquam tamen exemplum ostendi potuit, id à solis Presbyteris & Diaconis factum esse, sed semper unà cum alijs Episcopis, ita ut semper verum sit, causas Episcoporum ab alijs & competenti numero Episcopis judicatas esse. Casus ergo, de quo in præsenti agimus, toto cœlo ab eo differt, qui à Domino Archiepiscopo nobis opponitur. Quippe unicus & solus Presbyter est, qui nulli alteri Episcopo junctus ausus est auctoritatem sibi sumere Episcopum judicandi, ejúsque Constitutiones irritas nullásque declarandi, id quod nullo antiquitatis exemplo purgari unquam poterit. *Tertiò.* Si principia & rationes Domini Archiepiscopi aliquid convincerent, sequeretur in causis, quæ personas etiam Episcoporum eorúmque depositiones spectant, posse ab aliquot Diaconis, quos Episcopi delegássent, Episcopos judicari, quamvis interim nullus Episcoporum aut Archiepiscoporum dignaretur eas causas cognoscere; quo nihil potest dignitate Episcopali indignius dici, magísque Sacris Canonibus adversum. Hæc omnia satis supérque ostendunt, quàm vana sint nullóque fundamento nixa, quæ ab Officiali Narbonensi prætexuntur, & hæc sola sufficerent stabiliendis Episcoporum juribus. Verùm ut hæc ipsa certissima reddantur, ut quæ nullâ tergiversatione

verſatione negari poſſint, ad principium reducemus, quo in Eccleſiaſtica Diſciplina nullum certius firmiúſque. Illud verò eſt, quòd jus ab antiquis Canonibus inductum aboleri deſtruíq; non poteſt, niſi auctoritate, quæ, aut major aut par ſit Concilijs jus illud conſtituentibus, aut ſaltem legitimâ conſuetudine & poſſeſſione, ob quam illud jus præſcriptum, eíque à partibus voluntariè renuntiatum eſſe dici poſſit. Jam verò certum eſt, antiquos Canones ſtatuiſſe, ut cauſæ Epiſcoporum à Metropolitano, Concilióve Provinciali, non verò à Sacris Canonibus judicarentur. Quærimus ergo, quis hunc morem à Sacris Canonibus inductum abrogaverit? Aut forſan Concilium aliquod Oecumenicum oſtendi poteſt, quod aliam judicandi formam præſcripſerit, & Epiſcopos ſententiæ ac judicio Officialium ſubmiſerit? Planè ſi D. Archiepiſcopus Narbonenſis hujuſmodi aliquas auctoritates cauſæ ſuæ fulciendæ habuiſſet, omnino haud diſſimulâſſet; cùm ergo nullas alleget, conſtat id non oblivioni, ſed indigentiæ adſcribendum eſſe. Multò minùs dici poteſt conſenſiſſe Epiſcopos, ut hoc jure à Canonibus ſtabilito privarentur, cùm potiùs auctoritates à Domino Archiepiſcopo allegatæ contrarium probent; Ipſe enim fatetur, Suffraganeos Diœceſis Narbonenſis contendiſſe, non poſſe Officialem Archiepiſcopalem de Epiſcoporum Conſtitutionibus judicare, imò totum Clerum Gallicanum ſuper hoc puncto ſuas querelas Regi obtuliſſe. Nec etiam dici poteſt, Officiales in pacifica hujus juris poſſeſſione eſſe, illúdque beneficio longævæ conſuetudinis præſcripſiſſe: cùm è contrario potiùs, quoties hoc jure uti voluerunt, Parlamentorum Arreſtis comprehenſi ſint, hujuſmodi appellationes abusûs damnantium; quantò ergo minùs permiſiſſent non judicari tantùm, ſed etiam condemnari

demnari Episcopos non citatos inauditósque? Celebre est Arrestum, præsertim de anno 1577. in favorem Carnotensis & Melitensis Episcoporum, à Citatione Senonensis Officialis tamquam ab abusu appellantium; edixítque Curia, Officialem potestate suâ abusum esse; citationem verò ipsam irritam nullámque declarávit, decrevítque, ne Suffraganei Episcopi juxta Sacrorum Canonum dispositionem in ijs, quæ ad disciplinam correctionémque Ecclesiasticam pertinent, coram Vicarijs Generalibus, sed solùm & immediatè coram Archiepiscopo respondere, eíque obedire teneantur. Reperiuntur apud du Luc in Collectione Arrestorum, quæ in publicum edidit, duo alia & antiquiora Arresta, de annis vid. 1550. & 1553. in favorem Nivernensis & Tricassenſis Episcoporum, qui cùm ab Officiali Senonensi citati essent, Parlamentum pronuntiavit, hujusmodi citationes nullas & abusivas esse, addítque præfatus du Luc hæc verba digna memoratu: *Potest quidem Archiepiscopus Provincialis Episcopum in jus ad se vocari jubere, in eúmque jus dicere; sed neque per Juridicum, quem Officialem appellant, neque per Vicarium quacumque præditum potestate. Quî ergo? Sanè per semetipsum & alios Provinciales Episcopos, quos in Concilio adhibere habet necesse; cujus contrarium cùm Senonensis Archiepiscopus in Nivernensem & Trecensem Episcopos usurpásset, & ij abusum causati provocássent, è forensi prælio superiores evaserunt.*

Hæc verò à præfato Auctore insinuata jurisprudentia adeò certa & indubia est, ut inauditum sit, careátque exemplo, fuisse Metropolitanum aliquem, qui paria ausus fuerit Narbonensi Officiali, quem proinde coërceri efficaciter oportet. Præsertim cùm ne quidem ipsi Domino Archiepiscopo potestas fuerit, ut de Constitutione Domini Episcopi Alectensis solus judicaret, eáque ratione & modo, quem

quem ejus Officialis ſibi uſurpavit, ídque non ſolùm ex rationibus ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Apamienſi inſinuatis (quia vid. id ſine cognitione cauſæ factum, nec partibus, quarum intererat, vocatis, id quod planè Eccleſiæ Sacrorúmque Canonum ſpiritui contrarium eſt, ut videre licet apud S. Gregorium Magnum *lib. 7. epiſt. 62.* Apud Adrianum in Capitularibus *capite 22. & 26.* In Concilio Aquiſgranenſi *anno 816. lib. 1. cap. 35.*) Verùm etiam ex eo capite, quòd licèt Archiepiſcopus Metropolitanus ſit omnium ſuorum Suffraganeorum ſuperior, non ideò tamen judicare de illorum cauſis poteſt, niſi in caſibus ſpeciatim à Jure permiſſis; & tunc quoque non ſolus, ſed tantùm in Synodo Provinciali, ſic enim in Antiocheno *anno 341. cap. 14.* & Conſtantinopolitano Concilijs *anno 382.* & in Capitularibus *capite 29.* apertè ſtatuitur.

Conqueritur quidem Dominus Archiepiſcopus Narbonenſis, nolle Dominum Epiſcopum Alectenſem Appellationes tamquam ab abuſu in Diœceſi ſua tolerare. Cæterùm hæc ipſa criminatio abundè oſtendit, non ſatis de moribus Epiſcopi Alectenſis, ejúſque agendi ratione, Domino Archiepiſcopo conſtare. Enimverò ejuſmodi Appellationes ſemper ille admiſit, & tunc ſolùm rejecit, quando dolo malo ac juſtitiæ eludendæ adhibebantur, & quando omnes ſimul Epiſcopi contra illas declamabant; tunc enim omnium Epiſcoporum querelis ſuas quoq; ſociavit, & illæ à Parlamentis Regióque Senatu pro juſtis acceptæ ſunt.

Minùs etiam præfatum Epiſcopum Alectenſem morari debet, quod ſæpe memoratus Dominus Archiepiſcopus in defenſionem Officialis ſui allegat, eum vid. cùm dixiſſet Conſtitutionem Domini Epiſcopi Alectenſis *Legibus Regni Gallici adverſari*, continuò adjeciſſe: *Quæ in Eccleſia*

Gallicana hactenus observatæ sunt, ut vid. innueret, se de illis tantùm legibus loqui, quæ ab Ecclesia receptæ observatæque de prophanis & politicis in Ecclesiasticas transierunt. Cæterùm intelligi haud potest de quibus Legibus Officialis loquatur, & quænam illæ Ecclesiasticæ & Politicæ leges sint, quas ab Episcopo Alectensi violatas esse conqueritur. Videri poterat de Regia loqui Declaratione, quæ in favorem Regaliæ conscripta & prodita est; sed cùm constet eam ab Ecclesia receptam non esse, idque non lateat Dominum Archiepiscopum, qui verba Officialis in alium sensum detorquet, & ea intelligenda esse dicit de nescio qua lege, Episcopis prohibente, ne in causis, de quibus Judices competentes jam aliàs judicârunt, quidquam disponant decernántque, sed supplicare tantùm ijs liceat. Sed ad hoc prompta est responsio, vid. nullam esse aut Regiam aut Ecclesiasticam legem, quæ prohibeat Episcopis, quò minùs Personis Ecclesiasticis, & manifestis Concilij Oecumenici violatoribus Excommunicationem à Concilio indictam denuntient, quod solum & unicum est, quod Domino Episcopo Alectensi imputari potest, & ne ad hoc quidem progressus est, nisi ad Conventum Cleri Generalem, ipsúmque Dominum Archiepiscopum Narbonensem datis priùs literis, quibus rogabantur, ut super hac causa Regiam Majestatem convenirent; quod cùm impetrare à Clero non potuisset, ipsemet litteras ad Regem exaravit, expostúitque rationes, quibus obstrictum se credidit, ut ijs, qui Beneficia suæ Diœcesis Regaliæ obtentu adepti erant, sese opponeret. Quæ omnia clarè ostendunt, Episcopo Alectensi semper curæ fuisse, ut in hoc negotio omnes partes reverentiæ expleret Principi suo debitæ; & quæ coërcendis Regalistis hactenus fecit, à sola necessitate debitóque officij sui fluxisse.

Illud

Illud quoque nullo fundamento nititur, quod addunt, *Regaliæ negotium fuisse à Judicibus competentibus jam judicatum decisumque.* Cùm enim Regalia ex juribus spiritualibus constet, quale est jus Beneficia conferendi, certum est, non potuisse nisi duobus modis Regibus acquiri, aut expresso vid. Ecclesiæ privilegio, in Oecumenico Concilio illis concesso, aut perpetuâ & immemoriali possessione, ex qua Ecclesiæ consensus præsumi possit. Jam verò certissimum est, nec legem ullam Ecclesiasticam, nec legitimam possessionem ostendi posse, ob quæ in Provincia Septimaniæ hoc jus sibi Princeps vendicare possit. Quid ergo in negotio hujus naturæ Regia Declaratio operetur? Nec enim ea Declaratio dici potest esse lex Ecclesiastica, nec etiam esse probatio legitimæ Possessionis; imò ex ea potiùs convincitur, nullam hactenus Possessionem penès Regem fuisse; nam hæc Declaratio eò unicè pertinet, ut Regem in possessionem juris inducat, quam hactenus non habuit. Nullum ergo alium effectum ea Declaratio habet, quàm ut sit argumentum Regiæ voluntatis; at verò innata Regi pietas & justitia nunquam permiserint, ut is suas voluntates pro Ecclesiasticis Legibus, se verò in causis spiritualibus pro Judice competenti haberi velit. Ad solam ergo Ecclesiam spectat de jure & privilegio cognoscere, quod sola dare potuit; nec umquam salvâ veritate dici poterit, hanc causam à competenti Judice decisam esse, quandiu à solo profano Tribunali sententia fluxerit, Ecclesiastico tacente.

Neque illud verum est, agnovisse in hac causa Clerum Gallicanum Regij Senatûs jurisdictionem; id enim falsum est, si loquamur de universali ea quæstione, vid. *An Jus Regaliæ illimitatè ad Regem pertineat?* Solùm enim particulares

ticulares privatæque controversiæ, inter Regalistas vid. ex una, & legitimè ab Ordinarijs provisos ex altera partibus, coram Senatu Regio agitatæ sunt, & in Parlamentis avocatæ, juxta Henrici IV. & Ludovici XIII. Edicta, quæ contra sententiam Parlamenti anno 1608. ad Cleri Gallicani preces impetrata sunt, id quod Dominus Episcopus Alectensis litteris ad Dominum Archiepiscopum Narbonensem die 6. Junij Anno 1676. exaratis prolixè ostendit.

Nec etiam aliquid probat, quod idem D. Archiepiscopus Narbonensis adjungit de potestate Officialis, aut Vicarij Generalis admittendi Ecclesiasticos (qui se in Curia Romana provisos esse asserunt) ab Episcopo rejectos, quo exemplo conatur ostendere, etiam ab Officiali suo potuisse Constitutionem Episcopi Alectensis damnari, Episcopo non citato. Cæterùm nemo non videt, quantum inter utrumque casum discriminis intercedat; præter enim illa, quæ in simili causa ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Apamiensi notata sunt, ea etiam substantialis omnino differentia accedit, quòd, cùm Officialis, seu Vicarius Generalis ratas habet provisiones in Curia Romana factas, quamvis ab Episcopo rejectas, non de Potestate, quam circa hujusmodi provisiones Pontifex habet, judicium sibi sumit, sed tantùm de provisi qualitatibus personalibus; quo fit, ut hujusmodi Vicarij sententia nec legis vim habeat, nec ullum Pontificiæ potestati præjudicium pariat. Secus foret, si non tam de qualitatibus personalibus, quàm de ipso jure conferendi lis moveretur, tunc enim quàm maximè referret Ecclesiæ, ne hoc jus ab ijs, qui illud non habent, usurpari permitteret; sicque hæc causa propriè ad Ecclesiam pertineret, cujus defensor legitimus & naturalis Episcopus est; non ergo judicari de illa causa potuit,

Episco-

Epiſcopo non audito : planè res nova & mira eſt, potuiſſe Officialem Narbonenſem ſibi perſuadere, coram tribunali ſuo velut Judicis competentis non diſceptari tantùm, ſed decidi etiam debuiſſe, an tota Narbonenſis Provincia Regaliæ (de qua omnibus retrò annis exempta fuerat) ſubjaceret? ídque ne vocatis quidem auditíſque Epiſcopis, quorum utique intererat, ne in novam ſervitutem illæ Eccleſiæ raperentur. Si ergo hanc novam mirámque formam judicandi admittamus, quoſcunque deinceps violandi Eccleſiaſtica jura cupido inceſſerit, id tantùm curabunt, ut primò Religionem Principis circumveniant : deinde ut Officiales Epiſcoporum lucrentur, eóſque ſuarum voluntatum executores faciant; iſti verò omnes Epiſcopos, qui injuſtis eorum conatibus obſiſtent, tamquam qui leges in Regno Gallico ſtabilitas, & ab Eccleſia receptas violâſſent, poſtulabunt. Sed mihi animus non eſt, pernicioſos omnes effectus, nec minùs Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, quàm Religioni ipſi fatales recenſere, qui ex hac agendi ratione procul dubio provenient. Ob has igitur aliáſque hujus generis rationes ſuo loco & tempore producendas præfatus Dominus Epiſcopus Alectenſis declarat, notúmque facit Eminentiſſimo Domino Cardinali & Archiepiſcopo Narbonenſi, nec non ſuprà nominatis Domino Promotori, & Joanni Petro Gaſton de Foix, ſe in appellatione perſiſtere jam ſemel ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Innocentium XI. Sedémque Apoſtolicam à dicta Eminentiſſimi Cardinalis & Archiepiſcopi Ordinatione interpoſita, ac in optima forma proteſtatur, quidquid in præjudicium præfatæ appellationis fieri aut attentari contigerit, nullum irritúmque fore (quippe juxta Canonicas Regulas, pendente appellatione nihil fieri, aut innovari oportet) ſuáſ-

que Constitutiones 5. Martij & 17. Octobris anno 1676. datas executioni interim dandas esse, donec à sua Sanctitate & Sacra Apostolica Sede aliter disponatur.

Documentum XXV.

Tertia epistola Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Alectensis ad Innocentium XI. Summum Pontificem.

IN hac confectæ ætatis & affectionis paralyticæ sinistram corporis partem occupantis invalescente ægritudine, arctissimam meam cum Apostolica Sede communionem, & singularem erga Pontificatum Sanctitatis Vestræ reverentiam & devotionem hoc monimento testatam volui: simul & extrema Ecclesiæ mihi commissæ amoris officia exhibere satagens, ad authoritatem & tutelam Vestram, quâ maximè modò indiget, confugio. Nativam illius & perpetuam à Regaliæ jure immunitatem, quæ illi cum tota Provincia Ecclesiastica Narbonensi, & alijs quibusdam communis est, juxta Concilij generalis Lugdunensis Constitutionem pro parte mea hucusque tutus sum. At eam novo & insolito Regaliæ juri post discessum meum jam instantem penitùs subjectum iri prospicio, nisi intercessione summæ Vestræ Authoritatis apud Christianissimum Regem ab ejusmodi jugo vindicetur. Quare hoc unum restat, Beatissime Pater, ut ipsam in eadem libertate & immunitate, cum qua quadraginta abhinc annis eam suscepi, Beatitudini Vestræ custodiendam commendem. Est & aliud grave mihi, Beatissime Pater, quippe quòd meæ cum Apostolica Sede communioni umbram aliquam offundere

fundere videatur, censura scilicet à Romanis Inquisitoribus Rituali libro, quià me ad usum nostræ Diœcesis editus est, inusta. Libri illius à plurimis licet fratribus Coepiscopis solemni approbatione laudati novum examen subire non detrecto: imò peropto, si modo Sanctitas Vestra per se pro Sua benignitate oculos & animum advertere dignata fuerit. Quidquid in eo emendandum pro Sua sapientia duxerit, hoc pro reverentia mea emendandum duco. At pristinum Inquisitorum judicium, acerbum nimis & injuriosum eò magis deprecor, quò pleraque Ethicæ Christianæ dogmata, tanquam sub Generali Ritualis nostri censura damnata, à viris illusoribus, qui supra populum, juxta Prophetam, dominantur, passim traduci doleo. Hanc labem à me, hanc à sanctissimis dogmatibus fraudem & calumniam ut amoliatur Sanctitas Vestra, ultimùm obsecro & supplico. Itáque votorum tum hujus, tum superioris Epistolæ summâ in sinu Sanctitatis Vestræ repositâ, mortem expecto, Apostolicâ Vestrâ benedictione jam mihi concessâ munitus, & necessario maximè precum Vestrarum præsidio apud summum Judicem adjuvandus.

Alecti die 25. Octobris Anno 1677.

BEATISSIME PATER,

Sanctitatis Vestræ

Humillimus & obsequentissimus Filius & Servus

Nicolaus Episcopus Alectensis.

Documentum XXVI.

Epistola Eminentissimi Cardinalis Cibo ad Reverendissimum Episcopum Apamiensem.

Data 8. Decembris, Anno 1677.

Illustrissime & Reverendissime Domine.

ACcepi unà cum humanissimis litteris tuis, instrumentum appellationis interpositæ à Sententia Archiepiscopi Tholosani: in quo Sanctitas Sua non permittet, ut à paterna sua erga te, & Apamiensem Ecclesiam charitate quicquam diù desideres, sicuti, occasione se dante, certiùs cognosces. Tibi Illustrissime & Reverendissime Domine, læta faustáque omnia à Deo auguror. Romæ, die 8. Decembris Anno 1677. Illustrissime & R. D.

Servitor
A. Cardinalis Cibo.

Documentum XXVII.

Secunda epistola Reverendissimi Episcopi Apamiensis ad Regem Christianissimum.

20. Januarij Anno 1678.

ACcepi quàm maximâ potui veneratione Arrestum Consilij 28. elapsi Novembris latum, quo Majestas Vestra injungit mihi, ut intra duos menses Sacramentum fidelitatis in acta publica referri faciam, admittámque de quibusdam Canonicatibus alijsque Beneficijs Regularibus Ecclesiæ Apamiensis, titulo Regaliæ provisos, ídque sub pœna privationis omnium fructuum & proventuum temporalium. Patiatur Majestas Vestra humillimas preces meas, quas vid. necessitas hujus causæ expressit, Sibi deferri, quásque

que tantò confidentiùs ſpero auditum iri, quòd ab Epiſcopo, & in cauſa Eccleſiæ prolatas; cùm aliàs ſemper magnorum Principum fuerit, etiam in negotijs merè temporalibus querelas ſubditorum gemitúſque excipere. Enimverò ſi liceret ante oculos Majeſtatis Veſtræ cor meum intimáſque cogitationes expromere, videret Ipſa id, quod animum meum perſtringit, non eſſe metum proventus temporales amittendi; cùm enim in ſacris Canonibus didicerim, Eccleſiaſticos fructus eſſe bona DEO conſecrata, nihil aliud ex ijs reſervatum mihi volui, quàm curam adminiſtrationémque mei Oeconomi; ſíque meam Perſonam ac particulare commodum quod attinet, quidquid Divina Providentia permiſerit, pacatiſſimè feram. Id ſolum à Majeſtate Veſtra petere mihi liceat, ut ſi quidem alicuius me culpæ reum pœnáque dignum crediderit, dignetur eâ tantùm fructuum parte multare, quæ ſuſtentandæ Perſonæ ac neceſſitati meæ parcè adhibetur, nec enim me pudebit Fidelium pietatem ac eleemoſynas implorare; tantùm ne hâc pœnâ & calamitate meâ quamplures alij ac innocentes involvantur. Cogor enim Majeſtati Veſtræ ſignificare proventus illos, qui ex Conſilij ſententia ſubducti mihi ſunt, ad alenda duo ſeminaria, in quibus Clerici animarum ſaluti ac curæ addicti, magnóque numero ſuſtentantur, ad fabricandam ædem Cathedralem hæreticorum furore planè deſtructam, ad reparandas ornandáſque reliquas Diœceſis Eccleſias, ad alendos tegendóſque pauperes, qui plurimi ſunt, & qui hoc ſubſidio deſtituti in extremam neceſſitatem adigentur, & denique ad exolvendum æs alienum, quod ut omnibus hiſce expenſis par eſſem, contrahere neceſſariò debui. Quod ergo ante hæc omnia animum meum intimè ferit, illud eſt, me licèt ardentiſſimo deſiderio fe-

rar nihil agendi, quod Majestatem Vestram vel leviſſimè offendat, non poſſe ſalvâ quam DEO ejúſque Sponſæ debeo, fidelitate, Arresto mihi nuper ſignificato obtemperare. Neque enim, niſi anathemata à ſacris Concilijs vibrata experiri velim, cooperari, imò ne conſentire quidem poſſum, ut Eccleſia juribus ſpolietur fidei meæ commiſſis. Inter ea verò jura unum è præcipuis maximéque ſpiritualibus eſt libertas conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, quam libertatem Regalia omnino demolitur: hæc verò in quamplurimis Regni Gallici Provincijs numquam locum habuit, id quod ex Edictis Galliæ Regum, Majeſtatis Veſtræ Prædeceſſorum, & Parlamentorum, & Cameræ Pariſienſis Protocollis, & ex doctrina Auctorum, qui ante Arreſtum Parlamenti Pariſienſis de anno 1608. de hoc argumento ſcripſêre, & quorum aliqui in præfata Camera Computorum publicis officijs fungebantur, manifeſtè probari poteſt. Philippus Probus, vir inſignis probatæque doctrinæ, & cui Regalia odio eſſe non poterat (nam Regaliæ titulo in Eccleſia huic ſervituti obnoxia Beneficium obtinuerat) non contentus Eccleſias in genere deſignâſſe Regaliæ immunes, Epiſcopatus quoque in particulari enumerat, exemptos liberóſque, & præſertim Tholoſanæ Provinciæ, quorum primum hunc Apamienſem conſtituit.

Enimverò non poteſt hoc jus Regaliæ ad Majeſtatem Veſtram pertinere, niſi uno ex ſequentibus titulis, vid. aut præcisè, *Jure Regio*: aut titulo Univerſalis omnium *Eccleſiarum Fundatoris*: aut beneficio *Poſſeſſionis, memoriam hominum excedentis*: aut denique *Eccleſiæ Privilegio*.

Qui conati ſunt perſuadere Majeſtati Veſtræ, jus Regaliæ totâ Galliâ extendi, id principium aſſumpſerunt, ut dicerent, Regaliam jus eſſe Coronæ annexum, ideóque inaliena-

inalienabile & impræscriptibile ; quo fundamento nixi adjecerunt, quemadmodum Regium Diadema rotundum est, eáque figura designat, Coronam Regiam complecti omnia ; sic quoque Regaliam ad omnes Regni Ecclesias proferri, nullâ exceptâ. Sed permittat Majestas Vestra, ut liberè dicam, nihil cogitari posse hâc Maximâ inanius, minúsque fundatum. Quî enim fieri potest, ut jus Beneficia Ecclesiastica conferendi, quod spirituale omnino est, à Regia Potestate & Corona dependeat? Planè nihil aliud hoc est, quàm spiritualem ac temporalem confundere potestatem, Ecclesiarum ac Principum jura commiscere : & verò si hoc tantíque momenti jus adeò Regiæ Dignitati adjunctum est, quî fieri potest, ut Ministri Regum Majestatis Vestræ Prædecessorum tot sæculorum decursu illud ignoraverint? an verò aut negligebant, aut nesciebant, quid Regibus deberetur ? & ipsum Parisiense Parlamentum, si hanc Maximam veritati consentaneam esse credidisset, num ausum aliquando esset (quod tamen aliquoties fecit) Regibus onus hanc possessionem probandi imponere, cùm de nonnullis Ecclesijs controversia moveretur ? Sed nec solùm hoc Galliæ Regum esset privilegium, sed omnium omnino coronam gestantium, qui eodem jure eadémque ratione Regaliam, quà latè dominantur, vendicare sibi possent ; ideò Lugdunense Concilium, cùm titulos recenset, ob quos permitti Regalia possit, solius fundationis, & antiquæ Possessionis mentionem facit.

Alij ergo, qui fallacis hujus Maximæ inanitatem cernunt, diffidúntque tam fragili fundamento, ad alia se vertunt, & Majestati Vestræ tanquam omnium Regni Ecclesiarum Fundatori Regaliam attribuunt. Cæterùm si Majestas Vestra observare dignata fuerit, Ecclesiæ Apamiensis pro-

proventus in solis verísque Decimis (quas Deus sibi reservavit, & quarum dispensationem Ecclesiæ Ministris reliquit) consistere, Ipsamet facilè concludet, non fuisse Ecclesiam Apamiensem à Regibus Ejus Majoribus dotatam. Quod verò supra Decimas est, tam parvi est momenti, ut non credam tam modicæ rei intuitu voluisse Reges hujus Ecclesiæ fundatores appellari. Quamquam, etsi demus Fundatores appellandos esse, quis nescit, solam Dotationem, si Privilegium Ecclesiæ absit, non sufficere, ut quis possit Beneficia Ecclesiastica conferre, ac Ministros Ecclesijs constituere?

Possessionem quod attinet, certissimum est, numquam hoc jus à Majestate Vestra in Apamiensi Ecclesia exercitum esse, nec ullum exemplum ostendi poterit.

Denique tantùm abest, Ecclesiam hoc jus extendendæ Regaliæ Principibus concessisse, ut potiùs se illis enixè opposuerit, tunc vid. cùm in Concilio Lugdunensi statuit, ne Regalia ad loca extenderetur, in quibus recepta hactenus non fuerat: & quamvis Clerus Gallicanus sæpè Majestatis Vestræ protectionem imploravit adversùs eorum molitiones, qui contra antiquam nativámque Ecclesiarum libertatem Regaliam inducere conabantur, non ideò tamen libertati ac juribus suis renuntiare volebant, imò ne Conventus quidem Cleri Generales, quantumvis maximè vellent, præstare id poterant, tum quia Concilio Oecumenico à quatuor jam seculis in Gallijs recepto derogare non poterant; tum etiam quia in causa communi, & quando agitur de jure & præjudicio singulorum, ex regulis utróque jure receptis oportet singulos, quorum interest, consentire. Jam verò constat, neque me, neque aliquem meorum Prædecessorum consensisse, aut Procuratoribus, aut Deputatis

tatis ad Conventus Generales missis mandatum in hac causa transigendi dedisse. Neque etiam credidi, me Declarationibus à Majestate Vestra in hac causa editis posse acquiescere; multóque minùs earum executionem pollicitus sum, nec umquam adduci passus, ut juramentum fidelitatis in acta publica referri permitterem, quod argumentum erat admissæ servitutis. Non ergo intelligere possum, quâ veritate dicatur, universalem Regaliæ causam fuisse in Contradictorio judicio, plenáque cognitione judicatam. Sed præsertim particulares pro Apamiensi Ecclesia rationes sunt, ob quas Regaliæ subdi non potest; cùm enim & Alexandro VII. Pontifici Maximo, & Majestati Vestræ placuerit Pontificijs Regiísque Diplomatibus vitam Regularem, ac bonorum communionem juxta Regulam S. Augustini in hac Ecclesia stabilire, ídque etiam quamplurimis Arrestis in Parisiensi Parlamento, ac Judicijs Contradictorijs confirmatum fuerit, admissâ semel Regaliâ necessariò consequitur, fructum operis tam pij, & ex quo in publicum bonum tantum emolumenti ac ædificationis processit, planè corruptum iri, cùm illi, qui titulo Regaliæ Beneficia occupavère, numquam persuadendi sint, ut se exacto Tyrocinio, & ex sententia Episcopi submittant. Multo minùs excludi se à sacra Professione, si inhabiles reperiantur, patientur, quod unum omnem viam disciplinæ solidæque pietati occludet. Sed nec illud sperare ab ijs licet, ut vid. privatis se facultatibus abdicent, vivántque in communi, & rationes Episcopo reddant; útq; Priori Claustrali se subdant, quæ tamen adeò necessaria sunt, ut Paupertatis & Obedientiæ vota in Ecclesia Apamiensi hactenus inviolabiliter observata, & Arrestis etiam Majestatis Vestræ munita consistere sine illis haud possint.

Imò hujusmodi, ut vocant, Regalistæ illis potiùs alimenta vitæ necessaria subducent, qui bonâ fide titulóque Canonico subnixi solemnem in hac Ecclesia Professionem emiserunt, séque insuper juxta perpetuam & antiquiss. mam hujus loci consuetudinem voto stabilitatis obstrinxerunt; nunc verò & domicilio excluſi, ubi votorum suorum observantiam expleant, & alimentis privati, quibus sustententur, contra jus & fas, magnóque cum animarum suarum discrimine, paríque scandalo Religionis vagari cogentur.

Hæc sunt quæ Majestati Vestræ necessariò indicanda credidi, & quorum pondus ac solidam veritatem si ipsa dignata fuerit secum expendere, tantum mihi de Majestatis Vestræ justitia polliceor, ut omnino credam, non solùm approbaturam, quæ in hac causa hactenus à me gesta sunt, verùm etiam tamquam muneri ac ministerio meo fideliter explendo necessaria vehementer commendaturam, Suáque Regiâ auctoritate pondus ac vires additurum. Et quamvis videri possim solus ego hanc causam ab alijs desertam sustinere, placeat Majestati Vestræ persuasissimum habere, quotquot istarum rerum notitiam honestique curam aliquam habent, nec privatis commodis tanguntur, omnes ferè in hoc convenire, ut fateantur justissimam à me causam foveri, & inter illos ipsos, qui Majestatis Vestræ Declarationibus & Edictis detulêre, alij aut jurium suorum ignorantiâ, aut nimio studio gratificandi Majestati Vestræ decepti sunt. Nec desunt, quos pudet pœnitétque admissi. Illi verò, qui licèt timidè anxiéque mihi persuadere conati sunt, ut contra Concilij Lugdunensis Decreta Majestati Vestræ obtemperarem, nullam aliam rationem adducebant permovendo mihi, quàm metum majoris mali, perinde

inde ac ſi Regia Majeſtatis Veſtræ poteſtas veritati ac juſtitiæ opprimendis ſerviret, cùm potiùs ſperare debuiſſent, nunquam permiſſuram eſſe Majeſtatem Veſtram jura Eccleſiæ violari, ſi modò illi auſi eſſent Eccleſiarum cauſam ſuſcipere, tantúmque fiduciæ habuiſſent, quantum Majeſtas Veſtra æquitatis.

Cæterùm eos quod attinet, qui Regaliam toto Regno extendere voluerunt, pronum eſt cogitare, non aliam ob cauſam aggreſſos eſſe hoc jus Regium ultra antiquos legitimóſque terminos proferre, quàm ut Principis favorem compararent, aut augerent, aut etiam in diſtribuendis Beneficijs, quæ ad Majeſtatis Veſtræ Collationem pertinent, majori auctoritate fungerentur.

Quidquid iſtorum ſit, ego interim non omitto lacrymis precibúſque Deum Majeſtati Veſtræ propitium reddere, útque in Sacram ejus Perſonam ac Regna ſuarum gratiarum theſauros abundè profundat, enixè poſtulare, & præſertim ne umquam permittat jura Eccleſiæ ab eo violari, qui ſe primogenitum Eccleſiæ Filium, ac præcipuum Protectorem gloriatur; id enim ſi fieret, non tantùm apud poſteros laboraret Majeſtatis Veſtræ gloria, verùm etiam magna aliqua calamitas ejus Regnis à Deo forſan immineret; id quod ne fiat, ex intimo cordis mei enixéque poſtulo, quippe qui primas fidelitatis & reverentiæ in Majeſtatem Veſtram partes mihi vendico.

Apamijs 20. Januarij 1678.

Humillimus & Obedientiſſimus ac Fideliſſimus Servus & Subjectus

Franciſcus Epiſcopus Apamienſis.

Documentum XXVIII.

Ejusdem Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Apamiensis ad Magnum Galliæ Cancellarium epistola.

1. Februar. Anno 1678.

LÆtatus vehementer sum, cùm ex litteris, quas ad me exarare dignati estis, intellexi, quanto semper in pretio apud vos fuerit Reverendissimus Alectensis Episcopus glorioſæ memoriæ, sed multum huic animi mei gaudio decessit, quando ad querelas perveni, quas illius causæ subjungitis, perinde ac si improbaretis, quæ in causa Regaliæ ab eo peracta sunt. Persuasum equidem habeo, voluisse Vos non tam memoriam cineresque magni illius Servi Dei criminari, quàm quid in simili causa mihi agendum esset, amicè commonere. Id verò necessitate me obstringit causas Vobis rationesque aperiendi, quæ me, ut hanc ipsam causam amplecterer, efficaciter compulêre.

Fateor enim verò, nihil æquè mihi gratum optatúmque eventurum, quàm ut salvâ conscientiâ acquiescere in hac causa possem Regiæ voluntati, id quod etiam litteris ad Majestatem Suam datis, commendatísque Domino de Chateauneuff liberè professus sum: nihil enim præter metum offendendi Dei morari me potest, ut non in omnibus, plenéque Regi obtemperem, præsertim cùm ingenuè fateri oporteat, Eum, à quo tempore Regni Gallici habenas moderatur, tam multis magnísque incrementis Catholicam Religionem extulisse, ut non Episcopos tantùm, sed omnes etiam Sibi Christianos devinxerit, nec quempiam sanguinis etiam vitæque pœnitere debeat, si profundi illam pro gloria

gloria tanti Principis oporteat. Non ideò tamen permiſſum nobis eſt, gratitudinem noſtram in Principem adeò bene meritum ceſſione ejus juris teſtari, quod Eccleſia in Concilio Lugdunenſi collecta omni ratione cuſtodiendum fidei noſtræ commiſit; non ergo poteſtatis noſtræ, ſed alterius Oecumenici Concilij fuerit. Beneficia, quæ Eccleſia à Rege accepit, privilegio remunerari Regaliæ extendendæ in loca hujus oneris hactenus immunia, qualia ſunt noſtræ Provinciæ Diœceſes.

Quod ſi vobis placuerit Regaliæ naturam attentiùs expendere, fatebimini, eam, ſi extra terminos proferatur antiquæ conſuetudinis, & in ſeipſa pernicioſam eſſe, & Eccleſiæ Regúmque legibus interdictam, & denique quamplurimis maximíſque incommodis obnoxiam.

Primò ergo ex ſeipſa & intrinſecè pernicioſa eſt, quia jus ſpirituale Regibus tribuit, cujus ex multorum Doctorum ſententia Laici abſolutè incapaces ſunt: aut ſaltem non aliter, quàm ſpeciali Eccleſiæ privilegio, quod illi ipſi fatentur, qui Regaliæ partes quàm maximè amplectuntur. Quamvis enim Epiſcopatuum aliorúmque Beneficiorum proventus ſint res merè temporales; jus tamen eos percipiendi, ac præſertim Beneficia conferendi dubium non eſt, rem eſſe maximè ſpiritualem, & ideò abſque Simoniaca labe vendi non poſſe. Hinc eſt, quòd prima juris Canonici Regula ita ſonet: *Beneficium Canonicum non poteſt licitè ſine Canonica Inſtitutione obtineri.* Hinc etiam quòd quamplurima Concilia Romaníque Pontifices eos anathemate feriunt, qui à manu laica Beneficia acceperint, præſertim verò quinque Concilia Romana ſub Gregorio VII. habita, quorum unum anno 1080. celebratum ita loquitur: *Quoniam Inveſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta*

Sanctorum Patrum à laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eis plurimas perturbationes in Ecclesijs, imò ruinam sanctæ Religionis oriri, ex quibus Christiana Religio conculcatur, decernimus, ut nullus Clericorum Investituram Episcopatûs, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus laicæ personæ, vel fœminæ suscipiat; quodsi præsumpserit, recognoscat, Investituram Apostolicâ auctoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere. Eodem spiritu, quo Gregorius VII. Episcopi Galliæ agebantur, quando in Concilijs Claremontano sub Urbano II. Trecensi sub Paschali I. & duobus Pictavienſibus aliisque pluribus severè prohibuerunt, ne Beneficia à Regibus acciperentur. Sic etiam Investituræ, quibus abolendis tantopere Ecclesia laboravit, non ob aliam causam à Pontificibus sacrisque Concilijs damnatæ sunt, quàm quòd reipsâ nihil aliud esse viderentur, quàm Institutiones Beneficiorum, quæ, secluso privilegio, ad solos Episcopos pertinent, ad nullum verò Principem temporalem, teste etiam ipso Chopino, quantumvis alioqui magno jurium Ecclesiasticorum adversario. Nec verò possunt Episcopi in suis Diœcesibus hoc privilegium concedere, cùm ex juris Canonici peritorum communi doctrina non liceat Episcopis servitutem aliquam suis Ecclesijs imponere.

Sed nec in genere tantùm extensio Regaliæ sacris Canonibus decretisque Summorum Pontificum prohibita est (tunc vid. cùm Laicis omnibus etiam Principali dignitate fulgentibus interdicant, ne ullam sibi proventuum, multóque minùs Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositionem arrogent) verùm etiam speciali Decreto Lugdunensis Concilij, quod dissimulatâ potiùs, quàm comprobatâ Regaliæ possessione pro ijs Ecclesijs, in quibus ex antiquo

tiquo uſu Sibi illam deberi Galliæ Reges credebant (quantumvis ante Concilij tacitam approbationem non ſine animi ſcrupulo eâ uterentur) ne ad alias Eccleſias extenderetur, ſeveriſſimis Decretis inhibuit. Ipſum quoque Tridentinum Concilium in Tholoſano Provinciali Concilio, & in Conventu Melodunenſi anno 1615. à Galliæ Epiſcopis receptum juratúmque, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ Epiſcopis præcipit, ne bona, jura ac privilegia Eccleſiarum dilabi permittant.

Ipſi Reges Ludovici Regnantis Prædeceſſores ſæpè declarârunt, Regaliam non eſſe jus toto Gallico Regno extenſum. Ludovicus Junior, quo rerum potiente innoteſcere Regalia cœpit, Aquitaniam Regaliæ immunem eſſe declarat. Sanctus Ludovicus, Philippus III. Philippus IV. & Carolus V. Galliæ Reges idem de Septimania fatentur. Ludovicus XII. extendi Regaliam vetat, & qui eam dilatare conantur, Sacrilegij & uſurpatæ poteſtatis notat. Denique Philippus Valeſius, Henricus IV. & Ludovicus XIII. gloriosæ memoriæ declarant, nolle ut Regalia in præjudicium Eccleſiarum, quæ hactenus immunes fuerunt, extendatur.

Et verò etiamſi daremus, hanc ipſam Regaliæ extenſionem ad ea loca, quæ hactenus libera fuerant, intrinſecè & ex ſua natura pernicioſam non eſſe; & quamvis in Concilio Lugdunenſi non eam Eccleſia damnâſſet, tam multa tamen ſunt abſurda & incommoda, quæ ex illa conſequuntur, ut vel ob hæc ſola conniti omnibus viribus debuiſſem, ut à mea Diœceſi procul arceretur. Ut enim nihil dicam de Intruſione & Sacrilegio, quibus ſe obſtringunt, qui titulo Regaliæ Beneficia in Eccleſijs acceptant hujus ſervitutis immunibus, déque Excommunicatione, quam ex Decretis Avenionenſis Concilij anno 1326. ſub Joanne XXII. ipſa etiam

etiam Capitula incurrunt, quæ hujusmodi Beneficiatos admittunt; ut inquam hæc omnia taceam, qui fieri potest, ut consentiamus, nos Collatione spoliari omnium Beneficiorum, quæ postea sine alio titulo, aut Institutione Canonica Rex ipse pro arbitrio distribuat? Henricus IV. abstinuit Collatione Dignitatum. Fatetur Pasquier, Cathedralium Ecclesiarum Canonicatus Regaliæ haud subjacere. Idem de Prioratibus Conventualibus alijsque Regularibus Beneficijs dicendum est. Quamplurimis quoque Arrestis definitum est, Præbendas Theologales Regaliæ legibus haud comprehendi. Parva & pauca sunt hæc omnia, nisi & illud adderent, ut potestatem soli Pontifici propriam Regi quoque attribuerent; quippe Resignationes *in favorem*, quæ Jure Canonico Simoniæ notantur, ac soli Pontifici reservantur, videmus sine alio scrupulo à Rege admitti. Sic etiam pensiones Beneficijs constituere, & Præbendas Regulares sæcularibus conferre *profiteri cupientibus*, Prærogativæ sunt Pontificiæ potestatis, quas tamen translatas in Regem esse videmus. Sed neque hoc sufficit Regaliæ Patronis, nisi insuper plura Regi concederent, quàm Pontifici permittuntur. Rex enim Beneficia etiam alijs confert, quàm in quorum favorem renuntiata sunt, quod Papa non facit. Rursus Beneficia non solùm ipso jure aut facto vacantia, à quo tempore Regalia aperiri cœpit: verùm etiam à Rege conferuntur, quæ de Jure Canonico vacare non censentur, qualia sunt Beneficia *resignata*, *permutata*, *litigiosa*, & quorum possessio nondum personaliter adita est. Denique Episcopis & Capitulis omnis facultas adimitur Provisos examinandi, quamvis fieri possit, ut Censuris alijsque impedimentis Canonicis teneantur.

Hæ

Hæ sunt rationes, multæque aliæ, quas libens adjicerem, nisi jam aliàs hæc mea epistola prolixior evasisset; ob quas credidi non licere mihi in hac Regaliæ causa Regijs Declarationibus acquiescere, neglectâ veritate; nec timendum mihi fuit, ne aut scandali periculum, aut præsumptionis adirem, cùm ex Sanctorum Gregorij, Bernardi, & Augustini sententia, *melius sit, ut scandalum oriatur, quàm ut veritas relinquatur: nec ita arrogantia cavenda est, ut veritas relinquatur.*

Equidem æstimanti mihi studium amorémque præcipuum, quo causas Ecclesiæ, præsertim meæ Diœcesis semper complexi estis, & cujus in gravissimis occasionibus tot præclara argumenta dedistis, spes omnino affulget, haud ingratum Vobis fore, quòd pari libertate fiduciáque jura Ecclesiæ meæ exponam: nec dubito, ijs coram Deo examinandis Vos curam aliquam impensuros, méque, uti hactenus, commendatum habituros. Persuasum enim habeo, fastigium illud Dignitatis, ad quam Vos Deus suis donis dispositi provexitque, nihil Vobis de cura ac æstimatione cœlestium bonorum subtraxisse, quæ sola vera & perpetua sunt; quin potiùs auctoritatem illam, quâ ante alios conspicui estis, occasionem ac subsidium fore, Regno Jesu Christi, ejúsque Sponsæ dilatando, &c.

Apamijs 1. Februar. 1678.

Humillimus & Obedientissimus
Servus

Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XXIX.

Prima epistola Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis ad INNOCENTIUM XI. Pontif. Max.

Apamiæ 4. Maij 1678.

Beatissimo in Christo patri & Domino Domino INNOCENTIO XI. Pontifici Maximo.

BEATISSIME PATER,

IN legendis Ecclesiasticis historijs sæpe sæpius animadverteram, sanctissimam Sedem Episcopos ad se confugientes, maxima cum benignitate semper suscepisse, summósque Pontifices paternis visceribus eos esse complexos, qui pro tuendis Ecclesiæ juribus laborarent. Verùm id clarius intellexi, & jucundiùs expertus sum, quando me Sua Sanctitas litteris Apostolicis consolari, imò & hortari dignata est ad propugnandam Diœcesis Apamiensis libertatem, contra servitutem, quam nostri Regaliam vocant, de qua semel & iterum ad Vestram Sanctitatem scribere non dubitavi. Equidem, Beatissime Pater, ita mihi videbar affectus, ut non solùm bonis, sed & vitâ spoliari mallem, quàm Ecclesiam mihi licèt indignissimo commissam, nativâ carere libertate: sed incredibile est, quantos addiderit animos Sanctitatis Vestræ consilium, vel potiùs præceptum, aut etiam Oraculum à DEO per Suum in terris Vicarium ad me delatum, ut modò cœlesti fretus auxilio nihil hac in parte, nisi mea peccata meámque insipientiam pertimescam.

Regaliæ negotium Beatissime Pater, ad aures Suæ Sanctitatis, utpote maximis Ecclesiæ universæ negotijs intentæ,

tæ, deferre vix umquam auſus fuiſſem, niſi & hoc ipſi Eccleſiæ univerſæ maximi referre perſpexiſſem. Cùm enim Rex Chriſtianiſſimus jure, ut ait, coronæ, ſeu ſupremi Dominij, non ſolùm fructus ſeu reditus hujus Diœceſis, cui regendæ à triginta tribus annis præfectus ſum, ſed etiam beneficia Eccleſiaſtica pleno jure, & abſque Canonica inſtitutione conferre intendat, quamvis in ea Regalia nunquam locum habuerit, imò nullibi, niſi ſede vacante, habere poſſit; valdè metuendum eſt, ne reliqui Principes, imò & Reſpublicæ idem ſibi vendicent.

Quod quidem Regaliæ jus, Beatiſſime Pater, quanta ſequantur incommoda, jam ſum expertus. Jacturam quidem bonorum temporalium etiam cum gaudio ſuſtinui; quippe quibus tamquam oneribus premebar, veritus ne non ſatis accuratam Deo rationem reddere de illorum diſpenſatione poſſem. Doleo autem plurimùm, quòd his deficientibus, & immiſericorditer ablatis, nequeam, ut hactenus, pauperes penè fame confectos, & infantes expoſitos ſeu abjectos alere, aut templa reſtaurare; quódque maximè neceſſarium eſt, Clericos litteris & virtutibus inſtruere; aliáque hujuſmodi pietatis opera omninò neceſſaria præſtare. Verùm adhuc majorem doloris cauſam præbet tumultuaria Clericorum tum ſæcularium, tum ex diverſis ordinibus ſeu Congregationibus Regularium turba, qui Eccleſiæ Cathedralis Apamienſis Beneficia invadunt.

Pluribus, Beatiſſime Pater, ſuperſedeo, cætera námque, ſi dignetur annuere Sanctitas Veſtra, referet Archipresbyter Aquenſis, vir mihi fideliſſimus: ſed, quod magis placet, divini honoris, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus, quod in gerendo prudentiſſimè Archipresbyteri officio, regendáque plebe ſibi creditâ, præclarè teſtatus eſt. Ob-

secro Beatissime Pater, ut eum Vestra Sanctitas benignè audiat, salvum tutúmque curet, & me pariter consilio, auxilio, precibúsque juvare dignetur. Interim Deum optim. Max. assiduis obsecrationibus enixè rogabo, ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ diu servet incolumem.

Apamijs die 4. Maij 1678.

BEATISSIME PATER,
Sanctitatis Vestræ

Humillimus & Obsequentissimus
Filius & Famulus
Franciscus Episcopus Apamiensis

Documentum XXX.

Secunda epistola ejusdem Reverendissimi Episcopi ad INNOCENTIUM XI. Pontif. Max.

Beatissimo in Christo Patri & Domino Domino INNOCENTIO Pontifici Maximo.

BEATISSIME PATER,

IN paternum sanctitatis vestræ sinum cor meum effusissimus circa libertatem Ecclesiæ, quam vobis vehementissimè cordi esse scio, Regaliæ scilicet negotium Apostolico zelo commendaturus, ad humillima beatorum pedum oscula, maxima cum fiducia, iterum accedo. Res est majoris momenti, quàm ut verbis meis queat declarari. Agitur enim B. P. de concedenda Regi Christianissimo facultate, quâ nondum in majori Regni sui parte usus fuerat, vacantium scilicet Ecclesiarum Cathedralium reditus percipiendi, omniáque Beneficia, quæ interim vacare contigerit

gerit (saltem si eorum collatio ad Episcopum pertinebat) pleno jure conferendi, donec novus Episcopus fidelitatis juramentum præstiterit, præstiti juramenti publicum instrumentum in regesta Curiæ computorum fuerit relatum, decretum, seu ut nostri vocant, Arrestum, quo restituenda mandentur bona Episcopalia, solutâ prius certâ pecuniæ quantitate, fuerit obtentum, & Episcopus personalem, non autem per procuratorem tantùm, possessionem fuerit adeptus.

Maximum B. P. Ecclesiæ vulnus infertur, cùm laici Ecclesiæ reditus temporales dispensant, quod modis omnibus impedire semper conata est universa Ecclesia. Hac de causa summi Pontifices graviſſimos labores, imò & pericula sæpissimè susceperunt; verùm multo graviùs læduntur Ecclesiæ jura, dum Beneficia Ecclesiastica sine Canonicâ institutione inconsulto summo Pontifice, spretis Episcopis, demum absque auctoritate Ecclesiasticâ pleno jure conferuntur. In hunc abusum acriùs insurrexerunt, & fortiùs pugnaverunt tum summi Pontifices, tum Concilia, tum seorsim Episcopi non pauci. Testis est celebris illa de Investituris controversia, circa quam per annos circiter quinquaginta decertatum est, quamvis jus Regaliæ plura & majora mala, & incommoda afferre certum sit, & evidens. Nam investiturarum solemnitatibus potestatem spiritualem nullatenùs conferre præsumebant Principes, ut asserit Yvo Carnotensis: cui tamen ceremoniæ viriliter restiterunt summi Pontifices, vel eo solo nomine, quòd traditio baculi pastoralis & annuli, auctoritatis imaginem præ se ferret. Jure autem Regaliæ non imaginem, sed titulum Beneficiorum pleno jure tradit Rex Christianissimus, adeò ut in ipsis Ecclesijs Cathedralibus Archidiaconatus,

natus, Archipresbyteratus, & Præbendas Theologales, aliásque dignitates aut personatus conferat Clericis ut plurimùm ambitiosis & aliàs indignis, quorum tamen fidem, mores, ætatem, aliásque tum animi, tum corporis dotes nec Capitulo, nec novo Episcopo, cujus futuri sunt senatores & quasi membra, explorare minimè licet.

Exceptæ quidem B. P. huc usque fuerant ab hoc jure seu veriùs ab hac servitute Ecclesiæ Parochiales propter curam animarum, & jurisdictionem spiritualem in foro conscientiæ. Sed minantur Regis Officiales scriptis etiam typis excusis, Regem horum etiam Beneficiorum saltem præsentationem sibi posse vendicare. Idque jam contigit, collato scilicet Jure Regaliæ Beneficio Sacristia nuncupato, cui erat annexa totius parochiæ animarum cura in Ecclesia collegiata Sancti Felicis Diœcesis Tholosanæ, ita ut qui hujusmodi collationem obtinuerat à Rege absq; ullâ institutione Canonicâ, possessionem sit ingressus. Cui quidem malo ut aliquod licet fortè pernicioſum, tamen necessarium adhiberetur remedium, Clericus qui Canonico titulo curam hujusmodi obtinuerat, coactus est eam dimittere in manibus Collatoris, Clerico, qui jam à Rege impetraverat, concedendam.

Olim etiam, Beatissime Pater, (ut ex antiquis Curiæ Parisiensis placitis, seu arrestis constat) Theologi Beneficium Regaliæ non erat obnoxium, ob annexum scilicet concionandi munus, quod missionem Ecclesiasticam requirit, juxta illud oraculum D. Pauli: *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur:* & concilij Tridentini declarationem. Sed novis quotidiè accessionibus authoritas illa Regia excrescens, in nova semper sese extendit. Sic enim nuper vidimus jure Regaliæ constitutum Theologum in capitulo sancti Pauli Diœcesis Alectensis. Qua

Qua in Beneficiorum provisione, Beatissime Pater, Rex majorem sibi potestatem arrogat, quàm exerceant summi Pontifices. Non modò enim eum resignationes *in favorem* admittere posse tradunt aulici Doctores, seu verius assentatores, quod hæreditariam successionem sapit, à qua Ecclesia maximè abhorret, quódque soli summo Pontifici propter potestatis plenitudinem competit; non solùm etiam pensiones constituit Rex Christianissimus contra jus Canonicum, quod Beneficia sine diminutione conferri præcipit, verùm etiam Beneficia permutata compermutantibus conferre non teneri se arbitratur. Juri quæsito derogat: nam quomodocumque vacet Beneficium, sive de jure, sive de facto; imò licet quis obtento Canonico titulo possessionem per procuratorem sit ingressus, nisi personalis & corporalis fuerit possessio, vacuum reputatur Beneficium, ut ab alio Regiâ provisione munito possit occupari. Nulla regulæ de triennali possessore habetur ratio. Nam etiam post viginti novem annos, à possessione sub Canonico titulo nedum colorato obtenta, potest Clericus jure Regaliæ deturbari. Si quis in aliquod crimen, propter quod beneficio privandus sit, inciderit, vel censuram aut irregularitatem contraxerit, beneficio spoliari potest à Regalista, etiam ante sententiam declaratoriam; quâ viâ causæ criminales Clericorum ad tribunal sæculare trahuntur, cui soli omnium causarum beneficialium interveniente Regaliæ jure non tantùm in possessorio, sed etiam in petitorio cognitio est attributa; ísque servatur ordo, ut possessio semper Regalistæ adjudicetur lite pendente. Unde si Rex alicujus quantumvis innoxij, censuris soluti, canonico titulo muniti, ac etiam omnino capacis & digni, officium alteri, licet non Clerico, Criminoso, infra debitam ætatem, demum omnino

nino inhabili (si quidem Rex nullius qualitatis mentionem facere tenetur) conferat, iste tamen ex lege Regaliæ, pendente lite, cujus sententia definitiva varijs artibus Regalistæ per longos annos protrahi poterit, possidebit. Nec enim potest Episcopus, aut Capitulum recusare Regalistam, etiamsi injustitia & defectus tituli appareat.

Prætereà Beatissime Pater, nec Summus Pontifex, nec Episcopus, aut alius quisquam collator durante Regalia, potest resignationes, permutationes, aut alias juris cessiones admittere, nec per obitum, aut alio quovis modo providere, neque jure prælationis, neque concursus, neque præventionis. Accedit quòd Rex Christianissimus jure Regaliæ pensiones authoritate Apostolicâ jam constitutas, beneficij collatione extinguit. Demum juxta Regalistas Doctores, Apostolicæ constitutiones, Ecclesiarúmque statuta non refragantur, quominus Rex jure Regaliæ pro libitu voluntatis utatur. Innumera tandem sunt incommoda, seu potiùs monstra, quæ sequuntur ex Regaliæ jure, saltem si Doctorum nostrorum sententiam sicut jam in multis, ita in omnibus Rex Christianissimus sequatur: quod sine universi ordinis Ecclesiastici eversione, nec non animarum periculo fieri nequit.

Quod ad Ecclesiam Apamiensem attinet, quam ut vacantem Rex habet, licet à me indignissimo triginta quatuor ab hinc annis occupatam; conferuntur Dignitates & Canonicatus Sæcularibus & Regularibus diversorum Ordinum & Congregationum, ab antiqua Regula longissimè deviantibus, imò & eam ignorantibus: & à possessione deturbantur, qui bonâ fide vota consueta, atque prætereà stabilitatis emiserant; non modò illi, quorum Beneficia & Dignitates ex declaratione Regia Regaliæ obnoxia supponeban-

ponebantur, verùm etiam quæ ab hac servitute juxta Declarationis tenorem erant omnino libera; eo, sicut affirmant, consilio, ut sæcularisationem Capituli à primæva fundatione Regularis, quam meditantur, facilùs impetrent; quam tamen non timeo, cum Sua Sanctitas reformationem potiùs, quàm relaxationem omnium Ordinum, juxta Sanctorum mentem, ac Conciliorum, & novissimè Tridentini decreta moliatur, & indefessâ solicitudine prosequatur. Faciliùs beneficijs privantur, quotquot Ecclesiasticæ Libertatis & Disciplinæ sunt studiosi, etiamsi ab ipsis Declarationibus Regis validissimam habeant defensionem; quia nisi primùm Regaliam juridicè agnoscant, penitùs non audiuntur: ac præterea à reditibus suis privantur, occasione redituum Archidiaconatûs à Rege collati, quos Regium placitum sive Arrestum Presbytero sæculari adjudicavit, pro eo etiam tempore, quo nondum possessionem, imò nec titulum à Rege consecutus fuerat; etiamsi reditus hujusmodi fuissent in pia opera conversi, aut fortè aliquid licèt modicum juxta Capitulorum omnium, præcipuè Apamiensis, consuetudinem, à tempore cujus non extat memoria in contrarium, præsentibus & actualiter inservientibus distributum.

Verùm, Beatissime Pater, hæc mala in immensum excrescent, si Rex nominationem novorum Episcoporum, quæ ad ipsum ex Concordatis inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Francorum Regem initis pertinet, differre voluerit etiam ultra tempus sibi ad hoc præstitutum, quod versutis Aulicis non esset difficile; sicuti suis temporibus factum fuisse testantur & conqueruntur D. Thomas Cantuariensis, ut in ejus vita refertur, & Sanctus Bernardus in suis Epistolis. Interim enim Rex omnia beneficia conferet,

& reditibus temporalibus, si libuerit, potietur. Quamvis enim ab aliquo tempore reditus illos novis relinquat Episcopis, testatur tamen ipsa donationis forma, gratuitam liberalitatem, non verò justitiam se exercere, vel sacris Canonibus morem gerere. Præterquam quòd illa pecuniæ summa, quæ à novo Episcopo Regiorum Cameræ Computorum persolvenda est, ut liberè temporalium bonorum possessionem capiat, ad libitum augeri poterit, quod sanè maximam habet simoniæ speciem.

Numquam, Beatissime Pater, Ecclesia juris aliquid in res Ecclesiasticas Principibus Sæcularibus concessit, quin ipsi arreptâ inde occasione multò majora usurpaverint; quod ne adductis aliunde probetur exemplis, Ecclesia Gallicana sæpius experta est. Concilium Aurelianense V. *can.* 10. Regis assensum ad electorum Episcoporum consecrationem requirendum duxit, quod aliquam boni speciem præferebat, ut scilicet consentiente utráque potestate Regnum majori cum tranquillitate gubernaretur, & Principes faciliùs brachium, cùm opus esset, commodarent Episcopis, quorum electionem gratam habuissent, illorúmque consilia, sicut suaserat B. Rhemigius, libentiùs audirent. Verùm hinc Reges ad eligendos è Curia Clericos, qui ad Episcopatum promoverentur, sibi viam paraverunt, illúdque jus Clotarius II. *anno* 615. ad se pertinere publico declaravit edicto, vel certè suppositit. Caroli Magni non solùm de Gallicana, sed etiam de Romana & universali Ecclesia bene meriti patrocinio & defensioni sese commiserunt Episcopi, ejúsque auxilio non parùm sunt adjutæ quam plures Diœceses, imò & opibus auctæ. Qua in re filius ejus Ludovicus cognomine Pius patrem est imitatus; sed nepos Carolus scilicet Calvus, quas defendere tueríque tenebatur, spoliare incepit,

cepit, vixque potuit ad meliorem frugem revocari. Philippus item hoc nomine primus in tertia dynastia Ecclesias sub prætextu investiturarum vendebat, aliásq; devastabat, licet Sancto Gregorio VII. summo Pontifici (ut ipsius litteræ fidem faciunt) acriter hujusmodi sacrilegia reprehendenti debitam polliceretur emendationem. Multùm prætereà obstitit Episcoporum sine ipsius assensu, licet alias canonicè electorum, consecrationi, ut de Gallone refert Ivo Carnotensis.

Ludovicus VII. cognomine Junior, non solùm Petrum à Papa Innocentio II in Archiepiscopum Bituricensem consecratum recipere recusavit, sed ipsam Ecclesiam Bituricensem, & Catalaunensem, & Rhemensem, & Parisiensem *plurimùm* afflixit, ut conqueritur Sanctus Bernardus in suis Epistolis.

Si Reges, Beatissime Pater, ad apertè illicita sese extendunt, obsistentibus Summis Pontificibus: quid ipsis dissimulantibus? præsertim si introductam semel possint opponere consuetudinem. Certè cùm Concilium Lugdunense Decreto, de non usurpanda Regalia, postulantibus Francorum Regis oratoribus clausulam ad futura tempora restrictivam adjecisset, Bonifacius VIII. nullâ diligentiâ, nullo labore obtinere potuit, ut Philippus IV. à convertendis in proprios usus Ecclesiarum vacantium reditibus, & conferendis pleno jure Beneficijs in aliquibus Ecclesijs, in quibus superiores Reges eâ consueverant uti authoritate, abstineret.

Et sanè, Beatissime Pater, Reges nostri primò reditus futuro conservabant Episcopo, deinde feudorum Regalium proventus in sua commoda impendebant. Postmodum idem de decimis, quæ jure Divino ad Ecclesiam pertinent, jus sibi statuerunt. Demum beneficia ipsa pleno jure distribuerunt: & hæc quidem principio in quibusdam tantùm

tùm Ecclesijs, modò, si Ecclesia sileat, in omnibus. Olim simplices Præbendæ conferebantur, modò etiam Dignitates, quibus annexa est jurisdictio spiritualis, aut onus concionandi, imò licet adjuncta sit animarum cura. Tandem etiam ipsæ parochiales Ecclesiæ (si prælati dissimulent) in hanc servitutem redigentur, non sine evidenti animarum jactura.

Scio equidem, Beatissime Pater, periculosum esse Regibus præsertim potentibus contradicere, idque jam aliquatenus expertus sum. Verùm non facio animam meam pretiosiorem, quàm me. Utinam ob peccata mea indignus non essem, qui non solùm cum Beato Anselmo bonis spoliarer (quod misericordiâ Divinâ mihi jam contigit) sed & cum B. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo etiam mortem pro juribus Ecclesiæ subirem.

Cæterùm, Beatissime Pater, verendum non est, ne quid hâc occasione, fidei, Religioni, aut Ecclesiasticæ unitati accidat in regno, cui præest Princeps, Christianissimi Regis, Ecclesiæ Primogeniti & Protectoris nomina ab Atavis, pluribus abhinc sæculis accepta maximo tribuens honori; Princeps Religionis & justitiæ amans, sed ab aulicis assentatoribus præventus; in regno, inquam, cujus florentissimus est Clerus, licet fortè in hoc negotio Regiæ voluntati nimis obsequens: in quo demum populus est non solùm sincerâ fide, sed etiam magna ex parte Christianis moribus conspicuus agnoscitur.

Mihi certè sufficit causæ justitia diu discussa, & evidenter patefacta; quódque plurimas vires addit, Sanctæ Sedis (cui semper & vivens & moriens adhærere cupio) judicio comprobata, ut ex litteris Apostolicis ad Regem Christianissimum didici, quarum exemplar Gallico ser-

mone

mone conscriptum Parisijs huc usque transmissum est; sufficit inquam, Beatissime Pater, ut omnia impendam, & ipse superimpendar, si Deus Optimus Maximus, sicut desiderium suggessit, ita vires subministret, idque Vestra Sanctitas suis precibus impetret.

Dabit, Beatissime Pater, veniam Sanctitas Vestra, si res tanti momenti, cuique aliunde remedium, quàm à Sanctissima Sede non possit adhiberi, breviori Epistolâ non potuit exponi. Scio Sanctitatem Vestram plurimis iisque gravissimis negotijs distineri; sed cùm Rex Christianissimus invictissimas rationes & humillimas preces (ut causæ meritum postulabat) non audierit, ad solitum afflictorum Episcoporum præsidium recurrendum fuit; nec vanam fore spem, licet secus vociferentur adversarij, ut & meum & aliorum Episcoporum frangant animum, confidit.

Datum in Ædibus B. Mariæ de Sabart. Die 8. mensis Novemb. anno verò 1678.

BEATISSIME PATER,
Sanctitatis Vestræ

Humillimus & obedientissimus in Christo
Filius & famulus
Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XXXI.

Primum Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTIJ Papæ XI. ad Illustrissimum & Reverendissimum Episcopum Apamiensem.

Venerabili Francisco Episcopo Apamiensi

INNOCENTIUS Papa XI.

VEnerabilis Frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Molestiarum & incommodorum, quæ pro

tuendis juribus Ecclesiæ tibi commissæ sustinere te scribis, Nos quoque maximam in partem venimus, ad quos in primis pertinent damna & offensæ, quæ Christis Dei inferuntur. Gratulandum tamen potiùs, quàm dolendum est, fraternitati tuæ, de hujusmodi adversis, ex quibus copiosa tibi seges enascitur exercendæ virtutis & constantiæ Pastoralis; cui quidem magno incitamento & pari solatio esse non dubitamus Dei promissum, tribulationem pro ipsius causa patientibus cælestem opem, ac tandem mercedem magnam nimis non defuturam. Quod ad Nos attinet, Regem Christianissimum per litteras diligentissimè scriptas rogavimus, ut non solùm Apamiensis Ecclesiæ indemnitati consultum velit, sed etiam omnium aliarum Ecclesiarum, quæ cùm juri, quod vocant Regaliæ, obnoxiæ nunquam fuerint, recentibus tamen Regij senatûs decretis contra omnes humani divinique juris regulas, ac veterem inconcussámque observantiam, hujusmodi onus subire coactæ sunt. Id ipsum omni contentione ac studio urgere non desistemus, sicubi Officij Nostri ratio, & imposita Nobis omnium Ecclesiarum solicitudo postulat, confisi in divinæ misericordiæ thesauris, aliquando fore, ut idem Christianissimus Rex pro eximia atque avita pietate sua, rei veritate melius cognitâ, alia consilia, aliam mentem induat. Fraternitati interim tuæ Deum totius consolationis propitium usque precamur, ac peculiaris Nostræ erga te charitatis indicem Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Januarij 1679. Pontificatûs Nostri anno tertio.

Marius Spinula.

Docu-

Documentum XXXII.

Breve Sanctissimi D. N. Innocentij PP. XI. ad Illustrissimum & Reverendissimum Archiepiscopum Tholosanum.

Venerabili Fratri Josepho Archiepiscopo Tholosano Innocentius Papa XI.

VEnerabilis Frater. Delatæ nuper sunt ad nos querelæ Monialium Ordinis sanctæ Claræ Urbanistarum in Tholosana civitate, graviter dolentiũ, & dolorem suum in paternum sinum Nostrum multis cum lacrymis deponentium, ut accisis ac penè perditis rebus suis præsentem opem pro Apostolici muneris Nostri debito afferamus: per hos enim dies ad illud Monasterium venisse Monialem quamdam magno comitatu, militum etiam cohorte stipatam, ut Abbatissatûs perpetui possessionem invaderet, prætextu Regiæ nominationis, nulli juri, aut consuetudini, nulli Apostolico indulto subnixæ: se quidem ad inusitatæ rei spectaculum primò attonitas, mox collectis animis, & imploratâ cœlesti ope, quacumque ratione licuit, restitisse, ne immunitati Ecclesiæ, & instituto Ordinis sui Apostolicâ authoritate firmato, tam inaudita, ac tam pernicioſi exempli injuria inferretur; sed superante vi militum cedere tandem coactas, effractisque foribus, & pariete ipso, liberum multis sæcularibus aditum patuisse, cum quibus ingressos quoque milites violenter ibi & sacrilegè multa patrâsse, magna cum totius civitatis indignatione & scandalo, Fraternitate autem tuâ, quæ par omnino erat, ut venientibus Lupis Pastorale pectus opponeret, non solùm non repugnante, sed ultro eos quodammodo invitante, & Monasterium edito

decreto

decreto per vim recludi jubente. Inhorruit ad tam indignæ rei nuntium animus Noster, adeóque monstri similis visa est, ut quamvis aliunde quóque eadem afferrentur, vix tamen persuadere Nobis potuissemus, Archiepiscopum Tholosanum, inspectantibus Religiosissimis fortissimísque Galliæ Episcopis, & Galliâ universâ, eò progressum fuisse, ut dignitatis ac muneris sui oblitus, nullo horribilium censurarum, & cœlestis iræ metu, nullâ famæ reverentiâ, tanto facinori, pro quo impediendo animam ipsam, boni Pastoris exemplo, ponere debuisset, non solùm non resisteret, sed etiam suffragaretur; nisi memoriâ teneremus, quid duobus abhinc annis in negotio Regaliæ, ut nuncupant, ubi de Apamiensi Ecclesia Tholosanæ suffraganea agebatur, decernere ausus fueris contra manifestam causæ justitiam, contra omnes humani diviníque juris regulas, contra ipsius Ecclesiæ totiúsque Provinciæ tuæ jura & libertatem, & contra morem prædecessorum tuorum aliorúmque Galliæ Præsulum, qui in similibus casibus Regiæ voluntati atque indignationi, ne muneri suo deessent, obviàm fortiter eundo, & Dei causam strenuè orando, læta & salutaria Ecclesiis suis responsa ab ingenita Christianissimorum Regum justitia & pietate retulêre. Officij itáque Nostri esse duximus, gravem ac planè acerbum ea de re animi Nostri sensum tibi aperire, téque in Domino monere, ut diligenter consideres, quo in periculo sis experiundæ divinæ ultionis, quam facilè provocabunt gemitus tot lectissimarum Virginum, quarum vitæ innocentia & candor, átque assiduus divinarum laudum concentus deliciæ quodammodo sunt cœlestis Sponsi, cui sacrosancto & insolubili vinculo conjunctæ fuêre; nisi quàm primum, emendatis, quæ admissa sunt, misericordiarum Patris clementiam demereri studueris. Alioquin

quin Nos, pro Vicaria Christi Domini in universam Ecclesiam potestate, quâ fungimur quamquam indigni immerentésque, & pro solicitudine, quam debemus unicuique Christi fidelium ad paternum patrocinium Nostrum confugienti, cogemur de opportunis remedijs seriò cogitare.

Datum Romæ die 18. Januarij 1679.

Documentum XXXIII.

Tertia epistola Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis ad Regem Christianissimum.

Apamiæ 6. Junij 1679.

QUandoquidem DEUS operâ Majestatis Vestræ pacificandæ toti Europæ usus est, spem concepi, fore ut eodem quoque tempore humillimis meis precibus placata Majestas Vestra pacem alijs concessam, Episcopo ejúsque afflictissimæ Ecclesiæ haud esset negatura. Quintusdecimus jam mensis agitur, cùm omnes Episcopatûs mei proventus, qui vid. Patrimonium Christi sunt, & ex meris Decimis conflantur, subtrahuntur mihi, & tamen toto hoc tempore nihil eorum omisi, quæ ad omnes officij mei partes explendas necessaria videbantur. Enimverò nullius culpæ mihi conscius sum, ob quam meritus hanc pœnam videri possim, nisi quòd juramentum fidelitatis jam ante quatuor & triginta annos Majestati Vestræ præstitum inscribi non fecerim: & planè testari possum, non hoc ex minori aut observantia, aut veneratione erga Majestatem Vestram proveniſſe, sed ex solo offendendi Numinis metu, si juramentum illud violâssem, quo conservandis juribus ac privilegijs Ecclesiæ meæ, cùm Episcopali Dignitate in-

signirer, tam solemniter, sanctéque me obstrinxi: juramentum inquam illud, quo pro juribus ac libertate Ecclesiæ Sponsæ Jesu Christi tuendis, facultates ac vitam, imitatione tot aliorum Sanctorum, qui idem jucundissimo animo præstiterunt, profundere compellerer. Numquid enim Majestati Vestræ æquum videtur, ut cùm pro sustinendis rationibus Principum hujus Mundi tot hominum millia intrepidè morti occurrant, nullus tamen sit, qui pari ardore ac firmitate Ecclesiæ causas amplexetur? & quàm infelix Principum conditio fuerit, si, cùm homines sint, ideóque & errare ipsi, & seduci ab alijs possint, cogamur tamen eorum voluntati ac imperijs obtemperare, etiam cùm aliqua jubent Divinis legibus adversa? Quin potiùs crediderim ego, nullum majus aut amoris, aut fidelitatis argumentum in Principem suum fore, quàm si malè aliquid agenti jubentíve (quod sæpè ignari, prætérque intentionem faciunt) cooperari nolis, ac criminis societatem recuses. Et abundant planè cum sacræ, tum profanæ historiæ Episcoporum Procerúmque Regiorum exemplis, qui cùm Dominis iniqua imperantibus generosè obstitissent, gratiâ apud Principem magis magísque floruerunt. Hæc Majestati Vestræ tam sunt nota, ut ijs immorari non sit necesse. Adulantur planè Majestati Vestræ, qui persuadere Ei conantur, Regaliam jus esse Ejus coronæ ac Regiæ potestati annexum, cùm tamen, si brevitas epistolæ debita non prohiberet, facile demonstratu esset, nihil aliud esse Regaliam, quàm Privilegium, contra primævam Ecclesiarum libertatem Principibus concessum; idque tam certum & apud omnes in confesso est, ut intrepidè asseverare possim, numquam nisi ultimis hisce diebus de hac veritate dubitatum esse. Sed nec jus Regaliæ percipiendæ Majestati Vestræ

stræ hactenus adscriptum fuit, nisi Ipsa aut Possessionem memoriam hominum excedentem, aut Privilegia ostendisset Lugdunensi Concilio antiquiora. Hoc enim à quatuor jam seculis in Gallijs receptum sub pœna excommunicationis districtè prohibuit, ne Regalia ad Ecclesias hâc servitute hactenus liberas (inter quas est Apamiensis) extenderetur.

Hæ sunt ergo rationes, quibus justitia illius causæ nititur, quam ego defendendam suscepi; & possum Majestati Vestræ affirmare, tam esse illam omnibus æqui bonique amantibus perspectam probatámque, ut nullum mirandi finem faciam, fuisse qui Majestatem Vestram hæc omnia hactenus celaverint; imò post Summi etiam Pontificis super hoc argumento Majestati Vestræ significatas intentiones pergant nihilominus tanti momenti veritates, ac Principi tam æquo rerúmque intelligenti, alienis falsísque coloribus fucare, multóque aliter, quàm se habent, proponere.

Me administratione omnium proventuum spoliârunt, idque tam inclementer, ut ne quidem vitæ necessaria reliquerint, quæque etiam flagitiosissimis permittuntur, cùm tamen jus necessaria à subditis percipiendi ex Lege Divina proveniat; neque id sit meræ gratuitæque fidelium liberalitatis, sed potiùs actus necessariæ justitiæ, ac obligationis à Christo subditis impositæ, ut vid. temporalia præstent, à quibus Verbi Divini ac Sacramentorum spiritualia alimenta perceperunt, & ideò Beatus Paulus hoc ipsum jus necessaria alimenta à Fidelibus petendi Apostolis competere fatetur; nec dubium est, ab Apostolis ad Episcopos legitimos eorum Successores transisse. Nulla ergo potestas humana oraculo Christi Domini derogare potest, asserentis: *Dignum esse Mercenarium mercede suâ*; & Apostoli:

Neminem suis stipendijs militare, & eum qui oves pascit, ab ovibus vicissim pascendum esse, pronuntiantis. Quòd ergo Episcopi necessaria vitæ à subditis suis, hoc est, proventus Episcopales recipiant, juris est naturalis Divinique. Nunc verò parùm fuit Majestatis Vestræ Ministris, ut me Septuagenarium Episcopum, ac morbis conflictantem, omnibus Episcopatûs mei proventibus spoliarent, nisi etiam omnia quoque subsidia, quæ à Capitulo meo Cathedrali expectare debebam, æquè subducerent: nam ex duodecim Canonicis, qui Collegium hujus meæ Ecclesiæ componunt, novem planè abdicârunt, nullâ nec servitiorum, quibus alij quindecim, alij viginti annos de sua Ecclesia bene meriti sunt, habitâ ratione; nec votorum Religiosæque Professionis, quæ illos ob promissam stabilitatem uni Ecclesiæ adstringit, nec vagari permittit. Taceo excessus ultimæ crudelitatis in eosdem Canonicos exercitæ, quæ uti omnes justitiæ & humanitatis leges perverterunt, ita fidem superarent, nisi documenta præstò essent adeò certa & indubitata, ut credere etiam inviti compellamur. Quodsi quæras, quodnam tandem sit illud crimen, quod plecti meruit tam indignis támque inhumanis modis? Illud unum affertur, quòd vid. Deum offendere verebantur, si Ecclesiæ non obtemperâssent, ac censuras contempsissent, quas ego ex præscripto Sacrorum Canonum ijs comminari sum coactus, qui Regaliam meæ Ecclesiæ imponere conabantur, cùm tamen compertissimum sit, eam semper intra terminos Juris communis liberámque stetisse. Sed quod omnem admirationem superat, illud est, Canonicis, quos Regij Ministri expulerant, alios suffectos esse ex omni ferè Gallia, ac sine delectu conductos, aut vid. alterius Instituti ac Religionis socios, aut omnino laicos, aut ætate ac moribus

juvenes,

juvenes, quíque, ut ipsimet fatentur, nullâ re minùs, quàm Ecclesiasticæ vitæ desiderio tanguntur: & denique, quod planè omni exemplo caret, pueris è Collegio recèns eductis, nec sacris Ordinibus, ob immaturam ætatem, adhuc aptis Canonicatus & Dignitates conferuntur, nullâ aut ineundi Tyrocinij, aut emittendæ Professionis impositâ necessitate, quod planè nihil aliud est, quàm Ecclesiam ab origine ac fundatione sua Regularem sine auctoritate Pontificis Ecclesiæ Capitis ad conditionem sæcularem reducere. Sed & illud ad malorum cumulum addidêre, ut vid. major pars proventuum ad Capitulum Cathedrale spectantium in expensas planè inutiles consumerent, nullâ ornandæ Ecclesiæ, nullâ sublevandorum pauperum curâ; imò ut omni obligatione pauperes adjuvandi deinceps absolverentur, Sententiam seu Arrestum à Majestatis Vestræ Consilio impetrârunt, quo Constitutio mea abolebatur; ea verò modicam aliquam eleemosynam indixerat ad solatium trium Parochiarum pauperum, unde mille & octingentarum librarum proventus legebantur. Quis umquam persuadere sibi potuisset, sub Principe, & Catholicæ Religioni ac justitiæ tam addicto, utrámque tamen tam apertè, nullóque pudore, & tanto tempore violatám esse? Non omisi quidem preces lacrymásque miscere, ut remedium tot malis à Deo impetrarem; sed ne videar aut metu, aut negligentiâ meis precibus defuisse, illud adjungo, ut throno etiam Majestatis Vestræ supplex advolvar, Eámque, quâ maximâ licet, veneratione ac demissione compellem, dignetur Ecclesiam Apamiensem æquè ac alias hujus Provinciæ Diœceses in hanc usque diem hactenus liberam, nativæ ac Canonicæ immunitati relinquere; nec patiatur Capitulum meum Cathedrale, quod hactenus cum tanta ædificatione ac

fructu vitam regularem duxit, ad sæcularem statum dilabi. Jubeat denique, juxta Apostolicas ac Canonicas Regulas, liberam mihi plenámque proventuum Episcopalium administrationem restitui: nam si Regum Galliæ præcipua gloria ac decus fuit, ut in eorum sinu, quoties Episcopi affligerentur, tutam stationem ac asylum suis persecutionibus & ærumnis invenirent; cur sperare non liceat, Majestatem Vestram non permissurâm, ut ego, quem semper testimonio etiam hujus Provinciæ fidelissimum habuit, tot deinceps calamitatibus premar? Cæterùm utcunq; res meæ cadant, numquam ego cessabo pro Majestatis Vestræ Episque Regiæ familiæ incolumitate Divinam Bonitatem implorare, eróque ad cineres usque. Apamijs 6. Junij 1679.

Majestatis Vestræ

Humillimus & Obedientissimus
Servus
Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XXXIV.

Epistola D. Foncault Aquitaniæ Præfecti ad Reverendissimum & Illustrissimum Episcopum Apamiensem.

A Montauban. 19. Febr. 1678.

CRedidi mearum partium esse, Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationi Vestræ suggerere, crastinâ die, quæ vigesima est currentis mensis, dilationis à Senatu Regio concessæ terminum expirare, quo Illustrissima Dominatio Vestra jubebatur in Camera Computorum Parisiensi juramentum fidelitatis suæ inscribendum emittere.

Pla-

Placeat ergo mihi insinuare, quid sibi in hac causa faciendum proposuerit; jubeor enim, nisi Ipsa Regiæ Declarationi acquieverit, proventus Apamiensis Episcopatûs detinere. Spero Dominationem Vestram Majestati Suæ gratificaturam, sícque absolutum me iri necessitate tam durum ingratúmque imperium explendi. Interim, &c.

A Montanban. 19. Febr. 1678.

Humillimus & Obsequentissimus
Servus
Foncault.

Documentum XXXV.

Responsio Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis.

Apamiæ 23. Febr. 1678.

VEhementer Vobis obstringor, ob exercitam in me humanitatem, simúlque significo, me datis ad Majestatem Suam litteris reverentiâ ac veneratione plenis, quantum vid. Supremo meo Principi debeo, rationes exposuisse, quibus conscientiam meam illigari sentio, ne Sacramentum fidelitatis inscribi permittam. Nec despero, Regem æquitatis amantem aliquid meis precibus delaturum. Planè si placeat Vobis ingens illud desiderium æstimare, quo teneor voluntati Regiæ obsequendi, facilè intelligetis, me, qui hactenus nihil charius & antiquius habui, quàm ut semper Principi obtemperarem, ne id quoque in præsenti causa agam, solo metu offendendi Dei prohiberi. Temporales proventus quod attinet, illi ut semper mihi oneri & periculo fuère, ob necessitatem reddendi de illis Omnipotenti Deo rationem, ita (si modò absit Ecclesiæ injuria) paratissimo

simo animo feram, si alterius curæ ac fidei committantur, qui illos reparandis Ecclesijs sublevandísque pauperibus aptiùs impendat. Credo equidem, me cordi DEO futurum, & cùm ipse unà cum Dignitate Episcopali causam quoque Ecclesiæ, quæ JESU Christi est Sponsa, curæ ac fidei meæ commiserit, sperare omnino mihi licet, eum quoque vires suffecturum, quibus pacato lætóque animo infortunia omnia excipiam, quæ ob servatam ei fidem obvenire mihi poterunt. Sum interim eróque, dum vixero

Apamijs 23. Febr. 1678.

Humillimus & Obedientissimus
Servus
Franciscus Episcopus Apamiensis

Documentum XXXVI.

Epistola Reverendissimi Episcopi Apamiensis ad Illustrissimum & Reverendissimum D. Franciscum de Harlay, Archiepiscopum Parisiensem.

Parisijs 6. Junij. Anno 1679.

TOti Galliæ persuasum est, Illustrissimam Dominationem Vestram non parùm contulisse ad novam Regis Declarationem, quâ omnes Regni Gallici Ecclesiæ subdi Regaliæ jubentur. Crediderimverò communem hanc opinionem ex eo fluxisse, quòd Illustrissima Dominatio Vestra operam auctoritatémque suam in Comitijs Cleri Gallicani, quibus Ipsa præsidebat, non solùm non impenderit, eúmque ut Regi supplicaret, permovere noluerit (id quod D. Episcopus Alectensis nuper defunctus datis ad eadem Comitia litteris enixè petierat) verùm etiam ne id fieret ela-

elaboraverit, utique eâ ratione permota, quòd Ecclesiarum nostrarum jus nec tam clarum, nec tanti momenti esse crediderit, quàm reverâ est. Enimverò naturalis inclinatio, quâ omnes afficimur Principem demerendi, ignoratio quoque juris Regaliæ, quâ plerosque laborare Sapientissimi quoque Parisiensium confitentur (numquam enim hæc materia etiam ab ijs Episcopis, quorum maximè intererat, satis examinata & discussa fuerat) ac denique usus Regaliæ in quibusdam Ecclesijs Urbi Parisiensi vicinis receptæ; hæc inquam omnia forsan effecêre, ut Illustrissimam Dominationem Vestram ea veritas lateret, quam nunc omnes intelligunt, qui modò hoc argumentum maturè omníque affectu liberi examinârunt. Cùm ergo nihil glorioſius sit, quàm si legitimæ rationes suppetant, sententiam mutare, omnino de Illustrissimæ Dominationis Vestræ Generositate polliceor mihi, Eam pro auctoritate, quâ apud Regem præcipuè floret, effecturam, ut Is ad conservanda privilegia ac jura Ecclesiarum animum adjiciat, exemplo vid. tot magnorum Principum Majestatis Suæ Prædecessorum, qui ut potentiâ & gloriâ apud posteros florerent, pietate ac religione suâ à DEO impetrârunt. Ipsíque Historiarum Scriptores nihil aliud habuêre, quo magis gloriam commendarent, quàm quòd honorem Ecclesiæ, quam matris loco venerabantur, privatis Coronæ ipsius causis antehaberent. Et verò persuasum habeo, Ipsum Regem, quippe justum rerum æstimatorem, quemadmodum consilium, quod illi extendendæ Regaliæ suggessistis, Zelo Ejus augendæ potentiæ, Vestræque in eum fidelitatis probandæ adscripsit; ita vicissim, cùm exploratâ jam veritate in aliam Eum sententiam flectere laborabitis, æquitati id Vestræ magnóque amori adscripturum, quo Ejus æternæ salutis

veræque gloriæ promovendæ flagratis. Nec fieri à Vobis aliud poterit, quo magis Divinam Benedictionem in Vos Vestramque Ecclesiam provocetis, quódque omnes in hoc Gallico Regno æqui bonique amantes majori gaudio afficiat; imò quod ipsius Regis gratiam bonámque opinionem magis Vobis conciliet: is enim ingenuè agnoscet, negotiorum multitudinem, quæ animum Vestrum distringunt, impedimento fuisse, ne has Regaliæ materias adeò obscuras implexásque, & à communi Jure abludentes, examinare Vobis licuerit; & tamen ne partibus meis deessem, ego illas datis ad Regem, & Archiepiscopum Tholosanum litteris clarè exposui; nunc tantùm illud adjungo, ex communi receptáque omnium Juris-Consultorum opinione: *Omnia libera præsumi, nisi contraria servitus probetur*; quæ veritas si in alijs omnibus locum habeat, multo maximè circa Ecclesias procedit. Nunc ergo si rationes & auctoritates ritè expendantur, quæ pro Regaliæ servitute Ecclesijs imponendæ in medium afferuntur, id unum sufficiet, ut æquitas causæ appareat, quam ego defendendam suscepi: si enim ab usu & antiqua possessione præscindas, alia, quæ cumulari in hanc rem solent, sunt omnium Sapientum sententiâ non infirma solùm & inania, sed etiam risu digna. Cùm ergo nec in mea Diœcesi, nec in alijs quampluribus Ecclesijs usus & antiqua consuetudo probari possint, sequitur, non posse illis, nisi sacrilegâ usurpatione Regaliæ servitutem imponi: quodsi circa hanc rem dubium aliquod superfit, nihil moror, ut illi Deo juvante quamprimum abundéque satisfaciam. Cæterùm tam multa & singularia Generositatis & Amicitiæ argumenta ab Illustrissima Dominatione Vestra jam accepi, & si ista deessent, notitia, quam habet de voluntate Romani Pontificis, déque

Sacro-

Sacrorum Canonum Decretis, quæ Prælatis in Principum aulis versantibus severissimè prohibent, ne in suarum Ecclesiarum suorúmque Coëpiscoporum, imò omnium inferioris etiam conditionis Clericorum detrimentum attentare aliquid audeant, id quod in Concilio Avenionensi Anno 1326. sub Joanne XXII. *capite 25.* & in alio etiam Avenionensi sub Benedicto XII. Anno 1337. *capite 20.* repetitum est: hæc, inquam, omnia securum me certúmque reddunt, Illustrissimam Dominationem Vestram præ omnibus privatis affectibus, quæ aliàs morari Eam possent, causam Ecclesiæ amplexuram esse, & interim, &c.

Apamijs 6. Junij 1679.

Illustrissimæ & Reverendissimæ
Dominationis Vestræ

Humillimus & Obsequentissimus
Servus
Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XXXVII.

Epistola ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis ad R. P. de la Chaise Societatis Jesu, & Regis Confessarium

Asabar. 14. Jun. 1679.

Admodum R. Pater.

JAmdudum animo proposueram A. Reverendam Paternitatem Vestram litteris convenire; sed ne id facerem, duas præsertim ob causas prohibitus sum; primò enim verebar, ne operam perderem, & nihil scribendo proficerem; deinde ne si conquererer, quas à P. Vestra sustinere molestias

cogor, Ipsa privato potiùs dolori, quàm æquitati Zelóque Immunitatis Ecclesiasticæ conservandæ eas querelas adscriberet. Ne tamen ulla in re partibus meis defuisse viderer, aut aliquid inexpertum reliquisse, bonæ causæ libertatíque Ecclesiæ à Divina Providentia mihi commissæ promovendæ, statui amicorum consilijs cedere, & siquid obtineri posset, hâc quoque epistolâ experiri, deinceps exitum hujus causæ, & tam substantiam, quàm modum ipsum ex animo integréque Deo commissurus, ut is videlicet juxta præscriptum legésque Divinæ Suæ Providentiæ omnia moderetur. Equidem si aut contra Paternitatem Vestram, aut ejus Societatem privatis odijs ac simultatibus concitarer, scit Ipsa, quàm multæ præclaræq; occasiones abundaverint, justum animi mei dolorem contestandi, neque ab ullo mortalium id mihi vitio verti potuisset, quippe non mea, sed veritatis ac justitiæ, imò boni publici causa agebatur; at malui Charitatis Christianæque prudentiæ rationem habere, nec priùs silentium abrumpere, quàm necessitas loqui me cogeret.

Planè cùm Paternitatem Vestram & Christianam esse, & Religiosam cogitabam, numquam persuaderi poteram, & nisi aut Ipsa, aut ejus Societas aliqua in re offensa à me esset, adeò vindictæ avidam fore, ut eam tanto Divinæ Gloriæ ac Immunitatis Ecclesiasticæ dispendio quæreret.

Reminisci adhuc potest, cùm eam conveniendi Parisijs occasio fuisset, vidisséque globo Ecclesiasticorum incinctam, ejus favore Beneficia captantium, dixisse mihi: *Hos esse lupos prædæ insidiantes.* Quâ ergo conscientiâ, quæ gregi ovium innocentium alendo debebantur, rapacibus lupis Ipsa projecit? imò ne expectavit quidem, ut fauces aperirent prædæ expetendæ, sed etiam eorum famem prævenit; cùm

cùm enim Canonici Ecclesiæ meæ vitam Regularem profiteantur, quam ego Apostolicâ auctoritate Regísque auspicijs feliciter restitui, ij, qui in Beneficijs Ecclesiasticis nihil aliud quàm proventus opésque affectant, nullâ planè curâ Canonicatuum tangebantur, quibus paupertatis vitæque communis obligatio incumbit. Sed Paternitas Vestra illis animos addidit, oblatâ spe eos Canonicatus ad vitam sæcularem revocandi, ídque se effecturam promisit.

Eadem quoque Patris Ferrier intentio fuerat, vitam Regularem in Ecclesia mea abolere volentis; id verò quàm à Divina voluntate alienum fuerit, satis intelligere Paternitas Vestra ex ijs difficultatibus potuit, quæ Romæ & alibi superari non potuêre: non ergo capere possum, ex quibus rationibus animum ipsa adjecerit illi operi destruendo, quod Patres etiam Societatis, quorum utique testimonia suspecta habere non potest, approbare conati sunt, ac sæpè confiteri, illud in DEI gloriam, Diœcesis utilitatem, totiúsque Ecclesiæ ædificationem redundare; nisi fortè easdem ob causas delendæ vitæ Regulari accincta est, ob quas non est verita palàm jactare, id quoque majori DEI gloriæ accessurum, si jam pridem Ecclesiam meam Regij clausissent. Quò ergo, mi Pater, demissa illa veneratio, & cæca obedientia avolavit, quam Societas Vestra Apostolicæ Sedi hactenus professa est? video enim conari Vos destruere, quod illa ædificavit; ídque non solùm sine Sedis Apostolicæ auctoritate, sed etiam contra Illam. Observatum enim est, in ultimis Codicillis, quos Paternitas Vestra pro obtinendis Ecclesiæ meæ Canonicatibus expediri fecit, omissam fuisse clausulam addi aliàs solitam, quâ vid. qui hujusmodi Beneficia impetraverant, jubebantur habitum Regularem assumere, Tyrocinium experiri, ac denique Pro-

fessionem emittere. Qui ergo non omnino cæci sunt, imò qui se inter præcipuos amicos Paternitatis Vestræ profitentur, hæc omnia spectare eò dicunt, ut, non obstantibus Capituli mei Romanæque Sedis protestationibus Decretisque, sæcularis vitæ licentiam inducat, Regulari extinctâ, sicque quacúmque tandem ratione, etiam Professione suâ planè indigna fidem exolvat, quam illis obligavit, quos ad captandos Ecclesiæ meæ Canonicatus jam priùs impulerat.

Utinam saltem Paternitatem Vestram ab hujusmodi conatibus reverentia retineret Gallici Regni, in quo nemo non videt, abuti ipsam fiduciâ, quam munus Confessarij ei apud Regem conciliavit, & quâ id unicè agit, ut præcipua Ecclesiæ jura ab ignaro licèt Rege violentur, utque Principis auctoritate tam injustæ sævæque actiones muniantur, quas, nisi publicis & authenticis monumentis constarent, nemo credere sustineret. Enimverò fieri non potest, ut Paternitas Vestra Regaliæ examinandæ animum solidè adjecerit, quin protinus intellexerit, eam nec in mea, nec in alijs quampluribus Ecclesijs locum habere, sícque ingenti damno Ecclesiam afficere, quando Regi persuadet, ut eam sibi usurpet. Quodsi Paternitas Vestra istarum rerum plenam notitiam non habet, quâ rogo conscientiâ non minùs inclementer sævéque nos persequitur, quàm si Rei essemus Divinæ humanæque Majestatis?

Non permittit brevitas epistolæ debita, ut hic aut rationes percurram, quæ causæ à me susceptæ æquitatem ostendant, aut seriem malorum pertexam, quæ tanto jam tempore Regaliæ obtentu perpetior, præsertim cùm persuasum habeam, Paternitatem Vestram non tam ignorantiâ rerum, quàm odio mei laborare, quod ut deponat, à solo Deo expectari potest. Enimverò metus Regiam indignationem pro-

promerendi, si vid. Regi innotescat, se ab eo deceptum esse, cujus unica & præcipua obligatio erat Principem rerum, quæ ad animæ ipsius æternam salutem verámque gloriam pertinent, admonere, pudor quoque errorem ingenuè confitendi, ac denique ingens cupido deprimendi calcandíque Episcopum Societatis Vestríque maximis (quippe à Christiana Sanctorúmque Patrum Doctrina alienis) adversum: hæc, inquam, omnia ingentia sunt, Paternitati Vestræ profitendæ veritatis impedimenta, nec ab alio, quàm, qui cordium Dominus est, superari possunt, & tamen mihi credat (neque enim, uti spero, se ab Episcopo admoneri indignè feret) multa sunt, quæ justo eam timore percellere possint, ne, posteaquam ob calcatam immunitatem Ecclesiasticam Divinam indignationem in se provocavit, Regiam quoque incurrat; Rex enim, quâ est Prudentiâ & æquitate, ubi aliquando intellexerit Se consilijs à vobis suggestis, ac contra animi sui sententiam deceptum, tot malorum causam fuisse, non poterit non ea omnia eorúmque auctores damnare. Ex adverso si Paternitas Vestra infortunium ac impendentia mala præveniat, expleátque boni Confessarij partes, suámque industriam Regis saluti impendat, cujus vid. animam gubernandam suscepit, Dei Benedictionem experietur, & Rex quoque gratum acceptúmque habebit, Se veritatem aliquando saltem edoctum esse. Illos verò, quibus Paternitas Vestra causa fuit, ut Censuras Ecclesiæ incurrerent, longè majori Beneficio affecerit, si potiùs viam illis & rationem ostenderit, quâ se dignos reddant Ecclesiasticis honoribus, quàm ut contra Canonum præscriptum sibi illos usurpent, & denique quicunque æqui justíque amantes sunt, Deum ex animo benedicent, ubi intellexerint, Paternitatem Vestram

stram auctoritatem suam persuadendo Regi interponere, ut Regaliâ intra fines à Majoribus suis obtentos, & à Lugdunensi Concilio (quod extendi eam vetuit) concessos contentus esse velit.

Finio, mi Pater, nec aliud adjungo, quàm esse utique Charitatis Vestræ, pacem tandem concedere Episcopo septuaginta annos nato, quadraginta pastorales insulas sustinenti, & ultimas horas præstolanti; nec amplius pati viros selectæ virtutis, Deóque speciali ratione consecratos, quíque cum tanta omnium ædificatione illius se obsequio addixerunt, ab ijs tam sævâ persecutione pulsari dissiparique, qui se vitæ Regularis hostes profitentur. Spero equidem, me Deo propitio usque in extrema fidelem fore, nec cessabo esse, quidcunque tandem à Paternitate Vestra adversi mihi contigerit.

Admodum Reverendæ
Paternitatis Vestræ.

Humillimus & Obedientissimus
Servus
Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XXXVIII.

Secundum Breve Sanctissimi D. N. Innocentij PP. XI. ad Illustrissimum & Reverendissimum Episcopum Apamiensem.

INNOCENTIUS PP. XI.

VEnerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem. Præcipuæ argumentum lætitiæ attulerunt nobis litteræ Fraternitatis tuæ proximè ad Nos datæ, in qui-

quibus eximium tuum de integra atque incorrupta ſervanda morali Theologia, de inſtauranda Cleri, & Regularium Ordinum diſciplina, déque propulſanda ab Eccleſia ſæcularis poteſtatis injuria, zelum ſtudiúmque diſertè declares. Et quidem quod ad diœceſis tuæ rationes pertinet, gratias Divinæ Majeſtati agere non ceſſamus, quòd in tanta rerum ac temporum difficultate ſuſcitaverit ſibi Sacerdotem fidelem, qui opponat murum pro domo Iſraël. Neque dubitamus, quin tot experimentis probata, & confirmata virtus tua, egregio propoſito, Deo bene juvante, ad extremum conſtanter inſiſtat, parati omni ope & auctoritate noſtrâ tibi pro Dei honore tam ſtrenuè laboranti, perpetuò adeſſe. Reliqua à dilecto filio Archipresbytero Aquenſi Viro pio, atque induſtrio, qui tuas Nobis litteras reddidit, & à quo has Noſtras accipies, fuſiùs cognoſces, ac Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM majorem ſub annulo Piſcatoris die ſecundâ Auguſti 1679. Pontificatûs Noſtri anno tertio.

Marius Spinula.

Documentum XXXIX.

Epiſtola ejuſdem Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Apamienſis ad D. de Harlay Procuratorem Generalem Parlamenti Pariſienſis.

Apamiæ 4. Septemb. 1679.

INſinuatum mihi fuit Arreſtum, ſeu ſententia ad inſtantiam Veſtram à Parlamento pronuntiata, quo coram eo tribunali ſiſti jubeor ad videndum irritari duas Conſtitu-

tiones meas (perinde ac si in illis edendis indebitam potestatem usurpâssem) contra duos Colonos, qui nomine juvenis cujusdam Barbes de Lussan scholas adhuc terentis, & titulo Regaliæ Beneficium illud adepti proventus Custodi Ecclesiæ Apamiensis assignatos conduxerunt. Ego qui ignorare non possum, quantum & Parlamento ipsi (quippe præcipuo Galliæ Senatui) & Dominationi etiam Vestræ magnam in eo Senatu partem occupanti honoris debeam; quâ par est reverentia, præfatum Arrestum excepi, & tamen, ne deferre illi possem, gravissimæ me rationes compulerunt, quas me recensentem dignetur Dominatio Vestra benignè audire.

Primò enim, quibus ego sumptibus tam longum gravémque Processum ingrediar, quando me omnibus spoliârunt, atque ad incitas redegerunt, ne alimentis quidem necessarijs relictis (quæ tamen etiam sceleratissimis permittuntur) ut à viginti jam mensibus vitam amicorum liberalitate utcunque ægréque sustineam? & tamen neminem latet, nec patrimonium mihi esse, quo ultimæ necessitati subveniam, nec interim, quantum per ætatem licet annis ac infirmitatibus fessam, functiones ac curas Pastorales omittere.

Deinde: non intelligo, quam Ecclesia mea expectare à Parlamento justitiam possit, quando & elapso sæculo, & initio currentis, tanto ardore dilatandæ Regaliæ totóque Regno extendendæ incubuit, ut moderari eum Reges oportuerit. Parlamentum enim jus Regaliæ tanquam Coronæ annexum, imò tamquam ipsius Parlamenti præcipuam prærogativam ab aliquot jam annis habuit, quia vid. omnes processus, qui hanc Regaliæ causam spectant, Parlamento deferuntur. Quodsi plurium jam seculo-

rum

rum Jurisprudentiam consulas, invenies, constanter à Parlamento eam Regulam observatam fuisse, ut nunquam pro Rege pronuntiaret, nisi probatâ à Regijs Procuratoribus possessione, quod utique Dominatio Vestra in Protocollis, Tabularijs, libríque Auctorum, qui super hoc argumento scripsêre, probè notaverit. Circumstantiæ quoque, quæ Arrestum Parisiense comitantur, hujusmodi sunt, ut facilè ex ijs Parlamenti in me animum colligere liceat: Actionem enim criminalem duobus Clericis intentat, adeò miseris, ut solis eleemosynis (quæ mihi à Fidelibus suppeditantur, & quarum partem ego illis communico) precariò sustententur; adeóque innocentibus, ut nullâ aliâ culpâ laborent, quàm quòd binas constitutiones meas partibus insinuârint, & quarum æquitatem examinare non utique ad eos pertinebat.

Tertiò. Quemadmodum certissima res est, non posse jus Regaliæ, nisi Ecclesiæ privilegio ad Reges pertinere; ita certum est, ad eandem Ecclesiam spectare, ut de Regalia cognoscat judicétque, id quod in Lugdunensi Concilio fecit; & quamvis daremus, sententiam Concilij in hac causa non omnino apertam & claram esse, eam tamen interpretari Pontificis Romani partes essent, non Regij Tribunalis. Cùm ergo binis à me editis Constitutionibus nihil aliud egerim, quàm ut Decretum exequerer Concilij Oecumenici (id verò non de privatis tantùm personis loquitur, sed de *quantæcunque dignitatis honore præfulgentibus*) nec terminos excesserim à Concilio præfixos, sequitur injustam esse eorum calumniam, qui in foro sæculari me accusant usurpatæ ac ultra metas dilatatæ potestatis. Has ipsas ob causas numquam ego in dubium revocavi, quin possem deberémque laicos Censuris punire, eósque, qua-

Ieſcunque tandem eſſent, in rebus ſpiritualibus Deóque conſecratis (de his enim quæſtio jam vertitur) Eccleſiæ legibus ſubjacere; tantóque magis ad id agendum permovebar, quòd viderem proventus, quos ſibi laici vendicabant, nihil aliud eſſe, quàm meras Decimas ad luminaria aliámque Divini Cultûs ſupellectilem deſtinatas, ſine qua nec ſacra Officia peragi deinceps poterunt, quippe eo decoro ſublato, quod eorum ſanctitati debetur, & verò tam eſt injuſta paténtſque hæc uſurpatio, ut nullo honeſti colore fucari poſſit.

Quartò. Quodſi alij Prælati, quorum Eccleſiæ liberæ erant, in extenſionem Regaliæ conſensêre, non poteſt eorum conſenſus detrimento mihi eſſe, qui nullam penitùs in eo partem habui. Imò Reſervationes, Proteſtationes, Derogationes, aliæque cautelæ ab Epiſcopis aut ante, aut poſt conſenſum adhibitæ clarè oſtendunt, & agnoviſſe illos Eccleſiarum ſuarum jura ac libertates, & noluiſſe abſolutè renuntiare, imò nec ſponte Regijs Decretis acquieviſſe, ſed ſolo metu, ne ijſdem malis mecum involverentur, & adhuc pejoribus Eccleſias ſuas obruerent, niſi obtemperâſſent. Et denique numquam eorum conſenſu effici potuit, ut tantum damni Eccleſiæ ſubire cogerentur, id quod ex annexis quas ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Tholoſanum dedi, Dominatio Veſtra pleniùs intelliget.

Cæteriùm cùm Parlamenti Pariſienſis juriſdictioni me ſubmittere recuſavi, non ideò in cauſa propria Judicem me conſtitui, ſed illud tantùm egi, ut in cauſa ſpirituali, & in qua Pontifices, Concilia, Epiſcopíque auctoritate Dei funguntur, Decreta Eccleſiæ exequerer; & ſi Cenſuras adhibui uſurpatoribus coërcendis, exemplo & auctoritate plurium Conciliorum, etiam Oecumenicorum id feci, qui

qui dignam hanc causam esse censebant, quæ hujusmodi pœnis sustineretur, præsertim cùm non minor Episcopis obligatio incumbat, libertates ac jura Ecclesiæ, quàm fidei dogmata propugnandi, id quod solidè Auctor sermonis ostendit, quem dignum censui, ut Dominationi Vestræ à me transmitteretur.

Non permittit Epistolæ brevitas, ut omnia pertexam, quæ de hac materia dici possunt, quæque libenter adjungam, si modò intelligam id Dominationi Vestræ placere, ac tempus suppetere ea perlegendi. Nunc finem Epistolæ impono, & Dominationem Vestram ardentissimè obtestor, dignetur in memoriam revocare, se & Regij Ministri, & hominis Christiani personam agere, atque ut prima obligationem imponit, ne quidquam de juribus ad Coronam spectantibus dilabi permittat, ita quoque secunda, ne illa in Ecclesiæ præjudicium extendi patiatur; alioqui periculum esset, cœlestem Benedictionem impeditum iri, quam alioqui sibi suæque illustri familiæ Dominatio Vestra tam multis egregijsque operibus promerita est.

Apamijs 4. Sept. 1679.

Humillimus & Obsequentissimus
Servus
Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XL.

Tertium Breve Sanctissimi D.N. Innocentij XI. ad Illustrissimum & Reverendissimum Episcopum Apamiensem.

Venerabili Fratri Francisco Episcopo Apamiensi
INNOCENTIUS Papa XI.

VEnerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Perlegimus litteras Fraternitatis tuæ, in quibus afflictum Apamiensis Ecclesiæ statum, & tuum propterea dolorem Nobis ob oculos ponis; qua de re, Pastoralem zelum, & solicitudinem magnopere commendamus, & eodem tecum sensu affecti, non cessamus à Patre misericordiarum, pro muneris Nostri debito, postulare, ut pristinam Ecclesiæ isti tranquillitatem, dignitatémque restituat, ac Nobis lumen ad ea decernenda, exequendáq; suppeditet, quæ cum tuæ, tum universæ Ecclesiæ rationibus expedire videbuntur. Reliqua ab eo cognosces, qui tuas Nobis litteras reddidit; téque, atque invictam Episcopalis roboris constantiam, quâ cæteris præluces, intimo charitatis affectu in Domino complectentes, Fraternitati tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die x. Decembris 1679. Pontificatûs Nostri anno IV.

Marius Spinula.

Documentum XLI.

Constitutio Ejusdem Illustrissimi Episcopi Apamiensis.

7. Febr. 1680.

FRanciscus miseratione Divinâ Episcopus Apamiens. &c. Constitutiones à nobis nuper promulgatæ, quibus procul arcebamus, qui in Diœcesi nostra Regaliæ obtentu Beneficia quædam impetraverunt (cùm tamen constet, præfatam

fatam nostram Diœcesin hujus servitutis penitùs immunem esse, nec proinde Regaliæ subijci posse, nisi violatis quamplurimis Sacris Canonibus Regúmque Edictis) adeò apud quorumdam avaros, ambitiosos, ac Beneficijs Ecclesiasticis inhiantes animos nihil effecêre, ut potiùs reperti sint (quod non sine animi dolore intelleximus) qui Regaliæ obtentu etiam ad Beneficia curata adspirare, & illa obtinere sint conati; id verò omni exemplo caret, ac etiam, ubi aliàs Regaliæ locus est, numquam hactenus usurpatum. Eò igitur temeritatis deventum est, ut in captandis Beneficijs Ecclesiasticis nullus sit regulis aut pudori locus, & quia hujusmodi intrusionibus sistendis nulla ampliùs remedia supersunt nobis, quàm auctoritas Episcopis à Deo tributa, censuræque Ecclesiasticæ, ultima vid. Ecclesiæ remedia, & quibus non ij solùm coërceri debent, qui aliunde quàm per legitimam ac Canonicam januam Ecclesias irrumpunt, sed illi etiam, qui ita irrumpentibus auxilia & consilia subministrant; ideò ex his alijsque causis Constitutiones nostras jam aliàs editas renovamus, ac insuper sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ omnibus cujuscunque dignitatis ac conditionis personis districtè prohibemus, ne Dignitates, Prioratus, aliáque Beneficia curam animarum annexam habentia pro se aut alijs titulo Regaliæ petere, aut impetrare præsumant: neque, aut suo, aut aliorum nomine eorum Possessionem adeant, aut fructus seu mediatè, seu immediatè percipiant. Prohibemus etiam æquè sub pœna Excommunicationis cujuscunque statûs ac conditionis personis, ne scienter ac voluntariè sub quovis prætextu aut colore, Notarij vid. Testis, Emphyteuta, Sub-emphyteutæ, aut aliâ quâvis ratione, ad actus & usurpationes supranominatas auxilium, consilium, aut favorem præstent,

stent. Reservamus etiam nobis, præterquam in articulo mortis, absolutionem à præfata pœna Excommunicationis.

Apamijs 7. Febr. 1680.

Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XLII.

Alia Constitutio Ejusdem Illustrissimi Episcopi Apamiensis, quâ omnes Fideles suæ Diœcesis ad publicas preces aliáque pietatis opera placandæ Divinæ indignationi exhortatur.

22. Febr. 1680.

FRanciscus, &c. Clero Populóque Apamiensi salutem & benedictionem. Tam manifesta sunt indignationis Divinæ hanc nostram Diœcesin punientis argumenta & effectus, ut oporteat aut cæcum esse, qui ea non videt, aut planè insensibilem, qui illis non intimo dolore conficitur. Ecclesiarum Pastoribus ultima ferè necessitas incumbit officio suo abstinendi, omittendíque sanctiores quáisque functiones, imò eorum nonnulli, qui alioqui se totos addixerunt curandis animabus, coguntur gregem suum frequenter deserere, necessitate alimenta mendicandi, id quod sine dedecore sacri characteris, sine damno quamplurium absque Sacramentis decedentium, sine juventutis neglectu necessariâ instructione carentis, ac denique sine infinita morum corruptela fieri haud potest. Hæc omnia inde proveniunt, quòd legitimi ac canonicè instituti Pastores redditibus sustentandæ vitæ necessarijs priventur; quamvis nec ad istos solos hæ miseriæ pertineant, sed etiam ad magnam partem eorum pauperum, qui charitate Ecclesiasticorum fovebantur.

Equi-

Equidem ingenuè fatemur, calamitates, quibus conflictamur, noſtris peccatis noſtríſque imperfectionibus magna ex parte deberi; ſed nec Vos abnuetis, Veſtra quoque peccata multum ad eas contuliſſe; quamquam & hoc ipſum negligentiæ noſtræ adſcribimus, quippe non eâ, quâ par eſt, induſtriâ partes Officij noſtri explemus: friget orandi ſtudium: exempla minùs quàm oporteret ſincera & incontaminata: mores non ſatis incorrupti Zelóque Apoſtolico flagrantes: denique omnes fateamur oportet, flagella Divinæ juſtitiæ noſtris peccatis, abuſúque Divinarum gratiarum provocata fuiſſe, & forſan graviora adhuc impendent, niſi juſtitiam Divinam celeri pœnitentiâ, dignáque ſatisfactione occupemus.

Hæc noſtra conſilia illis fortè intempeſtiva videbuntur, qui dies Quadrageſimale jejunium præcedentes omni voluptati morúmque licentiæ dedicârunt, perinde ac ſi propoſitum haberent Spiritui Sancto futuræque pœnitentiæ impedimenta objicere, & jejunium atque alia ſacri illius temporis opera contra intentionem Eccleſiæ planè inutilia reddere. At veri legitimíque Chriſti fideles, ubi vident Matrem ſuam Eccleſiam abjectis gaudij inſignibus luctu opertam, ut ſuum amorem & obſequium in Matrem teſtentur, eundem ipſi quoque dolorem, eoſdémque mores induunt: & quamquam omni Chriſtiano nullum ſit tempus exercendæ pœnitentiæ importunum; tunc tamen, quicunque veram fidem amplectitur, vacare illi obſtringitur, quando judicium Dei obſervatà Sanctuario incipere, ac etiam cum Divinæ gloriæ jactura, ſi ita loqui fas ſit, vindictam cœleſtem exerceri, quod planè præcipuum eſt irati Numinis argumentum. Nulla ergo ratio permittit, ut filij Matrem dolentem deſerant, multóque minùs, ut ejus lacry-

mas non solùm non extergant, verùm etiam novum ei moerendi fomitem adjungant, effrænatâ vivendi licentiâ, cogántque in eas voces cum Propheta prorumpere: *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: qui consolaretur, & non inveni.*

Non deerit fortasse, qui credat in potestate nostra esse torrentem malorum sistere, & utinam liceret id nobis intactâ conscientiâ, ac juribus Ecclesiæ illibatis (quorum nos Deus custodes constituit, etsi indignos) quovis modo præstare. Sed quamvis omnem industriam locaverimus quærendis honestis medijs, quibus hæc causa componeretur, preces quoque ad Deum, & consilia ab hominibus virtute & doctrinâ conspicuis addiderimus, numquam tamen modum reperimus in hac causa transigendi, Deo conscientiáque inoffensis, præsertim postquam repetitis litteris mentem quoque Sanctissimi D. Nostri Romani Pontificis intelleximus, nostram agendi rationem tanquam Ecclesiæ utilem proficuámque apprimè comprobantis.

Sed & illud salvâ omnino veritate profitemur, præcipuum doloris nostri argumentum non esse, ærumnas, quibus in hac causa acerbè jactamur, sed potiùs damna spiritualia, quæ in nos quoque redundant, ac ultimam necessitatem, quâ pauperes conflictantur, & cui sublevandæ nulla nobis potestas relicta est. Æquum igitur est, ut placando Deo avertendísque malis, quæ Diœcesin nostram partim affligunt, partim etiam deinceps impendent, manus nobiscum operámque societis.

Omnibus ergo Capitulis, Parochis, Vicarijs Diœcesis nostræ præcipimus, ut proximâ Dominicâ, quæ est 25. currentis mensis, publicas supplicationes instituant. Singulis quoque Sacerdotibus, ut quamprimum commodè

potue-

potuerint, ter Miſſam recitent, quæ in Romano Miſſali *pro quacunque tribulatione* inſcribitur. Reliquis Eccleſiaſticis, ut Pſalmos Pœnitentiales cum Litanijs, Orationibus, ac verſiculis conſuetis perſolvant: omnibus verò ut quartâ & ſextâ feriâ, Sabbatóque proximæ hebdomadis jejunent. Laicos etiam exhortamur, ut ſupplicationibus diligenter interſint, ad Confeſionis Sacramenta ritè obeunda ſeſe diſponant, Beatiſſimæ Virginis Roſarium ſemel minimùm recitent, jejunia Eccleſiaſticis impoſita ipſi quoque ſuſcipiant. Omnes denique Diœceſis noſtræ fideles ardenter ac ſeriò commonemus, ut eleemoſynis, alijſque pijs operibus placandæ Divinæ juſtitiæ impetrandæque miſericordiæ diligenter incumbant. Ut verò mens & intentio noſtra omnibus innoteſcat, juſſimus hanc noſtram Conſtitutionem ſub ſacro Miſſæ Officio in omnibus Parochijs proximâ Dominicâ promulgari, & ad valvas Eccleſiæ Cathedralis affigi. Datæ Apamijs in Seminario noſtro 22. Febr. 1680.

Franciſcus Epiſcopus Apamienſis.

Documentum XLIII.

Sententia Excommunicationis ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Apamienſi contra Guerin Palarin Sacerdotem ſolemniter pronuntiata.

Die 24. Mart. 1680.

FRanciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Apamienſis, &c. Viſâ Conſtitutione Noſtrâ ſub data 27. Octobris anno 1677. quâ omnibus Canonicis Cathedralis & Collegiatæ Beatiſſimæ Virginis de Campo Eccleſiarum

districtè prohibetur, ne sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ ad præfatarum Ecclesiarum beneficia titulo Regaliæ quemquam admittant, neque ad ullos actus Capitulares, locum in Choro, aliásque functiones recipiant. Visis etiam actis, & instrumentis executionis à Domino Antonio Novè Ecclesiastico Diœcesis Tholosanæ die 26. Februarij, anno 1680. Domino Balthasaro d'Ouvrier Decano nostræ Collegiatæ de Campo insinuatæ: attentâ quoque inobedientiâ & contumaciâ contra præfatam nostram Constitutionem Domini Guerin Palarin, Canonici & Sacerdotis sæpedictæ nostræ Collegiatæ (quamvis ipse quoque unus ex illis fuerit, qui, ut nostra Constitutio in publica Capituli acta referretur, consenserat) quippe qui non obstantibus Constitutione, & Inhibitionibus nostris, titulo Regaliæ Possessionem Decanatûs Ecclesiæ Collegiatæ de Campo adire præsumpsit (prout apparet tam ex publico actu ad prædictos Canonicos Vigesimâ currentis mensis directo, quàm ex stallo locóque Decani ab ipso occupato) quantumvis eum non lateret, Diœcesin nostram Regaliæ subjectam non esse, imò quamvis Regaliæ subjaceret, Decaniam, utpote Beneficium electivum, exemptam esse, præsertim cùm ipse Palarin septem integros annos Dominum Balthasarum de Ouvrier pro Decano canonicè electo semper agnoverit: viso denique prænominato actu ad jam dictos Canonicos sub data 20. currentis mensis, & rationibus in eo adductis, & præsertim quia sæpè fatus D. Palarin, qnamvis ter à nobis admonitus, nullas probabiles causas allegat, ob quas excommunicari & denunciari non debeat, invocato DEI Omnipotentis nomine Patris, Filij & Spiritûs Sancti de potestate ligandi atque solvendi specialiter confisi, quam Christus Apostolis Episcopisque eorum

eorum

eorum Succeſſoribus clementer largiri dignatus eſt, Declaravimus & denuntiavimus, declaramus & denuntiamus pro Excommunicato præfatum Guerin Palarin Presbyterum Canonicum noſtræ Eccleſiæ Collegiatæ Beatiſſimæ Virginis de Campo, eúmque velut Excommunicatum ſeparamus à Communione Eccleſiæ, nec non à participatione Corporis & Sanguinis Chriſti JESU, eúmque poteſtati Sathanæ temporaliter ſubijcimus, ut per veram ſincerámque pœnitentiam ejus ſpiritus ſalvus fiat in die Domini. Poteſtatem verò ab hac Excommunicatione abſolvendi nobis reſervamus, prohibentes & diſtrictè omnibus utriúſque ſexûs inhibentes, ne ſub pœna Excommunicationis à Sacris Canonibus latæ cum prædicto Palarin audeant communicare. Præcipimus etiam, ut præfatus Palarin publicè denuntietur, ejúſque Denuntiationis & Excommunicationis notitia vicinis quoque Diœceſibus inſinuetur, nec non omnibus, quibus opus erit, ut ita juxta Juris diſpoſitionem tamquam excommunicatus, & ab Eccleſiæ Communione ſeparatus habeatur. Factum & pronuntiatum dicto Palarin in noſtra Eccleſia de Campo in præſentia Cleri Populíque, die 24. menſis Martij Anno 1680.

Franciſcus Epiſcopus Apamienſis.

Notandum, ſimilem quoque Excommunicationis & Denuntiationis ſententiam in Petrum Brau ab eodem Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo die 24. Martij Anno 1680. fuiſſe pronuntiatam.

Documentum XLIV.

Constitutio Ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis ad impediendam Regaliæ in suam Diœcesin introductionem.

Die 31. Martij. 1680.

FRanciscus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Apamiensis. Cùm nihil Ecclesia habeat magis necessarium majoríque pretij, quàm & libertatem de Officijs Beneficijsque, præsertim Cathedralium Ecclesiarum disponendi (in quibus Canonici alijque in dignitate constituti in partem solicitudinis Episcopalis regendæque Diœcesis, præsertim vacante Ecclesiâ, vocati sunt) & liberam temporalium proventuum administrationem, sine quibus nec Divina Officia decorè peragi, nec Ecclesiæ reparari ornaríque, nec habiles ministri sustentari, nec quotidianis pauperum necessitatibus subveniri, nec denique expensæ quotidianæ perferri possunt; Introductio verò Regaliæ utróque hoc jure, saltem vacantibus Ecclesijs, privet, eapropter non alio eam loco, quàm duræ servitutis habere possumus, omninóque illi libertati adversæ, quam Christus suo nobis sanguine acquisivit, ipso etiam Ludovico Juniore teste in sua Declaratione de anno 1137. ubi Provinciam Aquitaniæ hujus jugi immunem esse fatetur.

Hic Regaliæ abusus Laicis Regijsque Ministris occasionem tribuit, Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, ac præcipua Diœcesis Beneficia hominibus sine ulla ad statum Ecclesiasticum vocatione conferendi, sine scientia & pietate adimplendi, nec aliud meritum præ se ferentibus, quàm quòd apud Majestatis Suæ Ministros, quibus istorum

istorum Beneficiorum distributio permissa est, omnem industriam collocaverint, ut aliquo Beneficio potirentur; quod tamen unicum, quamvis alia deessent, si ex spiritu & disciplina Ecclesiæ res agatur, omnino indignos reddit omni Ecclesiasticâ dignitate. Ex quo sequitur, ut qui ad Episcopatus promoventur, tantùm absit ut personas reperiant, in quorum humeros partem aliquam Pastoralis solicitudinis securè deponant, sed potiùs, quæ Episcopis boni aliquid præstare volentibus se omni conatu opponant.

Auget malum damnúmque, quòd, cùm denominatio ad vacantes Episcopatus Regij juris sit, numquam Regios Officiales occasio & rationes deficient Regem persuadendi, ut nominationem differat, Regaliámque producat, id quod Divum Bernardum in eas querelas prorumpere coegit, quæ *epistolâ 122.* leguntur, tempore vid. Ludovici Junioris more receptum fuisse, ut Episcopatuum collatio differretur, quo diutiùs eorum proventibus frui liceret.

Postquam ergo tam in Constitutionibus nostris, quàm alijs publicis actibus justissimas rationes palàm fecerimus, quæ nos obstringunt, ut, quantùm pro nostra virili parte fas est, libertatem Ecclesiæ contra Regaliam tueamur, frustra etiam adhibitis dulcioribus remedijs, qualia sunt preces, adhortationes, demonstrationes, privatæ publicaque & Canonicæ admonitiones, cogimur tandem non sine ingenti intimóque dolore alia & acerbiora remedia experiri.

Quamplurima sunt Oecumenica Concilia, Summorúmque Pontificum Constitutiones, quibus contra Bonorum juriúmque Ecclesiasticorum usurpatores, eósque, qui hujusmodi usurpatoribus auxilium aut consilium præstant, Excommunicatio pronuntiatur, sicque à nobis editæ Constitutiones non tam novas prohibitiones novásque pœnas com-

complectentur, quàm antiquas renovant applicántque, tantóque magis ad hoc agendum impellimur, quòd Decreta pœnæque à sacris Canonibus sancitæ, non solos Laicos respiciunt, jurium, bonorum, libertatúmque Ecclesiasticarum usurpatores; sed etiam in Clericos & Episcopos vibrantur, qui assensum præbent, neque se hujusmodi usurpationibus, quantùm licet, opponunt, & præsertim Concilium Lugdunense adeò inter alia celebre loquens de hoc ipso Regaliæ argumento non solùm *cap. 12.* contra illos tam sæculares, quàm Ecclesiasticos, qui obtentu Regaliæ in Ecclesijs hujus juris expertibus vacantia bona usurpant, Excommunicationis sententiam profert; verùm etiam eos, qui hujusmodi usurpatoribus connivent, neque uti oporteret se illis opponunt, fructibus omnium suorum Beneficiorum privat.

Concilium Avenionense sub Papa Joanne XXII. Anno 1322. Excommunicationem indicit & illis, qui vacantia bona Ecclesiarum usurpant, & qui usurpatoribus *gratis*, hoc est, voluntariè *obediunt*, id quod ijsdem ferè verbis in alio Concilio Avenione æquè habito sub Benedicto XII. Anno 1337. repetitum fuit. Concilium quoque Tridentinum *sess. 22. cap. 11.* omnibus quacunque dignitate, etiam Regali aut Imperiali præfulgentibus, sub pœna Excommunicationis interdicit, ne bona & jura Ecclesiastica sibi vendicent; ijsdémque pœnis omnes Ecclesiasticos afficit, quicunque hujusmodi usurpatoribus aut consensum, aut operam præstant.

Ecclesiæ quæcunque recepto jam more & antiquâ consuetudine Regaliæ jugo assueverunt, non possunt non gemere, & quamdiu Deo libuerit, hanc servitutem non patienter tolerare. Eas verò Ecclesias quod attinet, quæ nullo hactenus titulo aut consuetudine juri Regaliæ subjectæ fuerunt,

runt, earum Epiſcopi, quippe Paſtores Cuſtodéſque, ſuffere potiùs omnia debent, quàm ut antiquam & Canonicam libertatem aboleri, & jugo tam gravi inſuetóque Eccleſias ſuas ſupponi patiantur.

Qui hactenus titulo Regaliæ Beneficia noſtræ Diœceſis occupârunt, ambitionis avaritiæque ſpiritum, quo nimiùm quantùm agitantur, tam claris manifeſtíſque ſignis prodiderunt, ut omnino conijcere liceat, nullo eos timore cenſurarum percelli, quas comminati ſumus, quáſque actualiter incurrerant, licèt nimiâ forſan conniventiâ unicum pro excommunicato hactenus denuntiaverimus. Et tamen nullum aliud remedium ſupereſt nobis, quo hunc malorum torrentem ſiſtamus impediamúſque, ne paucorum exempla in plurium perniciem tranſeant, irreparabili Diœceſis noſtræ damno, quàm ut has pœnas extendamus, ijſque etiam applicemus, qui conſilio, auxilio, aut alio quovis modo introducendæ in hanc noſtram Diœceſin Regaliæ auctores fuerint, tantóque magis ad hoc agendum conſtringimur, quòd in hac cauſa non alias nobis partes vendicemus, quàm ut exequamur Decreta Eccleſiæ, ídque in materia, quam ad cognitionem & poteſtatem noſtram pertinere nemo inficiabitur; quippe cùm in illa non de proventibus tantùm Eccleſiæ, verùm etiam de collationibus Beneficiorum agatur, quæ utique ſunt res ſpirituales meréque Eccleſiaſticæ: & verò pollicemur nobis, eos, qui privatis lucris minùs cæcè obſtinatéque adhærent, facilè conſtitutionibus noſtris obtemperaturos, nec ſacræ Juriſdictionis declinandæ cauſâ fallaci vanóque effugio profanos Magiſtratus appellaturos, id quod in cauſis, quæ connexionem aliquam cum civilibus habent, ſæpè multúmque evenit.

Erunt fortasse etiam, qui, cùm Censuras à nobis latas incurrerint, superiorem auctoritatem, à qua absolvantur, appellabunt: verùm cùm notorium sit, vanum hunc esse irritúmque recursum, nihil aliud agent, quàm ut contumaciam suam Legúmque Ecclesiasticarum contemptum magis magísque contestentur. Et præsertim cùm nihil aliud agamus, quàm ut quamplura cùm Generalia, tum Provincialia, & in Gallijs recepta Concilia exequamur, non potest hæc præsens nostra Constitutio nisi ab illis violari, qui totius Ecclesiæ auctoritati unà adversantur, necest alia potestas, præter Pontificiam, quæ hujus causæ cognitionem pro eo statu, in quo versatur, arrogare sibi possit.

Multò minùs eo prætextu Censuras à nobis latas declinare poterunt, quòd non omnes solemnitates adhiberi aliàs solitæ observatæ in præsenti negotio fuerint; quis enim nesciat, accidentia, quæ abesse possunt, substantiæ postponi oportere? neque tunc solemnitates necessarias esse, quando sunt impossibiles, id quod in præsenti causa manifestè contingit; nemo enim ignorat, aliquos de Clericis nostris, qui Decreta à nobis edita insinuare & promulgare sunt ausi, injurijs affectos, intentatísque carceribus absterritos esse.

Persuademus ergo nobis, neminem fore tam sui, pietatísque ac religionis immemorem, qui, ut Clericis gratificetur dignitatum quæstúsque avidis, tam gravibus magnísque malis (qualia sunt, quæ ex Censuris, præsertim Excommunicatione, proveniunt) implicare se velit, tantúmque abfuturum, ut animæ, Dei, suæque salutis amantes societate eorum, qui anathemate percussi sunt, infici se patiantur, ut potiùs magno sui merito hanc occasionem, suam erga Ecclesiam obedientiam fidelitatémque contestandi

stándi, amplexuri sint, devitando vid. obduratos illos, & ab Ecclesiæ Communione separatos peccatores. Quòd si aliqui sint, qui, ne levi aliquo emolumento se privent, aut humanis respectibus obnuntient, malint Ecclesiæ Decretis adversari, ij planè, si in laqueos diaboli incidant, animæque naufragium patiantur, sibi ipsis culpam, non alijs adscribent.

Nos enim quod attinet, Deum toto cordis affectu enixéque precamur, ut in omnes Diœceesis nostræ fideles misericordiæ & benignitatis suæ fontes effluere faciat, flagella verò justitiæ & iracundiæ suæ clementer avertat. Nec enim in hac causa, Deo teste, alium nobis finem proposuimus, quàm ut obligationi responderemus, quam nobis Officium nostrum imponit, útque pro virili nostra parte Ecclesiæ nostræ libertatem ac jura tueremur, omniúmque fidelium curæ nostræ subditorum saluti caveremus, eorum etiam, quorum corpora vibratâ Excommunicatione *potestati Sathanæ tradidimus, ut eorum corpora in die Domini salva fiant.* Quòd si aliqui sint, qui Ecclesiæ pœnis abuti, quàm corrigi malint, & remedia ijs curandis à me adhibita in fomenta potiùs contumaciæ convertant, id quidem maximo dolori nobis erit, quippe cùm id Divinæ iracundiæ, quam in hujusmodi obduratos peccatores exercere etiam in hoc mundo solet, præcipuum argumentum sit; illud saltem consolabitur nos, quòd vid. omnes partes ministerij nostri expleverimus, omníque metu liberati simus eas pœnas incurrendi, quas alioqui timidis otiosísque Pastoribus Propheta intentat; quódque Decretis Ecclesiæ obtemperaverimus, ut arma spiritualia pro Ecclesiæ juribus defendendis stringamus nobis imperantis.

Has igitur aliásque ob causas post invocatam Spiritûs Sancti gratiam, póstque audita consilia virorum, doctrinâ

& virtute præstantium, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ omnibus cujuscumque statûs ac dignitatis hominibus districtè injungimus, ne pro se, aut pro alijs Prioratus, Canonicatus, Præbendas, aut alia quæcumque Diœcesis nostræ Beneficia titulo Regaliæ petant, neque eorum Possessionem capiant, aut si aliqua impetrârunt, ne eorum fructus sibi vendicare, aut functiones exercere præsumant. Prohibemus etiam æquè sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ omnibus cujuscunque statûs ac conditionis hominibus, ne sub quovis Procuratoris, Commissarij, Conductoris, aut alio nomine titulóque Regaliæ proventus Episcopatûs, seu Capituli nostri, aut aliorum Beneficiorum Diœcesis Apamiensis, sive in parata pecunia, sive in alijs rebus pretio æstimabilibus percipere audeant. Prohibemus denique omnibus & singulis sub pœna Excommunicationis, ne ad percipiendos distribuendósve proventus nostros, aut obtinenda Beneficia nostræ Diœcesis titulo Regaliæ, exercendásque eorum functiones, aut alium actum edendum, qui Regaliæ in hanc Diœcesin introducendæ servire possit; ne, inquam, ad hæc omnia, aut istorum aliquid auxilio, aut consilio quovis modo concurrant. Quin potiùs omnes Diœcesanos, ac præsertim Ecclesiasticos exhortamur, ut omni, quâ possunt, honestâ ratione, ac modo, se Regaliam ejúsque extensionem aversari, ac improbare contestentur. Quia verò Adversariorum potentia in hac præsenti alijsque Constitutionibus nostris promulgandis non permittit omnes, alioqui necessarias, solemnitates observari, ideò declaramus, eas hoc ipso, quòd à nobis publicatæ, & ad valvas Ecclesiarum affixæ fuerint, pro sufficienter promulgatis & publicatis habendas esse, nósque sine alijs citationibus, monitionibus, aut insi-

insinuationibus præcedentibus ad pœnas, Censuras, & Excommunicationes processuros, quarum etiam absolutionem nobis reservamus, nec permittimus, ut ab his Censuris absolvere possint, quibus alioqui facultatem generalem dedimus à casibus reservatis absolvendi. Pronuntiatæ Apamijs Clero præsente 31. Mart. 1680.

Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XLV.

Actus in forma epistolari expeditus, quo Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus Apamiensis ostendit, Constitutiones suas circa punctum Regaliæ, & Censuras in ijs pronuntiatas, præsertim verò Excommunicationem contra D. Palarinum latam, non obstantibus sententijs & contrarijs Constitutionibus Domini Archiepiscopi Tholosani validas firmásque esse.

Illustrissime & Reverendissime Domine.

DOminus Palarinus, quem ego vigesimâ quartâ elapsi Martij excommunicatum denuntiavi, insinuari mihi fecit Illustrissimæ Dominationis Vestræ Decretum, quo illum ad cautelam, ab hujusmodi Censuris non tantùm absolvit, verùm etiam habilem reddit, qui & possit, & debeat functiones Beneficij & Officij sui exercere; méque insuper coram tribunali Illustrissimæ Dominationis Vestræ octavâ currentis mensis adesse jubet ad videndum, sententiam denuntiatæ Excommunicationis, quam contra illum pronuntiaveram, irritari.

Equidem fateri ingenuè debeo, & præsentibus litteris (posteaquam libertas mihi adempta est publicis ac solem-

nioribus tabulis id agendi) palàm testari, me in ijs, quæ Regaliam spectant, nullo modo Illustrissimæ Dominationis Vestræ Jurisdictionem agnoscere posse, & consequenter nec ejus hac in re judicio, sententijs, Decretis, ad Eámque interpositis Appellationibus deferre. Rationes, quæ hoc mihi persuadent, jam alibi in scripto primâ Octobris Anno 1677. exposui, & nemo eas legit, qui non continuò professus sit, se illis convictum esse, nihilominus tamen non prætermittam in præsenti etiam epistola aliqua fusiùs deducere. *Primò* vid. Illustrissimam Dominationem Vestram non esse in ijs, quæ ad Regaliam pertinent, Judicem Competentem. *Secundò.* In Judicio Sententijsque ab Ipsa latis prætermissas fuisse formas necessarias, & quarum defectu validæ dici non possunt. *Tertiò.* Etiam in substantia ipsius causæ à regulis Justitiæ planè deflexisse. *Quartò.* Constitutiones à me editas, & quoad modum, & quoad substantiam ipsam æquas omnino esse. *Quintò.* Appellationes ad Dominationem Vestram Illustrissimam interpositas, & Inhibitiones ab Ipsa factas non posse mearum Constitutionum executionem morari.

Primum quod attinet, multis rationibus incompetentia Vestri fori probari potest; nam *Primò* constat, Excommunicationes contra Ecclesiasticos, aut etiam Laicos pronuntiatas in Concilijs Provincialibus examinatas & discussas fuisse, sic enim antiquis Canonibus sancitum est. In Concilio primo Nicæno *canone 8. Singulis annis per unamquámque Provinciam bis in anno Synodi fiant, ut omnes in unum convenientes Episcopi Provinciæ ejusmodi quæstiones examinent.* In Concilio Sardicensi *can. 17.* idem statuitur, ac insuper, ut, donec æquitas Excommunicationis rirè examinetur, excommunicatus interim ab omnibus eviteur.

Tamen

Tamen, inquit, *priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum, qui fuerit à Communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere, ut eum Communioni faciet.* Ubi Glossa ad illa verba *Nullus ante* adjungit: *Ergo nec Archiepiscopus. cap. per tuas. de Sent. Excom.* Concilium Oecumenicum Chalcedonense *canone 9. Si Clericus*, inquit, *habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud Synodum Provinciæ judicatur. Secundo.* Si privata tantùm inter me & Dominum Palarinum causa verteretur, non ego detrectarem in foro Illustrissimæ Dominationis Vestræ disceptare, nunc verò cùm de Canonibus in sacris Concilijs stabilitis quæstio sit, nec tam agatur de illorum explicatione (tam enim clari sunt, ut nullâ explicatione sit opus) quàm de continuanda eorum executione, prout vid. pluribus jam seculis in hac Provincia usu recepta fuit; at verò non potest Illustrissima Dominatio Vestra prohibere, ne ego Decreta Conciliorum exequar, nisi auctoritatem supra Concilia & modò allegatos canones sibi vendicet. *Tertiò.* Certum est, majores causas, quales sunt translationes Episcoporum, fundationes novorum Episcopatuum, similésque, soli Pontifici Maximo reservari; at verò causa Regaliæ, in qua agitur de libertate Canonica tot Ecclesiasticarum Provinciarum, longè maxima maximíque momenti est, id quod in litteris ad Regem nostrum datis Sanctissimus Pontifex his verbis expressit: *Ea cæteroquin est rei magnitudo, in qua non Gallicanæ solùm, sed totius Ecclesiæ dignitas, salúsque vertitur.* *Quartò.* Canonistæ omnes in *cap. sicut olim. de accusat.* quod est sextum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. ad ea verba: *Canonicas Regulas*, docent: *Archiepiscopum solum carere potestate condendi statuta totam Provinciam obligantia.* Ita Barbosa, Sanchez, plurésque alij ab

hoc

hoc citati loquuntur. Imò ne Concilium quidem Provinciale statutum circa Regaliam condere posset, cùm causa Regaliæ non ad unam tantùm Provinciam, sed quamplures extendatur, & Concilia Generalia, quid in causa Regaliæ observari debeat, jam disposuerint. *Quintò.* Et quantumvis Illustrissimæ Dominationi Vestræ potestatem daremus absolvendi à Censuris, quas sacri Canones inflixerunt, non ideò tamen potestatem haberet ipsos sacros Canones destruendi, impediendíque, ne, qui illos infringunt, censuras incurrant à sacris Canonibus intentatas. *Sextò.* Sed & illud bonâ veniâ Illustrissimæ Dominationis Vestræ adjungam, quæ hactenus in causa Regaliæ ab Ipsa perpetrata sunt, justissimas mihi causas præbere, eam non tam Judicis, quàm Adversarij loco habendi, suspicandíque, multò Eam magis in illorum partes propendere, qui studio flagrant fimbrias temporalis potestatis dilatandi, quàm eorum, quibus jurium & libertatis Ecclesiasticæ cura est.

Secundum quod spectat, defectus, ijque substantiales circa formam commissi in ea sententia, quam primâ Septemb. Anno 1677. Illustrissima Dominatio Vestra pronuntiavit, satis supérque apparent ex ijs, quæ in Actu à me 18. Octobris anno 1677. evulgato producta sunt, nec ego ijs immorabor, solúmque ad casum particularem Domini Palarini calámum restringam. Quòd si nimia & festinata cupiditas huic homini gratificandi animum Dominationis Vestræ Illustrissimæ non solicitâsset, planè nec Deum magnâ gloriâ, nec proximum magnâ ædificatione privari contigisset, cùm nemo illius Sacerdotis vitam morésque ignoret. *Secundò.* Quòd si Dominationi Vestræ Illustrissimæ ratum fixúmque erat eum censuris liberare, ac potestatem Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerendi, aliásque sacras functiones

ctiones obeundi restituere, at saltem vocari ego quoque, & audiri debebam. *Tertiò.* Tantóque major hæc me vocandi audiendíque necessitas fuit, quòd omnino incongruum insolénsque videretur, potestatem sacras functiones peragendi ei concedere, de quo non planè constaret Censuris solutus, an innexus esset, præsertim cùm Jus Canonicum in *cap. Romana. de Appellat. in 6. §. penult.* in hæc verba disponat: *Sententias Interdicti, vel Suspensionis, seu Excommunicationis in Appellantem ab eo, qui appellatur, promulgatas, nullatenus nisi vocatis partibus, & de Appellatione legitimè cognito revocent, aut denuntient esse nullas.* *Quartò.* Ipsimet Auctores, qui scripserunt, Absolutionem ad cautelam aliquid operari in favorem Excommunicati, expresè adjungunt, id tantùm obtinere, quando constat, aut saltem semiplenè probatur, Excommunicationem esse nullam, nec sufficere ut Excommunicatio sit injusta. Ita scribit Pater Gibelinus Jesuita in suo Tractatu de Censuris *c. 10. q. 2. Dubium,* inquit, *non debet esse tantùm de justitia Censuræ, sed de valore. Observant autem Covarruvias, & Sayrus ex consensu Canonistarum communiori, nullitatis, quam prætendit, qui ideirco absolutionem ad cautelam petit, causam nominandam in specie, & aliquam saltem in universum probandam esse, imò & semiplenè; quia alioqui pro validitate sententiæ latæ præsumitur, & simpliciter proposità nullitate Censuræ ejus absolutio cuicumque illam petenti concederetur, quamvis ad cautelam, sæpissimè tum Censura, tum Judices illuderentur.* *Quintò.* Absolutio ad cautelam, si ex spiritu & disciplina Ecclesiæ loquamur, nullum alium effectum habere potest, quàm ut taliter absolutus personam habeat standi in judicio, quam alioquin ex dispositione Sacrorum Canonum (quos saltem in foro Ecclesiastico sequi par est) excommunicati non habent. Ita Innocentius

III. loquitur *in cap. per tuas. de sent. excom. Excommunicatus*, inquit, *vocem non habet appellandi.* Et in epistolis aliquot pòst annis impressis: *Personam standi in Judicio non habent ij, qui sunt excommunicationis vinculo adstricti. lib. 4. epist. 94.* Feuretus Tractatu de Abusu *lib. 7. cap. 2. n. 39. Excommunicatus ab Ecclesia personam standi in judicio non habebat.* Et infrà: *Exceptio Excommunicationis repellebat Actorem ab agendo, sive in prima instantia, sive in causa Appellationis, & ideò hæc Exceptio locum fecit Absolutionibus ad cautelam, quæ ideò introductæ sunt, ut litigantes legitimam habeant personam standi in judicio, ut testabiles vel testes esse possent; denique, ut lis cum eis legitimo Marte decurrere posset. cap. 36. de testibus.* Ipse Clerus Gallicanus in Generalibus Comitijs, quæ annis 1665. & 1666. Parisijs agitata sunt, adeò persuasum habuit, Absolutiones ad cautelam non alium effectum habere, quàm habilitandi personas, ut stare in judicio possint, ut stabiliendæ huic veritati, atque in Regijs Parlamentis Curijsque recipiendæ, Regiam Majestatem imploraverit, Rex verò mense Martio anno 1666. ita rescripserit: *Absolutiones ad cautelam non nisi juxta formas iuris permittentur, quorum culpæ notoriæ sunt: neque alium effectum producent, quàm ut ita absoluti judicio stare possint.*

Tertiò. Fieri fortasse potest, ut Illustrissima Dominatio Vestra persuasum habuerit, Decretum meum, vi cujus Dominum Palarinum excomunicatum postea denuntiavi, irritum cassumque redditum esse sententiâ ab Illustrissima Dominatione Vestra Kalendis Septembris anno 1677. pronuntiatâ. Sed *primò.* Præterquam quòd Decretum meum sententiâ Illustrissimæ Dominationis Vestræ posterius fuit, ut ex utriusque datis apparet (cùm Decretum meum 27. Octobris anno 1677. datum fuerit, sententia verò Vestra Kalendis Se-

Septembris ejusdem anni) ideò ut Dominus Palarinus, qui nobis contrarium suggessit, falsi excusari non possit; constare insuper poterat ex ijs, quæ allata à me fuerant, Illustrissimam Dominationem Vestram in causa Regaliæ Judicem competentem non esse, sícque non potuisse Decreta à me edita, aut deinceps pro conservatione jurium Ecclesiasticorum edenda pro irritis cassísque declarare. *Secundò.* Quodsi Dominatio Vestra Illustrissima Decretum à me propositum, suæque sententiæ adversum, attentatæ usurpatæque Jurisdictionis (sic enim loquitur D. Palarinus) damnandum putat, cur non potiùs hanc notam sententiæ suæ inurit, quàm sacris Canonibus Decretísque Pontificum (nam mihi ob istorum executionem bellum ac persecutionem movent) utique adversari constat. Quis sibi umquam persuasisset, postquam Romanus Pontifex tam validè enixéque ostenderat, Dominationis Vestræ Illustrissimæ sententiam omni Divino humanóque juri repugnare, imò in manifestam causæ meæ justitiam, morésque ac Privilegia hujus Provinciæ offendere, eam nihilominus non tantùm cœptis non destitisse, verùm etiam latæ priùs sententiæ aliud ejusdem omnino tenoris Decretum adjungere voluisse? Num ergo cùm Ecclesiæ sacrorúmque Canonum Decreta exequor ego, Vestri arbitrij ac potestatis est, Constitutiones à me, nec vocato, nec audito editas abolere, cùm interim Pontificis Romani voces, jura Divina & humana, ac Provinciæ hujus immunitates violari clamantis nihil apud Vos proficiant? Num verò Metropolitani in suffraganeos potestas, quæ solius juris humani est, magis sacrosancta magísque reverenda est, quàm auctoritas ab ipso Christo Jesu Pontifici Romano Vicario suo in terris concessa? An ergo ideò Ecclesia alijs Coepiscopis & Confratribus Vestris

Vos præposuit, ut ejus jura ac libertatem minueretis, & non potiùs ut ea pro viribus tueremini? & tamen, si loqui veritatem licet, nulla alia potestas Illustrissimæ Dominationi Vestræ extra Diœcesin suam competit, quàm quæ à sacris Canonibus permissa est; ij verò numquam utique permittunt canones violari. Opponet fortè mihi Illustrissima Dominatio Vestra Breve Romani Pontificis non fuisse juxta formas in foro externo necessarias expeditum: sed numquid non ideò constabat legitimum non esse? & si constabat, num reverentia Pontifici Romano debita, ut illi obtemperaretis, non exigebat? & quid opus juris formâ, quando de re ipsa dubium non erat? *Culpantur hi*, inquit Sixtus Papa, *qui aliter circa fratres egerint, quàm hujus Sedis Rectoribus placere cognoverint.* Sixtus *epist. 2. cap. 2. apud Ivon. Decr. p. 5. cap. 3.* Et planè quantò major fuit Romani Pontificis moderatio, tantò magis decebat Vos characteris Episcopalis rationem habere, ac Immunitates & Privilegia Ecclesiarum tueri, aut saltem eos non persequi, qui tuendis illis laborabant. Præsertim cùm ex Tractatu, quem nuper Illustrissimæ Dominationi Vestræ transmisi, & ex ijs quæ Septimaniæ Syndicus validè pro defensione hujus Provinciæ typis edidit, constare luce meridianâ clariùs licuerit, nec Diœcesin, nec Provinciam meam Regaliæ subjectam esse. *Tertiò.* Nullus equidem dubito, plura Oecumenica Concilia à Dominatione Vestra Illustrissima perlecta esse, & ego aliqua in Tractatu Regaliæ citavi, possémque plura producere, ac inter alia testimonium Concilij Lateranensis sub Alexandro III. quod *capite 14.* ita loquitur: *Presbyter, aut Clericus, qui Ecclesiam per Laicos sine proprij Episcopi auctoritate receperit tenendam, Communione privetur, & si perstiterit, à Ministerio Ecclesiastico, & Ordine deponatur.* Non videtur Domina-

minationi Vestræ Illustrissimæ, hunc ipsum esse casum D. Palarini? *Quartò.* Ipsa Dominatio Vestra Illustrissima continere se non potuit, ut præclaro cuidam viro (qui epistolam meam dignatus fuit exhibere, quique me certum reddidit, Dominum Palarinum numquam à Dominatione Vestra Illustrissima absolutum iri, nisi priùs intellectis causis, ob quas ego anathemate illum percussissem) ingenuè fateretur. Sibi omnino persuasum esse, etiamsi in mea Diœcesi jus Regaliæ vigeret, non potuisse tamen Dominum de Ouvrier Ecclesiæ duCamp Decanum Officio & possessione suâ pelli, quæ unica fuit occasio excommunicandi Palarinum, & tamen tunc temporis Illustrissimæ Dominationi Vestræ ne media quidem pars earum rationum patebat, quæ pro Decano de Ouvrier militabant. Quomodo ergo non oportuit Palarinum manifestæ culpæ reum à nobis pro excommunicato haberi, aut saltem ad me remitti? juxta dispositionem capituli, *Venerabilis. de sent. Excomm. in 6. §. sanè.* Et quæ tanta necessitas fuit, cum hoc homine ad Beneficij possessionem sacráque functiones adeò festinandi, ut ne tempus quidem supereſſet, formas à sacris Canonibus præscriptas observandi? & planè si umquam sacros Canones observari oportet, qui Metropolitano prohibent, ne citra suorum Suffraganeorum consensum quidquam in Provincia mutet, id maximè locum habet, quando de causis agitur præcipui momenti, quæque ad omnes Episcopos pertinent. *Siquis*, inquiunt Canones, *Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solùm pertinet Parochiam, sine Concilio & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum aliquid agere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit, & quod egerit, irritum habeatur.* Eadem est, nec minùs expressa sententia Canonum: *Archiepiscopus*, & *Nullus Primas*, & *Episcopi*, citatorum

ab Antonio Augustino in Juris Pontificij Epitome *l. 3. tit. 16.*

Quartò. Idem Dominus Palarinus ausus est persuadere Illustrissimæ Dominationi Vestræ, solemnitates necessarias à me esse prætermissas. Sed *primò* quamvis verum id esset, neminem tamen causæ latent, quæ me, ut eas omitterem, coëgerunt; quis enim solemnitates exigat, quæ & quando impossibiles sunt? & utinam eas omnes observandi facultas mihi permitteretur! sed obstant machinationes meorum adversariorum, à quibus quàm malè habiti sint quicunque Decreta contra Regaliam, aut ediderunt, aut penes se retinuerunt, aut etiam insinuârunt, exploratius est, quàm dici à me debeat. *Secundò.* Et tamen in his quoque angustijs non omisi necessarias, & essentiales solemnitates adhibere, quippe condemnavi neminem non auditum, aut saltem citatum, ac culpæ manifestæ reum. Quodsi ex officio nullóque denuntiante ad Processum sententiámque deveni, ideò fuit, *tum* ne Promotorem, aut Denuntiatorem indignationi periculísque adversariorum exponerem, verebar enim exempla jam præterita; *tum* quia Episcopus in promovendis tuendísque suarum Ecclesiarum juribus nullo alio instigatore opus habet, quàm stimulis Conscientiæ & Dignitatis propriæ, tótque sacrorum Canonum Summorúmque Pontificum Decretis.

Queritur quidem Palarinus, tres Canonicas monitiones à me prætermissas fuisse. Sed *primò* ignorare non debuit, defectu Canonicarum monitionum fieri quidem posse, ut in certis casibus Excommunicatio injusta evadat, non tamen invalida (nisi fortè in eum feratur, qui cum excommunicato communicavit, nec tamen in ea culpa, propter quam excommunicatus est) idque communis habet sententia Doctorum apud Barbosam in *cap. sacro. de sent. excom.*

&

& Bonacinam *Tract. de Cenſuris d. 1. q. 1. p. 9. n. 5.* Cùm ergo ſententia Excommunicationis à me lata valida fuerit, nec eam defectus monitionum irritam facere potuerit, ſequitur Palarinum non potuiſſe ad cautelam abſolvi, niſi fortè ad unicum effectum, ut agere in judicio poſſet. *Secundò.* Illud quoque Palarinum ſcire oportuit, magnum vid. diſcrimen eſſe, cùm quis excommunicatur, & cùm declaratur Excommunicationem incurriſſe. Quando ergo in pœnam perpetrati delicti excommunicatur aliquis, jura ſtatuunt, priùs trinas admonitiones præmitti oportere, quàm Excommunicatio infligatur: trinam verò eam admonitionem, aut tribus diſtinctiſque terminis, aut uno, qui tribus æquivaleat, fieri poſſe; nam omnis Excommunicatio contumaciam aliquam ſupponit. Cùm verò agitur non de excommunicando aliquo, ſed de illius Excommunicatione declaranda, nullâ opus eſt comminatione, quâ præmoneatur excommunicandus eſſe (ſupponimus enim jam eſſe excommunicatum) ſed ſolâ citatione, ut vid. comparens reſpondénſque rationes, ſi habet, adducat, ob quas ſe Excommunicationem non incurriſſe oſtendat. Ita conceptis expreſsiſque verbis habetur in *capitulo, Reprehenſibilis. de Appellat. in 6.* docétque præcitatus Bonacina *n. 1.* qui duas adducit, validáſque rationes, vid. *tum* quia lex ipſa non ignorata admonet: *tum* quia ſequeretur, nullam Cenſuram incurri ipſo facto propter aliquod delictum, ſi præter legem neceſſaria eſſet alia admonitio. Idem Barboſa in *cap. Romana. de ſent. Excomm. in 6. n. 5.* & Toletus Cardinalis, aliſque docent. *Tertiò.* Sed ut nulla ſuperſit Palarino tergiverſandi cauſa, illud tantùm in memoriam ei revoco, vid. trinâ vice, dum in ipſo flagranti delicto verſaretur, à me admonitum fuiſſe, quod utique ſufficiebat ex communi

Do-

Doctorum sententia vibrando tandem in illum anathemati; quæ enim contumacia major indigniórque dici potuit, quàm legitimo Superiori repetitis vicibus, ac justa imperanti nolle obtemperare? Frustra ergo conqueritur Palarinus se indictâ causâ denuntiatum esse.

Sunt etiam plures casus, in quibus Superior Ecclesiasticus omissis Denuntiationibus potest ad Excommunicationis sententiam procedere, quorum plerique in præsenti causa locum habent; ij verò sunt *primò*, quando fertur Excommunicatio ab Episcopo non tamquam Judice, sed tamquam parte ad defensionem jurium Episcopalium, scilicet contra occupantem res Ecclesiæ, sive turbantem jura Ecclesiæ. Barbosa *in cap. sacro de sent. Excomm.* Felinus *ibid. n. 6. & in cap. Cùm sit Romana. n. 16. de Appellat.* Innoc. *in cap. Venerabili. n. 3. & 4. ubi etiam* Abbas *n. 3. &* Butrius *de Censibus. Secundò*, quando Judex Ecclesiasticus præcipit aliquid, quod ad ejus officium pertinet, quia verè talis non obediendo contumax est, satis enim monet eo ipso, quòd justè aliquid præcipit, vel prohibet. *Tertiò*, quando delictum est commissum in præsentia Judicis. Felin. *cit. n. 7.* Butrius *in cap. ad Apostolicam. de Except. Quartò*, quando Judex excommunicat excommunicatum à Jure, in hoc enim casu sufficiens reperitur monitio, cùm lex, statutum, seu sententia semper clamet, & moneat subditos à peccato illo abstinere. *leg. Arriani. Cod. de Hæret.* & ita habetur in *cap. Reprehensibilis. & ibi* Abbas *n. 6. & 7. de Appellat.* Covarruvias *dicto* §. *9.*

Quintò. Certum est tam ex Juris Canonici dispositione, quàm ex Glossis, quæ supra illud commentantur, non esse Appellationibus deferendum, quæ & quando illegitimæ sunt. Ita habetur in *cap. cùm de Appellationibus. in 6. cap. ad nostram. cap. cùm speciali.* §. *Porrò de Appellat. Concil. Trid. sess. 13. cap. 1.*

cap. 1. de Reform. Gloſſa in *cap. cùm Appellationibus. de Appellat. in 6. Nota*, inquit, *quòd Judex, à quo, non debet deferre Appellationi frivolæ ſine cauſa, vel ſi cauſa eſt irrationabilis, aut eſt falſa; imò ſi deferat, peccat mortaliter.* Et paulò ſuperiùs. *Quando Judex, à quo, præſumit appellationem frivolam, non deferat appellationi.* Et Gloſſa *ſuper capitulum ſolet. de ſent. Excomm. in 6. Nota ulteriùs junctâ Gloſſâ, quòd Sententia Excommunicationis lata poſt Appellationem in appellantem eſt nulla; & hoc verum eſt poſt Appellationem legitimam interpoſitam ex cauſa rationabili & vera; aliàs reprimendo mendosè cauſam rationabilem poſſet ſe eximere à Juriſdictione ſui Judicis.* Cùm ergo non præſumerem ego tantùm, ſed certus omnino eſſem, Appellationem, quàm Palarinus à meis Decretis, & à Declaratione Excommunicationis ab eo incurſæ interpoſuit, frivolam eſſe, nullâque validâ ratione nixam, planè me peccato alligâſſem, ſi aut ei detuliſſem, aut cum publico ſcandalo, omniúmque offenſione Jura Canonésque Eccleſiaſticos violari ab eo paſſus eſſem; quippe Appellatio remedium eſt innocentiæ, non defenſio iniquitatis, ut loquitur Tridentinum Concilium *ſeſſ. 13. cap. 1. de Reform. & cap. ad noſtram. cap. cùm ſpeciali. de Appellat.* Cæterùm Palarini Appellationem illegitimam fuiſſe, non opus eſt alio, quàm Pontificis Romani teſtimonio, Tholoſanæ ſententiæ hanc notam inurentis: *Contra manifeſtam cauſæ juſtitiam, contra omnes humani Diviníque Juris regulas, contra morem Prædeceſſorum tuorum, aliorúmque Galliæ Præſulum, &c.* Omnes ergo Appellationes, quæ contra Decreta à me edita (quamdiu iſta ſacris Canonibus Concilijſque in hoc Regno receptis fuerint conformia) interpoſitæ ſunt, & quidquid in favorem Regaliæ deinceps Illuſtriſſima Dominatio Veſtra molita fuerit, non aliud ex ſententia Romani Pontificis elogium

gium merebitur, quàm quòd *contra manifestam causæ justitiam, contra omnes humani Divinique Juris regulas, contra ipsius Ecclesiæ totiúsque Provinciæ jura & libertatem, & contra morem Prædecessorum aliorúmque Galliæ Præsulum* peracta sint.

Nec potest Palarinus, alijque ei similes, qui censuras incurrerunt, pro se textum capituli *Venerabilis. de sent. Excomm. in 6.* producere, in quo dicitur: *Ubi Superiori competit de Excommunicatione cognoscere, absolutiõ, seu relaxatio quam ipse fecerit, tenet.* Palàm enim est, in eo canone de eo solùm casu sermonem esse, quando absolutio in præjudicium sacrorum Canonum, Conciliorum, Decretorúmque Summorum Pontificum vergat; verba citati capituli sunt; *Quoniam etsi contra jus litigatoris, non tamen contra jus Constitutionis absolvit.* Id quod etiam in capitulo *cùm inter, de sententia & re judicata* habetur. Cùm ergo Illustrissimæ Dominationis Vestræ Kalendis Septembris anno 1677. pronuntiata sententia, secutæque inhibitiones, & quoad formam, & quoad substantiam nullæ irritæque sint, ut abundè alibi ostendi, & ipse quoque Romanus Pontifex testatus est; sequitur me nullo modo ijs deferre debuisse, præsertim cùm me nec vocato, nec audito nulla potestas Vobis fuerit, me potestatis meæ usu interdicendi, ut est expressus textus in *cap. Romana de Appellat. in 6.* & ibi Barbosa alijque plures Canonistæ.

Verum quidem est, me non adlaborâsse, ut pronuntiata ab Illustrissima Dominatione Vestra sententia pro nulla irritáque declararetur; cæterùm ne id facerem, causæ intercesserunt toti mundo notæ: sed neque id obstat æquitati meæ causæ, nec ego præsenti actu illud prætendo, ut à sententia Vestra appellem, sed tantùm ut nullitates, ac essentiales defectus appareant, qui sententiam Vestram cassam

cassam reddiderunt, quíque tam sunt manifesti, ut nec deferre illi possim, nec tamen opus habeam appellare; quippe teste S. Gregorio in *cap. 1. de sent. & re judic. Sententia contra leges canonésque prolata, licèt non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure.* Et S. Symmachus in Concilio Romano: *Injustum judicium, & definitio iniusta Regio metu vel jussu à Judicibus ordinata non valet, nec quidquam contra Evangelicam, vel Propheticam, aut Apostolicam doctrinam Constitutionémque eorum, sive Sanctorum Patrum actum fuerit, stabit.*

Has ergo aliásque ob causas liberrimè profiteor, me, quos hactenus, aut excommunicavi, aut excommunicatos declaravi, semper pro excommunicatis habiturum, ídque Clero Populóque, ut eos pro talibus habeant, numquam inculcare cessabo, dicámque quod olim in simili casu S. Anthelmus Episcopus Belvacensis: *Qui justè ligatus est, solvi non debet, nisi priùs per pœnitentiam satisfaciat illi, quem læsit, atque ita etsi fortassis non dignè & pro meritis, saltem ex misericordia persuadente, & justitia parcente Catholicæ Ecclesiæ restituatur; neque enim vel ipsi Beato Petro sic est hæc collata potestas, ut vel non solvenda solvere, vel non liganda ligare debeat; quantò igitur minùs nobis? Id igitur certum habetote, me à semel pronuntiata sententia non declexurum, sed eam planè retenturum. Apud Surium in vita S. Anthelmi.* Ipsam verò Palarini absolutionem quod attinet, ausim Illustrissimæ Dominationi Vestræ illa Ivonis Carnotensis verba in memoriam revocare: *Famæ Vestræ non bene consulitis; si enim justo anathematis vinculo est ligatus, cùm justa vincula non dissolvat, nisi vera cordis conversio, eo adhuc permanente in crimine ad persuasionem quamdam Personæ splendidæ, quid est hoc anathema destruere, nisi seipsum prævaricatorem constituere?*

Hæc sunt, quæ Illustrissimæ Dominationi Vestræ in hac

causa significanda duxi, quæque si nimis liberè à me dicta sunt, non id planè fuit, quòd ignorarem, quid reverentiæ deberem; sed quòd in causa Dei Ecclesiæque locum esse crederem honestæ libertati, & si quidem Illustrissimæ Dominationi Vestræ placuerit ea legere, quæ, qui crucem præferebat, S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem intrepidâ libertate admonuit, animadvertet, me, quamvis Episcopum, & quidem omnium hujus Provinciæ seniorem, multò parciùs quàm ille locutum; & tamen Archiepiscopum monebat, non aliâ culpâ lapsum, quàm nimio in Confratres Ecclesiámque suam amore.

Apamijs 8. Maij 1680.

Humillimus & Obsequentissimus
Servus
Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XLVI.

Aliud Ejusdem Innocentij PP. XI. Breve ad Illustrissimum Episcopum Apamiensem.

Die 17. Julij Anno 1680.

VEnerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quod plurimorum sermone Nostris auribus dudũ insonat, Fraternitatis tuæ ad Nos litteræ planè declarant. Te scilicet in tribulationibus gloriantem, & inter assiduæ valetudinis incommoda, inter paupertatis & vexationum angustias crescentem quotidie magis in charitate Christi, magno fortíque animo illius causam agere, & pergratum Deo hominibúsque spectaculum exhibere. Magnum profectò ex tantæ virtutis experimento doloriNostro solatium cepimus,

cepimus, & pari obligationis nexu obſtringimur, tendendi ſupplices in cœlum manus, ut uberes profiteamur miſericordiarum Patri gratias, quòd difficillimo tempore ſuſcitaverit ſibi in iſto Regno Sacerdotem fidelem, qui in communi animorum conſternatione & ſilentio, quaſi tubam exaltet vocem ſuam, & opponat murum pro domo Iſraël. Documentum illuſtre cæteris, quos Dominus poſuit regere Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo, quàm pæclara, quàm gaudij plena res ſit, dignos haberi, qui pro Jesu Chriſti nomine contumeliam patiantur: ſi contumelia dicenda eſt, ex qua vera & ſolida in hac quoque mortali vita oritur gloria, judicio ſapientum. Nos quidem, quantum ſitum in Nobis erit, nullo loco deerimus virtuti tuæ: quamquam etſi deeſſent omnes, pro explorato tamen habemus Deum cauſæ ſuæ, neceſſitati Eccleſiæ, conſtanti tuæ in ipſum fidei, aſſiduis & accuratis precibus Noſtris, bonorum denique omnium votis non defuturum. Statueramus efficax remedium adhibere ijs, quæ Archiepiſcopus Tholoſanus contra Lugdunenſis Concilij ſanctionem, & contra Apamienſis Eccleſiæ, vel potius Provinciæ Tholoſanæ jura libertatemque attentare auſus fuit: ſed redditis Chriſtianiſſimi Regis litteris, in quibus ad ultimas Noſtras conſuetæ cum filialis obſervantiæ ſignificatione reſpondens, ſe injunxiſſe ſignificat dilecto filio Noſtro Cardinali d' Eſtrées, ut expedito itinere ad urbem proficiſcatur, regiam Nobis mentem ſuper negotio Regaliæ declaraturus: operæ pretium duximus eidem remedio ſuperſedere, dum Cardinalis adveniat. Nobis enim perſuademus, Regem quoque ipſum interim curaturum, ut omnia in locum priſtinum reponantur. Quod ſi ſecus accidat, præfatus Archiepiſcopus, ab eóque cauſam habentes pergant in te tuiſque Canonicis, alijſque Eccleſiæ

tuæ Beneficiarijs vexandis, prætextu juris Metropolici, tuæ Pastoralis solicitudinis, & spectatæ constantiæ partes erunt, Te, tuámque Ecclesiam adversus eorum attentata, Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum ope armísque defendere. Ad Nos enim quod pertinet, omne tibi à Pontificia authoritate, & à paterna charitate Nostra præsidium polliceri debes. Tibíque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Julij 1680. Pontificatûs Nostri anno quarto.

Marius Spinula.

Documentum XLVII.

Epistola Domini Dorat Archipresbyteri Aquensis ad Dominum la Borde.

NOtandum est, Clericum quemdam, nominatum la Borde, ab Illustrissimo Episcopo Apamiensi (qui numquam induci potuerat, ut illum ad sacros Ordines promoveret) Romam missum esse, ad curanda Diœcesis negotia, quò jam Dominus Dorat ejusdem Episcopi jussu pervenerat, Sacerdos plenæ exploratæque probitatis ac prudentiæ. La Borde, Episcopo Apamiensi jam vita functo, Româ Parisios discessit consilijs quorumdam permotus, simúlque libellum mendacijs ac calumnijs refertum Aulæ obtulit, eodémque tempore non erubuit Domino Dorat scribere, se conscientiæ stimulis adactum, & pœnitentiâ eorum, quæ contra Regaliam unitis cum eodem Dorat consilijs exercuerat, Româ egressum, Regiámque Clementiam, à qua veniam

niam speraret, appellâsse, atque, ut Dorat idem faciat, vehementer hortari. Ad hanc epistolam Doratus sequentem in modum respondit:

Amice ad quid scripsisti? Vestras decimo quarto Martij exaratas, quo tempore Christi Redemptoris nostri Passionem recolimus, ritè accepi. Fateor enimverò quæ Romæ, non quidem ea, quæ mecum in causa Regaliæ, sed quæ clam me secretò agitâstis, vobis meritò horrori esse. Illud quoque verùm est, nec à me negari potest, cùm dicitis, vos spe veniæ consequendæ ad nova consilia permotos esse; quamquam illud potiùs dici oportebat, vos vid. spe præmij consequendi, quo labores compensarentur pro Ecclesiæ juribus & libertate suscepti, invitatos esse; quippe vobis animus non fuit, pro Ecclesia militare, postquam armari contra vos mundum experti estis. Priùs enim, cùm nondum tempestas desseviret, adeò Regaliam detestati estis, ut eam in epistola ad Illustrissimum Episcopum Apamiensem 18. Septembris anno 1678. Parisijs data *Jus imaginarium* appellaretis, *imò tam injustum, ut etiam jubente Episcopo ei promovendæ numquam animum adjicere, Vestramque operam locare sustineretis*; & adjecistis: *Optare quidem Vos, ut Regi citra culpam obsequi liceret, sed rem esse tam evidenter injustam, ut instrumentum esse nolitis ei protegendæ.* Et in eadem epistola Vos ita Regaliam sectari ostenditis, ut eam improbetis quidem, nec tamen eam deserendi animus viresque suppetant, *sed similem captivo esse, servitutem aversanti, sed viribus destituto, quibus laqueos abrumpat.* Et palmariam causam, quæ vos Regaliæ devinicat, adjungitis, vid. quia alioqui non essetis *amicus Cæsaris.* Et in alia epistola vigesimâ septimâ Augusti data: *Tertiâ jam vice expertos Vos esse dicitis, nemini ad Regem aditum permitti, nisi qui animo veniat*

niat, omnia quæ ab illo fiunt, collaudandi approbandique: & ipsos quoque Sorbonæ Doctores iustissimam credere Ecclesiæ causam; ne id tamen scriptis testentur, metu prohiberi. Hæc tunc quidem Vobis sententia fuit, non animo tantùm, sed etiam calamo expressa, parvâ licèt Regiæ Majestatis reverentiâ; at verò ubi mortuo Episcopo Apamiensi ex una parte mortuas quoque spes Vestras credidistis, ex altera metus & pericula se ostentârunt, tunc enimverò sepositâ fiduciâ, quam in Deo collocare oportebat, veritíque familiæ Vestræ paupertatem, nec aliâ ratione inducti, quàm spe amplioris fortunæ, Conscientiam, Episcopum, Ecclesiam, Vestrósque Amicos deserere statuistis, imò Regis ipsius causam; quippe qui Vestris impostúris calumniisque id solùm egistis, ut Eum veritatem celaretis, útque gratiâ apud illum excíderent, qui & Conscientiæ & honoris titulo multò magis quàm vos Ejus obsequio adstricti sunt, quique & in hoc, & in prosequenda Ecclesiæ causa nullum aliud sibi præmium ante oculos ponunt, nec deinceps ponent, Divinâ favente gratiâ, quàm illud unicum, ut Deo vid. placeant. Revocate in memoriam, non priùs Vobis alias cogitationes, aliámque sententiam susceptas esse, quàm ubi advertistis, noluisse me cooperari, ut Beneficio, ad quod aspirabatis, potiremini; memineram enim, Illustrissimum Apamiensem sæpè & me, & alijs coram palàm professum esse, Vos ad vitam Ecclesiasticam minimè vocatos esse: quæ etiam causa fuit, ut numquam induci potuerit, ut Vos, quamvis per ætatem liceret, sacris Ordinibus initiaret. Hic quidem fama percrebuit, Vobis eum honorem contigisse, ut ad Regis alloquium admittamini: quod si verum est, vereor, ut si oculos in faciem Vestram conjecerit, pro mirabili, quam à Deo accepit, sagacitate, continuò agnoverit,

agnoverit, nullam verbis veſtris ſe poſſe fidem adhibere. Maluiſſem equidem pro amore, quo vos complector, hæc omnia æterno ſilentio involvere, ſed tam multa à vobis veritati adverſa & ſcripto, & facto prolata ſunt, ut me cogerent veritatem, quam aliàs celatam cuperem, palàm edicere. Libellus, quem, uti ſcribitis, ad Regem dediſtis, & hic ad Eminentiſſimum Cardinalem de Eſtrées, ad manus quidem meas necdum pervenit; cæterùm cùm nullius nec in Regem, nec in Deum admiſſæ culpæ mihi conſcius ſim, quidquid in eo continetur, ſi verum ſit, pudori non erit; ſi falſum, impoſturæ convincam, nec, ut ſpero, Deus umquam permittet, ut qui me cognoſcunt, aliquid meis moribus indignum credant, præſertim cùm candor ſinceritásque mearum intentionum neminem lateat. Ego Romam adij juſſu Epiſcopi meì, cujus merita pietáſque non vobis tantùm, ſed etiam Eccleſiæ toti perſpecta ſunt. Ego primas negotij & induſtriæ meæ partes à precibus incepi, quas Sanctitati Suæ demiſſiſſimè obtuli, rogavíque interpoſitâ Eminentiſſimi Cardinalis Cybi operâ, dignaretur apud Chriſtianiſſimum Regem ſecretam privatámque Epiſcopo meo audientiam obtinere; id enim mihi Epiſcopus imperaverat, ſperabátque, ſi modò rationes ac momenta cauſæ ſuæ exponere poſſet, ſe juſtiſſimo Principi facilè perſuaſurum, non ſolùm ut inſtitutum ſuum probaret, verùm etiam promoveret. Præclara ſunt utique hæc innocentiæ meæ teſtimonia, nec credo ſuppetere vobis, quæ illis opponatis. Perrexi deinceps approbationem Conſtitutionum urgere, quas idem Epiſcopus meus ad Capitulum dederat, obtinuíq; à Summo Pontifice. Exhibui quoque epiſtolas Eidem Pontifici ab Epiſcopo, Capitulóque Cathedrali datas, quibus Eccleſiæ ſuæ libertatem commendabant; ac tandem nihil

seu voce, seu scripto omisi, quod ad plenè informandam Sanctitatem Suam de justitia causæ, quam defendendam susceperam, necessarium crederem. Hæc cùm ita se habeant, quid tandem illud est, quòd, uti dicitis, Conscientiæ mihi ducere, pœnásque dare oporteat? an fortè quòd Confessariorum meorum consilijs Suæque Sanctitatis Voluntati non sim plenè obsecutus? id enim mihi exprobratis. Cæterùm quàm hæc querela nullo fundamento nitatur, Vobis perspectissimum est; ego enim quamdiu Romæ moratus sum, duobus tantùm Confessarijs usus sum. Primus fuit R. P. Mariana Sosini, Congregationis Oratorij S. Philippi, cujus memoria non Romæ tantùm, sed in toto Orbe Christiano magnæ venerationi est, constat enim sanctitate florentem vivis excessisse; huic ego, donec consilio Medicorum Carbonianum Româ migravit, arcana commissi Conscientiæ meæ, & ex adjuncto litterarum exemplari, quas ad me dedit, perspicere licebit, quam ille de me opinionem habuerit: planè cùm in laudes meas effundatur, maluissem eas epistolas celari, nisi ut illas proderem calumniæ effecissent, quas in me conjecistis; ergo, ut verbis Apostoli utar, *factus sum insipiens, sed vos me coëgistis.* Alter meorum Confessariorum est R. Pater Ascanius Bellu-zius, Eiusdem Congregationis Superior, cuius laudibus recensendis consultò abstineo, quippe adhuc viventis: quid ille de me sentiat, interrogari potest audiríque: *Ætatem enim habet, ipse loquatur.* Ipsius quoque Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Apamiensis operâ in expianda Conscientia quindecim ferè annos usus fui, dum in Apamiensi Diœcesi commorarer; & postquam me Romam contuli, non cessavit, quâ erat charitate, me litteris instruere, imò datis epistolis ad quamplurimos, eósque Primores, ipsúm

que

que summum pontificem meam agendi rationem quàm plurimùm comprobavit; quæ omnia argumento sunt, nihil contra illius intentiones à me peractum esse, præsertim si ea quoque ad animum reducatis, quæ vos ipsi Ejus jussù ad me scripsistis. Sanè multò maiori jure opponere ego vobis possem, quod vos ipsi viro fide dignissimo confessi estis, vid. & Romæ à noto quodam Pœnitentiario, & in Æde Lauretana ab alio Societatis Jesu vehementer improbatam esse mutationem, quam tunc temporis meditabamini, quæque animum, & Conscientiam vestram adeò agitavit, ut & somnus à vobis fugeret, & tristissimæ imagines oculis oberrarent, adeò ut horrore metúque percellerentur, qui vobiscum sermonem miscebant, & ego alijque quamplures amici vestri id in vobis notaremus; hæc inquam, cùm perspectum esset, vobis obijci posse, maluistis prævenire, justáisque querelas injustis calumnijs occupare.

Sed nec suffecit vobis, ut me Aulæ Regíque Christianissimo odiosum redderetis suspectúmque, nisi insuper idem Romæ, & apud Summum Pontificem moliremini, Cujus Voluntati dicitis me adversatum, & defectum obsequij eo prætextu velâsse, quòd non satis de rerum veritate Pontifici constaret. Cæterùm voluntatem Romani Pontificis quod attinet (quam me dicitis nullius pensi habuisse) adeò ex Brevibus ab Eodem Pontifice datis clarum est, ut omnibus constare possit, me ab ea nihil penitùs deflexisse; & ego sæpiùs de hac causa cum Sanctitate Sua locutus sum, éstque tanti momenti, ut ne diem quidem Romæ me passa esset consistere, si contra illius intentiones aliquid moliri attentâssem. Quod si illud velitis, Pontificem meis sermonibus eò adductum esse, ut sententiam mutaret, séque ad alia consilia induci pateretur, magnam profectò injuriam

riam ei facitis, perinde ac si tantus Pontifex ex meis nutibus arbitrióque penderet, nec quid facto opus sit, intelligere posset, nisi me suggerente. Illud verum est, quòd, cùm causa Regaliæ sit admodùm recondita, multísque etiam Gallicanorum Scriptorum ignota, necessarium fuisse, ut Sanctitas quoque Sua dignaretur in ejus fundamenta exactè inquirere, quod etiam abundè fecit. Cùm ergo hæc ita se habeant, ingenuè fateor, non posse me non vehementer admirari indignaríque malignitati vestræ, quâ totam epistolam aspersistis, & semel iterúmque repetere: *Amice ad quid scripsisti?*

Causam Domini Serris quod attinet, ipse rationem eorum reddet, quæ inter utrúmque vestrûm Florentiæ contigerunt; cúmque sit vir æqui bonique amans, ingenuè veritatem fatebitur. Illud verum est, me nunquam induci potuisse, ut illis quæ scribitis fidem adhiberem, vid. eum vobis minas intentâsse, ac coegisse, ut litteras ad R. P. Fabrij scriberetis, eásque, quas Pater de la Chaise ad vos dederat, vi abstulisse: quis enim sibi persuadeat, hominem exermem nullísque clientelis subnixum in urbe tam grandi, & contra hominem tam robustum vividúmque, ac viribus præpollentem hæc ausum esse? Planè hoc facinus haud dissimile videri possit pugnæ, quam David suscepit cum Goliatho Gigante, & quisquis utrúmque Vestrûm cognoscit, fabulam omnino narrari opinabitur. Quod si, uti scribitis, ingenuè professus est, vereri se, ne in Vestrum interitum rueretis, profectò à veritate non aberravit; quis enim credat Vobis animum fore ad Vestras culpas dolóique palàm faciendos, excipiendásque pœnas, quas propterea meriti estis, quando horrore paupertatis aliarúmque adversitatum, quæ glorioſæ Vobis fuissent, tam indigna perpetrâstis? Cau-

Causam Ecclesiæ Apamiensis quod attinet, & cui Vos malè ominamini, ea talis est, ut omnino sperem, feliciter absolutum iri, nec minori Ecclesiæ, quàm Regni ipsius bono. Denique si Dominus Serri veritus est, ne nostro in Gallias adventu vita mea periclitaretur, id illius tribuo charitati; alioqui tam mihi Principis justitia perspecta est, ut vanum credam, qui ob fideliter expleta Episcopi sui mandata pœnas ab æquissimo Rege vereatur. Quod si præter Christianissimi Regis intentionem ob expletas honestatis, & Conscientiæ meæ partes adversi aliquid eveniat mihi, spero cum Divina gratia, me id æquo hilarique animo laturum: nec tam me, quàm illos potiùs miseros fore, qui earum calamitatum auctores mihi fuerint; nam ut bene S. Cyprianus monet *epistolâ 55. Cùm nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui facere se credunt.* Et S. Hieronymus *epist. 68.. Non qui patitur injuriam, sed qui facit, apud Christianos miser est.*

Hæc sunt quæ ad epistolas Vestras respondenda duxi, quibus illud adjungo, me numquam cessaturum pro salute Vestra memoriam ad aras facere, imò multò jam ardentiùs quàm olim facturum, quippe verbis Salvatoris nostri impulsum, pronuntiantis: *Orate pro calumniantibus Vos*; & exemplo quoque Regij Prophetæ excitatum, qui cùm calumnijs suorum impeteretur, tantò impensiùs orabat: *Locuti sunt*, inquit, *adversùm me linguâ dolosâ, & sermonibus odij circumdederunt me, pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Ergo à Divina misericordia easdem Vobis, quas mihi gratias postulabo, atque utinam preces meas, quamvis ab indigno profusas, ille exaudire dignetur, quemadmodum servi sui Davidis exaudivit: *Ego autem*, inquit,

orabam, & exaudisti me DEUS meus. Id Ecclesia hodierno Officio precatur, & ego ex toto corde persevero.

Romæ 2. April. 1681.

Humillimus & addictissimus Servus

Dorat Archipresbyter Aquensis.

Documentum XLVIII.

Reverendi Patris Mariana Socini Presbyteri Oratorij Jesu Christi in Urbe, ad Illustrissimum ac Reverendissimum Episcopum Apamiensem.

29. Octob. 1679.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

MAgnum obtigisse mihi lucrum existimo, ex eo, quòd mihi datum sit familiariter atque intimè agnoscere Dominum Archipresbyterum Aquensem, Sacerdotem, liceat dicere, dignè Evangelio Christi conversantem, operarium inconfusibilem, & quidem in illo & Illustrissimam Dominationem Vestram agnovi, tanquam in Discipulo Magistrum, tanquam in filio Patrem, utinam dum utrumque ex corde veneror, utriúsque etiam virtutes sedulò imitari incipiam.

Non sine magno ac justo animi mœrore audivi motum magnum, qui factus est in mari, ita ut navicula Vestræ Pastorali Solicitudini credita, jam videatur operiri fluctibus, & jam clamandum supersit: *Domine salva nos, perimus.* Magna quidem procella, magnum periculum: sed major ille, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, qui pro Sanctissimo Suo beneplacito imperat ventis & mari, & fit tran-

tranquillitas magna. Spero equidem, quòd manus Domini erit cum Illustrissimo Domino meo; nec irrita fiet spes mea: quia in paterna Dei providentia, atque ipsius causæ justitia, nec non in tam pij Præsulis vigilantia & constantia innititur.

Gaudeo, Illustrissime Domine, quòd in negotio maximè arduo ac periculis pleno, non quæras, quæ Tua sunt, sed quæ Jesu Christi: quòd omnia arbitreris, ut stercora, ut Christum lucrifacias. Gaudeo potissimè, quòd Zelum Dei habeas, ac Zelum secundùm scientiam, Zelum illum, quem, ut ajebat S. Bernardus, inflammat charitas, informat scientia, firmat constantia: Zelum fervidum, circumspectum, invictum, Zelum denique humilem, docilem, absque ulla animi perturbatione, cum cordis dulcedine, cum debito charitatis ordine, ut in majora magis, in minora minùs feratur Zelus; quæ quidem Zeli circumstantiæ fulgent egregiè in Illustrissimo Domino meo.

Inficiari quidem non possumus, quin rerum maximæ arduarum eventus, juxta inscrutabilia Dei judicia, incerti sint: sed certissimum est, quòd fideliter ac fortiter propter Christum certantibus reposita sit corona justitiæ, quam reddet in illa die justus Judex.

Ego pluries allocutus sum Eminentissimum Dominum Cardinalem Cibum de rebus ad Ecclesiam Vestram spectantibus: ac testor, quòd optimus hic Cardinalis agnoscit justitiam causæ, nec non Spiritum verè Apostolicum, quo Illustrissima Dominatio Vestra negotium promovet; ipsúmque negotium sæpius ex corde commendavit Sanctissimo Summo Pontifici, nec unquam desistet à protectione tam piæ causæ; ac certa sit, quòd Eminentissimus iste Princeps diligit ex animo Illustrissimam Dominationem Vestram,

stram, Vestrámque probatam virtutem, prout meretur, in pretio habet. Ipse Summus Pontifex benignam præbet aurem negotio, ac favorem suum, prout DEUS dabit, impendet. Interim ego minimum, quod potero, libentissimè adjiciam.

Obsecro Illustrissimum Dominum, ut excusare dignetur redditum nimis serum istius meæ Epistolæ. Etenim infirma mea valetudo, cui accedunt non modicæ occupationes, vel adimit, vel minuit culpam tarditatis meæ. Ex corde commendatum me cupio Sanctis Vestris precibus, prout & ego semper memor ero Vestri apud Deum.

Scribo Illustrissimæ Dominationi Vestræ ex oppido Carboniani in agro Romano, è rustico quodam prædio, quod pertinet ad nostram Congregationem Oratorij, ubi per aliquos dies detineor medicorum consilio. Utinam magnificem Christum in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Die 29. Octobris. 1679.

Documentum XLIX.

Copia d' una Letera del medemo Reverendo Patre Mariana ad una persona di pietà.

21. Octob. 1679.

Già che si compiace di sentire il mio parere intorno all' impetratione delle SS. Reliquie al favore del nostro Signore D. Errigo Dorat, direi che la singolar bontà del supplicante merita qual che singolarità di gratia, essendo ci anco moral certezza, che sotto l'occhio suo saranno tenute con ogni veneratione e culto: è potiamo che non dispiacera à i Santi venire in mani così pie..... Lodarei che.... rappre-

preſentaſſe al Signore..... il merito del Signore Don Errigo, che oltre alla ſua bontà, è anco bene merito della Sede Apoſtolica per la ſantita delle cauſe, che promove in Roma, con ſuo diſpendio, con fatiche, e con pericoli..... mi favoriſca di dire al Signor Don Errigo, che io li do il mio placet, per ottenere le reliquie de' ſanti, con queſto patto, che egli ſi obligbi di eſſer ſanto, e di redintegrare al ſuo tempo le reliquie, che toglie à Roma con le reliquie, che poi reſteranno del ſuo corpo. Mi racommando con tutto l' cuore alle orationi.... e di luy. 21. Octob. da Carbognano 1679.

Documentum L.

Breve Sanctiſſimi D.N. Innocentij XI. PP. Ad Canonicos Apaminenſes.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecti Filij, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Nihil accidere Nobis triſtius poterat nuntio, quem cum rumore ipſo publico veſtræ litteræ attulerunt; deceſſiſſe bonæ memoriæ Franciſcum Apamienſis Eccleſiæ Epiſcopum, eâ virtute, eóque Paſtorali zelo, & invictâ animi conſtantiâ præditum, ut Vir ſecundùm cor Dei, & verè Apoſtolicus dici meruerit. Quod autem dolorem noſtrum cumulat, eo tempore deceſſit, quo eum maximè vivere afflicta ejuſdem Eccleſiæ conditio poſtulabat. Causâ enim veſtrâ, quos tam vigili Paſtore, tam provido parente orbatos videmus, non mediocriter angimur. Omnem tamen doloris ſenſum ab animis noſtris debet abſtergere conſideratio præmiorum, ad quæ illum, ſicuti ſperare fas eſt, tot pro ſua Eccleſia exhauſti labores, tot incommoda, atque ærumnæ pro cauſa Dei forti magnóque animo ad ſupremum

mum vitæ spiritum toleratæ, ex hoc mortali carcere evocârunt. Unde spes alia oriri debet, eum validiore in posterum patrocinio rebus vestris è Cœlo affuturum, neque passurum, ut Apamiensis Ecclesiæ Disciplinam tam sapienter à se, tam salubriter restitutam quisquam mortalium invertat: sed potius à Misericordiarum Patre impetraturum, ut conversis in melius animis consilijsque aliter sentientium, pristina eidem Ecclesiæ pax, tranquillitásque reddatur, ut sponsæ sibi per tot annos ad extremum dilectæ, in præsens viduatæ, Præsul si minus pari, simili tamen spiritu ac virtute contingat; modò vos fideles inveniamini in Canonica libertate ipsius Ecclesiæ pro viribus tuenda, & in observandis sapientissimis constitutionibus, quas ab eo lucubratas, vobísque ad sanctioris vitæ regulam pro instituti vestri sanctitate propositas. Nos non ita pridem Apostolicâ autoritate firmavimus: quæ ut strenuè, & constanter exequamini, útque istius Diœcesis Clerum in tradita ab ipso disciplina sedulò contineatis, supervacaneum ducimus adhortari; cùm diuturno experimento perspecta virtus, fidésque vestra, plus etiam quàm à vobis petere æquum esset, polliceantur. Cæterum ex nostris ad eundem Episcopum Litteris decimâ septimâ Julij datis cognoscere potuistis, quàm præcipuum sibi locum inter Pontificias curas vindicet negotium Apamiense, cum quo plurimarum Gallici Regni Ecclesiarum, vel potiùs totius Ecclesiæ Catholicæ causa conjuncta est. Meritas interim, rebus ab excessu Episcopi per vos piè ac fortiter gestis, laudes tribuimus, útque in instituto itinere strenuè pergatis, vos magnoperè hortamur, nihil omissuri eorum, quæ ad prosperum rerum exitum conducere posse intelligemus. Speramus autem ac planè confidimus, divinam bonitatem, vos

atque

atque Ecclesiam istam singulari cum vestra laude & proventu ab omni tribulatione, quam subire necesse est, quicumque volunt piè vivere in Christo Jesu, quàm primùm liberaturam. Læta interim vobis omnia assiduo cum Divinæ Gratiæ incremento apprecamur, & intimo paterni amoris sensu Benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Septemb. 1680. Pontificatûs Nostri anno quinto.

Marius Spinula.

Documentum LI.

Breve Sanctissimi D. N. Innocentij XI. PP. Ad Illustrissimum Archiepiscopum Tholosanum.

INNOCENTIUS PP. XI.

VEnerabilis Frater. Non possumus non vehementer mirari, quod ad aures nostras pervenit, videlicet Fraternitatem tuam veritam non esse passim absolvere eos, quos novo & injusto Regaliæ titulo, in Apamiensis Diœcesis Beneficia intrusos bonæ memoriæ Franciscus Episcopus declaravit obstrictos censuris, à Generali Concilio Lugdunensi inflictis; cùm præsertim non desint, qui parochiales quoque Ecclesias (rem anteà inauditam) eo prætextu occupaverint. Admirationem verò Nostram vehementer auget, quòd nihil statuere potes contra jura, libertatémque Ecclesiæ Apamiensis, quin idem contra Tholosanam, & universam Provinciam istam statuas. Prætereà ignorare non potes, Episcopum ipsum Apamiensem à tuis Sententijs ad Nos, & ad hanc sanctam Sedem appellâsse, Nósque

appellationem hujusmodi admisisse; cujus rei vel umbra ipsa, si debitam Eidem Sedi reverentiam in consilio habere voluisses, revocare te, atque retrahere ab incepto debuisset. Hæc scribenda ad Fraternitatem tuam duximus; ut & ea, quæ perperam egisti, corrigas, & à similibus in posterum agendis abstineas, atque interim conscientiæ tuæ consulas. Datum Romæ die 2. Octobris 1680.

Marius Spinula.

Documentum LII.

Breve Sanctissimi D. N. Innocentij XI. PP. Ad Capitulum Ecclesiæ Apamiensis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecti Filij, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Præter omnem exspectationem Nostram accepimus ex vestris litteris, quæ nuper isthic acciderunt de dilecto Filio Michaël d' Aubarede Archidiacono, & Vicario Generali, per vos verum & legitimum ejusdem Ecclesiæ Capitulum constituentes, Canonicè Electo, exulare jusso; déque admissis ad celebrationem divinorum officiorum ijs, quos tanquam in beneficiorum possessionem temerè ac violenter intrusos, bonæ memoriæ Franciscus Episcopus vester innodatos censuris, à generali Concilio Lugdunensi inflictis, promulgaverat. Vestræ tamen pietatis, ac fidei erit, manere in statione, & locum, in quo positi estis, constanter tenere, sicut facitis: neque alios Vicarios Generales sede vacante agnoscere, quàm præfatum Michaëlem d' Aubarede, & alios à vobis electos, vel eligendos; quos etiam quatenus opus sit, autoritate Apostolicâ confirmamus, & respe-

respectivè confirmabimus; mandantes Clero tam Seculari, quàm Regulari & universo populo Apamiensi, ut neminem alium, quàm quos diximus, Vicarium Capitularem agnoscant, aut illi actum ullum obedientiæ præstent; de quo etiam per vos, seu per electos à vobis Vicarios, moneri præfatos, Clerum, & populum volumus, ac mandamus; alios enim, quicunque Vicarij Generalis autoritatem sibi, quocumque nomine usurpare auderent, antequam novum Episcopum Apamiensi Ecclesiæ præfecerimus, nullum planè jus, aut facultatem habere eos, negotijs se Ecclesiæ, & Diœcesis istius immiscendi, eáque omnia, quæ Vicariatûs ejusmodi titulo per eos agi contingeret, irrita, & inania, ac nullius momenti fore declaramus. Agendæ interim Divinæ Misericordiæ uberes gratiæ de occasionibus, quibus virtutem, ac fidem vestram exercet, & de singulari constantia, quâ vos armat, ad omnia alacriter pro Christi nomine, cum gaudio sustinenda. Nos paternum Nostrum ob anguſtias vestras dolorem, eâ interim consideratione lenimus: quòd multæ sunt tribulationes justorum, & de omnibus eis liberabit eos Dominus. Ac vobis dilecti Filij, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Octobris 1680. Pontificatûs Nostri anno quinto.

Marius Spinula.

Documentum LIII.

Epistola Joannis Cerle, Vicarij Generalis Apamiensis Ecclesiæ, Sede vacante, ad INNOCENTIUM PP. XI.

BEATISSIME PATER,

Post humillima Pedum oscula.

SIm licet pulvis, & cinis, eâ tamen fretus benignitate, quâ nos oviculas Vestras tamquam bonus Pastor Apostolicis humeris gestatis, & sacro gremio confovetis; non verebor ad Vos Dominum meum loqui, & in Sanctitatis Vestræ sinum meas, & totius Apamiensis Ecclesiæ lacrymas effundere. Sed quid lacrymas mærorémque loquor, cùm nobis potiùs lætandum sit (siquidem verè Christiani sumus) illúdque Pauli unicuique nostrûm usurpandum: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Quanta sit hæc nostra tribulatio, Pater Sanctissime, enarrare quis queat? Dum enim Sanctitas Vestra, pendente istiusmodi negotij tractatione, non solùm poneret fulmina, sed etiam efferatos tot adversariorum nostrorum animos, omnimodis Paternæ Clementiæ officijs delinire conaretur, nobísque, & induciarum fides, & spes propediem ad futuræ pacis securitatem pollicerentur; ecce repentiná tempestas ingruit. Quódque Sede vacante nihil innovari passi sumus, & nullâ ratione adduci umquam potuimus, ut anathematizatos, & publicè denuntiatos Regalistas in communionem nostram admitteremus; bonis, Patriâ, libertate spoliamur; erramus in solitudinibus, egentes, & angustiati, vinculis, catenísque constricti, per oppida circumducimur, ad terrorem omnibus incutiendum:

dum: cum sicarijs, ac parricidis, teterrimis ergastulis concluſi, ſuſpiria mittimus ſurdis auribus excipienda ; quid plura? Maledicimur, & blaſphemamur: extra ſynagogas faciunt nos: &, ne quid malis noſtris deſit, in occiſionem quoque mittimur.

Stupenda, ſed vera loquor, Pater Sanctiſſime; extinctus enim eſt, ſublatúſque duriſſimi carceris incommodis R.P. Carla, Canonicus, ac Prior noſter; fœlix, quòd libertatis Eccleſiaſticæ prima victima cecidit. Fuerat ille, venerabilis Epiſcopi noſtri, in reſtauranda hujus noſtri Capituli ſanctiore diſciplina adjutor, & adminiſter præcipuus: jámque ſeneſcebat, ſuæ noſtræque ſaluti ſedulò invigilans; cùm ecce afflictis nobis, & lacrymantibus, repentè, ac violenter eripitur. Nulla innocentiſſimo ſeni, qui vel vultu ſanctimoniam ſpirabat, habita eſt reverentia; laboribus, morbis, & extremâ macie confectus rapitur, trahitúrque in ultimos Galliæ receſſus, ibíque in quadam arce includitur, quæ cùm ſit ad littus Mediterranei maris, ſub peſtilenti aëre poſita, optimo Seni exitio fuit. Morienti, ac tantum beneficium cum lacrymis poſtulanti, Eccleſiæ Sacramenta negata ſunt; quod, cujus ſcelere factum ſit, nondum planè ſcire potuimus. R. Patrem Michaelem d' Aubarede Presbyterum virtutibus, quàm natalibus nobiliorem, quem putabamus exilio tantùm mulctatum, audivimus ductum Cadomum, ibíque in carcerem detruſum. Rev. Pater Rech, tam arctâ cuſtodiâ incluſus conſtrictúſque eſt, ut quid de eo factum ſit, penitùs ignoremus, niſi quòd à non levi auctore didicimus, multas illum, initio præſertim, ærumnas eſſe perpeſſum: quódque fidem ſuperare videtur, multi temporis inediâ eſſe cruciatum. Cæteri Canonici Regulares fratres mei ſedibus ſuis pulſi, in varijs Oppidis

inter

inter se, & à nobis dissitis, tristissimam (secundùm hominem loquor) mæstissimámque vitam agentes, exulant.

Ego peccator peccatorúmque primus, solus relictus sum, ut hæc nuntiarem Sanctitati Vestræ. Quamquam quis relictum intactúmque putet, hominem toties proscriptum, publicatúmque, tam diligenter quæsitum? quem si quis in domum admiserit, in summo bonorum libertatísque periculo versatur? ad quem capiendum Gubernator & Præses Provinciæ, ingentis mercedis pollicitatione, omnes, ac singulos cohortatur? cui vincula, triremes, & acerbiora fortasse supplicia parata sunt? Sed hæc mala, Beatissime Pater, culpæ meæ, átque adeò flagitia, in caput meum, justo Dei judicio invexerunt: cùm sodales mei, quorum consortio, nec Mundus, nec ipsi digni sumus, non ut hostes, sed ut filij, non in pœnam, sed in probationem, & in præmium flagellentur.

Sic premimur, sic affligimur, Pater Beatissime, nec mitiùs habentur, quicunque suspecti sunt, auxilio nos, consilióque juvare suo, aut propensiore benevolentiâ nos prosequi. Non modò periculosa, sed etiam exitiosa res est amicitia nostra, quemadmodum multi experti sunt. In his est Albiensis Ecclesiæ Theologus, nomine Duferrier, vir inter nostrates, si quisquam alius, de Ecclesia bene meritus, pietate, eloquentiâ, rerum Ecclesiasticarum peritiâ conspicuus, quem bonus quisque Episcopus non modò complectitur ut filium, sed etiam audit, ut magistrum, reveretur ut patrem. Hunc in extremam senecturem vergentem, in ultimos Burgundiæ fines ablegârunt, non alius certè criminis reum, nisi quòd adversârijs in suspicionem venerit, venerabili Episcopo nostro, & nobis consilium aliquando dedisse. Simili pœnâ, & ob eamdem causam,

affectus

affectus est Presbyter alius nomine Jacobus Cazanave, qui Ecclesiam Tholosanam eximiâ pietate, & Academiam singulari doctrinâ cohonestat.

Oboriuntur mihi lacrymæ, cùm de nobili quodam adolescente mentionem facio, qui, quòd mandatum aliquod nostrum Apamiensis Ecclesiæ foribus appendisset, in horrendas subterranei carceris tenebras projectus est, ibíque fœtore, alijsque loci molestijs propemodum enectus: ut præmagno beneficio habuerit, hinc eductum, ad Tribunal extraordinarij Judicis, magna cùm ignominia trahi, capitísque periculum adire. Plus illi nocuit unus è nostris, qui consanguineus ejus est, quàm prosit habere patruum insignem militiâ Virum, & rebus gestis toto Orbe conspicuum. Quâ re profectò, si quo alio argumento, intelligi potest, quanta sit adversariorum acerbitas, odiorúmque magnitudo.

Alios permultos omitto, Pater Sanctissime, pro causa Dei extrema quæque subeuntes. Sed hæc quanta sint, levia fortasse videbuntur, si conferantur cum lugendo illo schismate, quo in Ecclesia Apamiensi tunica Christi inconsutilis scinditur.

Illustrissimus Archiepiscopus Tholosanus non dubitavit Presbyterum quemdam mittere, qui per summam vim nobis omnibus expulsis, in illa Ecclesia, Sede vacante, vices illius ageret, reverà, ut Sponsam Christi Regalistis, ut vocant, conculcandam, adulterandámque traderet.

Religio magna est, ac summa pietas huic Vicario Generali, partam contra Canonicas sanctiones authoritatem, armis, quibus tota Regio perstrepit, asserere: anathemate perculsos homines altaribus admovere: plebem Christianam ad celebranda cum excommunicatis mysteria, & ab

ijs susci pienda Sacramenta, renuentem licet, & fidem sacrarum legum obtestantem, immissis militibus adigere: Monachos, & Sanctimoniales in obsequio remanentes, abusu Sacramentorum arcere, & Monasterijs suis ejicere: Sororem Episcopi nostri, alteram Tabitham, viduam Dynastæ Mirapicensis (quod nomen inter primates Regni percelebre est) quæ jam multos annos, erudiendis in Christiana disciplina pauperibus puellis, cum nonnullis pijssimis Virginibus, quas secum alebat, summa cum humilitate vacabat, Apamijs expellere: Seminarij Domum, qui locus orationi, pijs lectionibus, religioso silentio sacer hucusque fuerat, Regalistarum clamoribus, aleis, comporationibus, in multam noctem protractis, fœdandam relinquere: Apamiarum Prætori, Provinciæ Fuxensis Proregi, Aquitaniæ Præsidi, eorúmque Ministris Ecclesias, ac Monasteria diripientibus, rapinísque, ac sacrilegijs cuncta miscentibus, non solùm non resistere, sed etiam omni ope favere, adniti, præstò esse.

Tot tantísque flagitijs, ex uno schismate, tamquam ex suo fonte profluentibus, accessit hæresis. Ajunt enim homines isti Ecclesiæ perduelles, ac publicis instrumentis consignant, jus istud Regaliæ, non aliunde adscitum, non Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis beneficio partum: sed ipsis Regibus innatum, ipsorúmque sceptro, ac diademati naturæ legibus ita esse conjunctum, ut ab ijs nullâ ratione divelli possit: hoc est, licere laicis, quatenus laici sunt, si modò rerum potiantur, præcipua Episcoporum obire munia: Canonicos, qui Sede vacante spiritalem jurisdictionem habent, efficere: Theologos ad prædicandum Dei Verbum mittere: Parochis curandas animas tradere, & alia id genus multa præstare. Qui error, Pater Sanctissime,

Henri-

Henricianæ hæresi, toties à Sancta Sede profligatæ, non modò similimus est, sed eâ multò pejor, multóque pestilentior. Quod enim Henriciani obscurè, & quasi per ambages innuebant, isti palàm profitentur, & prædicant. Ex investituris veniebatur quidem ad hæresim; at sensim, nec nisi per multos gradus. At in Regalia statim se prodit, & quæ olim in investituris erubescebat, os, frontémque meretricis assumit Hæresis.

Hujus præcipui fautores, Pater Beatissime (horrens, lugénsque dico) RR. PP. Societatis Jesu censentur, & sunt. Non mentior Petro, quem scio coram se mentientes verbi sui mucrone aliquando interemisse. Hi enim privatis colloquijs, publicis professorum prælectionibus, libris quoque in lucem editis, Regnantium in rebus Ecclesiasticis authoritatem evehunt, & extollunt. Hi Summos Pontifices, quorum constantia in vendicanda Ecclesiæ libertate omnium sæculorum venerationem promeruit, tamquam aut plus æquo credulos, aut nimiùm in consilijs præcipites, aut gerendæ rei parùm idoneos spernunt, scommatis dicteriisque proscindunt. Non habent alios Regalistæ consiliarios, patronos, amicos: per hos fit illis in Aulam aditus. Horum consilio, suasúque, multi quos anteà religio impediebat, fractis tandem conscientiæ repagulis, in Beneficia Regaliæ, ut mentiuntur, obnoxia, impetu facto irruerunt. Ut non immeritò quispiam dixerit, Regaliæ parentem esse Patrem Ferrier: nutritium, & educatorem Patrem de la Chaise: præconem Patrem Maimburg: Defensores, & Advocatos, atque adeò milites, cæteros omnes Jesuitas. Quod quidem mirum nullatenùs videri debet; pinguiores enim Regaliæ fructus Societas percipit; nam cùm hujusmodi Beneficia ex nutu ferè, ac voluntate Confessarij con-

ferantur à Principe, nullâ re magis Societatis potentia provehitur. Hoc illi familias devincit, hoc innumerabilem clientum multitudinem illi conciliat.

Quod pertinet ad Archiepiscopum Tholosanum, ut est Jesuitis in cæteris rebus addictissimus, ita in opprimendis nobis conjunctissimus. Hujus erga Sanctam Sedem animum nulla res magis demonstrat, quàm quod nuper recepto Apostolico Brevi præstitit. Vocat illico Regium Notarium, jubétque scribere: nefas esse sibi ullum Pontificium rescriptum injussu Regis, aut legere, aut aperire. Eam esse Concordatorum fidem: sic ferre Ecclesiæ Gallicanæ libertates. O miseram libertatem omni servitute crudeliorem! quâ durissimo sæcularium potestatum jugo Gentium Regina subjicitur, tótque habet ergastula, quot sunt in Gallia Jurisdictionum Curiæ.

Ad istiusmodi calamitosam libertatem pertinet, quod nuper in Senatu Tholosano, authore Illustrissimo Archiepiscopo, factum est. Nam cautum fuit, ne quis in posterum ullum Apostolicum Breve reciperet, quod non esset prius in Consilio Regis excussum, ipsíque probatum, mulctáque immensa dicta eis, qui secus fecerint.

Ego verò, quòd Breve miserim, ac unus è Canonicis nostris, quòd obtulerit, in pœnam nescio quam (gravissimam certè) diligentissimè quærimur.

Ecce, Sanctissime Pater, non Apamiensis modò, sed totius Ecclesiæ Gallicanæ misera, & ærumnosa conditio! Hæc ad Sanctitatem Vestram supplices manus tendit, quantum per vincula, quibus atteritur, tendere licet. Consolamini, precor, mœrentem, erigite conculcatam, vinctam, captivámque redimite. Pereat, Pater Sanctissime, spes adversariorum nostrorum, qui totam vincendi fiduciam in

in eo collocant, quod triſtiſſimum, acerbiſſimúmque luctum univerſo Chriſtiano Orbi afferre debet. Quorſum enim negotium iſtud in tam longas, támque affectatas moras protrahitur? ſperant, nimirum, nec diſſimulant, extinctis tum Alectenſi, tum Apamienſi Venerandis Præſulibus, qui duo ſoli conatibus eorum adverſabantur, litem ipſam ex ipſorum voluntate, ſub alio Summo Pontifice, finem propediem habituram.

Quod quidem, vel cogitâſſe ſcelus, & parricidio ſimillimum. Sed hæc tam impia, tam crudelis expectatio divinæ providentiæ munere decipietur. Vivet, vivet in multos annos Sanctitas Veſtra, Eccleſiámque Gallicanam non modò Regaliæ compedibus liberabit, ſed alia quóque vetuſtiora ipſius vincula catenáſque confringet. Cujuſmodi ſunt, extincta prorſus Eccleſiaſtica juriſdictio: Clericorum omnium peſſumdata dignitas: & ea portenta, quæ vocant Appellationes ab abuſu, quibus quidem per ſummam temeritatem, & ſupra Epiſcopale faſtigium, & ſupra Sanctam Sedem erigit ſe ſæculare Tribunal.

Hæc ſunt vota, Sanctiſſime Pater, non noſtra duntaxat, ſed omnium ferè tum Clericorum, tum Epiſcoporum totius Galliæ, quorum eadem eſt nobiſcum ſententia, etiamſi præ metu longè ſit diſpar agendi ratio.

Quod ad nos attinet, Pater Beatiſſime, immenſas Sanctati Veſtræ gratias referimus, non ſolùm quòd nos, cauſámque noſtram, Paternâ benignitate proſecuta ſit, ſed etiam, quòd ad noſtram tenuitatem ſcribere indignum Apoſtolico vertice minimè putaverit. Qua in re, Pater Beatiſſime, ſicut in cæteris omnibus, ſummorum Apoſtolorum veſtigiis inſiſtitis; nam & Paulus pro Oneſimo fugitivo mancipio, & Diſcipulus Domini, Electæ fœminæ Canoni-

cam scripsit Epistolam. Nos verò ea res, & honore cumulat, & solatio plurimum afficit. Nam quemadmodum Machabæi inter tot adversa, nullum aliud rebus suis perfugium fomentúmque quærebant, habentes solatio sanctissimos libros; ita nos tot malis jactati, tot incommodis affecti, vix tanti doloris acerbitatem sentimus, habentes solatio Apostolicas litteras. Ignoscat precor, Sanctitas Vestra, quòd ad Ipsam minùs decenti chartâ scribere non dubitaverim. Istud non meæ culpæ, sed fugæ tribuendum. Vestros Apostolicos pedes exoscular, sacráque vestigia adlambere gloriatur 7. Januarij 1681.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus & obsequentissimus famulus & in Christo Filius

Joannes Cerle Vicarius Generalis.

Documentum LIV.

Breve Innocentij XI. PP. ad R.P. Joannem Cerle, & Capitulum Ecclesiæ Apamiensis.

Dilectis Filijs Joanni Cerle, Canonico & Præcentori, & Vicario Generali, Capitulo & Canonicis Regularibus Ecclesiæ Apamiensis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecti Filij, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quoniam novas in dies prodire accipimus Sathanæ artes, & machinationes; ut quæ à piæ recordationis Francisco Episcopo Vestro pro istius Ecclesiæ, & Diœcesis utilitate salubriter statuta fuêre, penitùs evertat, & eorum quæ huc

úsque.

uſque acciderunt, experientia nos admonet, non defuturos filios perditionis, errare facientes in via plurimos, qui miſcere ac turbare nitantur omnia, perperam interpretando litterarum, ac mandatorum noſtrorum ſenſus, ut excuſent, pro more ſuo, excuſationes in peccatis. Nos neullum hujuſmodi hominum molitionibus locum relinquamus, ad litteras, quas die ſecundâ menſis Octobris, ſuper negotio Vicariatûs Capitularis ad vos dedimus, uberiùs explicandas per Præſentes addendum duximus. Quod ſi quis præter Vicarios Capitulares, qui à vobis verum Apamienſis Eccleſiæ Capitulum conſtituentibus, Canonicè, & de more electi fuerunt, vel pro re nata eligentur, quos authoritate Apoſtolicâ, quatenus opus ſit, confirmamus, & reſpectivè confirmabimus, Vicariatûs ejuſmodi nomen, auctoritatémve quocumque titulo electionis, vel deputationis factæ ab intruſis in Canonicatus ejuſdem Cathedralis, quos idem Epiſcopus promulgavit obſtrictos cenſuris generalis Concilij Lugdunenſis; vel ab ipſo Metropolitano, vel ab alia quacumque poteſtate uſurpare præſumpſerit: omnia ab ipſis eonomine acta vel agenda, decreta vel decernenda, cum omnibus & ſingulis inde ſecutis, & quomodolibet ſecuturis, temeraria, & à non habentibus poteſtatem attentata, ideóque irrita & inania, ac nullius roboris fuiſſe, nec unquam fore declaramus: eíſque, qui prætextu electionis, vel deputationis ejuſmodi ullam juriſdictionem exercere auſi fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna majoris excommunicationis, privationis dignitatum & Beneficiorum, quæ obtinent, & ad alia obtinenda inhabilitatis perpetuæ ipſo facto incurrendæ diſtrictè prohibemus & interdicimus, ne id facere ulteriùs præſumant. Eos quóque qui illis quomodolibet paruerint, aut favorem, conſilium, auctoritatem

ctoritatem quocúmque modò præstiterint, cujuscúmque ordinis gradus, ac dignitatis sint, tam Laicos, quàm Clericos, tam sæculares, quàm Regulares, etiam Patres Societatis Jesu, & Metropolitanum ipsum, quem cæteroqui præter causæ meritum, perspecta voluntas nostra, & per nos admissa appellatio ab ejus sententijs, debent in officio continere, similibus respectivè pœnis eo ipso & absque alia declaratione innodamus, & innodatos fore decernimus ac mandamus; ac earumdem pœnarum absolutionem, & relaxationem Nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti duntaxat specialiter reservamus: monentes insuper utriúsque sexus fideles, de quarum æterna salute soliciti esse debemus, invalidas esse ac fore confessiones, quas Presbyteri Sæculares, vel Regulares vigore facultatis à prædictis nulliter electis, vel deputatis Vicarijs, audierint, vel in posterum audient: nulla & invalida matrimonia coram Sacerdote, aut Parocho non Canonicè ingresso contracta, vigore licentiæ ab eis concessæ, ac proinde sic contrahentes in concubinatu victuros: idémque de Parochijs & alijs Beneficijs per eos collatis decernimus, & ordinamus; & de Licentijs concionandi, & de quocúmque alio actu, aut decreto per eos facto, vel faciendo. Vos interim, dilecti Filij, loci & muneris vestri memores, in creditam vobis curam diligenter incumbite, & haustam ab egregio Pastore, & Patre vestro disciplinam, Apamiensis Ecclesiæ bono, & aliarum incitamento constanter retinete: dum Nos impensè precamur, eum qui habitat in concilio Justorum & Congregatione, ut sit in medio vestrûm, & suâ præsenti ope vobis continenter adesse velit, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Januarij 1681. Pontificatûs Nostri anno quinto.

Marius Spinula.

Documentum LV.

Epistola R.P. Cerle ad Sanctissimum Pontificem Innocentium PP. XI.

Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater,

Post humillima Pedum Oscula.

Acceptis flexis genibus, pronóque in terram vultu, Sanctitatis Vestræ litteris ad meam tenuitatem die primâ Januarij datis, dixi cum Paulo: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Quæ enim tanta est, Beatissime Pater, támque acerba tribulatio, quam non deliniat vel sola tanti támque mirabilis Pontificis de nobis recordatio? qui se tum in universos fideles, tum peculiariter in nos, quantumvis immeritos, Christi Vicarium exhibet, non solùm in plenitudine potestatis, verùm etiam in plenitudine charitatis? Quæ tanta est præ malorum pondere, animi abjectio, quam non erigant invictum illud animi robur, quod in Sanctitate Vestra pro tuenda Ecclesiæ libertate pij omnes hujus Sanctæ Matris Filij demirantur, illáque sedium ipsius assistrix sapientia, cujus ope atque lumine inter calumniarum tenebras, & mendaciorum caliginem, veritatem atque justitiam tam perspicaciter internoscit?

Sunt equidem, Beatissime Pater, etiam in Gallia non pauci Sacerdotes, Monachi, Senatores, omniúmque ordinum homines, qui etiamsi aliter palàm loquantur, etiamsi opem nullam ferant, etiamsi metu potestatum infensos sese simulent, nobiscum tamen sentiunt, & ubi fidos arbitros nacti fuerint, quantùm nobis condoleant, dissimulare non possunt. Hæc animorum circa causæ justitiam consensio non parùm affert consolationis, sed nisi Sanctitatis Vestræ frequentes consolationes, & quod jam experti sumus, multóque magis quod adhuc speramus, efficax auxilium, confirmarent, fortasse quos calamitatum acerbitas nondum dejecit, diuturnitas tandem opprimeret: adeò enim non minuitur incendium, quo jam pridem flagrant Apamiæ, ut majores in dies vires capere videatur, pergentibus nos affligere átque conterere, ijsdem qui antèà hominibus.

Abuterer, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestræ benignitate atque patientiâ, si quæ Illi postremis litteris mala percensui, adhuc commemorarem. Id unum affirmo, tantùm abesse, ut quæ his litteris continebantur, veritatem excederent, ut etiam plurima omissa fuerint. In his sunt exilium Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Apamiensis, nomine Mascaras, qui, quòd divinis interesse cum Regalistis excommunicatis constantissimè recusaverit, in urbem Brivam Diœcesis Lemovicensis relegatus est: exilium procuratoris Fiscalis Reverendissimi Patris nostri Episcopi Apamiensis in oppidum Daubusson relegati, eo quòd inter concionandum fideles ad fundendas in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus preces fuisset cohortatus: ærumnæ Parochi beati Genesij de Mongaillard, ob publicatam significatámque ordinationem nostram, & Vicarij beatæ Magdalenæ de Saurat,

saurat, ob solam de affixa Ecclesiæ foribus eadem ordinatione suspicionem, in carcerem detrusorum: pecuniarum summa ab alijs excussa ob dilationem in agnoscendo Vicario Generali à Reverendissimo Metropolitano delegato: Patribus Prædicatoribus Apamiensibus, quòd eidem Vicario parere, & officia divina coram Clericis sub prætextu Regaliæ in beneficia nostra intrusis, ideóque publicè declaratis excommunicatis celebrare recusaverint, erepta schola Philosophiæ cum suis stipendijs, & in Jesuitarum Gymnasium transvecta, additâ insuper pravæ Doctrinæ criminatione. Verùm quæ omnia vix longâ possent enumeratione comprehendi, ex immani superioris Aquitaniæ Præsidis voce conijci poterunt: *Tædet nos*, inquit, *exilijs tantùm atque carceribus insanos istos homines plectere: jam crucibus res agenda est, ut perduelles, qui aliâ ratione domari non potuerunt, istâ tollantur.*

Ex illis, quæ postmodum subsecuta sunt, Beatissime Pater, pauca seligam. Vix è manibus emissæ fuerant posteriores nostræ ad Apostolicos Sanctitatis Vestræ pedes litteræ, cùm prætor Apamiensis in optimos quósque Parochiarum Rectores truculentissimè irruit, propterea solùm, quòd putaverant oportere Deo magis obedire, quàm hominibus. Quos quidem capere potuit, ut Parochos sancti Juliani d' Axiat, sancti Petri d' Ornolac, sancti Laurentij de Verniole, sancti Petri de Bonac, tam arctæ custodiæ mancipavit, ut nec Missæ audiendæ, etiam diebus dominicis, nedum celebrandæ facultas concederetur. Aliorum qui fugâ saluti consuluerant, supellectilem, pecunias, frumentum, & quidquid juvandis alendísque Christi pauperibus provida paraverat charitas, invasit. Quo pacto impletum est, nec uno modo, quod dictum est per Isaiam Prophetam:

Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Nam & corpori suus panis, & animæ suus ablatus est. Expulsis veris Pastoribus substituti sunt lupi, qui non solidum dispensant Evangelij cibum, sed venenatam propinant doctrinam, laxam vivendi rationem non solùm concedentes, sed ad eam etiam invitantes. Parochi qui non animarum tantùm, sed & corporum etiam necessitatibus paternâ providentiâ consulebant, vilioribus cibis dubiam & ærumnosam viram tolerant, solísque interdum lupicinis vescuntur à suis Parochianis emendicatis, noctúque quæsitis, & in suspiciosissimis temporibus tremulâ manu datis átq; acceptis.

Pater Franciscus Rousse, qui solus è fratribus nostris Canonicis, non in civitate (ibi enim ne unus quidem supererat) sed in quadam hujus Diœcesis Parochia hactenus relictus fuerat, sive quòd adversariorum oculis non ita frequenter esset obvius, sive quòd propter optimæ indolis innocentiam parùm ipsorum studijs nociturus crederetur, tandem & ipse post graves minas & convicia, viro Religioso & Sacerdote indignissima, conjectus est in carcerem, ubi quæ ad sustentandam vitam necessaria erant, cùm nec amici possent, nec inimici curarent suppeditare, appenso ad fenestras sacculo, dum hæc ad Sanctitatem Vestram scriberem, emendicare meditabatur. Sic nimirum plectendum erat crimen ipsi objectum, quòd scilicet in quadam ordinatione nostra paucos Typographi errores emendâsse incusaretur.

Similem experti sunt ultionem Vicarij Sancti Baudelij de Siguer, & sancti Petri de Mauleon, licet non ipsi, sed Parochi, rei judicarentur; alter quidem quòd Concionatorem à Vicariatûs Generalis usurpatore missum admittere recusaret: alter quòd me insectantium iram fugientem hospitio

spitio excepisse falsò crederetur. Affliguntur enim, non solùm qui Ecclesiæ juribus, aut ea defendentibus favent, sed & qui vel minimâ circa hoc laborant suspicione.

Non est, Beatissime Pater, habita sexûs ratio: exulavit Mater Ana Carmelitarum Virginum è numero prudentum præposita, cujus precibus, operibus & præsertim uberrimis pœnitentiæ fructibus, non parùm, uti putamus, apud Deum res nostræ juvabantur; non alia de causa, quàm quòd Sanctitatis Vestræ litteris cohibita, non potuerit, nec ipsius alumnæ, spretis nobis, Vicario Generali ab Illustrissimo Archiepiscopo Tholosano Apamias misso, obedientiam exhibere.

Malè habetur Urbanistarum Sanctæ Claræ Virginum conventus constantissimè nobis semper adhærens, quia illarum Priorissa non receptis Sacramentis decessisse creditur, repulsis scilicèt Sacerdotibus à prædicto Vicario Generali commissis, eáque offerentibus; quamquam divinâ sic ordinante providentiâ non defuerit, qui à nobis legitimè approbatus necessaria omnia occultè ac quasi furtim, administraverit.

Eò devenerunt cæcitatis tot malorum auctores, ut non à nostris tantùm ordinationibus; sed etiam à Sanctitatis Vestræ Censuris tutos se arbitrentur, si litteris illas continentibus aditus omnes præcludant. Excubant in Civitatis Apamiensis muris, ad ejus portas, & extra in via custodes, qui accedentes quósque excutiant, ne fortè aliquis actus minùs gratus illuc clanculum inferatur. Si mihi, Beatissime Pater, Ecclesiæ hujus jura aliunde non constarent, vel ipse introducendæ in eam Regaliæ modus suaderet, causam justitiâ non niti, quæ tam violenti, tamque à

Christiana charitate, atque à Canonica disciplina alienis vijs, ad finem intentum promoveatur.

Sed si juxta Incarnatæ Veritatis oraculum à fructu arbor certissimè cognoscitur; quo modo potest bona esse, quæ tam malos fructus facit? Qui à nostris nos beneficijs exturbârunt, eorum reditus in ludos, compotationésque expendunt. Dominicâ tertiâ in quadragesima, tres ex illis post lautam Cœnam apud unum ex istius Civitatis Magistratibus usque ad tertiam post mediam noctem horam, vigiliam protraxerunt, ut cum fœminis, quibuscum cœnaverant, operam choreis darent. Qua in re, eò majus creavit eorum licentia scandalum, quòd erat à moribus sub prædicto Episcopo viventium remotissima. Vicarij Generalis ab Illustrissimo Archiepiscopo missi præsentia, licet non per totum illud tempus, intercessit. Non in laicis tantùm ædibus, sed & in proprio conventu, Religiosis viris indignissima præstant. Domus illa, quam domum orationis dicere non dubitabo, in qua nos Reverendissimus Pater noster Episcopus Apamiensis, nuper in Christo rursus genuerat, foverat, enutrierat, suis verbis, & multò efficaciùs exemplis ad omne virtutum genus instruxerat; domus illa, inquam, dum Dominus Episcopus extremo morbo laboraret, aut etiam dum gratissimum Deo spiritum redderet, propriæ ipsius sorori, quamvis pietate in tota Gallia celebri, ac de Diœcesi Apamiensi ob institutam Virginum societatem, ad erudiendas in Christiana disciplina puellas optimè meritæ, non est concessus introitus; domus, inquam, illa, nunc domicilium Regalistarum est, qui non inter se solùm, sed aliquando etiam cum mulieribus ibi lautiùs epulantur. In eo horto, ubi non nisi spiritualia colloquia ferè habebantur, visæ sunt adolescentulæ cum novis istis Canonicis

pro-

prophana colloquia miſcentes. Liceat hîc exclamare cum Propheta : *DEUS venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.*

Quàm felix eſſet Apamienſis Eccleſia, ſi cum externis hoſtibus ſibi pugnandum eſſet ; ſi paratæ ab Ethnicis cruces, equulei, rogi, craticulæ, in orbitatem conjicerent. At Eccleſiam cum Eccleſia dimicare, luctuoſiſſimum miſerrimúmque eſt. Vix dici, vix capi poteſt, Beatiſſime Pater, quàm multis ijſque graviſſimis vulneribus, Reverendiſſimus Archiepiſcopus Tholoſanus Chriſti ſponſam in noſtra Diœceſi affecerit, paternas Sanctitatis Veſtræ commonitiones, imò & litteras ipſas parvi pendens.

Scio, Reverendiſſimos Epiſcopos in Comitijs Occitaniæ congregatos, ægerrimè tuliſſe, quòd Præſul ille nefas ſibi dixiſſet, Apoſtolicas litteras legere, priúſquam Regi fuiſſent exhibitæ. Quod quid aliud eſt, ajebant, quàm turpiſſimum cervicibus noſtris jugum imponere, quàm ſacra inter Patrem & Filios commercia præpedire, quàm æternum afflictorum Epiſcoporum aſylum objecto novo iſto obice claudere ?

Ea eſt, Beatiſſime Pater, Metropolitani noſtri erga Apoſtolicam Sedem obſervantia, de qua, ut accepimus, in ſuis ad Sanctitatem Veſtram litteris gloriatur, ut breviſſimo intervallo poſt oblatum ſibi Breve, die ſecundâ Octobris datum, ordinationem ediderit, quam & alias antea editas executioni mandari præcipiebat, non obſtante quacúmque appellatione, vel jam emiſsâ, vel in poſterum emittendâ, quæ clauſula non niſi ad Sanctam Sedem referri poterat, tum quia Eccleſia Tholoſana, aliam à Romana ſuperiorem non agnoſcit, tum quia eò tendebat hæc ordinatio, ut

aliam

aliam à nobis promulgatam abrogaret, quâ interpositæ jam appellationes ad Sanctam Sedem rursùs declarabantur.

Infremuit nuper Tholosa, cùm audisset varijs commonitorijs, dicti Illustrissimi Metropolitani auctoritate, anathema proclamari ad inquirendum in eos, qui Apostolica de rebus nostris Brevia, aut Gallicè vertissent, aut Typis mandâssent, aut populo legenda proposuissent: videlicet crimen est igni & ferro vindicandum, in re tanti momenti, doceri fideles, quodnam sit de tam celebri lite Sanctitatis Vestræ judicium, & quisquis vel authores, vel fautores novit, ad denuntiandum excommunicationis gladio sit adigendus. Tantâ commotus audaciâ gravissimus Senator ait, fore propediem, ut coram Officiali Tholosano dies summo Pontifici diceretur.

Solet identidem dictus Archiepiscopus Tholosanus, & nos, & defunctum Venerabilem Patrem nostrum Episcopum Apamiensem insanos vocare, quòd pro re tantilla, & ad disciplinam tantùm pertinente, tot adversa perpessi sumus. Verùm quocúmque nomine res ista nuncupetur, malumus cum Gregorio septimo, Gelasio secundo, Anselmo, Thoma Cantuariensi, alijsque sanctis Pontificibus, quorum vestigia in hoc stadio premimus: malumus, inquam, (quod pace illius dictum sit) cum istis Ecclesiæ luminibus insanire, quàm cum Tholosano Antistite sapere.

Miror istam sapientiam non perspicere, quod insaniam nostram nunquam latere potuit; videlicet, non disciplinæ splendorem tantùm, sed Regiam Ecclesiæ dignitatem, sed fidem planè hoc in negotio in discrimen vocari. Volunt adversarij, licere Regi decimas, rem sacram, sede vacante, capere, Dignitates aliáque Beneficia pleno jure tribuere; non simplicia modò, verùm etiam ea, quibus animarum

cura

cura conjuncta est, imò & meras Parochias. Quo pacto, ut de alijs sileam, Archipresbyteratu Aquensi, clarissimo Magistro Dorat erepto, potitur in præsentiarum Regalista Morean. unius ex Patribus Societatis nepos: quem hac de causa excommunicatum ab Illustrissimo Domino Episcopo Apamiensi declaratum, Dominus Archiepiscopus Tholosanus absolvit.

Affulserat, Beatissime Pater, spes aliqua, fore, ut ab Illustrissimo Archiepiscopo Tholosano pace frueremur, sparsâ scilicet famâ, ipsum ad Sanctitatem Vestram litteras scripsisse, quibus se imposterum à rebus nostris velle penitùs abstinere profiteretur: sed evanuit citissimè, multiplicatis à prædicto præsule Vicariorum Generalium pro nostra Diœcesi nominationibus. Cùm enim primæ à se factæ, & ab ijs ipsis, quos consuluerat, damnatæ, vitium tandem agnovisset, jam quidem revocavit: sed post Senatûs Parisiensis placitum, cui in edicto suo se obsequi protestatur, Illustrissimum Episcopum Leonensem novâ præsumptione Vicarium Generalem creavit; ô summum Sacerdotem de Regali Sacerdotio magnificè sentientem! ô Ecclesiæ bene consulentem! sanctiora sunt illi Parlamenta, quàm Concilia; minúsque Veneranda Sancti Petri Cathedra, quàm profana sæcularium judicum subsellia.

Illustrissimo Episcopo Leonensi, ab hujusmodi Vicarij Generalis munere abhorrente, & ut passim creditur, Sanctitatis Vestræ Censuram pertimescente, Presbyterum quendam domesticum suum, & cruciferum, regendæ huic Ecclesiæ præfecit; iteratis illis nominationibus significans, quam parùm valuissent apud illum Apostolicæ litteræ die secundâ Octobris, tum ad nostrum Capitulum, tum ad illum ipsum datæ. Obtemperavit crucifer, ab eo longè

dissimilis, cujus consilio atque increpatione Divus Thomas Cantuariensis erectus firmatúsque est, cùm nimio pacis amore, nimiâque deliniendi Regis cupiditate penè subversus esset.

Tentavit & ipse, commonitorio, & censurarum interminatione in Diœcesi Apamiensi, Sanctitatis Vestræ litterarum interpretes, Typographos, promulgatores, executorésque detegere; conscientiæ tamen stimulis exagitatus, aliquanto post Tholosam repetit. Verùm Dominus Archiepiscopus, qui adversùs Sanctitatis Vestræ litteras studet impavidus videri, postridiè quàm Archiepiscopalis Palatij valvis affixum fuit Breve Kalendis Januarij datum, prædictum Vicarium Apamias remisit, pristinúmque locum resumere coegit: útque contentam in Brevi excommunicationem, in quam inciderat, se parùm reformidare universæ plebi suaderet, Sanctissimum Missæ Sacrificium publicè, aliáque divina officia solemniter celebravit, à quibus per sex menses abstinuerat.

Non est, Beatissime Pater, tam parùm Christiana Gallia, ut prædictus Dominus Archiepiscopus, Sanctissimæ Sedis contemptum posse non improbari arbitretur: quamobrem tam odiosam à se opinionem amovere nititur, falsitatem litteris à Sanctitate Vestra emissis affingendo, atque ut res verisimilior evadat, affirmando falsitatem non solùm à Sanctitate Vestra fuisse detectam, sed & vindicatam, ejecto secretario, hujusmodi Brevium fabricatore.

Huic rumori adstipulantur quasi testes certissimi, aut veriùs authores sunt Patres Societatis Jesu, præsertim Pater Roques. Non alio ferè Consiliario, non alio rerum suarum scriptore utitur Reverendissimus Archiepiscopus Tholosanus. Utinam unius, aut paucorum tantùm & privatorum

hujus

hujus Societatis hominum eſſet hæc erga Eccleſiam affectio, aut propagandæ Regaliæ ſtudium. Unus eorum nomine Meynier (ut cæteros omittam) eum ex novo Regaliæ jure fructum jam percepit, ut tres ſuos nepotes, totidem beneficijs, ut ipſe putat, auxerit, ut ego exiſtimo, jugulaverit.

Quot Epiſcopos eo nomine inviſos aulæ fecerunt, ex ijs præſertim, qui optimè miniſterium ſuum implent, quique Sanctitatem Veſtram æmulati, corruptiſſimam illam de moribus doctrinam è ſuis Diœceſibus eliminant?

Quòd nobis à Patribus Societatis Apamienſibus obſequium hucúſque denegatum ſit, de ſententia átque decreto primorum Provinciæ factum eſt, quos accepimus eam ob cauſam in unum Tholoſæ conveniſſe: utrum num adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus? quid in eo cœtu deliberatum concluſúmque fuerit, ſubſecuta demonſtravit contumacia, quæ neque per Sanctitatis Veſtræ litteras, pœnam excommunicationis latæ ſententiæ continentes, comprimi potuit. Siquidem etiamnum publicè ſecularium Confeſſiones excipere pergunt, & animas Chriſti ſanguine redemptas Diaboli laqueis irretiunt, hoc eſt abſolutionibus, quas Sanctitatem Veſtram nullas declarâſſe non ignorant.

Hæc tanta mala, Pater Sanctiſſime, quis crederet, non alio de fonte profluere, quàm ab eorum de probabilitate doctrina? Narrabant non ita pridem Pater..... & Pater..... non eſſe quidem indubitatum jus Principis circa Regaliam; eſſe ſummo Pontifici rationes ſuas, & Regi ſuas; & nihilominùs fas eſſe Regi, probabilem ſententiam ſequuto, jus ſuum tueri; nec debere eum iſtius controverſiæ judicium Sanctæ Sedi permittere: qui ſermo adeò perculit quendam adoleſcentem Clericum, nobilem, doctum, ac pium, ut inſtar Danielis inſurrexerit in iſtos ſenes, qui non Su-

sannam, sed sponsam Christi charissimam summâ contumeliâ afficiebant.

Hæc sunt, Pater Sanctissime, quæ Beatitudini Vestræ significare è re Ecclesiæ esse putavi, non ad condemnationem eorum, de quibus loquutus sum (erunt enim semper in cordibus nostris ad commoriendum, & ad convivendum) sed ut eos Sanctitas Vestra, in gremio suo, tanquam filios, non equidem optimè valentes, amanter diligentérque confovendo, pristinæ sanitati restituat.

Quòd verò calamitates nostras oculis Vestris subjecerim, non alio consilio factum est, quàm ut ijs remedium à Sanctitate Vestra quæreretur. Minuuntur quidem mala, quæ tam sacris auribus excipiuntur, deliniuntur filiorum vulnera, quæ videt, & dolet tantus Parens. Verùm ingravescentis doloris magnitudo non nisi validioribus medicamentis curatur. Non precor adversarijs, quas merentur pœnas: exponam tantùm, impunitate, aut potiùs paternâ Sanctitatis Vestræ patientiâ, illos ad conterendum nos audaciores jam effectos.

At, *inquiunt viri secundùm carnem prudentes*, concedendum tempori, indulgendum Potestatibus, à quibus multum metuas, speres plurimum; scilicet istis artibus imperium Christi partum est? has docuit Apostolos Dominus artes? sic indulgendo, palpando, exivit in omnem terram sonus eorum? Nequaquam sanè, sed Martyrum cruore irrigata crevit Ecclesia, & persecutionum fluctibus jactata, firmiùs stetit. Quid verò ista indulgentia, ista aulica obsequia, istæ denique sæculi, non æternitatis artes, Ecclesiæ contulerint, nec me sacræ litteræ, nec me Ecclesiastica monumenta docuerunt.

Flecto genua cordis mei, Beatissime Pater, Vestræque Sancti-

Sanctitatis, pacem Evangelisantis, Evangelisantis bona, speciosos pedes deosculor, ijsque in spiritu affixus peto, precórque, primò quidem mihi peccatorum omnium misserrimo, deinde Collegis meis, atque in Deo parentibus, Reverendo Patri d' Aubarede, Reverendo Patri Rech vinctis in Domino, postremò cæteris Canonicis Regularibus, alijsque omnibus, carceres, exilia, vel qualescumque ærumnas pro causa Dei subeuntibus, Apostolicam Benedictionem, quæ à dextera, bonis tot operibus secundâ, non potest non admodùm copiosa in capita nostra defluere.

Datum die 15. mensis Martij 1681.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus & obsequentissimus in Christo
Servus & Filius

Joannes Cerle, Presbyter ac Præcentor Ecclesiæ Cathedralis Apamiensis, nec non Vicarius Generalis & Officialis.

Documentum LVI.

Alia Epistola R.P. Cerle ad Sanctissimum Pontificem Innocentium PP. XI.

Sanctissimo Domino nostro Innocentio PP. XI.

Sanctissime Pater,

Post humillima Pedum Oscula.

SEcurior jam audaciórque, ad Vos, Sedémque Apostolicam, iterum, iterúmque venio; nihil de mea tenuitate anxius, nec ita de Vestra Majestate solicitus. Videor enim

enim mihi non indignus omnino, Domini Jesu Vicarium adire, & alloqui, qui dignus habitus sum pro nomine Jesu contumeliam pati. Olim humi repens, vermi, quàm homini similior, nunc cœpi surgere, jámque cœlum, Sanctámque Sedem, quæ tota Cœlestis est, propiùs intueor; nimirum factus de Cruce celsior, de furca & patibulo sublimior. Sum certè, nec diffiteor, hominum vilissimus, & omnium pedibus conculcandus: tamen videtur non contemnendus, quem confessionis umbra nobilitat, & imago Martyrij. Insipiens factus sum, Pater Sanctissime, mente excedo, sed sobrium esse non licet subtanto gloriæ pondere, in tanta gaudij superabundantia.

Porrò gloriam illam, illúdque gaudium, debeo Tholosano Senatui, qui sive sponte suâ, seu potiùs Reverendissimi Archiepiscopi Tholosani impulsu, aulicísque mandatis, capitis Sententiam, quam pridem meditabatur, tandem aliquando in me dixit. Damnatus sum peccatorum primus miserrimúsque, ut olim celeberrimi quique fidei Confessores, Christique Athletæ, qui omnes tanquam publicæ quietis perturbatores, patriæ proditores, principum ac potestatum obtrectatores (confictis videlicet Sathanâ authore criminibus) feliciter perierunt.

Ita perire nondum mihi tribuit Deus, Pater Sanctissime, qui dum alieni insurgentes adversum me è synagoga potentium, quærerent animam meam, in nomine suo salvum me fecit, susceptórque fuit animæ meæ. Verùm spe suâ frustrata crudelitas, cùm nostro satiari cruore non potuisset, summo nos dedecore, contumeliâque afficere tentavit. Circumducta est à carnifice, in curru, vehendis ad supplicium reis destinato, effigies nostra per frequentiores Tholosæ vicos, & compita, ferali pompâ, insolentí-

que

que ritu; mox in celebri foro præcelſæ trabi ſuſpenſa; magnum afflictæ Religionis ludibrium! ingens ferocientis impietatis trophæum! Ita Pater Sanctiſſime, mundo & hominibus, utinam & Angelis, ſpectaculum facti ſumus.

Viſebatur in illa tabella, vir Religioſus, veſte candidâ unà cum ſuperpelliceo indutus, qui canonicorum Regularium habitus eſt. Stabat retrò pictus Carnifex, truci vultu, bipennem vibrans, ac genuflexi cervicibus imminens. Ad hujuſmodi lætum adverſarijs, mihi profectò non lugendum ſpectaculum, fremere omnes boni, & indignari cœperunt. Quid? aiebant, Sacræ & Religioſæ veſti tam procaciter illuditur? Cæteri Rei demptis veſtibus interficiuntur, ut dum ſcelus plectitur, dignitati parcatur. Verè Religionis ludibrium totum illud eſt, non hominis ſupplicium. Felix qui ſic probro afficitur! ita olim Martyres in Stola candida, & amictu nitidiori, ad necem tanquam ad nuptias procedebant. Fuit quoque, P. S. qui argutè ſimul & ſapienter diceret; quidquid in ea tabula penicillus expreſſerat, videri ſibi earum rerum, quæ intra Gallias eâtempeſtate gerebantur, emblema. Sub illo ſuperpelliceo candidóque amictu, Eccleſiam Gallicanam latere, miſeram prorſus & ærumnoſam, cui Schiſma Regaliſtarum, ſtricto gladio, caput amputare pararet; dum eam à ſummo Pontifice capite ſuo, valido quidem, ſed caſſo conatu divellere niteretur. Hæ ſunt, Pater Sanctiſſime, proborum omnium querelæ; ſic ſentiunt, ſic loquuntur, quicumque apud nos plus Deum timent, quàm hoc ſæculum diligunt.

Nemo bonus eſt, qui ſine indignatione audiat, impios quorundam perditorum hominum, paucorum certè, de inſtituendo in Eccleſia Gallicana Patriarcha ſuſurros: quaſi verò, qui juxta antiquos Canones, ne quidem Metropolita-

politanum, sine proprij gradûs periculo possunt constituere, possint sibi præficere Patriarcham? aut minùs subditus futurus esset Patriarcha iste summo Pontifici, quàm ij, à quibus accepturus foret potestatem? nisi fortè (quod de Gallicanis Præsulibus sentire nefas est) aliud caput Ecclesiæ adjungentes, monstrum effingere meditentur. Nemo sapiens, qui non intelligat, quo consilio petita sit à rege Nostro Christianissimo congregandorum comitiorum facultas, præsertim per Reverendissimum Archiepiscopum Senonensem, Tholosani fratrem, ac Parisiensi per omnia obsequentem; nemo verus Ecclesiæ filius, qui non doleat, Regis Regum sponsam Ecclesiam, nefarijs laicorum judicum artibus in ordinem redigi.

Sanctitatem Vestram minimè latere puto, quid contra postremas ad nostram exiguitatem Apostolicas litteras, Senatus Parisiensis statuerit, quantúmque earum occasione Procurator Generalis garrierit. Inter innumeros, quibus tota ejus scatet oratio, schisma invehentes errores, hic imprimis est, non posse Regni Magistratuum decreta (quantumvis Sacris Canonibus, & Apostolicis statutis adversantia) ab ulla potestate Sacra inhiberi, aut infringi: non à Concilio œcumenico, non à Petro, ullóq; Petri successore, quæ vox profectò Rapsacis cujusdam potiùs esse videtur, quàm hominis, Deum Israel, ejúsque Christum confitentis. Audent quotidie judices laici, Synodicis decretis, Pontificijsque Rescriptis authoritatem omnem demere? Non poterit Christi Vicarius, totáque cum Ipso Ecclesia, unius Parlamenti judicijs sese opponere, quamquam illa Canonicam disciplinam omnem, jura omnia, Sacram forsitan & ipsam fidem subverterent? Hoc habet in supremis illis Curijs mater Ecclesia præsidium! sic illis (quod quidem

dem nuperi Aulicorum Epiſcoporum Cœtûs acta tantopere jactant) tanquam firmiſſimis fulcris æternum Chriſti ſolium innititur.

Noviſſimorum ſanè temporum iniquitas eſt, Pater Sanctiſſime; ut quicumque bellum Eccleſiæ inferunt, benevolentiam ſimulent, amicitiam præſeferant. Olim hoſtes Eccleſiæ, hoſtes dicebantur; divexabant, non decipiebant, ſuo ſatis proditi nomine. Nunc duplex Religioni labor incumbit: nam priuſquam ſe ad hoſtes ſuos debellandos accingat, debet illos detegere; quod quidem hodie difficillimum eſt; cùm alii Reformatores dicantur, alii vocentur tutores defenſoréſque; alij aliis nominibus nuncupentur. Nondum extincto Calviniſtarum bello, novum à Parlamentis exoritur. Illi Eccleſiam reformando dilacerant, iſti defendendo amplectendóque præfocant.

Gloriabatur olim Lutherus, Lutheríque principes aſſeclæ, ſe novos Prophetas, novóſque Apoſtolos à Deo extra ordinem miſſos, qui non ſolùm collapſam Eccleſiam erigerent, verùm etiam extinctam penitùs in lucem revocarent. Neſcio, an de novo quodam, & extra ordinem Apoſtolatu, ſupremæ noſtræ Curiæ glorientur: illud ſcio, putare homines iſtos, ſui muneris eſſe, antiquos Canones tueri, priſcam diſciplinam vindicare, labenti Eccleſiæ humeros ſupponere. Nimirum, dormit in cymba Chriſtus, otiatur Spiritus Sanctus, Sponſa Chriſti conſenuit, anníſque fatiſcens, ſe ipſam non poteſt regere. Potuit quidem aliàs, dum juventute vigeret, dum floreret annis, Canones condere, leges ferre, ſibi ipſi cavere: nunc Rectore Pædagogóque indiget, nunc eſt tutoribus & actoribus committenda. Quidquid egerit anus decrepita, anus delira, ſuo-

rum Curatorum, Parlamentorum injussu, irritum decernitur, nullúmque planè censebitur. O scelera! O verba impia! O hostium, quàm filiorum digniora consilia!

Hæc tanta, támque acerba Ecclesiæ mala, Pater Sanctissime, malorum nostrorum sensum adimunt, ac oblivionem inducunt: de his tamen malis nostris, Vestræ Beatitudinis auribus pergam paucula quædam ingerere. Cùm fuissemus, eâ quâ diximus, ignominiâ in Civitate Tholosana affecti, eâdem postmodum Apamiis, & in cæteris Diœceseos oppidis, inusti sumus; tum contumelia filij, gloriam Patris in memoriam revocavit. Obversabatur omnium animis, Patris pariter & Episcopi nostri optimarum virtutum exemplar, merita quoque & beneficia, quibus tot annis gentem nostram cumulaverat. Hanc ergo, aiebant, reddunt vicem, ei, qui toties nos suâ paupertate ditavit, jejunijs aluit, periculis securos effecit, optimis exemplis ad piè christianéque vivendum, provocavit; qui corpus suum exhibens hostiam, sanctam, Deo placentem, toties in tempore iracundiæ factus est reconciliatio? Pro tot, tantísque viri Dei erga nos meritis, disperditis cæteris ejus filijs omnibus, eum qui unus superesse videbatur, suspendio necare non perhorrescunt. Fuit tum afflictissimæ hujus Ecclesiæ perquam lugubris facies, Rachele plorante filios suos, & nolente consolari, quia non sunt.

Quis fuerit, Pater Sanctissime, mansuetiorum omnium sensus, animúsque, ex ipso Apamiensi Carnifice conijci potest. Ille qui toties oculos suos humano cruore paverat, cui ars, imò ludus erat, homines torquere, urere, membratim concidere, & omni suppliciorum genere necare, vehementi horrore perculsus est: vixque potuit, conceptam animo feritatem authore Deo dedoctus, ore pallenti, labentibus

labentibus genibus, tremuláque manu, effigiem nostram cruci appendere: cúmque id sibi iterum iterúmque præstandum intellexisset, cum Conjuge, rebúsque suis, nocte fugam capessit. Miseras terras! Infelíxque solum! cui tanta feritas est, ut tædio, horroríque sit vel ipsis Carnificibus. Abiisse hominem cùm comperissent, Prætor Civitatis, Præfectúsque Provinciæ, mittunt illicò, qui seduló fugitivum quærant, inventúmque vi revocent. Comprehensus ad sexagesimum circiter milliarium, negat se in eam Civitatem rediturum, in qua patibulum Innocentiæ paratur, Religioni securis imminet: se miserum atque calamitosum, tamen esse Catholicum; nec posse Calvinistarum more adversus Ecclesiam bellum gerere, eósque necare, quos illa salvos velit, summâque benignitate prosequeretur; vereri se Dominum Episcopum Apamiensem, signis & virtutibus coruscantem, & suorum haud dubiè non oblitum.

*Vi*detur mihi tortor ille, boni latronis constantiam æmulari, qui de cruce pendens, ausus est confiteri Christum, à Scribis & Pharisæis accusatum, damnatum à Magistratibus, à Regibus illusum, ab Apostolis ita, vel negatum, vel traditum, vel desertum, ut unus tantummodò inventus sit, qui staret juxta crucem ejus, ne unquam de magno numero improbitas gloriaretur, aut erubescendum sibi putaret de paucitate pietas; sic nimirum, divinâ disponente providentiâ, ut innocentiæ, non solùm testimonium, sed etiam præsidium ab eis præstaretur, à quibus minùs videretur exspectandum. Cujus præclarum, & à causa nostra non alienum legitur in Annalibus Ecclesiasticis exemplum.

Edinero referente, contendebat Sanctissimus Præsul

Anselmus, cum Henrico Anglorum Rege circa Investituram, & Regaliam. Mittit utérque legatos Romam, ad summum Pontificem Paschalem, & suum utriusque hac in re, nemine refragante, judicem: nondum enim aliud suaserat adulatio Christianis Regibus. Causam Anselmi, id est, Ecclesiæ, defendendam suscipiunt duo viri Religiosi; causam Regis, id est sæculi, tres Episcopi. Horum unus, qui præerat Ecclesiæ Norvvicensi, nomine Herebertus, exigit ab Episcopo, ne quid imposterum contra Anselmum, ejúsque Ecclesiæ dignitatem, aut libertatem, cogitaret, aut faceret.

Non meæ parvitatis est, Pater Sanctissime, Reverendissimos Episcopos, Dominos ac Patres meos officij admonere sui. Optarem tamen vehementer, ut ista legissent, quos nuper in ædes suas, Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis, coire jussit. Maluissent profectò, Sanctitati Vestræ, pro ipsarum Ecclesiarum dignitate, tantis laboribus, tantáque gloriâ decertanti, gratias agere, quàm de Apostolicis litteris, pari in Sanctam Sedem contemptu, ac in aulam adulatione conqueri. Utilius sibi fore putâssent, Regem nostrum Christianissimum, ac nunquam satis nobis suspiciendum, precibus, & lacrymis pro extinguenda Regalia, reddendáque Apamiensi Ecclesiæ tranquillitate, adire, quàm cum miseris quibusdam leguleis, de Sacrosancti Concilij Lugdunensis authoritate, summo cum ordinis sui dedecore, dubitare. Satius existimâssent, Præsulis Nostri, viri (ut Sanctitas Vestra loquitur) verè Apostolici, ac decoris domus Dei zelatores, æmulatoréſque fieri, quàm ijs, qui nos, ejus filios, ad internecionem usque persequuntur, socios se, amicósque adjungere. E re sua potiùs duxissent, Procuratoris Generalis Parisiensis, adversus Sanctam

ctam Sedem adlatrantis, audaciam furorémque, Eccleſiaſticis cenſuris comprimere, quàm eum, tanquam egregium athletam, invictúmque Eccleſiæ Gallicanæ libertatum vindicem, ſummis laudibus evehere. Sanctius denique commodiúſque putâſſent Archiepiſcopum Tholoſanum, Regaliſtas, Regaliſtarúmque fautores omnes, excommunicationis vinculis innodatos, & Eccleſiam audire nolentes, tanquam Ethnicos & Publicanos habere, & interim eos ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus hortari, quàm eorum patrocinium ſuſcipere, & circa Apoſtolicarum litterarum formulas, cavillando, pereuntium cubitis pulvillos conſuere, & malis ſuis indormientibus cervicalia parare. Sed benedictus ſit DEUS, qui ut olim in condenda, ita nunc in ſervanda Eccleſia, non multos potentes, non multos nobiles, ſed ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: nunc piſcatores, aliquando latrones, poſtremò carnifices, nominis ſui teſtes habuit. Mirabilis prorſus in ſanctis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Inter tos vinctos in Domino, qui pro juſtitia perſecutionem patiuntur, unus ex noſtris eſt, gradu tantummodò Novitius, ſed probitate, cunctíſque Religioſi hominis dignis virtutibus, antiquioribus conferendus. In ejus caput Senatus Tholoſanus diligentiſſimè quæſtionem habet. Accuſatur, Apoſtolicas litteras, noſtráque edicta Tholoſam attuliſſe, novo prorſus & inaudito crimine; propterea cum ſicarijs ac parricidis in carcerem miſſus eſt. Quo in loco, Pater Sanctiſſime, venerabilis Epiſcopi noſtri dignum ſe præbuit diſcipulum, filiúmque non degenerem. Nihil illo ſimplicius, mitius, humilius, ac rurſum nihil fortius, animoſius; agnus ſimul, leóque videtur. Interroganti Lai-

co judici, negat Sacerdotem respondere fas esse: minanti ferrum & ignem, hoc unum refert, quod facis fac citiùs. Interim semper vigilat, semper orat, semper jejunat: sic pugil Evangelicus, Martyrio matureſcit, sic Confessor Christi passioni suæ præludit. Conquiruntur undique testes. Sed quid referant testes? narrat ille, hominem istum semper silere, aut loqui tantùm sermones Dei; alius continuata per multos dies jejunia prædicat; alius intentam semper Deo mentem collaudat; alij, alias ejus virtutes commemorant. Nemo est, qui non jurejurando affirmet, videri sibi hominem istum, non innocentem modò, sed sanctum. Quæ cuncta, Pater Sanctissime, tantum, támque Religiosum timorem omnibus injecerunt, ut non nisi trepidè ac reverenter ad Reum Judex accedat. Reus est, sed præfert majestatem judicaturi duodecim tribus Israël.

Istius Athletæ, aliorúmque, qui nobis adhæserunt constantiam, Sanctitatis Vestræ litteris, die primâ Januarij datis, post divinum adjutorium acceptam referimus. Sed non unicus fuit illarum fructus; rem planè confeciſſe videbantur; plurimi ex ijs, qui lapsi fuerant, ad meliorem frugem, peractâ etiam publicâ pœnitentiâ, generosiores evaserunt. Regalistæ nunc sibi proximè, loco cedendum esse dubitabant, Clerus & populus, erga Sanctam Sedem optimè affecti, negotio finem jam ferè impositum gaudebant: Patres Societatis Jesu, fortiores Regaliæ propugnatores, Sanctæ Sedi resistere cùm puderet, varijs artibus inobedientiam occultabant, præsertim falsitatem Apostolicis litteris affingentes. Illustrissimus ipse Archiepiscopus Tholosanus, tantâ erat perturbatione, ad fulminis imminentis fragorem concitatus, ut tam conscientiæ stimulis, quàm pertinacissimæ febris paroxismis, diriùs exagitaretur.

Verùm

Verùm, Pater Sanctiſſime, diuturna Sanctitatis Veſtræ patientia, quæ Reos ad perfectam converſionem adducere debuiſſet, naſcens pœnitentiæ deſiderium præfocavit. Reverendiſſimus Archiepiſcopus, primùm quidem ſparsâ de falſitate reſcripti Apoſtolici famâ, deinde aulicorum Epiſcoporum defenſione, tum litteris à ſacra Congregatione ad ipſum ſcriptis confirmatus eſt; & Sanctitatem Veſtram ulteriùs non progreſſuram confidens, nos, aliósque Eccleſiæ obſequentes Clericos & laicos, ſive per ſe, ſive per Vicarium Generalem à ſe conſtitutum, uſque ad exterminium perſequitur. Si quis Eccleſiæ mandatis obtemperans, Confeſſarios quærit legitimè approbatos; in ſtrictiſſima vincula detruditur, aut alijs graviſſimis pœnis plectitur. Non alius criminis reus eſt vir quidam, (ut de reliquis taceam) jam pridem in tetro carcere Apamijs diſtentus, quàm quòd Parochum canonicè inſtitutum, ad audiendam mulieris periculoſiſsimè decumbentis Confeſſionem accerſiſſet. A Parochijs fugant Vicarios omnes piè ſanctéque viventes, gregíque ſuo ſedulò invigilantes, qui tenuitatis meæ, vel potiùs Sanctitatis Veſtræ vocem audiunt, alienóſque ſequi recuſant: quódque vehementiſſimi doloris ſenſum auget, ſubſtituuntur perditiſſimi homines, quorum aliqui publicè ebrij viſuntur, alij verbis obſcœnis fugientes caſtas virgines proſequuntur, & ſi comprehendere nequeunt, in blaſphemias prorumpunt. Nec laudabiliores ſunt Regaliſtarum mores; eorum unus cum ſoluta, cum conjugata alter, ita converſantur, ut toti Civitati maximo ſint ſcandalo.

De Patribus Societatis Jesu, utinam! aut nulla mihi dicenda forent, aut bona! ſed charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, non refugit, imò feſtinat, de errantibus

bus ovibus protinus admonere pastorem. Ignoscat illis Deus, non quidem nescientibus, sed maximè omnium scientibus, quid faciunt; dum Sanctæ Sedi palàm illudunt. Post acceptas à Præposito Generali geminas litteras, quarum alterâ de ultimarum Sanctitatis Vestræ litterarum veritate certiores illos faciebat, publicè Regalistarum & aliorum quorumcúmque ad ipsos accedentium Confessiones excipere pergunt, quod à testibus fide digniſsimis, ipso Sanctiſsimo Corporis Christi die, alijsque visum, & confirmatum est. Sperant scilicèt, ob regionum longinquitatem, & pertimescentibus omnibus, qui veritatis conscij sunt, ipsorum iram, & in aula Christianiſsimi Regis favorem, quæ illic notoria sunt, usque ad Sanctitatem Vestram non perventura. Toleranda fortasis videretur temeritas, si volentibus tantùm noceret, si solos Regalistas jam excommunicationis vinculis innexos, hujusmodi Confessarij solverent, aut veriùs arctiùs constringerent, seipsos eisdem vinculis innodantes: si cæci cæcos tantùm in foveam traherent: sed quod omnem crudelitatem superat, in ruinam, vel invitæ trahuntur animæ. Rector Collegij, nomine Espagnac, qui, ut accepi, de præstito Regalistis auxilio & consilio, innocens apud Sanctam Sedem videri voluit, ipsos ad celebranda publicè solemnitérque divina officia, paucis post scriptas suas Apologeticas litteras diebus, hoc est in festo Sancti Xaverij, suam in Ecclesiam admisit, & ad Confessionem, sibi aut suis faciendam, non solùm ultro venientes, etiamnum excipit, verùm refugientes militum metu adigit: quod, quàm sincera fuerit ejus excusatio, declarat.

Is est, Pater Sanctiſsime, deplorandus Ecclesiæ Apamiensis status; cui nisi citiſsimo præsidio, à Vestra Sancti-

tate

tate succurratur, quâ possit ratione integram ruinam vitare, non video. Hactenus enim venturi à Sancta Sede auxilii spes labantes sustentabat: sed jam plerique Sanctitatis Vestræ longanimitatem, salutem non arbitrantes, & insipientium errore traducti, excidunt à propria firmitate. Moveant, obsecro, Paterna Sanctitatis Vestræ viscera, non Beneficiorum, aut bonorum temporalium rapina, nec carceres, nec exilia, quæ patimur: (pretiosa Dei munera sunt ista) sed parvuli petentes panem, nec habentes qui frangat; sed oves, quas olim regebant pastores ad vitam præduces, nunc perdunt & mactant lupi voraces; sed fideles, qui aut Sacramentis carent, aut ea à Ministris accipere coguntur, quos Sanctitatis Vestræ litteræ, omni potestate destitutos declarârunt. Qui Ecclesiæ causam impugnant, non aliud, quod saltem justitiæ rationisque umbram præse ferat, ostendunt, quàm Sanctitatis Vestræ litteras, Rescripta, esse privata, consolationi nostræ indulta, non sententias judiciarias, quibus necessariò sit parendum. Cæterùm, altum in tanta rerum perturbatione silentium, non leve indicium esse, Sanctitatem Vestram, earum rationum momentis, quas exhibent impressa nuper conventûs Episcoporum acta, eo perductam, ut ea, quæ geruntur dissimulando, significet, se non justa quidem, sed toleranda tamen judicare.

Intret ergo, Beatissime Pater, in conspectu Vestro, gemitus compeditorum: nec dicant inimici nostri, prævaluimus adversus eos. Exurgat, obsecro, Sanctitas Vestra, & judicet causam nostram: reddat vicinis nostris septuplum in sinu eorum, vindicet sanguinem animarum, qui effusus est, imò qui & in dies magis effunditur. Apprehendat arma & scutum, & exurgat in adjutorium nobis. Effun-

dat frameam, & concludat adversus eos, qui persequuntur nos, & tradat hujusmodi, Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. I. C. Exurgat & judicet suam, & Ecclesiæ causam; cujus certè si dubia esset nobis justitia, indubitatam faceret, non solùm merita venerabilis patris nostri Episcopi Apamiensis, acerrimi illius defensoris, sed etiam miracula (parcat mihi Sanctitas Vestra hoc verbum) quæ per Pastoralem illius annulum, quem semper mecum gesto, frequentissimè operatur Deus Optimus Maximus. Firmiorem habebimus propheticum Sanctitatis Vestræ sermonem; Christi Vicarij judicium lapsos eriget, titubantes confirmabit, imò & ipsos adversarios, in tenebris & umbra mortis sedentes, illuminabit, & ad præveniendum supremi judicis sententiam excitabit. Nec enim ita omnem extinxerunt Religionis sensum, utsi non citiùs, saltem, dum de reddenda DEO ratione cogitabunt, æternam damnationem, cujus excommunicatio imago est, non pertimescant. Et si (quod avertat DEUS) ipsi perituri sunt in iniquitate sua, Sanctitas Vestra liberabit animam suam, & ab Ea illorum sanguis non exquiretur.

Eos omnes, qui pro Ecclesiæ dignitate, pro fide & Religione in agone contendunt, méque ipsum, omnium peripsema, merúmque abortivum, Sanctitatis Vestræ precibus suppliciter, & Religiosè commendo. Fiet enim, Beatissime Pater, Apostolicis meritis, ut qui servorum Christi tribulationes & angustias patimur, servorum quoque Christi vitam morésque consectemur. Datum die 14. Junij 1681.

Beatitudinis Vestræ Sanctissimos Pedes Deosculor

SANCTISSIME PATER,

Humillimus & Obsequentissimus in Christo Filius & famulus

Joannes Cerle Presbyter, Canonicus, ac Præcentor Ecclesiæ Cathedralis Apamiarum; nec non Vicarius Generalis & Officialis.

Documentum LVII.

Quarta Epistola Reverendi P. Cerle ad Sanctissimum Dominum Innocentium XI. Pontif. Max.

Die 13. April. 1682.

Beatissime Pater,

Post humillima Pedum Oscula.

USquequò & superbit impius, & incenditur pauper? Ajebat olim ad Innocentium secundum scribens Divus Bernardus. Usquequò à tanta impudentia Innocentia tanta vexatur, & hoc vivo Innocentio? Peccata sine dubio nostra hoc faciunt, quod Dominus meus tam serò advertit mentientes sibi, tam lentè exaudit clamantes ad se, in hac causa duntaxat. Nam aliàs quidem scimus familiare esse Domino meo, & citò intelligere, & facilè misereri. Propter eum qui elegit vos, & posuit vos refugium oppressorum, ponite jam tandem finem & malitiæ oppressoris, & laboribus afflictorum, quia satis utráque res venit in lucem & manifestationem.

Sic Abbas ille sanctissimus cum suo omniúmque Domino expostulat, sic illius cunctationem urget, sic nimias in proferendo judicio moras ægerrimè ferre videtur. Absit, ut ego peccator tantum mihi apud Innocentium XI. tribuam, quantum Divus ille apud Innocentium II. sumere sibi ausus est.

Non reprehendo, non expostulo, non queror; doleo tantùm lacrymórque Ecclesiæ Apamiensi crudelissimè divexatæ, octoginta aliis Ecclesijs sub jugum missis, tot vinctis, tot exulibus, qui cùm Dei causâ Vestro quoque judicio tot tantáque mala patiantur, verè Christi Confessores sunt;

denique duobus Episcopis, qui clamant ad vos non jam de terra, sed de cœlo, ut clamor eorum cœlestis citiùs exaudiri debeat pro sua reverentia, jus huc usque esse negatum. Equidem si beneficium à tanto tempore postulatum fuisset, debueramus consequi, cum pro Vestra in omne hominum genus benignitate, tum pro nostris in defensione Evangelij susceptis laboribus atque periculis. Sed postulent beneficia, qui felices putantur; Nobis, qui miseri esse videmur, satis est, si idquod tenuissimo cuique, quod hostibus debetur, quod nec barbaris quidem nisi apud barbaros negatur, jus consequimur.

Sanè si quod esset aliud in orbe tribunal, in quo Controversia ista dirimi posset, eò profectò confugerem. Non quòd putem in terris quidquam Sanctitate Vestrâ posse oriri justius aut melius; sed quòd alij cuicumque potiùs quàm optimo Parenti malim esse molestus. Sed Vestrum unius est, tam de negotijs Apamiensibus, quàm de universa Regaliæ causa cognoscere; id quod cùm per se patet, tum multis quoque scriptis demonstratum est: ita prætereà Sanctitas Vestra censuit, cùm Ecclesiæ Apamiensis provocationem admisit, ut secus sentire aut dicere incolumi Sanctæ Sedis famâ non possit. Denique nullo graviori vulnere Ecclesiæ libertas authoritásque afficitur, quàm cùm istius causæ cognitionem Vobis, ac Sanctæ Sedi Regalistæ conantur eripere.

Habemus igitur in Sanctitate Vestra Judicem unicum, sed & Optimum; reliquum est, ut velitis, quandoquidem abundè valetis virtute irrumpere iniquitates. En stat coram vobis sordida, afflicta, misera, bonis ac liberis spoliata, plurimis vulneribus confossa, denique vidua desolatissima Ecclesia Apamiensis; atque multum tempus, quod altera illa

illa Evangelica vidua: *Vindica me de adversarijs meis.* An surdior erit immitiórque Judex Deo charus hominibúsque reverendus, quàm fuit Judex ille iniquitatis, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur? Dei loco sedetis, Pater Sanctissime, facite ergo vindictam electorum vestrorum clamantium ad Vos die ac nocte, nec ultra patientiam habeatis in illis.

Ferrent quidem æquo animo molestissimas istas judiciorum moras, nisi idem esset causâ cadere, ac judicium per longum tempus expectare. Ociùs si non judicatur, damnatur: nam cùm soliti sint adversarij, suum omne præsidium in usu ac possessione collocare, jure obtinere se putant, quidquid diu ac nemine impediente tenent. Hinc fit, ut illo Vestro silentio, illáque cunctatione, quæ maximè optavêre, ea consecuti videantur. Quis enim nefarios eorum conatus comprimat? possessionem quis interpellet? Unus in Sancta Sede videbatur positus obex; at Sancta Sedes dissimulat, silet, expectat, cunctatur, facítque cunctatrice sapientiâ, ut adversarius præceps dementiâ, cuncta quæ concupierat, nemine impediente obtineat.

Videtur fortasse Regaliæ impedita præscriptio per illas toties in Gallias missas Apostolicas litteras, quibus Sanctitas Vestra satis apertè censuit, contra Ecclesiam facere, qui Regaliam tuerentur. Sed ijs litteris quis nesciat fidem omnem, omnémque authoritatem esse ademptam? Olim quippe furtivas falsáque prædicabant: modò alij veras quidem, sed ab hominibus hæreticis, ac nomini Gallico infestis, quà vi, quà fraude esse extortas affirmant. Alij quocumque modo, quocumque consilio scriptas, oblivioni tradendas esse: ita haud dubiè Sanctitatem Vestram sentire, quæ datis litteris, cùm maximè pernici cursu processura

videretur, repentè steterit, Apamienses deseruerit, Regalistis, utpote innoxijs, ut optimâ causâ fultis, cuncta permiserit.

Hanc esse Sanctitatis Vestræ sententiam cum stulti omnes arbitrantur, tum cordati nonnulli timent; quem eorum timorem minimè profectò miramur. Hinc enim vident Regalistas non tabulis, non litteris, ut res dubiæ solent, causam suam propugnare, sed vi maximè, atque armis tueri, tanquam certissimum Regum nostrorum patrimonium, eósque qui religione impediti turpissimum istud Regaliæ jugum pronis cervicibus non trahunt, ut apertos Regis Regnique hostes habere, ac veluti Salicæ legis violatoribus aquâ & igni interdicere. Inde verò cernunt Innocentium XI. cujus est tantoperè celebrata constantia, à quo singulis quibúsve momentis perniciem sibi metuebat improbitas, tanto sceleri huc usque peperciisse, & necdum tot Ecclesiæ malis solemni decreto voluisse occurrere.

Hæc dum intuentur, Beatissime Pater, quid putent? Nisi Sanctitatem Vestram auditis quæ in sui defensionem multa Regalistæ dixerunt, mutato consilio in aliam prorsus abijsse sententiam? Sed nec turpiter decepti sunt, qui ista loquuntur, aut prædicant. Absit, ut reperiatur apud Sanctam Sedem, est, non; nec erit sub vestro Apostolatu incolumis Regalia, quæ fuit in Investituris per sex summi nominis æternæ memoriæ summos Pontifices Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. Paschalem II. Gelasium II. & Calixtum II. ut hæresis nefanda protrita: quam Paschalis ipse, qui fuit erga rerum humanarum Dominos pœnitendâ mansuetudine lenis, Romano in Concilio censuit *esse contra Spiritum Sanctum, & canonicam institutionem.*

Hæc

Hæc cùm ita ſe habeant, ut quid Domine receſſiſti longè? deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? An putatis fore, ut poſſit Veſter aliquando Succeſſor faciliùs tutiúſque res iſtas componere, Eccleſiæ vulneribus minori cum periculo mederi? Sed quis erit iſte Succeſſor tam ſui fidens, ut ſe Innocentio XI. præponat? tam felix, ut in meliora tempora incurrat? tam denique fortis, ut quod monſtrum Sanctitas Veſtra naſcens ac debile vix auſa fuerit perſtringere, id ipſe jam adultum, jam auctis viribus formidandum non dubitet jugulare? Sed velit ipſe, quidquid nos Eccleſiæ Dei optimum fore putamus; illíne adverſarij noſtri parebunt, ejúſque decreta reverebuntur, facti tum de ſtrage noſtra feroces, de longa poſſeſſione ſuperbi, de Veſtro quoque exemplo in inſequentes Pontifices pervicaciſſimi?

Ita eſt, Pater Sanctiſſime, ſunt apud nos aliæ multæ, nec Regaliâ mitiores peſtes, quæ ſub nomine libertatum Eccleſias noſtras populantur. Quo verò iſta defendentes ſeſe umbone clepunt? Non alio profectò, quàm invadentium uſu, vel averſantium clade, Summorum Pontificum ſilentio, quod ſilentium nutum ac voluntatem interpretantur. Exemplo ſint Appellationes tanquam per abuſum, illa non ita multo tempore in exitium totius Eccleſiaſticæ juriſdictionis exorta monſtra. Dubia initio, tremula, paventia prodibant, & vel improbis non ſatis proba videbantur. Nunc verò quia ſiluit Roma, quia non obſtitit, efferunt in ipſam Romam audaciſſimum caput, ſanctáque videntur, quibus Apoſtolica fulmina pepercerunt.

Sunt, Beatiſſime Pater, qui exiſtimant, Sanctitatem Veſtram Regaliam propterea non ritè damnâſſe, quòd viderentur adverſarij meliora ſuapte ſponte inijſſe conſilia, ac

ac bonâ fide pacem optare ac quærere. Id enim suadere videbantur, cum Eminentissimi Cardinalis d' Estrées iter Romam susceptum, tum Episcoporum Conventus Parisijs habitus, maximè nuperum illud Edictum, quo metæ modúsque non sine magno Ecclesiæ emolumento, ut quidam putant, Regaliæ posita sunt. Sed me miserum! Quantum bellorum res istæ pacem pollicentes, pacem nuntiantes Ecclesijs Gallicanis attulerunt, afferéntque imposterum? & quàm longè ista qui egerunt, aut agenda Summo Principi suaserunt, ab omni veræ pacis veræque concordiæ cogitatione voluntatéque abfuêre! Unum est, fuítque semper illis consilium propositúmque, ut omnino tandem Regaliæ possessio in omnes regni Ecclesias induceretur, delusâ interim Sanctitate Vestrâ, ne prolatâ sententiâ possessionem interturbaret. Deluso etiam Eminentissimo Cardinali d' Estrées, quem huic simulationi consensisse suspicari non ausim.

Meminerit quæso Sanctitas Vestra (nam ea de re non unas ad Apostolicos Pedes litteras dedi) quo in statu fuerint res nostræ prædicto Eminentissimo Cardinali in Italiam profecto. Nam cùm anteà satis fuisset adversarijs spoliare nos bonis, cœpimus illo abeunte exilia, vincula, proscriptiones, ac alia quæque acerba pati. Quid plura? In animas quoque sævitum est, dum cogimur passim sceleri assentiri, sacrilegis sociari, Summi Pastoris vocem, minas, anathemata contemnere. Sic pacem cogitabant, qui Eminentissimum Purpuratum Romam mittendi authores Regi fuerunt.

Quid dicam de Sacrosanctis Episcopis Lutetiæ congregatis, quibus adeò non fuit animus malis nostris medendi, ut à nemine Ecclesiæ nostræ lethalius vulnus acceperint.

Quibus

Quibus singulis Ecclesia meritò dixerit: *Tu autem homo pacis meæ in quo speravi, qui edebas panes mecum, magnificásti super me supplantationem.* Quid enim est iste Conventus tam fraudulenter, tantóque omnium Canonum contemptu coactus, tam scenicâ pompâ habitus, tam aulæ studijs addictus, tam segniter Episcopi nostri, Alectensisque, sed Vestræ præsertim Sanctitatis constantiam æmulatus, tam miserè veteres omnes Galliam inter & Romam controversias, sopitas jam pridem, extinctásque renovans; tam proditoriè Regaliæ consentiens, tam inaniter Vobis scribens, tam denique Cleri Gallicani antiquæ gloriæ, ac in Sanctam Sedem observantiæ immemor: quid, inquam, est iste Conventus, quàm Ecclesiæ magnifica supplantatio?

Cúmque supplantatores isti Ecclesiam perdiderint, tamen uti de re bene gesta gloriantur: pacem loquuntur, pacem suadent, pacem in epistola ad Sanctitatem Vestram scripta ambitiosè prædicant: quasi non simili voce usi sint etiam, qui insigniores Ecclesiæ clades intulerunt. Quid enim aliud excusabant Sirmienses Episcopi conclamatâ fide? Mediolanenses jugulato Athanasio? Ariminenses proscripto ὁμοουσίῳ? Et ut temporibus viciniora simul & rebus nostris magis affinia loquar, quid excusabant Londinenses, Thoma Cantuarienſi in Ecclesiæ defensione solo omnino relicto, præterquàm studium pacis, difficilia tempora, magnos Reges demerendos?

Videntur mihi Episcopi nostri non aliâ ratione pacem quærere, quàm quæsissent Seniores populi Israël, si Rege ipsorum vineam Naboth, quæ figura est Ecclesiæ per seculares potestates spoliatæ, cupiente invadere, Naboth verò tradere renuente, dissidium istud componentes, ita pronuntiâssent: *Vineam obtineat Rex, ut faciat sibi hortum olerum,*

quia vicina est, & prope domum suam. Tu verò Naboth collige excisas vites, & ubi creverint olera, paucula quædam viliora que ab hortulano regio accipito. Quæ futura fuisset populo Dei de præclaro illo judicio mens & sententia? Nonne in judices illos tanquam in latrones atque sicarios animadvertendum esse censuisset?

Sic tamen omnino feciſſe videntur Episcopi nostri; capiat, inquiunt, Ecclesia solatiolum quoddam in Capitulis & Beneficijs curam animarum habentibus. In cæteris vincat Rex, serviant octoginta Ecclesiæ ad hoc usque tempus liberæ, Henriciana hæresis intacta maneat, quidquid Regalistarum libido cogitavit, aut finxit, ratum esto. O perversum, O turpe judicium! Quod qui tulerunt, tanto majori reprehensione digni sunt, quòd imperat nobis gratiâ Christi non Achab aliquis, non Phocas, non quispiam eorum Regum, quos olim vel Germania, vel Anglia in Ecclesiasticæ libertatis perniciem genuerunt; sed Rex plurimùm mansuetus, maximè in religionem propensus, justitiæ amantissimus, necnon optimè cujuscumque consilij cupientissimus. Cui cùm unus Episcoporum (ita enim fertur) adulando dixisset: *Facturum se in conventu, quæcumque Regi libuissent. Tu verò*, inquit Rex, *da operam, ut Episcopus sis, verum rectúmq; suadeam abo te, si Deum plus cunctis, plus me ipso amaveris.*

Quod Regis admonitum sanctissimum sapientissimúmque, si uti par erat, audissent Episcopi, nonne ille potiùs Regaliam perpetuis tenebris æternóque silentio damnâsset, quàm servitutem Ecclesiæ novo Edicto firmiùs validiúsque sanxisset. Est enim illud Edictum, Pater Sanctissime, malorum nostrorum non levamen, sed cumulus, quo unum aut alterum in speciem quidem, & ad tempus dumtaxat depellitur incommodum, ut cætera, quæ in Regalia

galia sunt innumera, plus roboris ac firmamenti habeant, ijsque æternitas quædam accedat. Est enim celebre jurisconsultorum effatum, *exceptionem firmare regulam.* Quare dum paucula excipit, cætera Rex firmissimè statuit.

Quæ autem ab ipsa exceptione plurimum roboris accipiunt, ferè sunt hæc: Coronam Regum rotundam, rotundam quoque postulare Regaliam, hoc est, nullâ sui parte præcisam; sed cunctas, quà latè patet regnum, Ecclesias pervagantem: facultatem patrimonium Christi administrandi, sacerdotes altaribus admovendi, rectores Ecclesijs præficiendi, dotem esse sceptro solióque ingenitam; quod quàm hæreticum sit, jam sæpe diximus: plus autoritatis habere reges in Ecclesias vacantes, quàm summum Pontificem. Cui neque per resignationem, neque per prævention em, neque propter supplendam Regis negligentiam, neque aliâ quâcúmque ratione fas omnino erit Beneficium ullum, sede vacante, attingere: sed si quid litis contentionisque circa Regaliam, aut obnoxia Regaliæ Beneficia exortum fuerit, nequire Sanctam Sedem, neque ullum Concilium Oecumenicum controversiam istam dirimere, Senatum Parisiensem potiorem esse. Pars Regum cùm sit Regalia, posse quidem cujuscumque libidine in immensum crescere, nullatenus verò constringi, aut coarctari, multo minùs aliquâ sui parte imminui, nec Regibus quidem jubentibus, pacisscentibus, summâ potestate annitentibus; jus enim regium etiam ipsis Regibus sanctum. Quare si quid his temporibus vel pacis studio, vel amore religionis, vel collatâ in Episcopos gratiâ Ludovicus XIV. detraxerit de Regalia, delibaverítque, liberum fore sequentibus Regibus, id totum irritum habere ac facere.

Hos aliósque infelices prorsus ex Regaliæ trunco

erumpentes frutices Edictum illud adeò non resecavit; ut etiam latiores vegetioresque effecerit. Quamobrem Edicto illo nihil adepti sumus, cuncta verò perdidimus; præsertim si in tot tantisque insurgendi, Ecclesiámque vindicandi causis Sanctitas Vestra quieverit, silueritque. Quàm multi enim sunt, Beatissime Pater, qui cùm Sanctitatem Vestram videbunt post tantam exhibitam constantiam, dubitantem; post tot intentatas minas, habenas sceleri laxantem, putabunt non esse scelus, quod tam magna, tam sancta Potestas non ulciscitur. Credent etiam, quæ regio Edicto sublata sunt, ea tantùm Ecclesiæ fraudi fuisse; cætera reprehensione carere, & utcumque ferenda videri. Quocirca plus ex Vestro feremus detrimenti silentio, quàm ceperimus ex sacrilega Regalistarum sævitia. Hâc enim miseri dumtaxat sumus; illud efficiet, ut tot miserijs digni quoque existimemur.

Viderint deinde quorum interest, (nam aliorum appetitor non sum) quàm mali exempli sit, Episcopos é curiæ nutu pendentes, ausos esse tanto Ecclesiæ detrimento, tantâ Apostolicæ Sedis injuriâ, Vobis inconsultis, imò verò omnino spretis, Regaliæ jure tanto támque immenso cedere; cùm præsertim maximè scirent, eam causam apud Sanctam Sedem agi jam cæptam, imò diu contestatam, ultimóque judicio maturam.

Præsumptionem istam alia multò major multóque nocentior excepit. Nam ijdem illi Episcopi, ne quis pœnas suo sociorúmque sceleri debitas exposcat, nihil non moliuntur, ut Apostolicam Sedem, cujus est ista ulcisci, in ordinem redigant. Quocirca ausi sunt in florentissimo Sedis Apostolicæ statu, sedente in Cathedra Petri Innocentio XI. toto orbe Christiano de tanto Pontifice sibi gratulante,

tulante, ausi sunt, inquam, de summa Religione statuere, ac quæstiones movere; quæ non nisi tristioribus ac difficillimis schismatis temporibus ventilatæ sunt.

Ecce mirifici istius Concilij egregios Canones: pronuntiat, Apostolicæ Sedis plenitudinem intra Canonum sepia coarctari, præsertim verò Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus retundi in negotijs fidei: Si quid Papa ut Papa statuerit, id omnino certum non esse; ut autem sit, Ecclesiæ assensum efficere: Papam subesse Concilio quocumque tempore, quacúmque ratione; Synodum Constantiensem ita censuisse. O rem inauditam? judices sedent pauculi Episcopi; stant Papa Conciliúmque Rei. An Papa præstet Concilio, an Concilium Papæ incertum eis est: Unum illis constat, utríque dominari, ac præesse augustissimum illorum Conventum; utríque pro sua summa potestate jus dicunt: in eorum arbitrio positum est, aut Papam supra Concilium, aut Concilium supra Papam evehere: *quid*quid censuerint, orbi Christiano lex esto.

Audacia hæc, Beatissime Pater, quâ universæ Ecclesiæ Majestas læditur, Vobis, qui universam Ecclesiam regitis, animadvertenda est, nobis autem qui in novissimo loco recumbimus, tantùm lugenda. Quæ verò Ecclesiæ Apamiensis propria mala sunt, præter luctum hoc à me insuper postulant, ut Vos Sanctissime Pater, etiam atque etiam rogem, imò per Petrum Paulúmque obtester, ne diutius Ecclesiam illam conquerendo dicere sinatis: *Consolantem me quæsivi, & non inveni.* Educite illam tandem de domo carceris, dirumpite vincula ejus. Denique decernite solemni judicio, Christianissimum Regem in tota Apamiensi diœcesi Regaliæ jus nullum habere, neque vi sceptri, neque ullo ab Ecclesia concesso privilegio, ut omnium retrò tem-

porum possessio, & rationes demonstrant: nequivisse Archiepiscopum Tholosanum jure Metropolitico Vicarios Generales à Capitulo Apamiensi electos munere suo depellere, aliósque in eorum locum substituere: incidisse cum ipsum Archiepiscopum, Vicariósque ab eo missos, tum eos omnes, qui Vicarijs hujusmodi paruerunt, excommunicationem, aliásque pœnas in Litteris Apostolicis primo Januarij 1681. contentas; nominatim verò eos, quos factâ ritè inquisitione comperi mandatis Apostolicis pertinacissimè restitisse, prout luculenta Romam missa testimonia demonstrant: rescindi denique acta omnia, cum conventûs Provincialis Tholosani: tum illius Generalis Parisiensis, propter adversus utrúmque interpositam à me intercessionem oppositionemque.

Justum hoc judicium ut judicetis, Pater Sanctissime, efficiat velim Spiritus ille veritatis, qui arguit mundum de justitia, & de judicio, quique posuit Vos Episcopum regere Ecclesiam Dei, simúlque suadeat istâ nimiâ moderatione, cunctationéque rebus Ecclesiæ minimè consuli, sed cuncta potiùs in deterius ruere, libertatem Ecclesiæ interire, aperiri viam schismati, improborum audaciam majores vires captare, Henricianam hæresim altas radices figere, infinita denique mala oriri.

Date veniam, Pater Sanctissime, si quid in multiloquio in Vos, aut alios quoscumque incautus peccavi. Sed nesciunt plerumque decorum, quorum calamitas excessit modum; cùm animum suus excruciat dolor, parùm aliena majestas afficit. Urgeo Vos: luctabor etiam Vobiscum, quemadmodum cum Angelo Dei, imò cum ipso Deo luctatus est aliquando Jacob, ideò dictus Israël. Porrò non dimittam Vos, nisi benedixeritis mihi; lætúsque ab

hoc

hoc certamine, tametsi claudus recedam, neque erit mihi pede claudicare molestum, si modo datum fuerit Ecclesiæ vincere. Hujus benedictionis, hujus & victoriæ certum omen habeo concessam mihi, ac per me toti Diœcesi à Sanctitate Vestra Jubilæi gratiam, quæ humillimo ac gratiosissimo animo excepta, tot malorum pondere ferè oppressos interim nos recreavit. Multos Vobis, Pater Sanctissime, annos, & quidquid optimum apprecor, simúlque Apostolicos pedes exosculor.

Datum die decimâ tertiâ mensis Aprilis anno 1682.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus & Obsequentissimus in Christo
Filius & Famulus
Cerle Vicarius Generalis Diœcesis
Apamiensis Sede vacante.

Documentum LVIII.

Epistola Cleri Gallicani, auctoritate Regiâ Parisijs congregati ad Sanctissimum Dominum Dominum INNOCENTIUM PP. XI.

BEATISSIME PATER,

QUam consecrandi fecimus Apostolicæ Sedi canonicæ obedientiæ professionem, ea nos impellit, quæ Parisijs jussu Regio congregati gessimus, ad Apostolatum Vestrum referamus, gravésque metus nostros paternum in sinum effundamus: (a) *Cùm enim Te Dominus gratiæ suæ præcipuæ munere in Sede Apostolica collocaverit, talémque nostris tem-*

(a) Epistola Concilij Milevitani ad Papam Innocentium, inter Epistolas S. Augustini Epist. 92.

temporibus præstiterit, ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud venerationem Tuam, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea possit Sanctitas Vestra, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, non ambigimus, quin magnis periculis nostris Pastoralem diligentiam adhibere digneris.

Sanè, Beatissime Pontifex, à majoribus nostris, sanctis, gravibúsque virisaccepimus, Regni & Sacerdotij tutâ piâque concordiâ res humanas niti: (a) *Dum unum ab altero impugnatur, periclitari utrúmque; eâ occasione & de Regno tolli justitiam, & de Ecclesia pacem, schismata & scandala suscitari, & fieri animarum perditionem simul & corporum*; (b) *Sine horum concordia res humanas nec incolumes esse posse, nec tutas.* Hæc Goffridus Vindocinensis, hæc Ivo Carnotensis, sanctissimi, gravissimíque Ecclesiæ Gallicanæ Præsules immortalibus scriptis testata reliquerunt. Hos in medium afferre, & ad Vestram Sanctitatem allegare juvat, quos pro Ecclesiastica libertate, atque Apostolica auctoritate multa perpessos Sancti Vestri Decessores, non tantùm ut probabiles Magistros, sed ut præcipuos, singularésque filios semper habuerint. His accedat tertius Claræ-vallis Abbas, non Gallicanæ tantùm, sed Universæ Ecclesiæ lumen, Sanctus Bernardus, ille Canonum propugnator, ac fortissimæ cujúsque sententiæ gravissimus auctor, ubi nimio rigore Regnum & Sacerdotium dividi, (c) atque *inconsutilem Christi Tunicam* scindi animadvertit, utili condescensione temperari canones supplicavit, ac pacem utriúsque potestatis, quæ utrámque fulciat, retineri, præsertim in Gallia, (d) ubi *nullam unquam Regnum inter & Sacerdotium divisionem fuisse* antiquiores Episcopi gloriati erant, ubi deni-

(a) Goffridus Vindocinensis Opusculo quarto. (b) Ivo Carnotensis Epistola 60. (c) Sanctus Bernardus Epistola 229. (d) Ivo Carnotensis Epistola 238.

denique, ipso teste Bernardo, toto orbe collisо, ipsísque Pontificibus gravi toties tempestate jactatis, non modò nullæ scissuræ factæ essent, (a) sed etiam *solerent scissuræ aliæ resarciri.*

Nec minore studio Apostolici Præsules Vestræ Sanctitatis Antecessores eam concordiam commendârunt, cùm geminâ potestate res humanas regi ex sacris Litteris accuratissimè tradidère; quarum proinde concordiâ publicam pacem, totiúsque generis humani statum contineri certissimum sit, dicente Prophetâ: (b) *Ecce vir Oriens nomen ejus*, Zorobabel in persona, in figura Christus, certè populi Dei Dux & Princeps; (c) *Et ipse extruet Templum Domino; & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo; & erit Sacerdos super solio suo; & consilium pacis erit inter illos duos.* Stet ergo utrúmque solium, alterum Principis, alterum Sacerdotis, auxilio mutuo, mutuâ consensione munitum; hinc populi salus, hinc non tantùm corporum, sed etiam animarum lucra proveniant; hinc denique res humanæ stabili, ac Deo pariter, hominibúsque placitâ tranquillitate decurrant.

Quæ cùm ex Patrum traditione, ipsáque adeò prophetica ac divina auctoritate descenderint, ubi eam pacem nostris temporibus occasione Regaliæ sollicitari vidimus, cœpimus cogitare, quid Majores nostri, quid antiqui Sedis Apostolicæ Antistites præscriberent, pro certo habituri, quod verbo pariter, & exemplo docuissent. Sic autem comperimus, quæ Ecclesiasticâ auctoritate, æternâ lege sancita essent, manere inconcussa; quæ Ecclesiasticâ prohibitione constarent, in his Ecclesiarum Principes multa pro tenore

(a) S. Bernardus Epistola 219. (b) Gelasius Papa Epistola 8. ad Anastasium Imperatorem. (c) Zachariæ cap. 6. vers. 12. & 13.

canonum districtiùs judicâsse, multa pro temporum necessitate tolerâsse, ubi non periclitatur fidei veritas, aut morum honestas, quædam instituta temperari, non cæcâ tamen & indiscretâ relaxatione disciplinæ, sed si adesset necessitas, ex qua leges quoque mutari contingeret: sanctos enim Pontifices Antecessores vestros ita præcepisse: (a) *Ubi necessitas non est, Sanctorum Patrum Decreta manere inconvertibilia*; eadem ergo Decreta ex necessitate interdum temperanda: eam verò necessitatem esse, si graves dissensiones, si turbulenti motus, tumultúsque imminerent, quam *populorum stragem* Sancti Patres vocant; tunc enim Charitatem, quæ summa Ecclesiæ lex sit, alias emollire ac temperare leges, (b) ac *detrahendum aliquid canonum severitati; ut majoribus morbis sanandis Charitas sincera subveniat*; hinc nempe profectam, à Sanctis Patribus, ipsáque Apostolica Sede toties celebratam moderationem canonum, quæ utili dispensatione, & providâ compensatione librata Ecclesiam ædificet, propulset dissidia, Regnum & Sacerdotium firmâ pace componat.

Hæc ex Sancto Augustino, alijsque Patribus; hæc ex Sanctis Pontificibus, Leone, Gelasio, cæterísque Majores nostri didicerunt, nobísque tradiderunt: (c) *Salvo* scilicet *fidei fundamento, & communi morum regulâ, tolerandaquædam, etiam facienda, quæ infirma videantur; hæc enim facit Charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis uritur, & omnibus omnia fit, ut omnibus prodesse mereatur.* Quod si jus illud Regium, quam Regaliam dicimus, aut Fidei fundamentis, aut morum regulis esset adversum, non illud utique sancti Pontifices doctrinâ

(a) S. Bernardus Tractatu de Præcepto & Dispensatione cap. 4. (b) Augustinus Epistola 50. (c) Ivo Carnotensis Epistola 214.

strinâ & pietate conspicui Alexander III. Innocentius III. atque alij comprobâssent; non illud denique sacrum generale Lugdunense Concilium tot personis, tótque sub titulis suâ auctoritate firmâsset. At enim extendi vetuit ad eas Ecclesias, quæ primævâ atque innatâ libertate gauderent; sed ut hanc interim quæstionem omittamus, neque minutatim verba Concilij, variósque sensus quæque antegressa, quæque consecuta sint, expendamus: id sanè liquidò constat, nullum esse periculum, ut extensum Fidei, moribúsque noceat, quod illæsâ Fide, salváque morum regulâ, longè latéque propagatum, plurimas jam Regni Ecclesias occupârit; ex quo illud efficitur, Regaliæ causam, non ad (a) *Fidei*, morúmque *regulam*, quæ *immobilis & irreformabilis* sit, sed ad disciplinam, quæ pro locis ac temporibus subinde mutetur, quæque temperamenta ac salubrem illam moderationem admittat, omnino pertinere.

Jam ergo constituto quæstionis statu, Beatissime Pater, quantum intelligimus, rem totam expediri haud difficile fuerit; cùm id unum inquirendum restet, justáne causa fuerit, cur post Ecclesiarum quarumdam libertatem totis sexaginta annis strenuè propugnatam, victi in eo Tribunali, quod ipsi antiquo more Regni appellavimus, acquiescere potiùs, quàm omnia commovere, Regiam potestatem cum Pontificiali committere, nova denique bella ciere vellemus. Nos pacem anteponimus, nec in simili causa piget imitari Vindocinensem Abbatem non minùs fortitudine, quàm prudentiâ clarum, cujus verbis dicimus: (b) *Habeat Ecclesia suam libertatem; sed summoperè caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, & dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur.*

(a) Tertullia. de Virginibus velandis. (b) Goffridus Vindocinensis opusculo 4.

Neque verò publicam pacem, ac sub tanto Rege prosperum rerum Ecclesiasticarum cursum turbatum oportebat. Adhibe pias aures, Sanctissime Pontifex, & tantisper cogita, quem Regem habeamus: non invictam bello dexteram, ac decora victoriarum prædicaturi sumus pacifici Sacerdotes: habent illæ laudem suam universis Gentibus celebratam, ac pacis gloriâ cumulatam. Utinam, Beatissime Pater, rebus nostris interesse, & coram intueri posses (paternis sanè oculis dignum spectaculum) quàm benignè Optimus Princeps Episcopos audiat, quàm rebus Ecclesiæ faveat, quàm bonos fulciat, quàm invictâ auctoritate frangat contumaces, quàm cœlestem illam nobis à Domino traditam potestatem intemeratam velit. Eo protegente, Jurisdictio Episcopalis propemodùm profligata emergit è tenebris: nostris jam Decretis, nostræ auctoritati Parlamenta obsecundant, ac Regia Decreta Canonicæ disciplinæ ancillantur. Jam verò Hæresis quot accipit subinde salutares plagas? Quot Edictis comprimitur? Quot amissa Templa luget? Quantas nobilium, plebejorúmque turbas ad Petri, hoc est, Christi ovile revocatas? Quid deinde referemus, ut Regius animus exosas habeat novitates omnes, nullóque Regni loco consistere patiatur? Est profectò Ludovicus Magnus alter ille Mauritius à Sancto Gregorio Antecessore Vestro totiès commendatus: (a) *Cujus temporibus Hæreticorum ora conticescunt; quia etsi eorum corda in insaniam perversi sensûs ebulliunt, Catholici tamen Principis tempore, prava quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.*

Hæc coram admiramur, hæc luculentiùs Vestra quoque Sanctitas ab altissima illa, cui totus orbis subest, Petri Sede

(a) Libro 7. Epistolarum Epistolâ 48.

Sede commemorat ; his Apoſtolicum Veſtrum pectus exultat ; ſi quid fortaſſe tot inter proſpera emergit incommodi, non omnia proindè ad juris apices exigimus ; (a) magno enim Cyrillo Alexandrino Præſule docente didicimus œconomiâ rerum plerumque cogi nos etiam à ſtricto & confeſſo Eccleſiæ jure diſcedere. Quanti verò æſtimamus illa privilegia aliquot Eccleſiarum, ſi emolumentis damna contendimus ? Quid, quòd illud onus vix Eccleſiæ ſentiunt, vacantium Eccleſiarum fructibus, quos Reges vindicare fiſco in Eccleſiarum longè maxima parte non dubiâ conſuetudine poterant, Succeſſori reſervatis, rebúſque ad Canonum auctoritatem Ludovici Decimi tertij auguſtæ memoriæ Edicto redactis ? Quid, quòd in quibuſdam Præbendis ac Dignitatibus conferendis, ſi quid erat aſperius, nobis ſupplicantibus, à Rege mollitum, tanti Principis pietatem, largitatémque commendat ? Quid, quòd Capitulis ſua jura ſervata, certíque Judicibus præſcripti limites, ne Regaliæ nomine omnia invadantur ? Id ſubjuncta his litteris geſta teſtantur, certóque indicio ſunt, quàm bene illi aliqua concedantur, qui multa jam ſibi poſſeſſione vindicata ultrò concedat.

Sed enim exprobrabunt, qui votis ſuis omnia metiuntur, leve illud quoque (ſic enim ſentiunt) quod Rex Chriſtianiſſimus tanto ſtudio aſſertum Coronæ ſuæ velit, nobis auctoribus ac flagitantibus potuiſſe dimitti : næ illi falſi ſunt, rerúmque noſtrarum imperitiſſimi. Liceat verò nobis, Beatiſſime Pater, quando eo in cardine totius negotij ſumma verſatur, paulò liberiùs interturbare graves illas curas Apoſtolicæ mentis, ac jus Regaliæ Francorum Regi-

(a) Epiſtola ad Gennadium Presbyterum & Archimandritam.

bus, totíque Regno infixum, prout nostris hominibus insitum, inditúmque est, ab ortu repetere.

Sic nempe inclamant Regij Magistratus, Christianissimos Reges jam inde à Clodovæo, ac primis Christianæ Religionis exordijs, Ecclesiarum omnium, ut pietate filios, ita effusissimâ liberalitate nutritios, & Regiâ defensione propemodùm Patronos, ac Tutores extitisse: ea verò, quæ Ecclesiæ in fundis haberent, teste Augustino, jure Cæsareo, hoc est, Regio obtineri, supremámque eorum omnium potestatem penes Reges esse. Hinc à priscis temporibus, vacantium Ecclesiarum Regiâ manu occupata bona, mox reddita Successoribus: nec à Sede Apostolica reprobata, quæ huic juri tuendo antiquissimis etiam temporibus Reges Francorum fecissent; Præbendas quoque, hoc est nativo sensu, stipendia Clericorum, partem Ecclesiasticæ possessionis ac proventus, necdum à toto discretas, si vacarent Ecclesiæ, eodem quoque jure à Principibus collatas; quarum quippe collatio & antiquo jure à solida massâ decidi non posset, & recentioribus quoque juris Pontificij institutis in fructu haberetur. Hæc omnia ab antiquo Regibus de se benè meritissimis concessisse Ecclesiam, sanè consensisse, júsque illud utriúsque potestatis consensione firmatum, Regiæ Majestati proprium atque congenitum ita coaluisse, ut distrahi nequeat: neque verò fas esse, ut Ecclesiæ primis Francici Imperij temporibus diverso jure haberentur, quas eâdem Regiâ protectione fulciri, eâdem liberalitate ditari, ejusdem Majestatis reverentiâ ac potestate contineri certum esset. Si quid ergo tristioris diversitatis exortum sit, id esse referendum ad illa tempora, queis scissum Regni corpus, Ducúmque & Comitum olim innocuo, tunc infausto nomine avulsa ac discerpta membra vix inter se cohærerent:

rent: hos enim Principes, Regalibus occupatis, ſæpe etiam ſine Regum conſcientia relaxatis, omnia perturbâſſe: at poſtquam Regia poteſtas diſtractas Provincias ad ſeſe revocavit, & afflictum diu, diſſipatúmque Regnum ſuam demum integrè ſub uno Capite nobiliſſimo pariter ac valentiſſimo ſanitatem intellexit, tunc obliterandam, quæ laceros artus olim dehoneſtabat, fœdam diverſitatem, nec Regio juri ex antiquiſſimis, receptíſque Regni Francici legibus, nocere potuiſſe poſſeſſionem intermiſſam, quam & per Principes ſibi ſubditos diu retinuiſſent, nec ipſi unquam animo dimiſiſſent; univerſáſque Eccleſiæ, non tantùm ad decorem, ſed etiam ad robur, firmámque compagem, eodem denique jure componendas. Neque verò obſtare Lugdunenſe Concilium, quippe quod nec Reges nominet, ex Pontificijs quoque Decretis pro ſua Majeſtate ſpecialiter appellandos, nec de Præbendis loquatur, & aliò verti poſſit; neque à Pontificibus Regibúſve in quæſtione Regaliæ, cùm de ea maximè ageretur, memoratum, aut leviter ſaltem indicatum fuerit.

Hæc utcumque ſe habent; neque enim lubet commemorare, quæ Anteceſſores noſtri repoſuerint, aut litigare eſt animus coram Veſtra Sanctitate pacis negotium tractaturis; hæc, inquam, adeò Regijs Magiſtratibus infixa menti ſedent, ut à ſe avelli nullâ ratione patiantur, cauſáque ceciderimus, eorum quoque ſententiâ, qui & æquitatis laude florerent, & in noſtrum ordinem eſſent propenſiſſimi; quâ conſenſione victus Rex Maximus, ſatíſque ſibi conſcius, quàm ab invadendis Eccleſiarum juribus abhorreret, jus Regium putat, quod in univerſum Regnum penè diffuſum, ſuo velut curſu undique protendatur, rerum ſimilitudine, paríque Eccleſiarum conditione, velut in proclive

ductum.

ctum. Quid hic nobis mentis, Sanctissime Pontifex, planè simplicitérque dicemus; hæc neque omnia ut certa proponimus, nec ut erronea & fidei regulis adversa propulsamus; ac dispensationi providæ locum esse censemus, gravissimos scilicet auctores secuti Apostolicos viros Antecessores Vestros.

Prodeat sanè vir maximus, non minùs in sacris litteris, quàm in Canonum disciplina versatus Innocentius III. atque in simili causa quid agendum sit, doceat: de Regalibus agebatur; jure autem Regalium multa contineri, quæ jam Ecclesijs Regum liberalitate remissa sint, certo certius est. Primùm jus procurationis, sive hospitij, quo Episcopi Abbatésque Regem domo excipere, totámque cum ipso curiam, publicásque personas alere certis temporibus: tum jus exercitûs, quo certos milites ad Regium exercitum ducere, eósque alere deberent: & quidem occupari à Rege Ecclesiarum bona, non modò si illæ vacâssent, verùm etiam si Episcopi consueta, quæ vocabant, servitia omisissent; eáque omnia ab eodem fonte Regalium existere, & perspicuum ex sese est, & ipse Innocentius profitetur. Duo ergo Episcopi à Rege accusati, quòd illius injussu milites abduxissent, eorum Regalia manu Regiâ confestim invaduntur, nullâ judicij formâ; nec tantùm Regalia, sed etiam alia bona quæcúmque possiderent; id enim juris Regij esse Rex contendebat: Episcopi id negare, tum factum excusare, vim illatam conqueri, gravissimásque expostulationes deferre ad Innocentium. Quid ergo tantus Pontifex? susceptâ, ut decebat, Episcoporum causâ, Philippum Augustum aggreditur, multa interminatus, multísque adhortatus: (a) *Ne inter Regnum & Sacerdotium scanda-*

(a) Libro I. Epistolarum Epist. 107.

scandalum oriretur; intentato quoque Apostolicæ censuræ metu, nisi Episcopis Regalia, aliáque omnia præter jus fásque (sic enim ferebat) occupata relaxaret: gravis sanè causa, in qua Rex Maximus (a) *censurâ cohibendus* esse videretur, sed interim Innocentius ad Episcopos scribit: (b) *Fraternitati Vestræ consulimus bonâ fide, quatenùs cum charissimo Filio nostro Rege, quantò meliùs poteris, componere studeatis; quoniam arcus, qui semper est tensus, vires amittit, & nonnunquam Reges meliùs vincuntur mansuetudine, quàm rigore.* Præclarè ille quidem, ubi nullum fidei, nullum morum regulæ creatum periculum est; sed particulare factum, inquient, nec in exemplum trahendum; & tamen agebatur, uti prædictum est, non tantùm de Episcoporum facto, sed etiam de Regalium jure, quoúsque pateret, quæ bona complecteretur, quâ formâ exerceri posset: sed hæc omittamus. Quid Benedictus Duodecimus, unus omnium Pontifex & constantiæ & prudentiæ laude ornatissimus? Is Philippum Valesium Regem editâ Philippinâ multa (c) Regaliæ Juri ab antiquo more diversa velut inferentem gravissimis monitis ab ea tutanda lege deterruit; sed præclarè functus officio, ab negotio destitit; neque enim omnia urgenda Pontifici, nec exactè semper ad minutos quósque apices res Ecclesiasticas deducendas: Philippinaque ad nostra usque tempora stetit incolumis.

Sed ne Vestræ Sanctitati molesti simus, postremum commemoramus Bonifacium Octavum; nec tamen refricamus infausta illa dissidia, quæ nec sine lacrymis legi queant: abeant illa in tenebras æterno sepelienda silentio. Id de Bonifacio referre lubet, quod ad pacem conducat, quod dignitatem pariter atque clementiam Summæ Sedis

(a) Lib. 3. Epist. 40. (b) Lib. 3. Epist. 107. (c) Rainaldus ad ann. 1337. numero 17.

deceat. Grave erat Bonifacio à Philippo Pulchro, pleno etiam jure conferri Præbendas, seu Regaliæ, seu quovis alio titulo ; nec tamen negabat Pontifex, imò profitebatur id *fieri posse Ecclesiæ consensu tacito vel expresso.* (a) Rex interim se possessione tuebatur ; eo enim jure à se conferri Præbendas, *quo à Majoribus, & à Sancto Ludovico avo datæ essent.* Rectè ille & ordine, ut videtur ; satis enim constabat, reclamante nemine, eo jure usos : neque fraudi esse poterat optimis Regibus, quòd ad Jus Regium ea revocabant. Id enim Jus Regium esse, quod Coronæ Regiæ ab antiquo insitum, coalitúmque sit : atque ut ex simili rem conficiamus, an non Patronatus, quos vocant Laicos, ipsis quoque terris atque dominijs ex possessione inhærere, ac quasi temporalis juris loco esse constat : cùm tamen id juris ex Ecclesiasticæ potestatis fonte profluere nemo non fateatur? Quantò ampliora Regibus & Beneficentia & propria Majestas conciliare potuit ? Neque id Bonifacium juris consultissimum fugiebat ; sed cùm in ancipiti esse videretur, quatenùs Juri Regio Præbendas conferendi Ecclesiæ consensus accessisset, quod dubium, quod illicitum reputabat Pontifex, de potestatis plenitudine concedebat, ac licitum faciebat : *Quid enim litigamus*, inquit, *volumus, ut Rex faciat licitè, quod facit illicitè : volumus super hoc sibi facere gratiam omnem, quam poterimus.* Sic quem nodum solvere ex Pontificis sensu, antiqua monumenta juráque non poterant, Apostolicæ potestatis gladio amputabat : atque id Bonifacius Octavus tot inter simultates conferre ultrò voluit in Philippum Pulchrum : quanta Innocentius Undecimus Benevolentissimus & propensissimus in Ludovicum Magnum? Neque

(a) Histoire du different de Boniface VIII. & de Philippe le Bel page 90. page 93. page 78.

que verò ambiguum, quid Orbis Christianus expectet, si Pontifici Pontificem, Regem denique Regi componamus. Id tantùm postulamus, ne plus æquo audiantur, qui in Jure Coronæ novas hæreses fingunt, nimisque intelligendo faciunt, nihil ut intelligant præposteri homines, qui quem exsufflant pulverem, ut præclarè Sanctus Augustinus, in suos, aliorúmque excutiunt oculos. Vestra verò Sanctitas hæc omnia supergressa, Christianique Orbis intenta comodis, tantas contentiones ex tenui ortas, sed in gravissima mala, nisi Deus avertat, aliquando erupturas, Apostolicâ auctoritate componat: pacem expetimus, pacem flagitamus, pacem, quæ Vestrum nomen tantâ pietatis ac sanctitatis laude omnibus Gentibus, ipsisque adeò Ecclesiæ hostibus clarum, venerandúmque immortalitati consecratura sit. Satis jam, supérque Parens Optimus, Devotissimúsque Filius repugnante animo altercantur. Nos quidem, Beatissime Pater, ut gratias agimus, quas possumus maximas, quòd Jura quarundam Ecclesiarum, quæ nobis omnibus communia facit ipsa Fraternitas, sarta tectáque esse vultis, ita nostrâ causâ concuti Orbem, Pacémque Christianam conturbari nolumus: quare eo quoque, quidquid inerat, jure decessimus: id in Regem Optimum atque Beneficentissimum ultrò contulimus: (a) *Et si fortè propter Canonum rigorem minùs licebat, factum est tamen, quia Eccl. siasticæ pacis sic expediebat; cùm enim plenitudo legis sit Charitas, in hoc legibus obtemperatum esse credimus, in quo Charitatis opus impletum esse cognovimus.*

Quæ à nobis acta, si Vestra Sanctitas dignetur inspicere, probaturam esse pro sua æquitate confidimus. Sanè summâ con-

(a) Ivo Carnotensis Epistolâ 190.

consensione, pronáque omnium nostrûm voluntate gesta esse testamur; cùm præsertim nemo sit, qui rebus nostris intellectis, ac perpensis omnibus, quæ recens nobis supplicantibus à Rege Maximo statuta sunt, non ultrò fateatur, plura & ampliora concessa, quàm dimissa, atque Ecclesiæ causam Regiâ æquitate ac liberalitate, meliore nunc omnino conditione esse: quamobrem obsecramus, ut quæ à nostra humilitate, non modò publicæ pacis intuitu, sed maximo Ecclesiæ emolumento gesta sunt, quæque Rex Maximus, tanto Religionis studio, tantáque omnium nostrûm obtestatione concessit, Regijs Magistratibus nequicquam reclamantibus, sic Vestra Sanctitas complectatur, ut Sacerdotij Regníque concordiam æternùm firmet & sanciat.

Quid enim luctuosius, quàm sub tanto Pontifice, ac tanto Rege, quorum consensione tot in Ecclesiam bona redundatura sint, per invisa & importuna dissidia eludi expectationem Orbis, & publica commoda retardari? Sanè ex quo Ecclesia est, Sede Apostolicâ Regnóque Francorum nihil conjunctius fuisse, & maximo honori ducimus, & Vestri Antecessores libentissimè prædicant; hanc verò perpetuam conjunctionem animorum nostris quoque temporibus auctam oportuit. Quid enim videt Orbis Magno Ludovico majus? Quem Turcæ sævienti graviorem hostem? Quam expeditiorem manum? Quem animum promptiorem? Quem idoneum magis, quicum ea, quæ Vos assiduè pulsant, coërcendi hostis, atque amplificandæ Ecclesiæ, communicare consilia? Quem ad ardua quæque jam sponte currentem incitare possitis? Ne verò prohibeat Vestram Sanctitatem Ecclesiarum aliquarum haud tantis sanè motibus digna libertas: solet Ecclesia Christi quædam

dam omittere, ut alia, eáque potiora ſervet, multa quoque in melius ferendo, commutare. Ipſa Regalia quantùm imminuta eſt, cùm pij Principes à potiundis fructibus jam abſtinuerint, & graviſſima onera alendorum militum ac Procurationum ſpontè remiſerint, ut jam illi à nobis, ſi neceſſe ſit, memorem animum ſuo quodam jure repoſcere videantur? Quid attinet commemorare in Epiſcopis atque Abbatibus eligendis, inveſtituris, in juſſionibus, permiſſionibus, aſſenſionibus Regijs, in Epiſcopatuum & Abbatiarum conceſſione & dono, in Hominijs quoque & Sacramentis fidelitatis, (a) quàm multa primùm cenſuris graviſſimis reprobata, mox ultrò conceſſa ſint? Ipſa Apoſtolica Sedes, arx Eccleſiaſticæ libertatis, quàm multa Principum in ſeipſam quoque jura tolerârit, imò aliquando conceſſerit, ipsâ temporum morâ excuſſa cervicibus, & in optimum ſtatum ſpontè reſtituta? An ergò Eccleſia (a) *levitate uſa eſt? fuítque in illa eſt & non?* Abſit, ſed ſatis ſibi conſcia æternitatis ſuæ, ipsíque veritati ſemper immobili animo adhæreſcens, aliquâ ſui parte humanis ſe rebus utcunque accommodat, nec tam temporibus, quàm animarum ſaluti ſervit. (b) *Hæc dicendo doctam Paternitatem Veſtram non docemus, ſed eamdem conſulendo & rogando monemus, ut ibi conſilij & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, ubi fas non eſt, fortitudinem exercere.*

Quare, Beatiſſime Pater, ad ſacros Veſtros pedes ritè provoluti, atque Apoſtolicam Benedictionem expectantes, Summum illum Eccleſiæ, veſtríque unici Primatûs Auctorem oramus, obſecramus, uti mentem Veſtram ad pacis conſilia inflectat, & quæ pacis ſtudio, exemplo Majorum,

(a) 2. ad Corinthos cap. 1. v. 17. (b) Ivo Carnotenſis Epiſtolâ 190.

jorum, Sanctitas Vestra gesserit, ea in Vestram gloriam, quam in Christo habetis, totique Ecclesiæ utilitati vertat. Datum Parisijs tertio Nonas mensis Februarij, anno 1682.

Obsequentissimi & devotissimi Filij ac Servi Vestri,

Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiastici Viri in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Parisijs congregati.

Franciscus Archiepiscopus Parisiensis, Præses.

De Mandato Illustrissimorum & Reverendissimorum Archiepiscoporum, totiusque Cœtus Ecclesiastici in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Parisijs congregati.

Documentum LIX.

Responsio Innocentij XI. Pontif. Max. ad epistolam Cleri Gallicani.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiasticis viris, in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Parisijs Congregatis.

PAternæ Charitati, quâ charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Regem Christianissimum, Ecclesias vestras, vos ipsos, & universum Regnum istud amplectimur, permolestum accidit, ac planè acerbum, cognoscere ex Vestris litteris die tertiâ Februarij ad Nos datis, Episcopos, Clerúmque Galliæ, qui corona olim, & gaudium erant Apostolicæ Sedis, ita se erga illam in præsens gerere; ut cogamur multis cum lacrymis usurpare propheticum illud:

illud: *Filij matris meæ pugnaverunt adverſus me.* Quamquam adverſus vos ipſos potiùs pugnatis, dum Nobis in ea cauſa reſiſtitis, in qua Veſtrarum Eccleſiarum ſalus, ac libertas agitur, & in qua Nos pro juribus, & dignitate Epiſcopali in iſto Regno tuenda, ab aliquibus ordinis Veſtri pijs, & fortibus viris appellati, abſque mora inſurreximus, & jam pridem in gradu ſtamus, nullas privatas Noſtras rationes ſecuti, ſed debitæ Eccleſijs omnibus ſolicitudini, & intimo amori erga vos Noſtro ſatisfacturi.

Nihil ſanè lætum, & veſtris nominibus dignum eas litteras continere, in ipſo earum limine intelleximus. Nam præter ea, quæ de norma in comitijs convocandis, peragendíſque ſervata afferebantur, animadvertimus eas ordiri à metu Veſtro, quo ſuaſore, numquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent, in ardua, & excelſa pro religione, & Eccleſiaſtica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes: quem quidem metum falſo judicaviſtis poſſe vos *in ſinum Noſtrum effundere.* In ſinu enim Noſtro hoſpitari perpetuò debet charitas Chriſti, quæ foras mittit, & longè arcet à ſe timorem. Quâ Charitate erga vos, Regnúmque Galliæ paternum cor Noſtrum flagrare, multis jam, ac magnis experimentis cognoſci potuit, quæ hic referre non eſt neceſſe. Si quid eſt autem, in quo benemerita de vobis ſit charitas Noſtra, eſſe imprimis putamus hoc ipſum Regaliæ negotium, ex quo, ſi ſeriò res perpendatur, omnis ordinis Veſtri dignitas atque authoritas pendet. Timuiſtis ergo, ubi non erat timor. Id unum timendum vobis erat; ne apud Deum, hominéſque redargui jure poſſetis, loco, atque honori Veſtro, & Paſtoralis officij debito defuiſſe. Memoriâ vobis repetenda erant, quæ antiqui illi Sanctiſſimi Præſules, quos quamplurimi poſteà quâlibet ætate

ſunt

sunt imitati, Episcopalis constantiæ, & fortitudinis exempla in hujusmodi casibus, ad vestram eruditionem ediderunt. Intuendæ imagines prædecessorum Vestrorum, non solùm qui patrum, sed qui nostrâ quoque memoriâ floruerunt: & qui Ivonis Carnotensis dicta laudâstis, debuistis facta etiam, cùm res posceret, imitari. Nostis quæ is fecerit passúsque sit, in turbulenta illa & periculosa contentione, inter Urbanum Pontificem, & Philipum Regem muneris sui esse arbitratus, contra Regiam indignationem stare, bonis spoliari, carceres & exilia perferre, deserentibus alijs causam meliorem. Officij Vestri erat, Sedis Apostolicæ authoritati studia Vestra adjungere, & Pastorali pectore, humilitate Sacerdotali, causam Ecclesiarum Vestrarum apud Regem agere, ejus conscientiam de tota re instruendo, etiam cum periculo regium in vos animum irritandi; ut possetis in posterum sine rubore in quotidiana psalmodia, Deum alloquentes, Davidica verba proferre: *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Quantò magis id vobis faciendum fuit tam perspectâ, atque exploratâ optimi Principis justitiâ, & pietate, quem singulari benignitate Episcopos audire, Ecclesijs favere, Episcopalem potestatem intemeratam velle, vos ipsi scribitis, & Nos magna cum voluptate legimus in vestris litteris? Non dubitamus, si stetissetis ante Regem pro causæ tam justæ defensione, neque defutura vobis verba, quæ loqueremini, neque Regi cor docile, quo vestris annueret postulatis. Nunc cùm muneris vestri, & Regiæ æquitatis quodammodo obliti, in tanti momenti negotio silentium tenueritis; non videmus, quo probabili fundamento significetis, vos ad ita agendum adductos, quòd in controversia victi sitis, quòd causâ cecideritis. Quomodo cecidit, qui

non stetit? Quomodo victus est, qui non pugnavit? Ecquis vestrûm tam gravem, tam justam causam, tam sacrosanctam oravit apud Regem? cùm tamen prædecessores vestri eam in simili periculo constitutam non semel apud superiores Galliæ Reges, imò apud hunc ipsum liberâ voce defenderint, victoréque à Regio conspectu discesserint, relatis etiam ab æquissimo Rege præmijs Pastoralis officij strenuè impleti? Quis vestrûm in arenam descendit, ut opponeret murum pro domo Israël? quis vel vocem unam emisit memorem pristinæ libertatis? Clamaverunt interim, sicut scribitis, & quidem in mala causa pro Regio jure, clamaverunt Regis administri; cùm vos in optima pro Christi honore sileretis. Neque illa solidiora, quòd reddituri Nobis rationem, seu veriùs excusationem allaturi rerum in hujusmodi Comitijs per vos actarum, exaggeratis periculum, ne sacerdotium & imperium inter se collidantur, & mala, quæ exinde in Ecclesiam, & in rempublicam consequi possent: proinde existimâsse vos, ad officium vestrum pertinere aliquam inire rationem tollendi de medio gliscentis dissidij: nullam verò commodiorem apparuisse, remedio ab Ecclesiæ Patribus indicato, utili condescensione canones temperandi pro temporum necessitate, ubi neque fidei veritas, neque morum honestas periclitentur: deberi ab ordine vestro, deberi à Gallicana, imò ab universa Ecclesia plurimum Regi, tam præclarè de Catholica religione merito, & in dies magis mereri cupienti; propterea vos jure vestro decedentes illud in Regem contulisse. Mittimus hîc commemorare, quæ significatis de appellato à vobis seculari magistratu, à quo victi discesseritis: cupimus enim ejus facti memoriam aboleri, & volumus, ea vos verba è litteris vestris expungere, ne in actis

Cleri Gallicani resideant ad dedecus vestri nominis sempiternum. Quæ de Innocentio tertio, Benedicto duodecimo, Bonifacio octavo in vestram defensionem adducitis; non defuere, qui doctis lucubrationibus ostenderint, quàm frivola, atque extranea sint huic causæ. Et magis notum est, quàm ut opus sit commemorare, quo zelo, quâ constantiâ eximij illi Pontifices Ecclesiæ libertatem defenderint adversus seculares potestates: tantum abest, ut eorum exempla possint errori vestro suffragari.

Cæterùm ultro admittimus, & laudamus consilium relaxandi canonum disciplinam, pro temporum necessitate, ubi fieri id possit sine fidei, & morum dispendio. Imò addimus cum Augustino: *Toleranda aliquando pro bono unitatis, quæ pro bono æquitatis odio habenda sunt: neque eradicanda zizania, ubi periculum sit, ne simul etiam triticum eradicetur.* Id ita tamen accipi oportet, ut in aliquo tantùm peculiari casu, & ad tempus, & ubi necessitas urget, licitum sit, sicuti factum est ab Ecclesia; cùm Arianos & Donatistas Episcopos, ejurato errore, suis Ecclesijs restituit, ut populos, qui secuti eos fuerant, in officio contineret. Aliud est, ubi disciplina Ecclesiæ per universum amplissimi regni ambitum, sine temporis termino, & cum manifesto periculo, ne exemplum latiùs manet, labefactatur, imò evertitur ipsius disciplinæ & hierarchiæ Ecclesiasticæ fundamentum, sicut evenire necesse esset, si quæ à Rege Christianissimo in negotio regaliæ nuper acta sunt, conniventibus, imo etiam consentientibus vobis contra sacrorum Canonum, & præsertim generalis Concilij Lugdunensis authoritatem, contra notam jam pridem vobis in ea re mentem Nostram, & contra ipsam jurisjurandi religionem, quâ vos Deo, Romanæ, vestrísque Ecclesijs obligâstis, cùm

Episcopali

Epiſcopali charactere imbueremini, hæc ſancta Sedes executioni mandari, & malum invaleſcere, diutiùs differendo permitteret, ac non ea Nos, pro tradita divinitùs humilitati Noſtræ ſuprema in univerſam Eccleſiam poteſtate, ſolemni more, prædeceſſorum Noſtrorum veſtigijs inhærentes, improbaremus; cùm præſertim per abuſum Regaliæ non ſolùm everti diſciplinam Eccleſiæ res ipſa doceat, ſed etiam fidei ipſius integritatem in diſcrimen vocari facilè intelligatur ex ipſis regiorum decretorum verbis, quæ jus conferendi beneficia Regi vindicant, non tamquam profluens ex aliqua Eccleſiæ conceſſione, ſed tamquam ingenitum, & coævum regiæ coronæ. Illam verò partem litterarum veſtrarum non ſine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, vos jure veſtro decedentes, illud in Regem contuliſſe: quaſi Eccleſiarum, quæ curæ veſtræ creditæ fuere, eſſetis arbitri, non cuſtodes; & quaſi Eccleſiæ ipſæ, & ſpiritualia earum jura poſſent ſub poteſtatis ſecularis jugum mitti ab Epiſcopis, qui ſe pro earum libertate in ſervitutem dare deberent. Vos ſanè ipſi hanc veritatem agnoviſtis, & confeſſi eſtis, dum alibi pronuntiâſtis: *Jus Regaliæ ſervitutem quamdam eſſe, quæ in eo præſertim, quod ſpectat beneficiorum collationem, imponi non poteſt, niſi Eccleſiâ concedente, vel ſaltem conſentiente.* Quo jure vos ergo jus illud in Regem contuliſtis? Cúmque ſacri canones diſtrahi vetent jura Eccleſiarum; quomodò ea vos diſtrahere in animum induxiſtis, quaſi eorumdem canonum authoritati derogare liceat vobis? Revocate in memoriam, quæ inclytus ille conterraneus veſter Clarevallenſis Abbas non Gallicanæ modò, ſed etiam univerſalis Eccleſiæ lumen à vobis meritò nuncupatus, Eugenium pontificem officij ſui admonens reliquit ſcripta præclarè: *Meminiſſet ſe eſſe, cui claves tradi-*

tæ, cui oves creditæ sunt. Esse quidem & alios cæli janitores, & gregum pastores, sed cùm habeant illi assignatos greges, singuli singulos; ipsi universos creditos, uni unum, nec modò ovium, sed & pastorum Eugenium esse pastorem: ideóque juxta canonum statuta alios Episcopos vocatos fuisse in partem solicitudinis, ipsum in plenitudinem potestatis. Ex quibus verbis quantum vos admoneri par est de obsequio & obedientia, quam debetis huic Sanctæ Sedi, cui Nos, Deo authore, quamquam immeriti præsidemus; tantumdem pastoralis Nostra sollicitudo excitatur ad inchoandam tandem aliquando in hoc negotio, quam nimia fortasse longanimitas Nostra, dum pœnitentiæ spatium damus, hactenus distulit, Apostolici muneris executionem.

Quamobrem per præsentes litteras, traditâ Nobis ab omnipotenti Deo authoritate, improbamus, rescindimus, & cassamus, quæ in istis vestris comitiis acta sunt in negotio Regaliæ, cum omnibus inde secutis, & quæ in posterum attentari contigerit, eáque perpetuò irrita & inania declaramus; quamvis cùm sint ipsa per se manifestè nulla, cassatione aut declaratione hujusmodi non egerent: speramus vos quoque ipsos, re melius consideratâ, celeri retractatione consulturos conscientiæ vestræ, & Cleri Gallicani existimationi, ex quo Clero sicuti hucúsque non defuere, ita in posterum non defuturos confidimus, qui boni pastoris exemplo, libenter animam ponere parati sint pro ovibus suis, & pro testamento Patrum suorum. Nos quidem pro officij Nostri debito parati sumus, Dei adjutrice gratiâ, sacrificare sacrificium justitiæ, & Ecclesiæ Dei jura, ac libertatem, atque hujus sanctæ Sedis authoritatem, dignitatémque defendere, nihil de Nobis, sed omnia de eo præsumentes, qui Nos confortat, & operatur in Nobis, & qui

qui jussit Petrum super aquas ad se venire. Præterit enim figura hujus mundi, & dies Domini appropinquat. Sic ergo agamus, Venerabiles Fratres; ac Dilecti Filij, ut cùm summus Paterfamilias, & Princeps pastorum rationem ponere voluerit cum servis suis, sanguinem pessumdatæ, & laceratæ Ecclesiæ, quam suo acquisivit, de Nostris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apostolicam benedictionem, cui cælestem accedere optamus, intimo paterni amoris affectu impartimur.

Datum Romæ die 11. Aprilis 1682.

Documentum LX.

Alia Cleri Gallicani epistola ad Sanctissimum Dominum Nostrum Innocentium XI. Pontif. Max.

Beatissime Pater,

Quantum olim à Majoribus nostris Sedi Apostolicæ delatum est, tantum nos, qui honoris Sacerdotalis successores Patriíque animi hæredes sumus, Vestræ Sanctitati debere, solemniter profitemur; neque id modò, quòd Vestra Beatitudo in præcelso editóque Ecclesiæ loco posita est, sed & quòd Illam videmus singulari pietate, & religione summâ, loci auctoritatem exæquare. Cùm enim Petri Cathedram eâ quâ debemus veneratione prosequimur, & pariter nobis ante oculos proponimus virtutes eximias, quibus V. S. ornata est, severitatem scilicet Institutorum, studium amplificandæ Ecclesiæ, constantem retinendæ veteris disciplinæ sententiam, quotidianam sollicitudinem omnium Ecclesiarum, obfirmatam non acquie-

scendi carni aut sanguini voluntatem, non possumus non admirari, & summam in honoribus gloriam, & parem in moribus disciplinam. Hæc & alia, quæ sanè magnifica sunt, magnam de Vestro Pontificatu spem omni Ecclesiæ injecerunt; quisque statim Vestri nominis merita prædicare, sibi quisque polliceri cœpit, fore ut summo Pontifice Innocentio Undecimo Ecclesia Provincias reciperet, quas Patrum nostrorum memoriâ Hæresis abstulerat, & fides Romana prolatis longè finibus amissam recuperaret possessionem. Ea spes Orbis Christiani fuit, eáque opinio hoc magis apud nos invaluit, quòd paribus votis, & simili animorum consensione cum Vestra Sanctitate conveniret Rex Christianissimus, qui, quâ Religione, & quâ præditus est potentiâ, impietatem disturbare, & solus inter Principes Christianos domitam hæresim Romanis subjicere fascibus potest; neque frustra est hæc expectare ab invictissimo Principe, qui jam non minùs religione, quàm armis, Magni Nomen implevit. Ille domi hæresis tanquam alicujus hydræ innumera capita Edictorum pondere oppressit: Ille jam pridem foris subactis Provincijs & Civitatibus expugnatis, Romanæ Ecclesiæ religionem intulit, & nuper in Argentoratensem Civitatem, stupente Europâ, & frendente hæresi fidem ab exilio reduxit, expiatóque Dei Sanctuario, signa Catholica sacris affixit postibus, quos tot annos hæreticorum polluerat impietas. Hæc Christianissimus Rex, cujus spectata virtus, summa in rebus gerendis Prudentia, in exequendis Fortitudo admirabilis, Magnitudo animi, Justitia, Fides, Religio, tanquam sagittæ in arcu brachij potentis, ad tollendam hæresim, delendum mendacium. Cùm hæc inter sanctissimum Pontificem, & Regem Maximum incredibilis esset virtutum, & voluntatum conspiratio,

tio, quid aliud nos augurari oportebat, quàm fidei victorias, & gloriam Eccleſiæ. Verumtamen, Beatiſſime Pater, hæc contra omnium exſpectationem perverſis quibuſdam hominum improborum artibus interpellata ſunt: vix præ dolore hæc meminiſſe, nedum commemorare poſſumus. Etenim dum Rex Chriſtianiſſimus pro ſua pietate rem Eccleſiæ bene & feliciter gerit, ecce per Provincias & Civitates Galliarum Litteræ Apoſtolicæ divulgatæ ſunt, quibus ſacra Regis Chriſtianiſſimi Majeſtas offenditur, acerbis minacibúſque litteris impetitur ille Rex, Prædicator fidei, Defenſor Eccleſiæ, Regionum Præſul, Patriæ Cuſtos, Triumphator Gentium; convelluntur Jura Regni, tolluntur ſacra majorum noſtrorum depoſita, pulſantur Eccleſiæ Gallicanæ libertates, cæditur reverentia Sacerdotalis, Provinciarum Eccleſiarúmque Privilegia violantur, ſubvertitur Juriſdictio Epiſcoporum, perruptíſque terminis, quos Patres noſtri conſtituerunt, ex antiqua Patrum noſtrorum hæreditate immeriti dejicimur. Ingemuit, Beatiſſime Pater, Clerus Gallicanus, cùm videret, contra Canonem Eccleſiaſticum, & contra formam judiciorum condemnatum eſſe Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Tholoſanum; exhorruit diſtrictum & minitantem Capiti Collegæ excommunicationis gladium, demum contra fidem Concordatorum litteræ Pontificiæ abſque Canonica cauſa denegantur ritè nominato ad Apamienſem Epiſcopatum; unde accidit, ut non ſuccurratur Eccleſiæ ſciſſurâ laboranti, quoniam non adeſt Epiſcopus, qui & pro munere inſtitutionis ſuæ tollat ſchiſma, & diſſidentes ad unitatem revocet.

Unde verò, Beatiſſime Pater, tot & tantæ in nos irarum cauſæ? quos olim unus ex Veſtræ Sanctitatis Prædeceſſoribus

bus appellabat Gentem sanctam, Regale Sacerdotium, Populum acquisitionis, cui Deus Israel benedixit. Nonne nobis eadem, quæ Majoribus nostris fuit in Summum Pontificem devotio? Nonne erga Sanctitatem Vestram reverentiæ & obedientiæ obtestatio similis? idémque nos, quos illos olim ejusdem communionis vinculum Sedi Apostolicæ adstrictos tenet? Dolemus, Beatissime Pater, nihilominùs ex vestris litteris in Ecclesia seri discordias; cúmque in dies malum ingravesceret, huic tandem obviàm ire cœpimus; habitóque generali Ecclesiæ Gallicanæ conventu in commune providere, ne quid detrimenti Christiana res caperet. Adivimus itaque Regem Christianissimum, & quâ legatione pro Christo fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecravimus, ne ex unius negotij causa ædificationem Dei dissolvi sineret. Eum verò, Beatissime Pater, qui pacandi orbis gratiâ, gloriæ & magnitudini suæ, quibus nihil fortissimo Principi pretiosius est, ultrò modum fecit, tranquillitati Ecclesiæ & felicitati Sacerdotum nihil non condonaturum esse, rogationis nostræ eventus comprobavit.

Quoniam verò paci & quieti Ecclesiæ Gallicanæ, non modò in præsentiarum, sed etiam in posterum prospiciendum est, talia nempe præcesserunt, ut similia, vel etiam graviora præcaveri oporteat; præmisso erga Sedem Apostolicam quod decet, reverentiæ & obedientiæ officio, impensiùs deprecamur Sanctitatem Vestram, ne jura, privilegia, mores, & institura Majorum convelli, aut minui patiatur, ea præsertim, quæ sacris Canonibus, & Patrum Decretis stabilia nobis semper in honore & usu fuerunt, & quæcumque Ecclesia Gallicana auctoritate consuetudinis & vetustatis possessione defendit: idque eò ardentioribus

vocis

votis expoſcimus, quo nullâ temporum interruptione, nullâque definitione Patrum hac in re Eccleſiæ Gallicanæ derogatum eſt. Ejuſmodi autem ſunt Epiſcoporum judicia, quæ ex Patrum Decretis, & ex moribus noſtris in his partibus à nobis tractari, quin etiam interjectis ad Sedem Apoſtolicam appellationibus finiri debent; ea quoque, quæ ad juriſdictionem Metropolitanorum & Epiſcoporum attinent, jura Regni, libertates Eccleſiarum, negotia Eccleſiaſtica, quæ omnia intra limites Diœceſeos Galliarum æſtimari, agitari, & judicari conditum eſt. Prudentiſſimè enim, & juſtiſſimè, ut in ſimili propè negotio Patres Africani ad Cœleſtinum Papam ſcribebant, Nicæni Patres providerunt, quæcúmque negotia, ubi orta, ſunt finienda, nec unicuique Provinciæ gratiam Sancti Spiritûs defuturam, quâ æquitas à Chriſti Sacerdotibus, & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur.

Oramus itaque Sanctitatem Veſtram, & omnibus precibus obteſtamur, ut ſuam, quam Veſtris Fratribus DEUS tribuit portionem, intactam illibatámque eſſe velit, ut paterno animo ſuam filijs hæreditatem ſartam tectámque cuſtodiat, ut vulneribus Eccleſiæ Gallicanæ Matris noſtræ piâ, & ſalubri eorum, quæ geſta ſunt, ratione medeatur; nec interceſſionem Cleri Gallicani minùs æquis auribus accipiat, dum præſertim periculum eſt, ne quid diſpendij res noſtræ, nobis tacentibus, patiantur. Neque hæc pro juribus noſtris defendendis repentina ſupervenerunt ſubſidia: antiqua Majorum noſtrorum documenta ſunt, quæ ut hauſimus ab ijs, ea pariter hoc Eccleſiaſtici vigoris, & Sacerdotalis animi exemplo, ad poſteros tranſmittimus. Quin etiam æmulamur ſapientiam Patrum, qui in ſimilibus cauſis, ſimili modo ſuis inſtitutis providerunt, neque id ægrè tuliſſe Sum-

mos Pontifices Bonifacium & Cœlestinum, quin & hisce postremis temporibus Innocentium X. accepimus; speramus quoque, Beatissime Pater, fore ut Vestra Sanctitas æqui bonique consulat hanc nostram contestandæ, & dirimendæ causæ rationem, ubi sine honoris erga Vestram Sanctitatem diminutione, sine ulla charitatis offensione, decertata jura suis possessoribus asseruntur. Nobis enim hoc inprimis de Vestra Sanctitate pollicemur, ut ille, cujus ad Pontificatum felix ortus, & læti dies fuerunt, cujus vita omnis virtutibus tanquam faustis syderibus fulget, amotis procul vel levium dissidiorum nebulis, tranquillitatem Ecclesiæ Gallicanæ afferat, & serentitatem. Hoc omnium nostrùm votum, & hoc cum Apostolica benedictione optant, expectántque.

Datum Parisijs pridie Nonas mensis Maij, anno 1682.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimi & devotissimi Filij ac Servi Vestri,

Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiastici Viri in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Parisijs congregati.

Franciscus Archiepiscopus Parisiens. Præses.

De Mandato Illustrissimorum & Reverendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, totiusque Cœtûs Ecclesiastici in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Parisijs congregati.

Docu-

Documentum LXI.

Epistola Pastorum Apamiensium ad INNOCENTIUM XI. Pontif. Max. quâ & veniam petunt, quòd Vicarijs Generalibus ab Illustrissimo Archiepiscopo Tholosano constitutis obedientiam detulissent, & Pontifici gratias agunt, quòd pœnitentes veniâ benignè donâsset.

SANCTISSIME PATER,

Post humillima Pedum oscula,

PEccavimus: nec satis est semel dixisse; addimus iterum iterúmque, peccavimus. Denique sine modo vocem illam, quæ tam multis saluti fuit usurpata, multo pluribus perniciem attulit prætermissa, ingeminamus: peccavimus. Sit hoc Epistolæ hujus initium, sit clausula, sit summa. Quid enim aut jucundius legere Vos, aut nos scribere salubrius possumus? Dicat igitur unusquisque nostrûm in se reversus, quod ille Adolescens Evangelicus: *Pater peccavi in cælum & coram te.* Gravem quippe in cœlum culpam commisimus, qui positâ ad aratrum manu retrò respeximus, facti regno Dei minùs idonei, qui animas nostras facientes pretiosiores, quàm nos, minùs metuimus peccare in conspectu Domini, quàm incidere in manus hominum. Denique qui cum hominibus Christi tunicam inconsutilem scindentibus, abominationem desolationis in loco sancto ponentibus, & adversus id omne, quod vocetur Deus, sese erigentibus, fœdam & exitiosam non sponte quidem, sed neque inculpatè Societatem inivimus. Coram Vobis, Beatissime Pater, deliquimus desertis ijs Castris, in quibus Sanctitas Vestra toto animi robore, totáque cum laude præliatur prælia Domini. Tum etiam, quòd maluimus plenam ignominiæ securitatem quærere,

quàm pulchra sanctáque Vobiscum adire pericula, Vobiscum deinde partituri æterni gloriam triumphi. Denique quòd neglectâ Vestrâ optimi, supremíque Pastoris voce, lubentiùs audivimùs ululatum Lupi.

Auget verò non mediocriter culpam nostram, quòd per crebra Innocentiæ exempla in culpam ruimus: quòd de agone recessimus, cùm maximè socij, Fratréſque nostri in stadio currerent, ac sic currerint, ut quidam eorum bravium comprehenderint, omnes comprehensuri videantur. Quòd, Pater Sanctissime, Episcopi nostri viri Apostolici (cui toties singuli dixeramus, etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor) spem decepimus, gloriam obscuravimus, triumphum minuimus, illámque beatam, nec satis prædicandam necessitudinem, quâ cum illo conjuncti fuimus, non satis meminisse, penè contemnere visi sumus.

Ingens profectò culpa fuit hæc, grandéque delictum, at cui sua non defuit pœna. Profectò in regionem longinquam durissimam servitutem servivimus, sed Cive regionis illius, cui adhæsimus, porcos pascente, fame perimus, siliquas cupimus, nec impetramus, & tamen crudelissimo Domino felices videmur. Non opus est istius calamitatis singulas partes percurrere, quarum vel aliquas meminisse non parva calamitas est.

Habuit tamen pessima ista conditio optimum hoc, quòd nos & de paternæ domûs felicitate cogitare, & in paternæ charitatis amplexus venire compulerit. Surgentes revertimur ad Patrem, apud quem cùm mercenarij loco esse vellemus, excepit nos more filiorum splendidè ac peramanter. Præ foribus, extra limen ob metum & reverentiam substiteramus, nec ostium pulsare ausi, nec

ulteriùs

ulteriùs progredi. Sed moras istas pati non potuerunt paterna viscera, venientíque soboli dulcissimi genitoris, non domus tantum, sed pectus quoque patuit.

Decebat quidem nos, Beatissime Pater, tam fædæ defectionis labe pollutos, per longum ac laboriosum baptisma, amissum recuperare nitorem, támque alto vulnere confossos gravioribus subjacere remedijs, ac ita demum pristinæ sanitati restitui. Decebat, inquam, nos adstantes, depositos, omníque prorsus sacerdotali honore carentes diu multúmque ruinam nostram lugere, Deum placare, ac Universæ Ecclesiæ Gallicanæ, nedum Apamiensi, cui ingens scandalum fuimus, satisfacere. Sed è re fore visum est, resipiscentes excipere in Spiritu lenitatis, magísque placuit indulgentia. Itaque affuere statim Vestro nomine, qui venientibus in amplexus ruerent, qui Ecclesiæ redderent, quíque in ea solitis oneribus fungi juberent.

Quæ cùm ita sint, Beatissime Pater, nostri muneris esse putavimus, pro singulari illa veréque Apostolica in nos benignitate atque clementia Vestra, humillimas hâc Epistolâ Sanctitati Vestræ gratias agere, simúlque polliceri, neminem unquam fore (si modò Deus adfuerit, ac super nos misericordiam suam corroboraverit) qui Sanctæ Sedis mandata libentiùs audiat, qui ab ea desciscentes cautiùs fugiat, quíque Schismaticos, & Ecclesiasticæ libertatis hostes perfectiori oderit odio. Aperiantur carceres, acuantur secures, erigantur cruces, effundat in nos crudelitas, quidquid malorum in patres atque Collegas nostros huc usque ingestum est, dabit Christus hæc omnia superare ac vincere, simúlque efficiet, ut sic demum magis magísque constringatur sanctissimus ille nexus, qui nos cum Apostolica Sede copulat atque conjungit. Erit nobis sanctum, quid-

quid illa probaverit, erítque reprobum, quidquid rejecerit, nec aliter quàm publicani, ac ethnici loco habebimus, quisquis illam audire contempserit.

Rumor est, Sanctissime Pater, cuncta ad quietem vergere, pacem polliceri, factúmque id esse operâ atque industriâ Reverendissimorum Episcoporum, qui convenêre Parisios: qui tam arduam, támque difficilem controversiam, regnum inter & Sacerdotium quomodò componerent, nisi forent Spiritu Sancto repleti ? hoc aiunt.

Et enim, si pax ista talis extiterit, qualem à Sanctitatis Vestræ cura, sapientia, tum animi fortitudine populus Christianus universus exspectat, qualem per tot labores, gemitus, pericula Episcopus noster quæsivit, qualem postulat Sanctæ Sedis violatæ Majestas, Sacro-Sancti Concilij Lugdunensis conculcata auctoritas, Octoginta minimùm Ecclesiarum sub jugum missa libertas. Si pax ista Domûs Dei zelatoribus attollat animos, eósque qui Sanctam Sedem veneratione ac studio prosequuntur, quíque pro ea non exigua incommoda perpessi sunt, ac nova pro ejus dignitate tuenda, si quid imposterum triste acciderit, ad subeunda pericula, fortiores, alacriorésque efficiat. Denique, si pacem istam Ecclesia dederit, non acceperit, & quidem invita, vim passa, spreta, ludificata, tunc profectò Reverendissimis Episcopis ex animo gratulabimur, simúlque in Domino gaudebimus, Deúmque pacis benedictum dicemus ex hoc, nunc & usque in Sæculum.

Contrà verò, si fuerit ista pax non donum Dei, sed opus, imò ludus Sæculi, non Ecclesiæ restituta libertas, sed rata servitus, & si quid melius, catena paulo nitentior; non prostratus error, sed triumphata veritas; non improbitatis atque audaciæ frænum, sed ad quidvis adversus Concilia

cilia œcumenica, adversus Sanctæ Sedis Decreta, adversus omnia sacra imposterum audendum tentandúmque incitamentum. Si tot eximios invictósque libertatis Ecclesiasticæ defensores pax reliquerit inglorios, afflictos, oppressos, pedibus conculcatos, contrà verò tot improbos, qui ausi sunt altare contra altare erigere, Sanctam Sedem quasi infestis signis petere, multa Sacrilegio patrare, quíque de illis adhuc gloriantur (adeò non dolent) nullâ nec levi quidem pœnâ affecerint, sed gaudere licuerit mercede iniquitatis. Postremò si fuerit pax ista non pax, sed bellum, tanto terribilius, quanto latentius, tanto crudelius, quando callidius, sub blando concordiæ nomine decipit: erit proh dolor! nobis lugendus non unus, sed duplex casus; noster scilicet, & Religionis; noster quidem, qui in bello corruimus: Religionis autem, quam pax ista quodammodò dejiciet, atque prosternet. Sed meliùs sperare movent quæcumque huc usque Sanctitas Vestra pro Domo Dei & fecit, & passa est fortiter atque sapienter.

Multo plura fortassis addenda forent, sed utilius modestiúsque silebimus. Taceant pœnitentes & lugeant, qui nec nimiùm silere, nec satis lugere possunt. Gaudeat interim lugentibus nobis Sanctitas Vestra, gaudet Angelus non super uno, sed super multis peccatoribus pœnitentiam agentibus. Dignatus est olim Christus Mulieri in Civitate peccatrici osculandos pedes porrigere: num parem pœnitentia nostra ambit honorem? Ambit equidem. Non veremur tali exemplo provocati, Christi potestatis Vicarij, Christi vitæ æmuli non pedes quidem, sed pedum vestigia prono ore osculari ac lambere. Datum die Martij, anno verò 1682.

Humillimi & Obsequentissimi in Christo Filij & Famuli
Parochi Apamienses.

Documentum LXII.

Quinta Epistola R. P. Cerle ad Innocentium XI. Pontif. Max.

Sanctissime Pater,

Post humillima pedum Oscula,

Quantus ego sum, qui verbis meis loquar Vobiscum; video enim Vos Domine, sicut Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ Vestræ. Sed recreat me erigítque non parùm, quòd aureæ virgæ summitatem mihi non semel osculandam porrexistis. Illam nunc quoque precor porrigite, méque liberate à laqueo venantium, & à verbo aspero.

Accepi, Beatissime Pater, esse Romæ, qui dicerent, quidquid ad hoc usque tempus in negotio Regaliæ factum est, partim me inscio factum, partim suasu atque impulsu Clarissimi viri Domini Favoritij Amanuensis Vestri actum esse.

Qua de re, Pater Sanctissime, cùm primum certior factus sum, risi plurimum (quod quidem Vestrâ pace dictum sit) improbi Sycophantæ socordiam, qui se putavit tam crassâ calumniâ, supinóque mendacio Romanam solertiam dexteritatémque in fraudem inducere, ac ipsos videntes obcæcare.

Cœpi deinde & mihi, & Ecclesiæ timere vehementer. Intellexi nimirum cum ex hac novissima fraude, tum ex omni nequitiæ genere, quod est in perditissimæ causæ defensione à Regalistis adhibitum, Adversarium nostrum Diabolum summo studio totísque viribus in perniciem nostram incumbere; quippe qui nec viribus, quas habet permagnas

magnas, nec artibus, quibus potiſſimùm valet, ullâ ratione parcat.

Eſt illi (quod quidem magnus obſervavit Gregorius) duplex in ſacris litteris nomen, nam Leo vocatur, & Draco dicitur. Leo eſt, quia devorat, Draco quia decipit, utrúmque nos, cum Gallijs, tum extra Gallias, quod arduo ſatis moleſtiſſimóq; experimento triſtiſſimis iſtis temporibus edocti ſumus. Hic enim Leo iſte adverſùs nos tremendùm rugit, fauces aperit, dentes ſtringit, ingentem de nobis ſtragem edit. Romæ verò Draco ſibilat, multiplices ſe torquens in giros, totúmque in nos, quod gerit intra viſcera lethale virus, evomit.

Hic nos tanquam nimio ſtudio Apoſtolicæ Sedi addictos, maximéque Catholicos ad internecionem Leo proſequitur. Illic verò nos ut Vobis religione minùs, quàm neceſſitate deditos, ac heterodoxis neſcio quibus ſocietate conjunctos, omni Veſtro præſidio deſtituere, invisóſque efficere totis viribus ac nervis Draco contendit. Hic Epiſcoporum agmina commovet, ut Vos (ſi Petrus ſinat) in ordinem redigat. Illic verò quia Veſtra dignitas in tuto eſt, chariſſima Vobis capita per fraudem & inſidias quærit elidere.

In Gallijs Leonis furor equuleos parat, cruces erigit, exilijs noſtris, fugâ, ærumnis cunctas Regni provincias implet & terret: prætereà univerſæ religioni bellum indicit, homines impios & Satanæ traditos in interitum carnis, Sanctos habet: qui verò Sancti ſunt, ex Eccleſijs eliminat, ac in vincula conjicit, monaſteria in popinas ac lupanaria commutat, virgines expellit, Sacerdotes peſſundat, ejectis Paſtoribus, ovibus Chriſti Lupos præficit. Quid plura? Apoſtolicas litteras, juſſiones, Cenſuras aut ſtulto ludibrio habet, aut humanâ rabie conculcat. Denique cuncta gerit,

quæ Vos ad citò totquenda fulmina, ad Vestram dignitatem celeriter vindicandam, ad coercendam sine mora improbitatem, ad tuendam summâ festinatione innocentiam impellere, acuere, urgeréque debent.

At Romæ Draco vaferrimus callidissimúsque trium annorum moris alias moras nectit. Hunc in suspicionem adducit, illum varijs artibus in suas partes trahit, alios terret, alios allicit, cunctos dolo capit. Ad hoc nihil non pollicetur, nihil non mentitur. Denique omnes machinas adhibet, ut de manu Vestra, Beatissime Pater, fulmen excidat, ut Ecclesia serviat, ut improbitas tuta sit, ut pietas, & innocentia profanis impiorum conatibus succumbat.

Sed ne diutius vetera, & quæ sunt omnibus perspecta, commemorem, recentiora quædam, nec ita nota perstringam. Hoc ipso tempore, Pater Sanctissime, quo ad pedes Sanctitatis Vestræ parvitas mea scribit, quinque sunt hujus Diœcesis Parochi carcere concluſi: octoginta verò, quorum sunt occupata obsignatáque bona, non aliam profectò ob noxam, aliúd ve scelus, quàm quia summo illo cælestique beneficio, Jubilæo videlicet à Vobis concesso, ad nostram verò exiguitatem misso destinatóque, persanctè usi sunt: quódque eorum nonnulli, quos error humanus fragilitásque abduxerat, in se tandem reversi, quidquid recedendo peccaverant, amarè flendo deleverant, tantáque per illos dies salutis induti sunt virtute ex alto, ut à Vestra fide & obsequio, nostráque societate nullis terroribus nullísque periculis divelli posse videantur. Denique quòd eorum oves Pastorum vocem audientes, nec non exempla sequutæ tempore illo acceptabili cælestibus divitijs mirum in modum locupletatæ sunt, sedémq; Apostolicam, unde opes illæ fluxere, ferventiori studio pietate atque honore prosequuntur.

Hoc

Hoc vidit Tartareus Leo, nec tulit, cúmque ſpirituales opes non poſſet auferre, temporalibus rapaces ungues injecit. Diripiuntur Eccleſiæ, ſpoliantur Paſtores, enecantur pauperes, quorum quidem pauperum, qui certè ſunt apud nos innumeri, totus ferme in Sacerdotum charitate cenſus & vita eſt. Hanc crudelem vicem Veſtra manſuetudo, patientia, benignitas repoſcebat? Hanc illam ſpem injecerat, qui ad ſolemne de tanta lite judicium impediendum cuncta in Gallijs è ſententia Veſtra factum iri pollicitus eſt?

Sed quamquam acerbiſſima iſta ſint, omníque crudelitate plena, plus tamen improbitatis ac nequitiæ videtur eſſe in illo, quem, ut diximus, ubique ſpargunt rumorem; cujus profectò ille artifex eſt, qui in ſacris Litteris & mendax dicitur, & Pater mendacij: me ſcilicet in his omnibus negotijs non niſi larvam eſſe, me inconſulto, me prorſus inſcio fieri, quidquid his temporibus geritur. Etenim ſi credendum eſt ſycophantis, & calumniæ cuſoribus, Litteris Apoſtolicis debitum honorem non detuli, otioſus omnino fui, Regaliſtis non obſtiti, illicitis Epiſcoporum Conventibus non interceſſi. Hæc ſi ita ſint, cur tandiu fugio? Cur tam diligenter lateo? Cur ubíque paratas Cruces invenio? Denique cur alios timeo, qui timeri poteram, ſi Belial quàm Chriſti partium eſſe maluiſſem?

Eſto nihil fecerim, at multa paſſus ſum pro Chriſto, Eccleſia, pro Sanctiſſimis Canonibus. Hæccine quoque inficiabuntur? negabúntne cervicibus noſtris inſtitiſſe Carnificem, atque in imagine cœpiſſe, quod utinam in Corpore noſtro aliquando perficiat? Hæc eſt gloria noſtra, cujus ſplendorem nullum mendacium obſcurabit, quam nulla fraus dolúſque nullus, aut minuere, aut nobis eripere poterunt. Hæc eſt gloria noſtra, quæ nos clariſſi-

mis Christi Confessoribus adnumerat, Sanctissimis Episcopis consociat, Vobis ipsis Beatissime Pater, fœdere ac societate, quanta quidem inter Dominum & servum haberi potest, conjungit.

At, inquiunt, ad cuncta, quæ præstiti adeunda Dominus Favoritius me impulit, ejus operâ & consilio in omnibus usus sum. Bene est, non poterant profectò res meæ gestæ nobiliori calculo comprobari. Nec enim potui cuncta non rectè peragere, tam sapientem támque rerum agendarum peritum authorem secutus.

Sed quamquam tam sapienti monitori aurem præbuisse maximè mihi laudi verteretur, indebitam tamen laudem non aucupor, qui meam, si quam haberem, arbitrarer ut stercora, ut Christum lucrifacerem: Favoritium quidem colo, revereórque; at Favoritio nihil penitùs debere me sentio, nisi quantum à singulis Christianis debetur homini, cujus sunt in Vos, in Apostolicam Sedem, inque universam Ecclesiam ingentia merita.

Aliud subjungam, Pater Beatissime, audacius fortè liberiúsque, sed veniam, uti spero, audaciæ meæ benignitas Vestra non denegabit. Sit licet Favoritius vir usquequaque magnus, licet illius industria, fidésque Vobis spectatæ probatæque sint, quod quidem singularis virtutis argumentum & præmium est, & si pietatem illius, ingenium, solertiam Roma universa, atque omnes omnino boni demirentur, quódque majoris est gloriæ (ut vult Hieronymus) licet illum hostes Ecclesiæ detestentur, cúmque gladijs nequeant, verbo interficiant. Denique quamquam Favoritius ille sit, cui fideles omnes plurimum de Vestra in illum benignitate confidentes sublimiorem gradum ampliorésque honores deprecentur, ac ne amplius vestrorum potiùs, quàm

quàm suorum aduersariorum telis pateat, plenam dignitate securitatem exoptent. Quantus quantus sit, tamen multo minor multóque inferior ijs est, quibus in negotio hoc toto Authoribus usus sum. Quinam vero sint illi? Vos Pater Sanctissime, Paulus, Christus.

Docuit me Christus cum verbo, tum exemplo pastoris munus esse pro ovibus animam ponere. Monuit me Paulus depositum ut custodirem. Vos ipsi jussistis prælia Domini ut præliarer, útque fortiter in statione tam sancta permanerem. His Ducibus, his Authoribus movendum regendúmque me tradidi. Favoritio nec notus sum, nec ille mihi. Certè nullas unquam ad illum litteras misi, ab eo nullas accepi: ita me Deus adjuvet.

Post confutata protervi Calumniatoris mendacia liceat, Pater Sanctissime, majus nostrum, imò totius Ecclesiæ vulnus summo Medico aperire. Cùm magno apud omnes bonos odio laborare sese intelligerent Patres Societatis Jesu, propter nefariam illam Probabilitatis doctrinam, nuper à Sanctitate Vestra magno fidelium plausu damnatam, ut eam à se invidiam, minimè tamen mutatâ sententiâ depellerent, sanxêre in ultimo suo generali Conventu, opinionem illam, quæ propius ad verum accedere videretur, ut plurimùm esse sequendam. Quo profectò Decreto non tam veritati consulitur, quàm Ecclesiæ illuditur, quàm Sancta Sedes irridetur, quàm errori latibulum securitásque paratur.

Hærendum, inquiunt, ut plurimùm Sententiæ probabiliori. Cur non semper? quod ratio suadet, quod Sancti Patres admonent, quod Canones præcipiunt? Cur non semper? cùm omnes omnium ferè Sanctorum Patrum paginæ clament: in dubijs tutiorem partem esse sequendam?

dam? An aliquando peccare Sanctum est? An quandóque perire tutum? An Christus ut plurimùm tantùm est veritas? Mavúltque identidem videri & esse probabilitas? Videtur ut plurimùm istud Semi-Arianorum alterum ὁμοιούσιον, totum videlicet ad fallendos incautos, & fraudem occultandam compositum.

Fas, inquiunt, interdum esto, nefas ut plurimùm ex sententia minùs probabili quidpiam aggredi. Verè defecerunt scrutantes scrutationes. Quid est, quod dixisti, o infelix Astutia! O Sententiam necessitate confusam! (Ut ait Tertullianus) quod negatur, præcipitur: quod licet, prohibetur. Cur sæpius dumtaxat persequaris, quod semper quærendum sit? Quomodò quod nunquam fieri licet, interdum ritè feceris?

Sed quæ res tandem sequendi respuendíque opinionem probabiliorem tempus præfiniet? Illa videlicet toties locum habebit Sententia verisimilior, quoties res erit cum rusticis, operarijs, bajulis, ancillis, & id genus mulierculis, quorum sunt leviſſima nulliúsque ponderis, & (quod caput est) nihil ad Societatem pertinentia negotia. Contra verò, quod minùs probabile censebitur, id Probabilistæ sequentur, unde magnum sibi commodum obventurum, aut grave periculum metuendum erit. Verbi gratiâ, si orta de Regalia gravis controversia fuerit, certentque invicem, illinc quidem gens potentissima, opibus, honoribu- aliisque Beneficijs assentientes cumulans, adversantes verò nullo non pœnarum genere afficiens: hinc autem Sancta Sedes futura tantùm bona promittens, ac lentis fulminibus parùm (ut incredulis videtur) metuenda; tum liceat Jesuitis valedicere veritati, sibíque in sinu Probabilitatis perfugium & armamentum quærere.

Obti-

Obtineat opinio probabilior apud infimæ notæ Jeſuitas plebémque, ut ita dicam, Societatis, regendis tenuiorum conſcientijs mancipatam, & evangelizare pauperibus miſſam: liberum verò ſit ab ea recedere, iſtius ſacræ gentis Proceribus, quibus ſors & gloria eſt ſtare ſemper ante Reges & Præſides. Non loquatur in iſtis Spiritus veritatis, libentiùs in Aula Spiritus Probabilitatis auditur.

Hæc placita, aut monſtra veriùs Conventus ille parturijt, Beatiſſime Pater, nec veriti ſunt errorem illum lege ſancire, cum in ipſa Urbe Roma, ubi omnis error configitur, tum ſub oculis Sanctorum Petri & Pauli, qui fuerunt ſuntque maximi præcones, aſſertoréſque veritatis. Tum denique audiente ſpectantéque Innocentio Undecimo, per quem eſt probabilitas afflicta, per quem eſt (ut ſperamus) jugulanda.

Sed adeò ita facere non ſunt veriti, ut maximè tali loco, talibúſque teſtibus Decretum iſtud edere callidi homines quæſierint, ſtuduerintque, ut ſi quando in impium Dogma pietas erudita inſurgeret, hâc ſtatim excuſatione occurrerent. Carere haud dubiè omni reprehenſione, quod Eccleſia Romana, quæ eſt veritatis firmamentum, quódque Innocentius XI. tantus Cenſor vidiſſet, nec arguiſſet. Sed erravit iſtorum hominum terrena animalíſque Sapientia; non feret profectò, non feret Innocentius XI. Urbem Romam dehoneſtari tali partu, nec ſuum Pontificatum pollui tali probro.

Doctrinas iſtas peregrinas, ut vocat Apoſtolus, cùm palàm profiteantur Patres Jeſuitæ, tum Academias omnes, tum omnia Clericorum ſeminaria impetu facto occupant. Invaſêre nuper Principis juſſu, ac novo quodam productæ extenſæque Regaliæ jure Academias hujus Regni permultas,

tas, & in his percelebrem illam Tholosanam. Idque agere ausi sunt inconsultâ Sancta Sede; cùm tamen Academiæ istæ omnino Pontificiæ sint, nec minoris Vestræ Ecclesiæ referat, Doctores Scholis, quàm Pastores Basilicis præficere, scriptum est enim: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos. Alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, ad opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.* Tantum autem ex antiqua illa Academiarum vindicatione omnes boni cepere doloris, ut nemo eorum sit, qui non lugeat, quique tacitè (neque enim palàm licet) Apostolicæ Sedis fidem adversus injuriam hanc tantam non deposcat.

Occupatis hostili more Academijs, castra movent in seminaria (nam hoc quoque cætus Romanus censuisse dicitur) nec dubium est, quin primum omnium expugnandum sit Apamiense. Cætera deinde nullo negotio subigentur. Quid enim hodie non obtinent Jesuitæ Aulæ servientes, seu potiùs imperitantes. Eritque ista tum inventæ Regaliæ, tum propugnatarum adversus Sanctam Sedem fictitiarum Ecclesiæ Gallicanæ libertatum amplissima optatissimáque merces.

O miseram (cùm istud contigerit, si tamen contigerit) & ærumnosam Ecclesiam Apamiensem! ut cæteras Gallicanas præteream. Etenim seminario nostro præpositi Jesuitæ, statim Sanctissimam illam disciplinam, quam immensis laboribus Episcopus noster restituit, quámve Sanctitas Vestra Apostolico judicio comprobavit, labefactabunt, penitúsque subvertent. Nec aliud egregij Magistri Clericos edocebunt, quàm suas illas circa doctrinam morum portentosas opiniones, nuper à Sanctitate Vestra, atque aliàs ab Apostolica Sede proscriptas. Denique id

in

in ſeminario præſtabunt, quod ſtrenuè gerunt in Academijs, ubi poſt Probabilitatem, cui ſtabiliendæ firmandæque præcipuè Societas incumbit, nihil antiquius habent, quàm ut ſuppoſititias Eccleſiæ Gallicanæ libertates (quæ Turris eſt Babilonica certè) adverſus Sanctam Sedem erectas foveant ac tueantur.

Supereſt, Beatiſſime Pater, ut quod ſuperiùs anteà feci, iterum Vos etiam atque etiam rogem, ne ſinat Sanctitas Veſtra libertatem Eccleſiæ penitùs interire, Religionem univerſam everti, Apoſtolicæ Sedis Authoritatem apud quoſdam improbos pro nihilo haberi, optimos viros, qui Vos præcipuâ fide ac veneratione proſequuntur, diutius opprimi, utque tot malis ſolemni de iſta controverſia judicio feſtinet occurrere.

Poſtulat hoc, Beatiſſime Pater, non ſolùm Veſtræ dignitatis ratio, tótque optimorum virorum ſecuritas, verùm etiam ipſorum Regaliſtarum alioquin deſperata ſalus. Subvenite illis ſalubri paternáque increpatione, ut non impleant peccata ſua ſemper, néve perveniat ira Dei ſuper illos uſque ad finem. Etenim quoniam ipſis manus Veſtræ hùc uſque pepercerunt, incidunt quotidie in manus Dei viventis; quod quàm horrendum ſit, Apoſtolus edocet. Porrò Regaliſtarum miſerrimè pereuntium incidentiúmque in manus Dei innumera ſunt exempla, Sanctiſſime Pater, unum tantùm, illúdque recentiſſimum Sanctitas Veſtra non gravetur audire.

Eſt quidam Jeſuita nomine Meinier Patris Confeſſarij perfamiliaris, qui ampla & pinguia beneficia novo illo Regaliæ jure aliquot ſuis Nepotibus impetravit. Horum Nepotum, qui videbatur præcipuus, Canonicus Tholoſanus effectus, eam vivendi rationem inſtituit, quæ cæteris

ferè omnibus Regalistis communis est. Inter cætera quibus scatet vitia, pseudo-Canonicus insano ludendi furore laborat, totus in aleam incumbit, in illud baratrum omnes suas facultates, omnes beneficij fructus, non perceptos modò, sed in multos annos percipiendos: denique quidquid habet, quidquid non habet, proijcit. Hinc ad æs alienum convertitur, quo citò præparatus in maximas angustias redactus est. Instat creditor, fames urget, paupercula Mater inopiæ subsidium postulat. Torquet verò, cruciatúrque imprimis semper crescens, & ex ipsa paupertate, quâ saltem domari debuerat, ampliores vires capiens in aleam flagitiosa propensio, quæ cuncta hominem ita turbant, agitant, mutant, ut cùm aliàs esset ingenio non pænitendo, stipis factus est inops. Oberrat tristis, anxius, cogitabundus, nusquam sibi constat, nusquam illi quies, rarus illi, aut nullus, vel cum colluforibus sermo. Ita compositus, ita factus, iter in patriam instituit, non quia melius in patria futurum est, sed quoniam ipsi nunquam bene est. Transiens per Albiam Civitatem, quæ triginta circiter milliarijs Tholosâ distat, ibíque dies aliquot demoratus, rem totam, si quam habebat, ludendo dilapidat. Pauculam deinde pecuniam mutui specie ab amicis emungit; hâc quoque statim amissâ tantus dolor insedit animo, tantúsque furor mentem exagitat, ut nec aliorum consortium ferens, nec sui ipsius patiens Domum in cubiculum confugerit. Quid ibi egerit, secúmque dixerit, solus novit, qui cuncta novit.

Certè in eo, quo se clauserat loco, repentè scopeti fragor auditur, accurritur illico ab ijs, qui proximè aderant, intrant cubiculum, circumspiciunt hominem. O furorem! O scelus! invenitur miser humi porrectus, inversis oculis,

oculis, distorto vultu, sine motu, sine habitu, denique prorsus exanimis. Erat illi frons multis plumbeis glandibus trajecta, discussúmque hac illácque cerebrum. Cunctis attonitis, dolentibus, paventibus Prætor advenit, manúque ad cadaver injectâ de parricidio diligenter inquirit.

Verùm Jesuitæ, quorum est in ea Civitate ut in cæteris omnibus sæcularis multa potestas, veriti ne multam ea res cum ipsorum Societati invidiam, tum Regalistarum factioni dedecus & ignominiam conflaret, si unus è Regalistis insignioribus, si Jesuitæ Nepos, si Jesuitarum Cliens & Assecla parricida sui diceretur, idque tabulis publicis constaret, omnem lapidem movent, ut omnis ea de re actio quæstióque sopiatur. Itaque traditur sepulturæ Christianæ cadaver, cujus utinam anima non sit in inferno sepulta.

Mirum est, Pater Sanctissime, quantum mors illa timorem animis injecerit. Hac de re nemo non loquitur, nemo non pavet, éstque omnium cogitatio & sensus, universos Regalistas maledictos esse in omni opere suo; alios aliter tamen miserè disperire. Constátque universos Galliæ Clericos, præter eos, quibus Jesuistica Probabilitas omnem Dei judiciorum timorem adimit, ac infaustam conscientiæ securitatem conciliat, paratos esse fodere potiùs ac mendicare, quàm infelicia ista beneficia inire, quæ quisquis acceperit, induisse videtur maledictionem tanquam vestimentum.

Hanc animorum præclaram ac plurimùm commendandam affectionem, Beatissime Pater, fovete, erigite, augete illo solemni judicio Decretóque, quod Gallia universa, Christianissimúsque exoptat, quódque ego à Vobis, Pater Beatissime, postulo, flagitóque per magnum illum Pasto-

rem ovium, qui jam ostium pulsat, repetens rationem villicationis nostræ, qui Petrum formidantem increpuit his verbis: *Modicæ fidei quare dubitâsti?* Qui fidem dedit, adversus Ecclesiam portas inferi non prævalituras, ne quis putaret, licere sibi portarum istarum formidine causam Dei deserere, aut segniùs tueri. Qui multo anteà Prophetam Ezechielem ita monuerat: *Fili hominis speculatorem dedi te Domui Israël. Et audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberâsti.* Per illum, inquam, Pastorem, Beatissime Pater, tam fidelem in promissis, tam potentem in auxilijs, tam terribilem in judicijs, Sanctitatem Vestram precor, atque obtestor, ut se ipsam quàmprimum securitati, & Ecclesiam libertati restituat. Datum die 7. Novembris anno 1682.

Sanctitatis Vestræ pedes exosculor.

Humillimus & obsequentissimus in Christo
Filius & Famulus

Joannes Cerle Presbyter Canonicus, ac Præcentor Ecclesiæ Cathedralis Apamiarum, nec non Vicarius Generalis & Officialis Sede vacante Authoritate Apostolicâ confirmatus.

Docu-

Documentum LXIII.

Epistola R. P. Cerle ad P. Hispaniae, Rectorem Collegij Apamiensis Societatis Jesu.

Reverende Pater.

QUia veri legitimíque Pastores non possunt non intimè commoveri, cùm eorum, quos pascendos susceperunt, culpas erroréque spectare coguntur, ita argumentum acerbissimi doloris mihi est, quòd experiar pergere Paternitatem Vestram, ejúsque in Collegio Apamiensi socios, Romanæ Sedi obluctari, nec velle obstinatæ in Illam contumaciæ finem imponere. Enimverò ingens animi afflictio, quam ex vestra cæcitate percipio, illa est, quæ mihi calamum in manus præbet, compellítque vobis ante oculos ponere gravitatem inobedientiæ, quâ mandata summi Pastoris obstinatè hactenus respuistis. Vereor equidem, ne operam perdam, nec aliud hisce meis litteris profecturus sim, quàm ut peccatum peccato addatis, intellectâ vid. nec tamen observatâ veritate: si enim ausi estis Ecclesiæ Caput visibile, Ejúsque voluntatem contemnere, vobis tam enixè, & tanto cum apparatu insinuatam; quâ ratione polliceri mihi possum, vos monitis auscultaturos simplicis Religiosi, quíque inter ærumnas & exilia vitam ægrè occultéque sustentat, ut persecutiones effugiat, quas contra illum vos concitâstis? Cæterùm utcúmque res cadat, & licèt votis meis effectus non respondeat, nec vos inducere ego possim, ut scandala reparetis, quæ vestrâ culpâ in Ecclesiam Apamiensem induxistis, quæque illam hodiéque conficiunt; consequar illud saltem, ut Mundus totus intelligat, me nihil penitùs omisisse, quo vos ad officium frugém-

que reducerem. Et verò quis novit, an Christus Mundi Salvator, quíque non nisi modico sputo lumen cæco restituit, quis, inquam, novit, an ad animæ vestræ curandam cæcitatem operâ meâ, hoc est, vilissimo instrumento uti velit, quo magis divitias gloriæ suæ ostendat, absolutámque illam potestatem, quâ omnium cordibus dominatur? Et verò nullum mihi gaudium majus evenire posset, quàm ut agnitâ tandem veritate, ac errore depositò, quo tenebamini cum cæco illo Evangelico, dicere possitis: *Cæcus cùm essem, nunc video:* ach nimiùm felices preces & monitiones meæ, si efficere possent, ut vos errorum vestrorum seriò pœniteret; tunc enim mihi coram Deo gloriari liceret, quòd fratrem meum lucratus essem, eúmque in viam veritatis, à qua aberraverat, reduxissem.

Hæc sunt, R. Pater, sincera erga vos animi mei sensa, de quorum veritate si aliqua vos pulset dubitatio, testimonium moderatio & patientia illa perhibebunt, quibus contemptum excepi, quo Decreta mea ludibrio habuisti; sed ego malui vobiscum charitate, & lenitate, quàm vindictâ experiri. Nec contentus vos generali & cum Clero universo admonitione complecti, precaríque, ne funesto schismati faces subderetis, quo Ecclesia nostra miserrimè inflammatur: privata quoque monita adjeci, & vos nominatim flagrantérque rogavi; ac cùm prima nihil proficerent, plura & plura identidem suggessi, duósque integros annos rogando minandóque insumpsi, nullúmque finem feci vos illius obedientiæ admonendi, quam Ecclesiæ debetis: & tamen siquis in mentem reducat, quantùm hâc charitate abusi fueritis, sincerè fatebitur, indignos vos fuisse, quibus tantum charitatis & indulgentiæ impenderetur; nam eodem tempore, quo Regalistæ horrori, & abomina-

tioni

tioni omnibus erant, securi apud vos vestríque in ædibus morabantur, nullo anathematis metu, quo à Sancto Nostro Antistite perculsi fuerant. Cúmque venerabiles illius cineres tumulo abderentur, Regalistæ ex vestris ædibus Collegióque erumpebant, sacras exequias, piósque fidelium luctus, quibus Sanctissimo Præsuli parentabant, profanis precibus gaudijsque turbaturi; tantúmque abfuit, vos istorum hominum Sacrificia pro profanis impijsque habuisse, ut potiùs gloriæ adscriberetis, cùm pluries in vestris Ecclesijs, invitantibus vobis, sacrilegè litarent, ut adeò sine injuria dici possit, funestum hoc schisma apud vos natum educatúmque, vestríque in ædibus aras discordiæ excitatas esse; & tamen hæc omnia, quibus sanctissimas Ecclesiæ leges defœdâstis, præludia tantùm pejorum fuêre, quæ posteà à vobis agitata sunt: si enim veritatem fateri volumus, cui tandem usurpatam ab Illustrissimo Archiepiscopo Tholosano Apamiensis Ecclesiæ auctoritatem, acerbissimam persecutionem in nos excitatam, & mille alias calamitates, quæ hanc nostram Diœcesin inundârunt; cui, inquam, hæc omnia mala nisi societati vestræ adscribemus, immensóque desiderio, Diœcesin hanc nostram Regaliæ subdendi, vitámque regularem, quæ in hac Ecclesia observatur, penitùs delendi? Planè Pater la Chaise id dudum animo conceperat, credidítque numquam opportuniùs deduci in opus posse, quàm Ecclesiâ Apamiensi suo Pastore viduatâ; hunc in finem Vicarij Generales, quos Capitulum elegerat, in carceres detrusi, Canonici Reformati exilio proscripti, alius denique Vicarius Generalis à Tholosano Archiepiscopo submissus, ut vid. per tot machinas tandem in manus excommunicatorum Ecclesia nostra deponeretur. Hujus Vicarij sacrilega intrusio nihil aliud

effecit,

effecit, quàm ut Clerus totus miserando schismate scinderetur; quippe aut revereri amplectíque oportebat usurpatam potestatem, aut persecutionibus subjacere quas contempti vindictæ excitâsset; quamvis non defuerint, quamplures Ordinis Ecclesiastici, qui maluerint & bonorum jacturam, & libertatis facere, quàm verum legitimúmque Pastorem deserere, aut qui animo erant minùs ærumnarum tolerante; non priùs intrusum admisêre, quàm carceribus exilióque propositis. Soli vos Regularium fuistis, qui Fortissimi desiderio flagrare visi estis; huic ut primùm Apamijs comparuit, vos illius auctoritatem primi agnovistis, vos obedientiam jurâstis, quippe qui probè intelligebatis, illi nomen Vicarij Generalis, vobis auctoritatem & dominatum in diœcesin universam fore. Eodem quóque momento, quo ille Apamijs visus est, sex è vestris Patribus Confessionalia occupârunt, tantóque impetu sacras hasce functiones involare observati estis, ut nemo non crederet, vos tantâ festinatione velle damna & solitudinem vestram præteritam compensare, quando vid. expiatio animarum interdicta vobis fuerat. Tunc ergo omnes, ac etiam obstinatissimi peccatores ad veniam admittebantur, & sanguis Redemptoris, tam cautè olim ab Episcopo nostro sanctæ memoriæ administratus, nullo prorsus discrimine delectúque in obvios quósque fundebatur. Regalistæ ipsi, quamvis anathemate percussi denuntiatíque, pacem conscientiæ, quam flagitijs amiserant, privilegijs Indulgentiáque vestrâ reperturos sperabant; & verò absolventibus vobis pacem repererunt, sed fallacem miserámque, nec minùs recipienti inutilem, quàm funestam offerenti, quæque id tantùm effecit, ut peccatores semper magis magísque obstinarentur, sensúmque omnem ac dolorem Conscientiæ

tiæ amitterent, quo uno sanari revocaríque ad frugem poterant; hæc omnia mortiferæ plagæ sunt Ecclesiæ Apamiensi à vobis inflictæ, & nemo ferè est, qui non id ingenuè agnoscat; quippe non id tantùm agitis, neque hoc solo contenti estis, ut alieni intrusíque Pastoris vocem audiatis, sed etiam ordinem ac disciplinam illam deletis, quâ Apamiensis Ecclesia ante alias in Gallia floruerat, erátque nuper admirationi; unde est, ut Societas, quam cum Regalistis, nostræque auctoritatis usurpatoribus contraxistis, vos omnibus bonis exosos reddat, instárque filiorum, qui materna viscera arrodant, ignémque dissensionis ac discordiæ sinu suo circumferant foveántque. Sed & illud delictum ac pertinaciam vestram exaggerat, quòd vid. recordari adhuc liceat, Episcopum nostrum glorioſæ memoriæ, quamvis, quod de Moyse legimus, omnium hominum planè mitissimum, nihilominus ob simile delictum tres è Societate vestra Patres anathemate percussisse, Cœlo quóque, ut vos ipsi scitis, contemptum vindicante: ac utinam illius pœna exemplo vobis fuisset, ut saltem dicere de vobis liceret, quod olim de Schismaticis sui temporis Cyprianus: *Qui Christo non crediderant Sacerdotem facienti, credere posteà incipiunt Christo Sacerdotem vindicanti.*

Cæterùm tantum abest, vos tam formidando iræ divinæ exemplo absterritos esse, atque ad animum reduxisse, quo apud Deum loco sint, qui voces legitimi Pastoris audire recusant, ut potiùs consideranti mihi, quàm ex pristinis moribus nihil mutaveritis, quantóque contemptu Romani Pontificis Brevia exceperitis, vereri liceat (id quod sine intimi doloris sensu proferre non possum) vos ex eorum numero esse, qui in peccatis obdurantur, quíque de malo in peius semper proficiunt: eò enim audaciæ

provecti estis, ut non solùm Episcopi Apamiensis monitâ ludibrio vobis fuerint, sed etiam Principis omnium Episcoporum, supremíque Ecclesiæ Pastoris ac Vicarij Jesu Christi monita vocésque pari contemptu acceperitis; quoties enim ne funesto huic Schismati vos implicaretis, néve Tholosani Archiepiscopi auctoritatem in Ecclesiam Apamiensem dominatum usurpantis agnosceretis, non Patris tantùm affectu monuit, verùm etiam judicis severitate prohibuit, majorem Excommunicationem comminatus? vicistis tamen, & à sententia vos dimovendos non preces Romani Pontificis, non minæ quidquam profecêre. Utque delicti vestri ac pertinaciæ magnitudo tegeretur saltem, cùm deleri non posset, illud artificij excogitâstis, ut palàm passímque spargeretis, Breve Apostolicum confictum fuisse subornatúmque. Cúmque Romani Pontificis solicitudo hunc quoque prætextum vicisset, datis ad Provincialem vestrum authenticis Bullæ suæ copijs, num tot tergiversationum, productæque in longum contumaciæ tunc saltem vos puduit? imò pertinaciam auxistis, ipso Provinciali vestro delicti complice, & apud senatum Tholosanum Pontificem Romanum deferente, ac velut Patriæ hostem, Regníque Gallici turbatorem accusante.

Nihil ergo mirandum, si, cùm tales sint, qui Societatem vestram gubernant, ij quoque, qui ab eorum nutu exemplóque pendent, ijsdem moribus, ijsdémque exemplis imbuantur. Id nuper apparuit in Rectoribus Apamiensis Collegij, ut juventâ imprudentibus, ita Majorum imitatione præfervidis inconsultísque; ij ergo non contenti apud discipulos suos memoriam Antistitis Apamiensis despicabilem reddere, temeritatem suam eò usque perduxerunt, ut de seditiosis de Romano Pontifice colloquijs & con-

contemptum ſpirantibus ſacram illius auctoritatem (quam naturali quâdam veneratione fideles omnes reverentur) deflorare haud erubeſcerent. Scio equidem magnitudinem criminis partim fervore & imprudentiâ ætatis, partim Seniorum exemplis, quibus ſeducti illi ſunt, utcumque elevari poſſe; ſed tamen neque illud negari debet, Deum nec ætate, nec imprudentiâ cohiberi ſolitum, quò minùs in hujuſmodi delicta ſeverè non animaduertat, id quod exemplo patuit puerorum Eliſæum Prophetam irridentium.

Enimverò, mi Pater, expectabant omnes, ut quæ á Patribus hujus Provinciæ perperam geſta fuerant, Societas veſtra improbaret retractarétque, culpâ in paucos privatóſque revolutâ; verùm ſpes iſta fefellit, nam quæ vos improbè deſignâſtis, tantum abfuit ab alijs eſſe damnata, ut potiùs Societas tota nihil magis curaverit, quàm ut tam indignis auctoritatem præſtaret, palámque faceret, non aliquorum tantùm membrorum, ſed corporis totius hanc pervicaciam morbúmque fuiſſe. Et ipſe quoque Provincialis veſter cum Archiepiſcopo Tholoſano certare viſus eſt, uter magis alterum ſuperaret contemptu Pontificis. Sed & qui in Societate annis & auctoritate alijs præſtabant, cùm de Vicario Chriſti ſermo incideret, pari cum juvenibus immoderantiâ loquebantur, adeò, ut, niſi apud pleróſque præ veſtris exemplis honeſtas fuiſſet, & Apoſtolicis Brevibus, quæ pro Regalia Romanus Pontifex dederat, illuſum eſſet, & duo ſanctiſſimi Epiſcopi pro hæreticis habiti, quos tamen idem Pontifex præclariſſimus encomijs exornaverat. Denique adeò palàm nullóque pudore Societatis veſtræ Patres bellum indixêre Vicario Chriſti, ut nemo non dubitaret, vos ob damnatam Romæ

Theologiam vestram moralem, confixósque Societatis Auctores, vindictam hâc saltem viâ molitos esse. Expavit Gallia tam indignam agendi rationem, támque alienam à spiritu vestrorum Fundatorum; & quamvis jam aliàs omnium animi offensi essent, quòd viderent in Societate vestra, quæ in Christianis dogmatibus imbuendæ juventuti aperta fuerat, scribi docerique tam corruptos, sacrísque Evangelijs adversos morum aphorismos; imò qui puriorem doctrinam amplecteretur, sævissimâ persecutione à vobis pulsari; nihilominus tamen cùm tanta cum pompa apparatúque fidelitatem & obedientiam erga Sedem Apostolicam ostentaretis, nemo non credidit, vos hujus reverentiæ memores privatos erga Magistros vestros affectus imperio Romani Pontificis submissuros, & si hactenus tam flagranti studio mendacijs patrocinati eratis, id ex inconsulto potiùs Zelo, quàm contemptu provenisse. Nunc verò postquam palàm ostendistis, nullo apud vos loco esse Romani Pontificis jussa, quam rogo sententiam de vestra Societate homines ferent, quando vident eam nunc in hanc, nunc in illam partem rapi, séque ubicumque majus lucrum & commoditas fuerit, tempori ac favoribus accommodare, eámque auctoritatem, quam aliquando ad cœlos usque extulerant, jam depositam velle abrogatámque? Me quod attinet, veniam dabitis, si ingenuè fatear, cùm turbas & discordias cogito à vobis in Ecclesia excitatas, & illas inter secretas preces gemitúsque Deo meo expono, vehementer vereri, ne vaticinium Sorbonicæ Scholæ de vobis compleatur; quando vid. rogata, an recipi in Gallias Societas vestra deberet? Vestro Instituto regulísque maturè examinatis, tunc temporis cùm nullo privato affectu ducebatur, nullámque rationem habebat, ob quam

odio

odio vos prosequi aut amore deberet, in hanc Sententiam prorupit: *Hæc Societas videtur pacis Ecclesiæ perturbativa, & magis in destructionem, quàm ædificationem.*

Et verò quid timeri non debet à Corpore tam vasto, tam præpotenti, ut vestra Societas est, & cuius unicum studium est, Principes ac Magnates hujus sæculi sibi devincire, vitam ex regulis mundanæ Politicæ prudentiæque instituere, & nihil non legitimum ducere, quidquid ex opinionum probabilium indulgentia Societati amplificandæ servire potest? & planè negari haud potest, probabilium opinionum beneficio quamplurimos prætextus & colores vobis obvenisse, obvelandæ pertinaciæ & inobedientiæ vestræ; imò cùm illæ non solùm gravissimas quoque culpas excusandi virtute polleant, verùm etiam in pulcherrimas virtutes transformandi, nullus dubito, persuasum esse vobis, quantò magis obsequium Romano Pontifici abnuitis, tantò perfectiùs vos Regi obedire, perinde ac si ignorare debeatis, contra Decreta & Constitutiones Ecclesiæ non licere Principibus sæculi obtemperare, ac præsertim in ea causa, in qua nemo nescit Regis Christianissimi pietatem, à duobus postremis Confessarijs, qui illius Conscientiæ moderabantur, esse circumventam. Quodsi tamen fidelitatis vestræ in Principem fuit, contra Pontificis Romani repetita Decreta Regaliam tueri, quid rogo causæ est, ut vos fidelitatis hujus Romæ pudeat? Nihil enim Romæ Patres vestri ardentiùs curant, quàm ut Romano Pontifici persuadeant, Jesuitas, qui in Gallijs commorantur, innoxios esse, nec se huic causæ umquam implicâsse. Hæc, mi Pater, tam omnibus sunt nota, ut jam nemo ampliùs dubitet, vos spiritu erroris ac mendacij agitari, cujus enim certissima nota est pro temporum, locorum, &

circumstantiarum varietate sententiam mutare. Vos præcipui & ardentissimi Regaliæ Promotores estis, ídque tam notum & vulgatum est, ut nemo id ignoret. Vos primæ faces & auctores ejus Schismatis, quo Ecclesia nostra tanto jam tempore conflictatur, ídque tamquam egregium facinus gloriæ vobis ducitis. Vos denique non aliâ magis ratione apud Regem effeciστis, ut in pleráſque hujus Regni Universitates admitteremini, quàm quòd nimio & indefesso studio Regias partes sustinendi, Pontificis gratiâ excideritis, & tamen audetis interim Romæ Pontifici persuadere, nihil à vobis contra Apostolicæ Sedis Decreta, nihil contra reverentiam Ei debitam agitatum esse. Quid est hoc aliud, mi Pater, quàm velle primam culpam majori adhuc flagitio non tam tegere, quàm cumulare, & quo pœnam evadatis inobedientiæ ac rebellioni vestræ debitam, non erubescere Deo, & Spiritui Sancto in ejus Vicario mentiri, perinde ac sicut istum decepistis, ita & illum decipere liceret, cui tamen omnia secreta cordis, arcanæque etiam cogitationes apertæ & manifestæ sunt?

Hujus ergo tam districti Judicis æquitatem, si vobis ad mentem revocare otium esset, intelligeretis utique, quantum vestrâ interfit tandem ad meliorem frugem redire, ac vehementi timore concuti, ne is causam Ecclesiæ aliquando suscipiat, vindicétque Vicarij sui contempum, & vos tamquam vasa ignominiæ, quæque Domum Dei profanant potiùs dehonestántque, quàm ornent, cum fastidio rejiciat. Hæc sunt, mi Pater, inobedientiæ & pertinaciæ vestræ, nisi illam abrumpatis, funesti effectus, quósque vobis ante oculos ponere animus mihi fuit, ne vid. argui aliquando possem, partibus officij mei defuisse, útque majori cum fiducia usurpare possem illas Apostoli voces:

Con-

Contestor vos, quia mundus sum à sanguine vestro; non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Si ergo in præsentibus litteris meis acriùs fortè Vobiscum locutus sum, quàm alioqui genius meus ferat, cogitate non id à me factum alio fine, quàm ut justa, & delicto vestro par severitas eum tristitiæ sensum in vobis produceret, quæ est secundùm Deum, quæque in peccatoribus mater est veræ pœnitentiæ; útque necessitate absolverer ultima Ecclesiæ remedia in vos experiendi. Hæc unica causa fuit, ob quam non eâ vobscum lenitate agere potui, quâ alioquin optâssem: atque utinam liceret vobis intimas animi mei fibras penetrare, videretis nullâ me contra Vos indignatione, aut desiderio vindictæ permoveri, nec persecutionibus, quas in me excitâstis, quidquam illius charitatis minutum esse, quam Pastoralis à me Dignitas exposcit; si enim odio & vindictâ omnes Christiani prohibentur, quantò magis Sacerdotes, primíque Jesu Christi Ministri, quos gloriari oportet, ac intimo gaudio perfundi quoties *digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Quodsi Deus tanto me beneficio affecit, quantum est pro ejus gloria privari libertate, ac vitæ periculum quotidianum adire, quæ rogo insania esset, fructus tot laborum amittere, támque indignis profanísque affectibus cor incendendum præbere? Officium quo defungor, est officium Charitatis, amórque ac solicitudo veri Pastoris etiam ad errantes oves profertur, & tunc quoque, cùm virgam levat cædítque immorigeras, non sine suspirio sensúque intimi doloris id facit. Testor Conscientiam meam, me ne Charitati quidem in vos defuisse, ipsíque, qui alióqui non æquis in me animis sunt, fateri debent, nihil à me non lentè maturéque peractum esse, omníque passione procul. Delictum & inobedientia vestra

stra cùm publica essent, secretis monitionibus curari non poterant. Palàm ergo vos monui, sed cùm nihil proficerem, nec dignaremini Constitutionibus meis deferre, ad Ecclesiam vos detuli: sed hanc quoque spreviſtis, cùm vid. per os visibilis sui Capitis ad vos loqueretur. Quid ergo supererat mihi, nisi vid. delicti vestri complex esse, patique vellem, ut alij quoque exemplo vestro perverterentur; quid, inquam, supererat, quàm ut infectum membrum à reliquo corpore separarem? atque utinam, mi Pater, hunc ictum, quem ego non nisi invitus ac lacrymantibus oculis inferre cogor, declinaretis! Precabor interim Divinam bonitatem, ut ipsa verbis meis eam aspergat efficaciam, quâ tandem devicto pudore, quo tam multi absterrentur, permoveamini, & delictum vestrum agnoscere, & dignâ pœnitentiâ expiare; sic enim tam Christiano & heroico facinore scandalum abolebitis, quo tam multos offendistis, méque ineffabili gaudio perfundetis, compensato dolore, quo ob pervicaciam vestram acerbissimè confectus sum.

Sum interim, eróque semper.

Paternitatis Vestræ

Humillimus & Obedientissimus Servus

F. J. Cerle Diœcesis Apamiensis Vicarius Generalis à Sede Apostolica confirmatus.

DISSER-

DISSERTATIO II.

In

Qua refutantur, quæ Maimburgus in favorem primæ Propositionis Parisiensis, contra Summi Pontificis in Reges potestatem, in Libro (a) de Institutione, & Privilegijs Romanæ Ecclesiæ conatur producere.

LUdovicum Maimburgum præcipiti jam ætate, & in Occasum vergente, vita priùs, quàm ardor, vel potiùs intemperies scribendi deseret; adeò illum aut aura ex nuperis libris collecta, aut Principis gratia, aut vindictæ dulcedo oblectant, ut supremas etiam horas bello malit, quàm paci dicatas: nec adduci possum, ut credam, veritate illum ad scribendum impelli; hanc enim, quod suprà vidimus, & ex dicendis constabit, toties sepposuit, ut neglecta potiùs, quàm amata videatur. Et numquid alia deerant argumenta, in quibus veritati, si hæc adeò placebat, militaret? Sed hoc unum delegit, quia licet profano potiùs calamo, quàm sacro dignum, nec satis ejus vitæ instituto aptum, quod tot annis profitebatur; aulæ tamen præcharum erat, etsi minùs laudis

(a) Maimbourg Traitè Historique de l'etablisement e Prerogatives de l'egliſe de Rome Anno 1685.

dis, plus pretij promittebat. Et in alijs quidem Libris Pontificiam Dignitatem occultis tantùm prælijs, minutísque impetijt, in hoc verò libro, quem refutare aggredimur, plenam aciem instruxit, séque hostem professus est, quanquam majori pompâ, quàm damno. Titulus libro præfixus, *de Privilegijs & Prærogativis Romanæ Ecclesiæ, ejúsque Episcoporum.* Et verò paucis paginis prærogativas & Privilegia absolvit, reliquas omnes, multóque plures illis evertendis impendit; quasi verò subesse Concilio, falli & errare posse, nulláque in Principes, eorúmque Imperia, cùm Religio, cùm necessitas urget, auctoritate pollere, ad Privilegia Pontificum, aut Episcoporum pertineat; & his tamen totus ferè liber occupatur. Ergo ne titulus quidem, ipsúmque limen stratagemate & artificijs caret; quid erit intrò progressis? & tamen singulis paginis candorem, fidem, innocentiam pollicetur, nec alium ferè reperies promissis largiorem. Ego optimâ fide omnia in medium producam, & quæ hic Auctor Gallicè scripsit, ego latinè reddam, conabórque, ut nec verba, nec sensus, nec energiam desideres, nec ulla sit Gallis querela celatæ veritatis. Ea tamen omittam, quæ ad causam non faciunt.

§ I. Re-

§ I.

Refutantur, quæ Maimburgus in Dedicatoria producit. Falli eos, qui putant, hæreticos ad veram Religionem facilius redituros, Pontificis Romani Auctoritate minutâ.

SUMMARIA.

1. Referuntur & refutantur, quæ Maimburgus in Dedicatoria ad Regem præfatur.

2. Pontificis potestatem nunquam fuisse veram Schismatis causam, sed tantùm simulatam, quod exemplo Schismatis Græci ostenditur.

3. Anglicani, Germanique.

4. Et Sueci, Danici, iterumque Anglicani, Gallique. Veras igitur Schismatis causas esse odium, ambitionem, & reliquas cupiditates.

5. Regiam potestatem, Sacramenta, Cœlibatum, & ipsa Contilia abolenda esse, si argumentatio Maimburgi valeat; istis enim multò magis hæreticos offendi, quàm Pontificiâ potestate.

6. Transactiones cum hæreticis semper infeliciter cecidisse, quod exemplis ostenditur Concilij Ariminensis.

7. Et Zenonis Imperatoris.

8. Et Honorij Pontificis ac Heraclij.

9. Et Caroli Imperatoris.

10. Et Eliæ Patriarchæ Babilonici.

I.

EXponit Maimburgus in Dedicatoria, quam Libro(a) præfixit, scriptionis suæ causas, easque in hæc omnino verba & sensa depromit.

Unum ex præcipuis obstaculis, quæ hæreticos morantur, ne Romanæ Ecclesiæ sinum repetant, eam falsámque opinionem esse, quam tenaciter imbibêre, Pontifices videlicet à Catholicis super omnem Ecclesiam attolli, prærogativas huic debitas in eos transferri, immensámque tribui potestatem, nullis terminis septam, imò nec intra aras illam, sacráque functiones contineri, sed etiam in profana, & Coronas extendi. Hoc hæreticos in Schismate obstinare, quo miserè diúque conflictantur. Huic malo Ecclesiam Gallicanam providisse, quando vulgatâ nuper Declaratione, & mentem suam, doctrinámque exposuit, antiquæ Patrum doctrinæ simillimam, & moras omnes, quibus hæretici tenebantur, abrupit, denique Regis sui Zelum imitata est, tanto ardore pariq; felicitate, suorum, qui erroribus adhuc attinentur, conversionem urgentis. Hunc quóque sui libri scopum esse, in quo ea se dicturum, quæ nullis artificijs, nullâque subtilitate everti possint. Quippe facta narraturum, omni ratiocinio majora. Quòd si liceat veritatem fateri, Regem nupero edicto, quo Propositiones & Declaratio Parisiensis armabantur, plus Ecclesiæ Romanæ contulisse, quàm omnes retrò Galliæ Reges; istos enim divitijs, honoribus ac Imperio auxisse, quibus præstantem illam florentemque videmus; at fluxa hæc esse, nec Ecclesiæ propria: modernum verò Regem, dum doctrinam & sensa Ecclesiæ Gallicanæ toto Regno stabiliri jubet, illud simul effecisse, ut Primatus Ecclesiæ Romanæ, veræq; illius prærogativæ immotæ redderentur; ut hæreticis, qui nullum finem ejus impugnandi faciunt, omnis tergiversandi causa procul esset, velandique à Romana Ecclesia defectionem; útque illi intelligerent, non esse Gallorum doctrinam, quâ ipsi maximè offenduntur, sed quorundam solum privatas opiniones Theologorum, nuper in scholis natas, totúque retrò antiquitati aversas: sibi jam funere propinquo, nihil gratius fore, si ut socius Regi esse non possit, tot victorias palmásque metenti (quanquam & istas precibus juvet) at saltem liceat aliquid dicendo scribendóque in eos triumphos conferre, quos quotidie Ecclesiæ adjungat, hæresi debellatâ.

Hæc omnino Maimburgus in Dedicatoria ad Regem, quæ si

(a) Maimbourg Traitè historique de l' etablisement, e prerogatives de l' Eglise de Rome, epistre a Roy.

in cortice hæreas, plena Religionis, pietatis & modeſtiæ ſunt, & talia omnino, quæ animos capiant iſtarum artium ignaros, inſuetóſque. Credas, illum Areopago, aut Stoâ prodire, adeò faciem componit, fingitque virtutem, ac flagrantem ſe oſtentat amore veritatis, tamen in hanc maximè offendit, mallémque erroris, quàm doli accuſare, niſi toties peritiam jactaret.

Dicit, *nos Pontifici tribuere immenſam, abſolutámque poteſtatem, nullis terminis clauſam.* Imò quàm plurimos Ei terminos ponimus, quippe legibus Eum divinis, naturalibus, ac etiam humanis, quæ modò Ejus ſtatui conveniant, teneri dicimus. Quòd verò ab alio puniri non poſſit, id ſupremæ Dignitatis privilegium eſt, ac etiam Regiæ; quæ enim rerum confuſio, & contemptus Principum eſſet, ſi ſiſti ſuis ſubditis, plectíque ab iſtis poſſent?

Dicit, *doctrinam Propoſitionibus Pariſienſibus adverſam novam eſſe. Gallicanæ Eccleſiæ contrariam, & ad aliquorum Theologorum privatas opiniones ſpectare.* At verò quâ fiduciâ hæc ſcribit Maymburgus, quem utique non latet, doctrinam & ſententiam noſtram è Concilijs, (a) Lugdunenſi, (b) Viennenſi, (c) Conſtantienſi, aliiſque hauſtam eſſe, quæ omnia in Reges apertiſſimè pronuntiârunt? quam in Comitijs Cleri (d) ſub Ludovico XIII. Eccleſia Gallicana profeſſa eſt? quam præcipui, ſanctique Galliæ (e) Doctores ſcriptis complexi ſunt? quî ergo dici poteſt privata opinio, quî nova, quam à Concilijs accepimus? aut quâ ratione Gallicanæ Eccleſiæ adverſa, quam in Galliæ Concilijs Comitiiſque Gallicana Eccleſia toties expreſſit? & quam Divi, Bernhardus, Thomas, Bonaventura, inſignes in Gallia Doctores conſtanter, claréque aſſeruêre? ſed hæc alibi probata à me ſunt, & poſteà occurrent. Nunc ad alia convertamur, quæ ſunt hujus loci.

II. Dicit, *Propoſitiones Pariſienſes eò ſpectare, ut circumſcriptâ, minutáque Pontificis Romani Poteſtate, Proteſtantibus odiosâ, tantò iſti facilius ad Catholicam, verámque Religionem perducantur, ſicque ſperari poſſe Schiſma*

(a) Concil. Lugd. in cap. ad Apoſtolicæ de ſent. & re jud. in 6. 1245. (b) Concil. Vienn. in Clem. un. de Jure jur. 1311. (c) Concil. Conſtant. ſeſſ. 20. 28. 39. 42. 1414. (d) Comitia Cleri Gallicani apud Grammond. lib. 1. anno 1615. (e) S. Thomas 2. 2. q. 12. a. 2. in corp. & ad 1. & 2. 2. q. 60. a. 6. ad 3. & in 2. d. 44 q. 9. a. 2. & in 2. ad Corinth. cap. 11. & in ep. ad Philipp. circa fin. & opuſc. 20. lib. 3. cap. 10. 17. 19. S. Bonav. de Eccl. Hierarch. p. 2. c. 1. S. Bernard. lib. 1. de conſid.

cessaturum, sublatis ejus causis. Hæc Maymburgus speciosè, ac recepto jam more, nemo enim aut Rempublicam aut Religionem aggreditur, nisi publici boni obtentu. Sacras prophanasque historias pervolve, reperies, nec Ecclesias hæresi, nec Rempublicam seditione turbatam esse, ut non aliquam boni publici curam seditioni prætexerent; ergo mirum aut novum non est, si privatis studijs, ne oculos incurrant, Religionis & modestiæ velum prætenditur. Quàm verò nihil eorum sit, quæ Maimburgus producit, tu ex sequentibus intellige.

Primò falsum est, Romani Pontificis supremam potestatem veram Schismatis causam fuisse, quamvis forsan obtenta fuerit, & jam paratæ defectioni quæsita. Oportet enim inter Schismatis, & prætextûs causas distinguere; isti cùm specioſi sint, & Religionem, pietatem, bonique publici curam ostentent, facilè patent, imò & cum pompa jactantur; causæ verò in latebris sunt, quippe ex ambitione, quæstu, privatisque odijs natæ, & quas celari potiùs juvet, pudeátque proferri. Pertinacissimum fuit Photij Schisma, & Græciæ funestum, quod toties compressum, toties glisens resurgensque tandem in flammam erupit, Ecclesiæ juxtà & Imperio fatalem, nec priùs resedit, quàm utriúsque ruinâ. Veræ illius causæ ambitio, odium, & cupido vindictæ, sed hæc clàm habita, quia fœda profitenti, nec gratiam plausumque repertura. Quæsiti à Religione prætextus, & mendacijs aucti, ut placerent, caperentque incautos. Bardas Imperatori Michaeli præcharus, & in aula potens Ignatium Patriarcham sanctissimum exilio proscripserat; causa odij, quæ omnibus bonis, solùs enim Imperatorem juventâ ac indulgentiâ Bardæ in omne flagitium ruentem, exemplo, reverentiâ, monitisque morabatur, ipsúmque Bardam incestis nuptijs junctum Ecclesiâ prohibuerat. His ex causis odium: sed ne huic exilium adscriberent, aliæ productæ; affectati Imperij, & quòd cum Theodora Augusta olim Curatrice clàm conspirâsset, accusatus est. Ejecto Photium sufficiunt, Bardæ amicum, belli pacisque artibus, ingenio ac litteris summum, sed ambitionis immensæ, ac in omne flagitium promptæ, dum honoribus, quorum cupiditate flagrabat, potiretur; adeò ut ingenij viribus, quo tantùm valebat, etiam magicas artes sociaret; intra

sex

ſex dies ex milite & aulico in Patriarcham evaſit. Omnes qui Ignatio ſtudebant, pulſi, punitíque, aut præmijs corrupti: ſed cùm videret, ſe, dum Romanum Pontificem amicum, faventémque non haberet, incertum ſemper, dubiúmque dignitatis ſuæ fore, hunc omni artificio lucrari ſtudet. Decreta ad Illum ab Imperatore Legatio, quâ primi ex Aula fungebantur; munera auro gemmíſque gravia; adiecti à Photio Epiſcopi tres, qui formulam fidei Nicolao (a) exhiberent, litteráſque offerrent, lacrymis, precibus ac ſimulatione plenas, quibus Patriarchatum recuſabat: invitum ſe imparémque fatebatur, ſed Imperatoris, Cleri, omniúmque precibus victum, ut Infulas ſuſtineret, Ignatio ſponte digreſſo, & oneri ſuccumbente. Summa erat, ut Nicolaus Legatos ſuos mitteret, qui Eccleſiam Conſtantinopoli componerent. Annuit Nicolaus, miſítque, ſed illi aut pœnis ac diuturno carcere feſſi, aut corrupti muneribus in Synodo 318. Patrum Photio dignitatem confirmant, abrogantque Ignatio Apoſtolicam Sedem appellanti. Hæc ubi Nicolaus explorata habuit, Photium damnat, privátque dignitate, & Ignatium reſtituit. (b) Hinc omnes à Photio diſcedere, ipſe indigniſſimè ferens, Bardæ potentiâ fretus, omnia pœnis, exitijs, adulationibus, præmijs miſcens Synodum cogit, & ſuffragijs mille ſubornatis, quamvis omnes fere repugnarent, in Nicolaum Pontificem anathema torquet. Crevitque audacia Trevirenſis & Colonienſis Archiepiſcoporum acceſſu. Lotharius Auſtraſiæ Rex Waldradæ amoribus flagrabat, ardebátque in nuptias; nec potiundi ſpes erat, vivente Thietpergâ legitimâ Uxore: hujus repudium ab Archiepiſcopo obtinuit in Synodo Aquiſgranenſi, accuſatâ Thietbergâ inceſtûs, damnatâque, & thoro Walburgæ conceſſo. Nicolaus Archiepiſcopos tanti, vulgatíque mali auctores dignitate privat, & illi dolore amiſſæ dignitatis, cupidíque vindictæ Photio ſe jungunt; hinc auctum Schiſma, & titulus Oecumenici Patriarchæ à Photio ſumptus. Sed ne color flagitio abeſſet, & quod furor & ambitio erat, Religio putaretur, calumniæ in Eccleſiam Latinam, Romanúmque Pontificem ſparſæ: *Quòd Latini Sacerdotes ſacro*

(a) Nicol. PP. encycl. ad Patres & epiſc. & ad ep. Orient. Epiſt. ad omn. fid. V. Baron. ad ann. 859. ubi epiſt. Photij n. 61. (b) Nicet.

sacro Chrismate inungant à se baptizatos; quòd aquam Chrismati misceant; quòd Spiritum S. à Patre Filióque procedentem faciant; & denique præter alia, quòd Papa miserabili tyrannide fideles premat. Tyrannum Photius, & Colonienſis ac Trevirenſis appellabant, à quo tot flagitijs ſuis pœnas metuebant. Auxit Schiſma Bulgariæ certamen.

Anno DCCCXXXV. Bogares Bulgarorum Princeps Chriſtianam fidem ſuſceperat; anno verò DCCCLVI. petitis, impetratiſque à Nicolao Papa Legatis baptiſmo tincti fuerant. Orta poſt eorum converſionem altercatio, ad utrum Patriarchatum ea provincia pertineret, Romanum an Conſtantinopolitanum? Romanus enim totam Europam, Thraciámque complectebatur, utrámque etiam Epirum, Theſſaliam, Dardaniam, Daciámque, quas Bulgari inhabitant, ſempérque à Romana Eccleſia regi ſolitas. Ipſíque Bulgari cùm ſe Romano Pontifici ſubdidêre, ſuo Regi, non Græco parebant. Lis tamen à Legatis Sedium Patriarchalium pro Græcis deciſa. Romani negabant, ſe hâc ſententiâ ligari, quippe ab inferioribus latâ. Hadrianus (a) Ignatium Patriarcham omnéſque alios Græciæ Epiſcopos, niſi Bulgariâ decederent, diris ferit, & dignitatibus privat: hinc auctæ querelæ, & animorum diſſidia, Schiſma confirmatum. Cui magna acceſſio à Michaële Cerulario, omnia Conſtantinopoli miſcente: is enim, quòd è ſimplici laico promotus eſſet, timerétque, ne ſuam electionem contra Canones factam Pontifex Rom. irritam pronuntiaret, nec ferret titulum Patriarchæ Oecumenici ab eodem Pontifice ſibi denegatum, defectionem maturavit, alióſque errores Pontifici, Latiniſque impoſuit: *Quòd more Judaico Sabbatho abſtinerent; quòd ſuffocatis veſcerentur; quòd azymos ſacrificio adhiberent.* (b) Sed ipſe multarum hæreſum convictus à Legatis Leonis Papæ ſolemni apparatu omni populo, Cleróque ſpectante, Conſtantinopoli ſacris eſt interdictus: auctæ in immenſum iræ, & in omnes Orientis Patriarchas, quod Photius non potuerat, Schiſma eſt propagatum, ac Pontificis Romani nomen ſacris Diptychis eraſum. Quod ergo Photius inchoaverat, Michael abſolvit, promovítque ejus conatus mors Leonis Papæ, & Imperium Theodoræ Imperatricis Patriarchæ obſe-

(a) V. Anaſtaſ. in vita Hadr. anno 869. (b) V. de error. Cerularij Spond. ad ann. 1054. n. 3.

obsequentis. Sic Schisma Orientem corripuit, corrupitque. Jam verò in toto hujus Schismatis decursu facilè observes, quantum inter causas & prætextus Schismatis intersit. Veræ causæ, quæ Photium, quæ Michaelem Patriarchas in Pontificem armârunt, æmulatio, ambitio, odium, vindicta fuerunt, metúsque impendentium pœnarum, quas flagitijs meruerant; sed pudebat has prodere, palámque ostentare; quis enim Photio assentiretur dicenti: ejurate Rom. Pontificem, quia violari Canones non patitur, quia Eunuchos ex Regio cubili in Patriarchas attolli, legitimos Episcopos exilio pelli, sacras dignitates pretio emi, titulum Oecumenici à nobis usurpari, & Ecclesias impleri flagitijs vetat, pœnásque obstinatis comminatur, & ideò nec nos Pontificem sustinemus, nec vos eum colite: hæc inquam si Photius diceret, quando reperiret socios defectionis? & tamen hoc veræ erant causæ; sed alias quæri oportuit, quæ plus honesti præferrent, magísque animos caperent, obtentu publici boni, Religionem videlicet abusibus corruptam, & potestatem Tyrannidi mixtam; alioquin Photius, quamdiu nec vindictâ, nec odio ardebat, aberátque pœnarum metus, coluit Vaticanum, ejúsque potestatem velut sacram aram complexus est, nec priùs evertit, quàm inimicam sensit; quod manifesto argumento est, non eam potestatem Photio displicuisse, ad quam potiùs confugit, imploravitque, sed alias fuisse Schismatis causas, quas videlicet suprà memoravi. Audi Nicetam: (a) *Iniit itaque consilium Photius de mittendis Legatis ad antiquam Romam, & à Nicolao Papa Legatos petere, occasione videlicet, ut Ecclesiam corrigeret, nec non illos, qui hæresin Iconoclastarum tuerentur, à Christiano nomine omnino rescinderet.* Vides, quanti Photius auctoritatem Pontificis Romani faciat, quâ Ecclesiam Constantinopolitanam emendari, & hæreticos exscindi posse sperat, Imperatori & Patriarchæ invictos. Nec dubium, si Nicolaus & Hadrianus Pontifices Photij votis annuissent, & huic Infulas permitterent Ignatio raptas, aut impunè saltem grassari permitterent, nunquam illum de Schismate cogitaturum. At verò ubi vindicem illum, minacémque viderunt, quid aliud supererat, quàm aut ut cederent monenti, aut exarmarent feriturum? illud fastus & ambitio prohibebat, hoc ergo

(a) Nicet. Ign. & Nicol. PP. in encycl. ad omnes Patres & Episc.

elegerunt, impugnatâ potestate, à qua vapulabant. Idémque omnibus perduellibus modus & genius fuit, ut videlicet in caput & Principes Reipublicæ arma primò & ante omnia converterent, & cum istis perpetuis odijs confligerent; quippe ijs salvis nusquam tuta defectio. Quid ergo mirum est, si hæretici, aliique istis similes, cùm perdere Ecclesiam, suásque cupiditates explere vellent, in caput Ecclesiæ arma & odia vertisse, à quo uno cupitis arcebantur? Eadem ergo in omni Schismate observes.

III. Quanta Henrico Angliæ Regi, dum pacato adhuc animo, sanóque esset, Pontificis reverentia? cujus etiam Jura edito Libro, impugnatóque Luthero, asseruit, raro in Regibus exemplo, & forsan unico. Ubi verò amare Bolenam cœpit, fastidire legitimos thoros, Reginam thalamo, Aulâque submovere, adulteram in amplexum recipere, idque, ne flagitij puderet, nuptiali, publicóque apparatu; nec interim movere Pontificem posset, ut adulterio, cujus exemplum totam Angliam incendebat, aut subscriberet, aut indulgeret; tunc enimverò declamare in Pontificem cœpit, ac Schisma moliri, eámque potestatem Tyrannidis incusare, quam suis amoribus, incestu ac adulterio pollutis videbat adversari. Si ergo diceret Pontifex: *Bolenam obtine, Uxorem ablega, incestu ac adulterio fruere, Angliam exemplo corrumpe, omnes leges, divinas, humanásque solve, útque libido fuerit, ama & jube.* Hæc inquam si Pontifex diceret amanti & Regi, nunquam se Anglia Schismate obligâsset. Illi ergo solùm Pontificem oderunt, qui nollent aliquem esse, quem vereri deberent, quíque obstaret illicita cupientibus. Quid latroni, homicidæ, adultero magis in votis, quàm nullum in Republica judicem esse, nullas leges? nullúmque scelerum vindicem? quantique emerent istos exscindi? Idem advertas in Lutheri, Calviniique Schismate. Lutherum vitæ monasticæ tædebat, displicebant jejunia, vigiliæ, parendi latendique necessitas, & alia, quæ expiandis criminibus Religio invexit, noctes præsertim cœlibes, castæque & expertes amorum; quid consilij, ut hæc licerent optata, & tamen vetita? Judex, vindéxque auferendus; is Papa fuit, hoc enim valente nunquam votis Lutherus potiretur, huic evertendo omnia omnibus concessa, persuasum populo, nil bonis operibus opus, divina præcepta ultra vires hominum esse, & ideò nec curanda,

randa, fide omnia contineri, implerique, jejunia, expiationes, & quidquid humanæ corruptæque naturæ durum, ad fabulas & superstitiones pertinere. Religiosis sublata vota. Clericis nuptiæ concessæ. Principibus sacra æquè ac profana. Quid posset facilius persuaderi, quàm ista naturæ blandientia? nam & promptissima navigatio secundo fluvio. Ut verò hæc omnia & tutò licerent, auferendus è medio Judex, & ideò omnibus inculcatum, Pontificis auctoritatem non legitimam, nec à Deo institutam esse, sed usurpatam, tyrannicam, & Antichristo propriam, & ideò nec curandam. Sic Schisma formatum. Nec ferè aliæ rationes Principes permoverunt, ut fidem Lutheri amplexarentur, non tam odio Pontificis, quàm amore libertatis, suarúmque cupiditatum, à quibus initium, & ab istis ad persequendos Pontifices progressus fuit, nec priùs persequi desinent, quàm absistant illicitis; quemadmodum non priùs latroni, ut Judicem amet, persuaseris, quàm aut Judex ad latrocinia conniveat, aut ipse latrocinijs abstineat; Quantumcúnque ergo Pontificiæ dignitati abstrahas, nunquam eam Protestantibus conciliaveris, nisi unà efficias, ut istis aut omnia liceant, quæ eorum cupiditates permulcent, aut omnia permittantur, Pontifice videlicet aut muto, aut complice.

IV. Sic Suecia defecit. Cùm enim Gustavus Eriksonius Patriam à Danis oppressam longo bellorum & victoriarum cursu liberâsset, ac ærarium tot belli sumptibus, debitisque exhaustum esset, eique replendo media quærerentur, persuasum ei à Secretario suo est, & quodam Olao Petri hæresi Lutheranâ jam tinctis, ut fidem Lutheranam amplexaretur, eam enim ad moderni seculi genium esse, ac plerisque Principum placere, & ex illius præscripto omnia Ecclesiasticorum bona & facultates, quorum tanta copia esset, in Regium Fiscum reditura. Quid posset gratius cani Principi egeno, cupidóque? Ergo Lutheri dogmata recepta, (a) Ecclesiæ, Monasteria, Canonicatus spoliati, opésque Regiæ, tot rivis in unum alveum ductis, supra modum auctæ, aliquâ eorum parte in nobiles Familias sparsâ, ut istos novæ Religioni adstringeret dulcedo prædæ, Idem Daniæ casus. Christiernum II. Daniæ &

(a) Florimundus Raymundus lib. 4. cap. 14. anno 1527. Maimbourg Lutheran. lib. 1. fol. 123.

Sueciæ Regem Subditi Regno expulerant, ob crudelitatem, perfidiámque exosum, ejus Patruo, Friderico Holsatiæ Duce, in thronum evecto. Reliquit Christiernus filium Carolo Imperatori ex Sorore, quam Christiernus duxerat, nepotem; hoc paternum Regnum repetente, armísque ac fortunâ Caroli subnixo, Fridericus societatem cum Protestantibus inijt, eorúmque Præconibus accessum in Daniam præbuit. Friderico morte sublato, hujus filius Protestantium operâ Patri suffectus est, quem Christiernum III. appellârunt. Hic ut causam suam contra Comitem Palatinum ex Domo Bavarica muniret (is enim Dorotheam Christierni II. filiam duxerat, legitimam Daniæ hæredem) Lutheranis Principibus se fœdere adstrinxit, eorúmque Religionem totâ Daniâ induxit, urgente præsertim Luthero, & Optimates monente, ut opes à majoribus in Templa & Monasteria profusas occuparent, Episcopos verò, ut sibi suísque Clericis sociasuxores pararent. Et litteris exempla adjecit (a) submisso Iohanne Machabæo, qui Monasterio profugus sacram virginem abduxerat, meruerátque Apostolatu fungi tam præclaro facinore. Sigismundus Augustus, cùm Moscovitico & Tartarico bello premeretur, Lutheri hæresin in Polonia gliscentem exscindere omisit, ne videlicet domi forísque bellum haberet, & cum illo Stirps Jagellonica (b) extincta est, neglectæ Religionis pœnâ. Elisabetha Angliæ Regina, Bolenæ & Henrici filia, cùm se natam videret ex nuptijs à Pontifice damnatis, spargeréntque, qui Catholicos oderant, eam ut notham declaratum, abdicatúmque iri, transtato in Mariam Angliæ Regno; nihil habuit antiquius, quàm ut metu perdendi Imperij Pontificem (c) & Religionem ejuraret, quamvis ei retinendæ se juramento adstrinxisset. Galliam quod attinet, certum est, non odio in Pontificem Romanum Calvino adhæsisse, sed Principum æmulatione ambitúque, & quâvis ratione suas partes augere properantium. Margaritha Valesia, Francisci Primi Galliarum Regis Soror, Henrico Alibrettano nupta, cujus Patrem Julius II. Navarræ Regno privaverat, Ferdinando Arragoniæ Rege suffecto, Pontifici ob injuriam, ùt credebat, infesta Lutheri

(a) Florim. Raym. lib. 4. cap. 13. Spond. anno. 1533. (b) Idem lib. 4. cap. 7. (c) Idem lib. 6. cap. 10. anno 1558.

Lutheri Socios in Aulam, in Regnum, in Cathedras accepit, parúmque abfuit, ut Regem corrumperet, evocato Parisios Philippo Melanchtone, sed iterum morari jussо, operâ Archiepiscopi Lugdunensis. Montmorancios & Collinios fratres, Condæúmque Principem (quorum ductu hæresis Calvini Galliam implevit, vastavitque, præpotens facta; cùm Francisco Primo, & Henrico Secundo (a) Imperantibus humi serperet) Hugonottis adhæsisse odio Guisiæ Ducum, qui favore apud Regem florebant, & Regno moderabantur, multorum etiam è Gallis opinio est. Francisco II. apostemate extincto Catharina Medicea, dum Carolus Rex adolescceret, gubernandæ Galliæ successit. Ea servandæ potentiæ anxia, hinc Guisios Duces, hinc Navarræ Regem, Condæúmque Principem metuebat; istorum ergo vires æquare statuit, minori potentiâ futuros, si pares æmulique. Navarræ Regem Galliæ Vicarium constituit, Collinios fratres in gratiam & intima consilia admittit, Condæum Principem Amboisianæ conjurationis reum, & carceribus, ubi mortem expectabat, traditum, libertati restituit, sicque dum istos omnes Guisiorum potentiæ opponit, arbitra interim omnium sedens, morientem hæresin restituit, tot illis Principibus nixam. Imò cùm Navarræ Rex armatus, minásque instaret, & sibi, primo videlicet Regij Sanguinis Principi, deberi habenas diceret: nec satis à Guisio opis, quem nimiùm quàm vellet depressserat, potestatem cum Navarræo partita est, fœdus cum Collinijs initum, libertas prædicandi Calviniſtis data, & quod hactenus à morte Clodovæi nunquam contigerat, Galliæ Regiam minax triumphánsque hæresis invecta est, (b) cœpítque dominari; tanti unius feminæ imperandi avidæ ambitio stetit; imò & Scotiam perdidit, nunquam enim adduci potuit, ut Mariæ Stuartæ cum hæreticis conflictanti auxilia submitteret, unde mors Regniæ ac Religionis secuta. Et quamvis ab Henrico III. Legati in Angliam missi, qui libertatem Stuartæ in speciem urgerent, néve ejus sanguine secures imbuerentur; occultè tamen, Regióque Chirographo additi Elisabethæ animi in Stuartæ perniciem. Causa fuit, quòd vererentur, ne, si ista florente adhuc ætate Elisabethæ superviveret, præter eximias formæ, animíque

(a) Anno 1559. & 1560. (b) V. Maimbourg Calvin. lib. 2. & 3.

que dotes, quibus animos rapiebat, junctis insuper Angliæ, Scotiæ, Hiberniæque viribus, auctâque in immensum Guisiorum potentiâ, (a) quorum ea neptis erat, Galliæ coronam occuparent; quod ne fieret, Reginæ innocentis sanguine, ac Religionis jactura fortunæ ac ambitioni litatum. Hactenus à nobis hæc observata sunt, ut intelligas, veras Schismatis & defectionis causas partim fuisse dulcedinem novorum dogmatum, omnia voluptati concedentium, quæque tantò faciliùs credebantur, quòd & placerent, & honesti colore pingerentur; partim verò animi passiones, rationem secum more torrentis rapientium; jram videlicet, vindictam, odium, cupiditatem, metum, & si qui alij turbines animorum. Nemini verò potestas Pontificum Romanorum causa discedendi, labendique fuit, quòd eam divinis scripturis, veræque fidei adversari putarent, nisi parato jam, peractóque Schismate; tunc enim, cùm huic purgando omnes rationes quærerentur, contectis veris causis, mirum haud fuit, etiam Pontifices occurrisse, aut innato omnibus malis in Judices odio, aut quòd viderent, gratas esse populis in maximos querelas, aut denique quòd nunquam se tutos crederent, valente Pontifice. Exarmari ergo debuit, ne feriret.

V. II. Si ex sententia Maimburgi ideò Pontificia potestas minuenda est, quia hæretici illam aversantur, & hoc ipsum Propositiones Parisienses spectârunt, annon videt, eâdem ratione Regiæ potestati bellum indici? hanc enim non minùs hæretici, quam Pontificiam oderunt, & ideò nunquam ferè Regnum aliquod hæresis intravit, ut non eodem tempore & Ecclesias, & Thronos concuteret: suntque notissima Belgij, Bohemiæ, Daniæ, Germaniæ, Galliæ, Hungariæque exempla, & hoc ipso tempore, quo scribimus. Quis nescit, quoties in vitam Leopoldi Augusti, veneno, insidijs, apertóque bello, ac Turcis in Austriam evocatis conspiratum ab hæreticis sit, ductore Tekelio Comite? In ipsa Gallia quater plenâ acie pugnatum, tercenties minoribus sed cruentis prælijs, urbes captæ, vastatæque, templa eversa, Regum sepulchra cineresque effossi, species aliqua Reipublicæ in ipso sinu Monarchiæ educta, omnia ferro igníque fœdata, ipsa Principis majestas insidijs petita,

(a) V. Maimbourg Calvin. lib. 3.

petita, decémque Gallorum myriades indictâ causâ, & nullius culpæ comperti per tormenta consumpti, & denique nihil non actum, ut Ecclesiâ, Regnóque dejectis hæresis triumpharet. Hæ ferè sunt artes, quibus novum Evangelium ferro flammâque scriptum, ac Sanguine maceratum induci Provincijs videmus, Imperijs plerúmque aut concussis, aut collapsis. Parùm ergo Maimburgus fecit, cùm Pontificiam potestatem circumscripsit, hæresi placandæ; addere debuit & Regiam, quam non minùs odio prosequuntur, & Sacramenta Eucharistiæ ac Pœnitentiæ, jejunia, Cœlibatum, Concilia, ac omnia Ecclesiæ præcepta, quæ multò magis, quàm Pontificem aversantur, imò propter illa Pontifices oderunt: fac enim omnia hæreticis concedi, pax continuò cum Romanis erit, ac dissidia cessabunt, perinde ac Phreneticus remedia, non medicos horret, & cum istis conveniet, si illa sustuleris. Malè ergo Maimburgus medicum amoliri, non remedia voluit.

III. Sed nec alijs argumentis opus, cùm experientia & exempla idipsum testentur; dicant enim si possunt, quot ad veram Religionem nuperæ propositiones hæreticos permoverint? an aliqui eorum ideò Catholicam fidem receperint, quia Pontificis auctoritas Parisijs laboravit? (a) imò si verum fateri volumus, plurimùm illis insolentia & animus crevit, aut quòd gauderent, intestinis nostrorum bellis, crederéntque, solutam esse eam Spiritûs & fidei unitatem, quâ tantopere gloriamur, aut quòd Calvini argumentis Gallos persuasos putarent, ad eas propositiones vulgandas, præsertim cùm viderent, non alijs rationibus eas muniri, quàm toties à se propositis, sicque victos Catholicos, victores se crederent, aut denique quòd scirent, illas à turbatis, iratísque animis prodijsse, præsertim Tholosani, & Parisiensis Archiepiscoporum, sicque non tam veritati, quàm æstui ac vindictæ adscriberent, quæ fidem & gratiam non merentur.

IV. Accedit denique perpetuus Ecclesiæ usus, quæ semper in materia fidei ab hujusmodi transactionibus cum hæreticis abhorruit, quæque nunquam prosperè ceciderunt, nec alium fructum habuêre, quàm ut Catholici turbarentur, nec hæretici crederent.

VI.

(a) V. Reg. Sacerd. fol. 88.

VI. *Anno* CCCXXV. Damnata in Synodo Nicena Arrij blasphemia, cùm Patres laborarent, quo maximè nomine Filij divinitatem exprimerent, nam quæ illi Arriani tribuebant, videlicet *Potentiæ, similitudinis, Imaginis, æterni*, æquè creaturis aptabantur; occurrit vox *homousij*, seu *Consubstantialis*, quam ex ipsis litteris Eusebij Nicomediensis hausere, is enim tanquam absurdum inferebat, videlicet: (a) *Sequi filium Dei esse Patri consubstantialem, si semel admittatur, esse Increatum.* Intremuit ad has voces hæresis Arriana, quibus se proditam videbat, nullo ampliùs latebris loco; sed communi à Patribus plausu accepta est. Nihil non actum ab Arrianis, ut eam expungerent, jurabant, se Catholicos, submittebant se Decretis Nicenis, Filio Dei divinitatem asserebant, nec æquum esse, ut Orbis & Ecclesiæ scinderentur unius voculæ gratiâ. Audi Hieronymum: apud quem ità Arriani: (b) *De usiæ nomine abijciendo verisimilis ratio præbebatur, quia in Scripturis non invenitur, & multos simpliciores novitate suâ scandalizat, & ideò placuit auferri: nec erat curæ Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto.* Et ideò contra hanc unam vocem, velut arcem veræ Religionis totis viribus in Concilijs, Hierosolymitano, Antiocheno, Sirmiensi ac Ariminensi ab Arrianis pugnatum est: nunquam tamen persuaderi Catholicis potuit, ut in publicis fidei Confessionibus hâc voce absisterent, quamvis eam pomum discordiarum Arriani appellarent, eáque sublatâ pacem promitterent. Nec alia de causa Liberius Pontifex, Patrésque Concilij Ariminensis in Ecclesia pulsati sunt, adeò ut Hieronymus diceret: (c) *Conclamatam fidem Concilij Niceni, Orbémque se Arrianum miratum esse*; quàm quòd voce Consubstantialis abstinerent, concordiæ studio. Sed quid hâc indulgentiâ Concilij Ariminensis (d) profectum est? nisi ut ipsos Patres posteà puderet, & ignaviæ ab Ecclesia, Romanóque Pontifice damnarentur, ipsi verò Arriani in pejus laberentur; nam cùm vocem *Consubstantialis* abjecissent, *substantiæ* retinuêre, tum hujus pertæsi, (e) *per omnia similis*, posteà *similis* tantùm, & tandem *Dissimilem* reddiderunt: tanti fuit hæreticis detulisse.

VII. *Anno* CCCCLXXXII. Zeno Imperator edictum vulgavit, quod Henoticum appellatum est, spe, obtentúque, Eutychianos hære-

(a) Ambros. de fid. ad Grat. lib. 3. cap. ult. (b) Hieron. adu. Lucifer. (c) Hieron. ibid. (n) Concil. Arim. anno 359. (e) V. Baron. ad ann. 359. n. 38.

hæreticos Catholicis conciliandi. Ejus hæc origo. Eutyches Monachus Neſtorium, duas in Chriſto naturas aſſerentem, dum ardentiùs perſequitur, eò provectus eſt, ut nec duas quidem naturas & operationes admitteret, ſed unam tantùm. Damnatus eſt in Concilio Chalcedonenſi, ſed non ideò error extinctus, quin in multos magnóſque ſerperet, Epiſcopos præſertim, quibus ut major doctrina, ita major ambitio, & novi cupido, unde admiratio, plauſúſque ingenij. Inter illos Petrus Mogus, quem in Alexandrinam Sedem, quâ nuper ſceleribus exciderat, Zeno Imperator evexerat, Acacio nitente, & Joanni Talaidæ infenſo, quem Alexandrini elegerant; huic crimini datum, quòd Infulas reçepiſſet, voto ejuratas. Sed veritas erat offenſio Patriarchæ, quem electio Talaidæ latuerat, litteris caſu amiſſis; ſed quod caſus fuerat, contemptum arbitrabatur. Mogus Eutychianam hæreſin imbiberat, eandémque Zenoni inſtillaverat, occultè tamen ac velo tectam, ne palàm micaret. Perſuadet Zenoni, ut Eccleſiâ diſcordijs flagrante viam aliquam meditetur, componendæ pacis, animóſque ſociandi, non quòd pacem curaret, ſed ut, quod pugnâ bellóque non poterat, deditione lucraretur, quam ſi Catholici haud inirent, quod futurum prævidebat, novæ cauſæ ſuppeterent, eos perſequendi. Euenitque ex voto. Zeno edictum vulgat, additque cauſas dictu pulcherrimas, ſed re inanes. Nicenum, Conſtantinopolitanum, ac Epheſinum Concilia recipi jubet, Chalcedonenſe præterit, abolétque ſilentio. *Afferuntur*, inquiens, *nobis libelli ſupplices, à pijs Monaſteriorum Præfectis, eremitis, & alijs Reverendiſſimis Viris, qui nos vehementer obteſtantur, ut ſanctiſſimis Eccleſijs reſtituatur concordia, membráque membris conjungantur. Nam quia membra Eccleſiæ non coaleſcebant, factum eſt, ut infinitæ hominum multitudines partim Baptiſmatis lavacro carentes mortem obierint, partim divinæ Communionis minimè participes ex corporis communione emigrárint, quin etiam cædes infinita indè facta. Quotuſquiſque igitur eſt, qui non optárit, iſta corrigi, ínque meliorem ſtatum reduci, &c.* Vides, quàm ſpecioſæ rationes huic edicto prætexantur, ſed quo eventu? tantùm abfuit, hæreticos leniri, pacémque componi, utilli quidem optatis potirentur, & victoriâ inſolentes, obtentúque rejectæ pacis, tantò acerbiùs Catholicis inſultarent, nec ideò tamen Henotico placarentur. Cùm enim ab Henotico Concilium Chalcedonenſe non

satis clarè damnaretur, à Patriarcha Alexandrino Petro Mogo deficiunt, unde illis Acephalorum nomen. Ergo nec hæreticis edicto, nec Catholicis satisfactum, auctis potiùs, quàm sopitis turbis, qui plerúmque exitus solet esse istarum transactionum, ut bene illic notat Baronius. (a) Et ideò Felix Papa in epistola ad Zenonem scripta, Henoticum perstringens: *Non est hoc*, inquit, *acerrimum decrevisse periculum, quando nec saucijs firma adhibetur curatio, & sanis ingeritur miseranda contagio. Quid est illud dicere, jam causam nullam superesse certaminis, nisi hæreticis tribuatur victoria?*

VIII. *Anno DCXXXIII.* Cyrus Patriarcha Alexandrinus Eutychianâ hæresi tinctus, quam tamen studiosè premebat, utpote toties damnatam; Synodum Alexandriæ (b) cogit, effecitque, ut Episcopi conciliandæ inter Eutychianos & Catholicos paci mediam viam inirent, assertis quidem contra Eutychen duabus in Christo naturis, sed ut aliquid ei concederent, redderéntq; in Catholicos proniorem, duabus voluntatibus & operationibus suppressis, pro quibus dicendum esse statuerunt, *unam Theandricam*, seu *Dei virilem voluntatem & operationem.* Causa prætexebatur, quòd ex una parte & re ipsa duæ voluntates & naturæ contra Eutychen docerentur; sicut enim, qui diceret, *vas aureo argenteum*, duo metalla innueret, unum auri, aliud argenti; & cùm dicimus, *globum terraqueum*, significamus, globum ex duobus elementis compactum, terræ videlicet & aquæ; ità qui diceret, voluntatem *Dei virilem*, duas voluntates & naturas exprimeret, divinam videlicet & humanam. Ex altera verò parte hac moderatione, & unius vocis compendio omnes hæreses & bella componi, nam & Apollinaristas, qui loco animæ vel intellectûs verbum in Christo ponunt, & Nestorianos, qui non aliam unionem agnoscunt, quàm secundùm affectum & voluntatem, Eutychianos, qui unam Christi naturam in eo convenire, ut unam voluntatem admittant; istos omnes Catholicis fœderari, duabus voluntatibus non quidem negatis, sed suppressis silentio. Audi verba ipsius Decreti Alexandrini: *Domino Christo vero Deo nostro omnibus præfulgenti, omnésque ad Saluberrimam & veram ejus fidem dirigenti, & in unam Sanctam, eandémque Ecclesiam Catholicam convocanti præsentem satisfactionem facimus pro unitate Sanctarum Dei*

(a) Baron. ad ann. 482. n. 43. (b) Sexta Synod. act. 13.

Dei Ecclesiarum. Et Sergij in epistola ad Honorium: (a) *Multoties Sancti Patres nostri, ut lucrarentur plurimarum animarum salutem, dum aliæ emergerent capitula, Deo placitis dispensationibus usi fuisse videntur, nihil de subtilitate Ecclesiæ dogmatum exagitantes, & dicentes, quòd oporteat utique etiam in præsenti, dum tantorum millium populorum salus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari. Quomodo enim non esset durum & valde onerosum, resolvere & evertere omnem illam futuram concordiam, atq; unitatem, quæ bene effecta fuerat tam apud Alexandrinam Magnam Civitatem, quàm per universas sub ea Provincias?* Hîc vides, idem prorsùs à Sergio & Monothelitis, quod jam à Maimburgo, jactari, nomen videlicet & obtentum pacis, ac spem hæreticos molliendi. Sed vana hæc erant, ludebántque incautos. Re ipsa id Sergius agebat, ut partes suas augeret, tot alijs hæreticis sibi adjunctis, ut Catholicos deciperet inani specie captos, eorúmque auctoritate suam causam muniret, ut tutiùs lateret simulatâ concordiâ, & larvâ pietatis tectus, utque Eutychianismum stabiliret specie oppugnantis, deceptisque, qui obstare poterant; admissâ enim unâ solùm in Christo voluntate sequebatur, ut una esset natura; quid enim natura humana ageret, si operari humano modo, si velle & nolle non posset? perinde ac si rotam in mola ponas, quæ volvi non possit, aut lampadem è tholo suspendas, quæ ardere nequeat. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus continuò huic doctrinæ adversatus est, seu fraudem, seu periculum veritus, deditque ad Sergium epistolas, (b) quibus ut absisteret monebat, adeò tamen suspectum hæresis non habuit, ut etiam ejus preces expeteret, multísque commendaret. Honorius verò Papa adeò captus est tot illecebris ac pompâ pietatis, præsertim quòd Leonis M. & Concilij Chalcedonensis fidem profiteretur, conceptísque verbis duas naturas, duásque operationes assereret, sed tantùm taceri hoc vellet concordiæ studio, & ne aliqui crederent, duas in Christo voluntates fuisse, contrarias sibi, discordésque, quales in nobis experimur, & Paulus deplorat; ut ad Sergium (c) velut ad Catholicum Episcopum, piúmque rescriberet, ejúsque sententiam de tacendis·

(a) Serg. ad Honor. in 6. Syn. act. 12. V. Baron. & Spond. ad ann. 633. (b) Epist Sophr. ad Serg. encycl. in act. 6. Syn. act. 12. anno 633. (c) Epist. Honorij ad Serg. in 6. Syn. act. 12.

cendis duabus operationibus probaret, quæ res Honorium hæresis suspectum reddidit, falsò id quidem (ut ex ejus (a) epistolis ad Sergium datis clarissimè constat, & ex Dialogo S. Maximi (b) contra Pyrrhum Monothelitam, ubi duas voluntates, duasque naturas agnoscit) sed tamen ex Sergij voto, Honorij auctoritate ad firmandam hæresin abutentis, nec aliud Monothelitæ optabant, fallacissimo pacis obtentu; ipsúmque Heraclium Imperatorem lucrati sunt, à quo etiam *ecthesis* illa prodijt, tot votis & Concilijs damnata, ipsique Sergio fatalis, eodem quippe anno vitâ excessit, quo illa prodijt. Hic ergo fructus compositionis fuit, falli, scindíque Catholicos, tegi verò hæreticos, reddíque fortiores. Idémque ab hæreticis quæsitum Constantis Imperatoris edicto, quod Typum appellârunt. Paulus enim Patriarcha Constantinopolitanus, & hæresi corruptus, cùm istam ubique, præsertim in Ecclesia Occidentali proscriptam videret, Constanti Imperatori persuadet, ut duas voluntates, aut unam dici edicto prohibeat, ac silentium partibus imponat: & pax edicto prætenta; vera enim causa, ut notat S. Maximus Martyr (c) in Disputatione cum Pyrrho, fuit; *ut quoquo modo vel silentio saltem damnari videretur de duabus voluntatibus expressa sententia.* Et ideò Martinus Papa, cùm in Synodo Lateranensi eum Typum damnâsset, egregiè illius causas refutavit; verba Synodi sunt: Sancta Synodus dixit: (d) *Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur, dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est námque procul dubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes, pro causa fidei, sed non est utile & bonum, cum malo destruere bonum, id est cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata, quoniam hoc potius exurit, non mitigat.*

IX. *Anno MDXXXXIV.* Maximè enituit, quàm sint inutiles hujusmodi cum hæreticis transactiones, & neutri parti satisfaciant. Decreverat Carolus Imperator Francisco Galliæ Regi totis viribus bellum inferre, frustrà Paulo Pontifice pacem suadente.

(a) Epist. Hon. ad Serg act. 12. & 13. in 6. Syn. (b) S. Maximus disput. adu. Pyrrhum. apud Baron. tomo. 8. annal. ad ann. 645. V. Reg. Sacerd. fol. 547. (c) S. Max. in disput. cum Pyrrho Monoth. anno 645. (d) Concil. Lateran. sub Mart. PP. Secret, 4. anno 649.

dente. Eum in finem quâvis ratione Principes Germaniæ adjungere sibi statuit. Comitia Spiræ indicta, quò Septemviri omnes, & Ferdinandus Frater convenêre. Protestantibus tantò major audacia, petendíque licentia, quòd Cæsarem auxilij egentem, cupidúmque viderent. Ergo edictum Augustanum Protestantibus infestum suspendi impetrant. Secuta alia constitutio, quâ pacis, animósque omnium componendi gratiâ, dum Concilium Oecumenicum conveniret, multa *interim* statuebantur; ejus inter alia capita hæc etiam erant: (a) *Concilium Oecumenicum Christianum ac liberum in Germania conveniret, aut saltem Nationale. Quòd si hæc haberi non possent, Conventus proximo autumno aut vere haberetur, in quo viri docti de Cæsaris auctoritate usq; ad proximum Concilium decernerent, quid observari, quid omitti oporteret, nullâ Pontificis mentione, interim supersederetur quæstionibus de bonis Ecclesiæ direptis, Protestantes essent idonei, ut Judicijs Cæsareæ Cameræ assiderent, unde prius arcebantur; Catholici vetera vectigalia Ecclesijs solverent, etiam quas hæretici occupabant; tam ex hæreticis, quàm Catholicis ludimagistri eligerentur & Concionatores, quibus stipendia vel ex Ecclesijs, vel ex pijs largitionibus fidelium præberentur; usus quóque Calicis, & Sacerdotum, qui ad Lutherum defecerant, Matrimonia permittebantur. In reliquis ferè omnibus, quæ dogmata spectant, jubebantur Lutherani Catholicis assentiri.* Hæc ferè capita illius edicti, quibus, ut vides, aliqua Catholicis, aliqua hæreticis tribuebantur, imò hæreticis omnia, nam Catholicis pleraque demebantur, nullo additamento. Præcipui Protestantium edictum respuêre, videlicet Bucerus, Musculus, Osiander, Brentius, Fridericus Saxoniæ Dux, & ipse Calvinus. Sed Catholici multò maximè, adeò ut alij Carolum Zenoni, Heraclio & Constanti compararent, alij palàm ex eo quærerent: *An ergo ad Lutherum defeciſſet?* & Paulus Pontifex, quamvis ætate jam præcipiti, multísque vinculis ob Farnesiam familiam Carolo adstrictus, nec ejus potentiam veritus tot victorijs florentem, gravissimis ad Eum litteris abrogari hoc edictum aut corrigi jussit: planè Catholicam Religionem vehementer afflixit, Lutheranis ab eo tempore multò potentioribus, & hæresi palàm exultante, ac passim victrice, tantúmque abfuit, hâc Transactione eam leniri, ac intra certos

(a) V. Palav. hist. Conc. Trident. lib. 5. cap. 5. à n. 2. & cap. 6. & 7. & Breve Pauli III. anno 1544.

terminos contineri, ac Concilio, quod promiserant, submitti, ut potiùs insolescerent, & nunquam magis Concilio adversarentur. Cognovitque ipse Carolus errorem, quando à Spirensi Decreto paulatim recessit, maximo Protestantium dolore, parique indignatione, qui ferre non possent Cæsarem Pontifici obsequentem.

Maimburgus historiæ, quam de Lutheranismo scribit, hanc quóque de Constitutione Caroli Imperatoris narrationem intexit, eámque eo præsertim nomine excusat: (a) *Quòd illâ nihil contra Catholicam fidem statutum fuerit, sed duo tantùm in Protestantibus tolerata, usus videlicet Calicis, & Matrimonia Sacerdotum, qui defecerant. Cur verò tolerari non potuerint duo, quando ob temporum injurias tolerari tota hæresis debuit? num ergo majoris culpæ fuit, aliqua ferre, quàm omnia?* Hæc qui in Maimburgo legat, ipsam verò rerum historiam ignoret, verissima esse credat, & quibus opponi nihil possit. Cæterùm id Maimburgum deficit, quod toties profitetur, bona vid: fides, & veritatis accurata enarratio. Nunquam Paulus Pontifex, quòd aliqua permitteret, toleraret aut conniveret, Carolum incusavit; quis enim nescit, tolerari flagitia posse, cùm curari non possunt, aut pejora timentur? sed quòd Concilia, Conventúsque, in quibus de Religione ageretur, promitteret, nullâ Pontificis mentione, cujus tamen officij & potestatis est, ea indicere, illísque præsidere; quòd bona Ecclesiastica hæreticis permitteret, spoliatis Catholicis, idque Edicto sanciret; quis verò nescit, quantum in simili, imò eadem causâ Chrysostomus & Ambrosius cum Principibus, Theodosio & Arcadio conflixerint? quòd Scholis, sacrísque Concionibus hæreticos æquè deligi juberet, eósque stipendijs Ecclesiarum conduci, immenso Juventutis damno, nec ista Pontificis auctoritate, sed suâ sanciret. Et quamvis non perpetuum hoc Edictum, sed temporaneum & provisorium diceretur, úsque dum vid: *Liberum & Christianum Concilium ac Universale conveniret*; verba hæc tantùm erant, rebus cassa, quis enim tam obtusæ mentis esset, qui non prævideret, nunquam pro legitimo, libero, ac Universali Concilio à Protestantibus habitum iri, cui Pontifex præsedisset, & in quo ipsi non vota conferrent? perpetua ergo erit Contentio, non priùs finienda, quàm Concilium conveniret Protestantibus placitum, nunquam

(a) Maimbourg du Lutheran. *lib.* 5. fol. 204.

nunquam enim placiturum erat. Deinde quis posset spem aliquam concipere, bona, proventûsque Ecclesiasticos semel in manus hæreticorum collapsos, iterum ad Ecclesias ac legitimos Dominos redituros? ac Protestantes in Scholas, in Cathedras, in Tribunalia ac Dignitates receptos, illinc iterum, ùt primùm Cæsari ac Concilio placeret, excessuros? Idque eventus comprobavit. Celebrato enim, finitóque Concilio non ideò finita sunt, quæ Cæsar illis concesserat, aut quæ ipsi usurpaverant. Meritò igitur Spirense hoc edictum Paulus damnavit, rescindíque voluit. Nec obstant, quæ de temporum injuria ac necessitate dicebantur componendæ pacis. Pax enim, quod toties Pontifex rogaverat, cum Francisco potiùs Galliarum Rege, quàm cum hæreticis componenda erat, id enim & Religioni, & Imperio, ut posteà patuit, magis conducebat, cessaviſſetque necessitas, tam multa, & tam noxia indulgendi, pace cum Gallis confectâ. Sed dum æmulatio, & cupido gloriæ, ac spes vindicandi Cæsarem urgent, armántque in Gallos, cum Protestantibus fœdus successit, quod etiam Maimburgus observat, deplorátque in sua de Luthero historia *lib. 5.* rarò alioquin Carolo propitius, nisi cùm Pontifici obluctatur. Deinde ut bene Pontifex notavit in Diplomate ad Carolum; nullum prorsùs est tam malum consilium, quod non specioso aliquo pietatis aut utilitatis nomine vestiatur; nec verò tanta necessitas fuerat, ut oporteret, Carolum tam multa circa Religionem, tantíque periculi statuere, nec audito, nec rogato Pontifice, imò ejus Legato Wormatiæ dimisso, ne à Carolo destinata moraretur. Hæc sola Pontifex arguebat, ut ex illius litteris ad Carolum patet, & tamen hæc omnia Maimburgus præterit, producítque in medium, quasi à Pontifice reprehensa, quæ nunquam reprehendit, tolerantiam videlicet Calicis & Nuptiarum, omittit verò, quæ planè reprehensa sunt. Ergo cùm Edictum Cæsaris contra Pontificis sententiam excusat, perinde facit, ac si quis Advocatus Judici reum purgaret, tacitis veris ejus delictis, ijs verò dilutis, quæ nunquam fecit, & quæ nemo objecit. Quæ artificia, quantum à candore & veritate historica aliena sint, præsertim in causis tanti momenti, nemo non videt, abrogántque Maimburgo fidem, etiam vera dicenti, quippe fraudem semel deprehensam semper timemus.

X. *Anno MDCX.* Tentata est Concordia Nestorianos inter, Romanámque Ecclesiam. Ejus occasio hæc fuit. Venerant Romam, dum illic Sacrum tempus ageretur, duo ex Chaldæa Viri, hæresi Nestorianâ tincti. Excepti humaniter, donatique, & ex illorum numero fuêre, quibus Paulus V. Pontifex Max: pedes abluit, detersitque ac osculo libavit. Rapuit illos Majestatis Romanæ admiratio, tantâ præsertim charitate ac modestiâ mixtæ, reversique in Patriam Eliæ Babylonico Patriarchæ omnia, quæ Romæ viderant, acceperantque, narrant, immenso præconio. Exarsit is protinùs, flagravitque desiderio Societatis Romanæ, sed obstabat suorum in Nestorium amor, quem ut Sanctum colebant, sciebántque Romanis execrationi esse; modum ergo excogitat, quo & Nestorium, & ejus doctrinam retineret, & tamen Pontifici probaret. Quatuor ferè propositionibus totus Nestorij error continetur. Prima: *Beatissimam Virginem nec esse, nec dici debere DEI, sed tantùm Christi matrem.* Retineri hanc Propositionem volebant, eâ tamen interpretatione mollitam, ut dicerent; ideò à Chaldæis Nestorio addictis non vocari DEI genitricem, quia Deitas non generatur, quantumvis, cùm Christus etiam sit Deus, æquè in hoc sensu Deipara vocari possit. Secunda propositio hæc erat: *Duæ in Christo sunt Personæ.* Hanc sustineri posse dicebant, si duarum Personarum nomine duas naturas singulares intelligas, quas in Christo esse nemo ex Catholicis negat; quamvis etiam una Persona dici possit, propter unionem utriúsque naturæ; unio enim facit ex duobus unum. Tertia propositio: *In Christo est una voluntas.* Una, inquiunt, & duplex, quia utraque natura voluntate suâ & propriâ pollet, una, quia perfectè sibi consentiunt. Quarta Propositio: *Spiritus S. ex Patre, non ex Filio procedit;* intellige ex Filio tanquam ex alio Spiratore, aut ex alia spirandi virtute, est enim unus cum patre Spirator, & eadem spirandi virtus; in alio tamen sensu, ùt duæ sunt, distinctæque Personæ, ex Patre Filióque dici poterat procedere. Sic Babylonius Patriarcha conciliari posse credebat Chaldæos, Latinósque. ambiguâ vid. verborum formâ, & in utrúmque sensum contextâ; perinde ac si unitas & veritas fidei ex verborum specie, ludóque, non ex sensu penderet. Missus ad Pontificem Romanum Adam

quidam

quidam Orientis Archimandrita, & Ecclesiæ Babylonicæ Archi-Diaconus, qui si posset, ità Romanæ Ecclesiæ Babylonicam sociaret, ut tamen Nestorium retinere, ejúsque propositiones liceret, sanâ tamen interpretatione purgatas. Auditus est Romæ, ejúsque subtilitates expensæ, quibus conabatur mendacium veritati, Nestorium Christo fœderare. Sed responsum est illi: *Nunquam ejusmodi artificia Catholicæ Religioni bene vertisse: veritatem sine fuco & larva incedere, sui securam, nec pigmentis ac velis egere: hanc falsi indolem esse, ut videri pudeat, séque latebris involvat. Si rem ipsam tenerent, cur verba refugerent rebus exprimendis necessaria? errorem enim in verbis admissum ad res ipsas derivari; nam si aquilæ v. gr. nomen equi imponas, non deerit, qui inferat, aquilas hinnire, & quadrupedes esse; non ergo satis esse, ut in rebus fidei ac Religionis bene sentias, nisi etiam bene loquaris, quippe sermonem animi testem ac indicem esse, & velut ex sono metallum, ità animum fidémque verbis æstimari, fallique saltem audientes, nisi illa vero consentiant. Nihil quidem Pontifici supra pacem & concordiam esse, tamen bonis artibus quæsita, alioquin etiam turpem victoriam pudori esse, nec diuturnam fore, arenâ tantùm, plumísque subnixam, hoc est, verbis, non rebus constantem.* Hæc Archi-Diacono responsa, nec ille abnuit, ejuravitque Nestorium, non ideò tamen Patriarcha, Chaldæíque permoti, qui erroribus institêre: isque perpetuus ferè eventus fuit tentatæ cum hæreticis concordiæ.

Multa ex hactenus dictis colligere liceat; nunquam vid: hujusmodi in rebus fidei Transactiones bene Catholicis cessisse, nam & istos turbârunt, nec hæreticos vicêre: imò animus istis, & fastus ac insolentia crevit, séque victores, victos illos ferebant; nec alio fine inducijs illis utebantur, quàm ut interim suas partes augerent, tantóque liberiùs suis erroribus alios inficerent, quòd amici, non hostes haberentur, falleréntque incautos obtentu concordiæ, mentitæque pietatis, quæ semper fraudi miscebatur. Alij tempus & occasiones lucrabantur. Alij ùt aliquid obtinuerant, gradum ad alia proferebant, nec prius cessaturi, quàm fastigio potirentur, quod de Arrianis ostendimus. Alij denique privatas affectiones vindictæ, odijque communi prætextu Religionis & concordiæ celabant, utrámque prodituri, ut illas explerent. Verbo, nunquam feliciter & sine damno transactum cum hæreticis est, etiam cùm de vocibus tantùm certamen verte-

batur; quantò id magis timendum, quando non de vocibus, modóque loquendi, sed de gravissimis rebus cum Gallis conflictamur? *Pontifex Concilio subjaceat, Pontifex errare possit, & ideo nemo Pontifici parere teneatur, quamdiu ratio aliqua non obtemperandi occurret, occurret autem semper, & hoc pretio pax cum hæreticis fiat, imò tantùm speretur.* Quæso quid hoc est aliud, quàm Ordinem Ecclesiæ adimere, sine quo non Regna tantùm & exercitus, sed ne familia quidem, domúsque privata consistere potest? quàm Caput & Gubernatorem è medio tollere, & necessariam imperandi facultatem, trunco corpore, & in casum pendente? & quis tanto præsentique periculo incertam spem emat, hæreticos convertendi? Quanquam nemo non videt, prætextum hunc esse, speciem inanem fallendis, ludendísque simplicium oculis. Quis enim credat Archiepiscopos irâ, vindictâque in Romanum Pontificem calentes, huic bellum intulisse, Religionis potiùs & concordiæ studio, quàm animi sui & offensæ causâ? & cur illos hic ardor hæreticos convertendi, ac Vaticanum oppugnandi tunc primùm incendit, cùm ultionem meditabantur? Pace ergo illorum dixerim; quidquid in ijs Comitijs (a) agitabatur, non hæreticis, sed vindictæ datum; odium, non Religio fuit; sed hæc ostendi debuit, ut illud tutiùs & ex occulto feriret.

§ II.

Agitur de Prima Conventûs Parisiensis Propositione. *Ecclesiæ Gallicanæ consensus pro Pontificis indirecta potestate in Reges & Principes, eorúmque Bona & Dignitates temporales.*

SUMMARIA.

1. Ecclesiæ Gallicanæ authoritas Parisiensibus Propositionibus prætexta exemplo omnium ferè Hæreticorum, & quam ab causam?

2. An

(a) V. Reg. Sacerd. in prælud. § 2.

2. *Authoritas Pontificia in Reges exercita exemplis Galliam spectantibus probatur, & primò Gregor. II. in Leonem Isauricum.*

3. *Et Zachariæ in Childericum Regem.*

4. *Et Stephani Pontificis.*

5. *Et Hadriani in Desiderium Regem.*

6. *Ejusdem Hadriani in gratiam Caroli M.*

7. *Et Leonis III. Imperium Romanum in Carolum Imperatorem tranferentis.*

8. *Et S. Gregorij M.*

9. *Aliud ejusdem Gregorij exemplum.*

10. *Et Episcoporum Galliæ in Ludovicum I. Imperatorem.*

11. *Iterum Galliæ Episcoporum in Lotharium Imperatorem.*

12. *Et Nicolai Papæ.*

13. *Et Hadriani II. in Carolum Calvum.*

14. *Et Fulconis Archiepiscopi Rhemensis in Carolum Simplicem.*

15. *Et Concilij Lateranensis sub Alexandro III.*

16. *Et alterius Concilij Lateranensis sub Innocentio III.*

17. *Innocentij IV. in Fridericum Imperatorem.*

18. *Et Clementis V.*

19. *Et Concilij Constantiensis.*

20. *Et Concilij Viennensis.*

21. *Et Concilij Basileensis.*

22. *Et Concilij Tridentini.*

23. *Et Universitatis Sorbonicæ.*

24. *Et totius Cleri Gallicani.*

25. *Et Testimonijs celeberrimorum in Gallia Doctorum.*

26. *Multa in rem nostram contra Maimburgum ex dictis colliguntur.*

I.

PRopositiones nuper Parisijs editæ, ut tantò pluribus probarentur, auctoritate ac nomine Ecclesiæ Gallicanæ adornatæ sunt, cùm enim nec ratione, nec usu, nec antiquitate fulcirentur, quin potùs hæc omnia obsisterent, auctoritas quæsita est, & quod rei deerat, titulo compensatum. Sic falsis corruptísque nummis effigies & elogia Principum imponi videmus, ut fallant incautos, tegátque metalli vitium imaginis reverentia. Quem verò non caperet auctoritas Ecclesiæ Gallicanæ? & istam omnibus ferè paginis Maimburgus inculcat; nemo enim, qui illam Magistram habet, errare se credat, aut, si erret, excusari errorem posse, imò laudari tam grandi exemplo. Et hæc causa fuit, ut nemo hæreticorum Spiritui S. aliísque sanctis Doctoribus sua dogmata non imponeret, ut tantò dulciora essent eorum auctoritate ac exemplis condita. Ebion sanctum Petrum, Arriani Lucianum Martyrem, Origenem, ipsúmque Antonium Magnum, Pelagiani Augustinum, Zosimum, Clerúmque Romanum jactabant, alij alios. Et ultimis hisce temporibus quid non Lutherus & Calvinus egêre, ut suis opinionibus primitivam Ecclesiam favere ostenderent? Ergo nihil novi est, magnos Patronos magnis erroribus quæri, imò & præferri, quo populi saltem studia, animíque captantur, istis enim nec tempus, nec cura est, ut, quid finguli scripserint, explorent, sicque magno illo strepitu, umbrísque nominum ludi se nesciunt, fallique, & tamen falluntur. Idem Maimburgo consilium fuit, cùm toties Propositiones Conventûs Parisiensis pro doctrina Ecclesiæ Gallicanæ jactavit, pulcherrimo quidem, sed falsissimo elogio, nihil enim ab Ecclesiæ Gallicanæ sensu, doctrináque alienum magis dici aut scribi potuit; toties enim Ecclesia Gallicana, & in publicis Conventibus, doctrinâ, exemplóque contrarium professa est, ut mirari subeat, quinam sint illi Galli, qui tantum à Gallis absunt, aut quænam sit illa Ecclesia Gallicana, quæ Ecclesiæ Gallicanæ tantopere ac palàm adversatur, quod jamjam longâ inductione, pérque omnes

omnes Ordines Ecclesiæ Gallicanæ dicere aggredimur, lectoris arbitrio relicturi, utra Ecclesiæ Gallicanæ sententia dici debeat, nostra, quæ tot seculis & ab omnibus Galliæ ordinibus recepta est, & tot publicis actibus expressa, an Maimburgi, quæ nuper, & à paucis, ijsque aut metu, aut spe, aut irâ corruptis, Parisijs prodijt.

II. *Anno* DCCXXXI. Cùm Leo Isaurus sacras Imagines totâ Græciâ persequeretur, eósque, qui amplecti hæresin nollent, exilijs, proscriptionibus, tormentis vexaret, ipsius Deiparæ Virginis, omniúmque Sanctorum icones in Urbe Regia uno fasce incendisset, ipsámque Italiam invaderet, Sicarijs in Pontificem missis, feralique edicto, quo Imagines tollebantur, Romæ proponi jusso, Gregorius II. Pontifex Maximus, cùm nec à Græcis, nec à Longobardis, Venetisque auxilium speraret afflictæ Religioni, fœdus cum Carolo Martello, Gallísque adversùs Græcorum Imperatorem sancit, Consulatum Carolo Principi offert, eúmque missis, acceptísque Legatis, ac juncto fœdere in Italiam vocat, venissétque, nisi mors occupâsset. Erat verò Consulis dignitas supremæ proxima (saltem si Patritiatum excipias) quod Ovidius illis versibus indicat: (a)

Qui quamquam est ingens, & nullum Martia summo
Altius Imperium Consule Roma videt.

Solúsque Imperator Consulem designabat, ut disertè notat Flavius Vopiscus in Aureliano. Consulis jura, lapsâ jam, extinctâque Republicâ hæc erant: Senatum rogare, jus dicere, tutores dare, manumittère, vectigalia locare, Ludos & præsertim Circenses edere, annis nomen dare (quod Justinianus abolitum voluit, (b) & annos ab Imperatoribus dici) togâ pictâ seu palmatâ uti, quæ olim triumphantium propria tantùm, purpurâ, auróque intexta, & quam etiam Trabeam appellabant. Justinianus (c) voluit lege editâ, Imperatores jugi Consulatu fungi. Oblatum ergo à Gregorio Consulatum Romanum Martellus acceptavit, præmisitque Abbatem Corbejensem, qui fœdus cum Romanis iniret, spondérétque auxilium, ipse secuturus, nisi mors obstitisset. Gregorius

(a) Ovid. de Pont. lib. 4. eleg. 9. (b) Lipsius de Magistr. Pop. Rom. cap. 8. (c) Justinian. Nov. 105.

nihil interea omittere, ut Leonem molliret, rogare, minari, Italiæ populos, ne à Græco deficerent, quod jam parabant, cohibere, Legatis agere, & totos quinque annos flectendo Cæsari impendere; quæ omnia cùm frustrà essent, Leone implacabili, & in dies pejori, Gregorius coactâ Romæ Synodo, (a) ut Zonaras testatur, anathemate Leonem ferit, prohibétque vestigalia persolvi, quibus in Italiæ & Ecclesiæ perniciem utebatur. Hæc in Leonem Gregorius, quæ ut fiant clariora, Auctorum testimonia adscribam.

Fredegarius, qui jussu fratris Caroli Martelli scripsit, & historiam Gregorij Turonensis prosecutus est: (b) *Eo tempore*, inquit, *B. Papa Gregorius bis à Roma claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis & infinitis, Legatione memorato Principi destinavit, ea pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Consulatum præfato Principi sanciret. Ipse itáque Princeps mirifico & magnifico honore ipsam Legationem recepit, munera magnifica obtulit, átque cum magnis præmijs cum suis sodalibus missis Grimonem Abbatem Corbejensis Monasterij, & Sigebertum Reclusum S. Dionysij Romam ad Limina SS. Petri & Pauli destinavit.*

Theophanes: (c) *Comperto Leonis Imperat. propositoGregorius Papa Romanus, scriptâ priùs ad ipsum decretali epistolâ, quâ de fide quidquam statuere, & antiqua Ecclesiæ sancita à sanctis Patribus firmata innovare, aut convellere, non decere Imperatorem commonet, Italiæ tandem ac Romæ tributa deferri ad illum prohibet.*

Et ad annum Leonis 13. *In Seniori verò Roma Gregorius Vir Apostolicus, & Petri verticis Apostolorum Confessor verbo & actu coruscans, qui removit Romam & Italiam, nec non & omnia tam Reipubl. quàm Ecclesiæ jura in Hesperijs ab obedientia Leonis.*

Et ad annum 730. *Gregorius Sanctissimus Præsul Leonem per epistolas tanquam impiè agentem redarguens, & Romam cum tota Italia ab ejus Imperio recedere faciens.*

Cedrenus: (d) *Anno nono Leo impius cœpit de sacris imaginibus eventilandis sermonem facere, quo cognito Gregorius Romæ Papa tributis Italiæ & Romæ eum prohibuit.*

Et iterum ubi de evecto Anastasio in Cathedram Germani egit: *Romæ autem Gregorius Apostolicus Vir à Leone ob ejus impietatem defecit, & pacto cum Francis icto tributa Leoni denegavit.*

Zonaras

(a) Zonar. T. 3. in Leone circa f. (b) c. 110. in Chron. floruit sec. 8. (c) Theophi. in Chron. in vita Leon. floruit circa ann. 787. (d) Cedr. in Leon. ad ann. 9.

Zonaras in suis Annalibus : (a) *Qua de causa Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiatâ Præsidis novæ Romæ societate, nec non eorum, qui illum sequebantur ; illos cum eorum Imperatore Synodico anathemate obstringit, & vectigalia, quæ ad illud úsque tempus indè pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere.*

Vides in hoc exemplo, quantâ cautelâ, prudentiâque, & quibus gradibus contra Imperatorem Gregorius processerit, quæ nisi observentur, plus mali ab extremis hisce remedijs, quàm boni expectes. Primò nullum finem monendi, curandique Imperatorem, per litteras, Legatos, preces, minásque fecit ; nec ideò abrupit, cùm obstinatum vidit, flectique nescium ; ferri potuit, dum intra Græciam sæviret : ubi hæresis & edicta in Italiam parabantur, nec mitiora proficerent, ad extrema deventum est, priùs tamen securitati, quàm remedijs provisum, nec consilijs inermibus creditum ; à potentissimo Principe, amicóque auxilia petita, fœdus conjunctum, vires sociatæ, honores, fascésque Romani, præludia Imperij, oblati, Synodus acta, anathemata vibrata, & tandem rebus omnibus dispositis, maturísque, nec alias moras periculo patiente, Imperium Leoni abrogatum, nec illud totum, sed ea tantùm parte, quæ magis egebat, servarique poterat, Italia videlicet. Tantúmque abfuit, hoc exemplo Francos offendi, aut Clerum obluctari, quasi Gregorius inconcessa tentaret, ut potiùs fœdus cum eo jungerent, Consulatum admitterent, sponderéntque suppetias adversùs Græcos ; agnovit ergo Gallia hanc, quam defendimus, in Pontifice potestatem.

Maimburgus ut hoc exemplo se liberet : (b) *Duas in Gregorio personas distinguit, Pontificis videlicet, & Civis Romani ; ut Pontificem, monuisse, rogâsse, minatum esse, populos ne deficerent cohibuisse ; ut verò inter Cives Romanos præcipuum, jure naturalis defensionis usum, cum alijs Romanis conspirâsse, ac jugum Græci Imperatoris excussisse, externo Principe invocato.* Hæc Maymburgi responsio est, qui eam potestatem, quam nos Pontifici Romano, ipse subditis & Civibus in Reges concedit, eámque *ad defensionem Juris naturalis pertinere dicit,* & similem ei facit, *quam quilibet è plebe habet, ut furenti Regi, aut phrenesi capto gladium extorqueat.* (c) Jam

(a) Zonar. T. 3. añal. in Leon. Isaur. circa f. floruit circa ann. 1120. (b) Maimb. Traitè de l'eglise de Rome cap. 29. & des Iconocl. T. 1. f. 148. (c) V. Reg. Sacerd. f. 242.

Jam ergo Maimburgus potestatem abdicandi Reges subditis Regni, imò unius Provinciæ tribuit, an verò id magis decorum, consultúmque Regnantibus, quàm si illos Pontifici Romano, Christíque Vicario subdas? quòd si nihil eorum majestati, quieti, ac potentiæ obstat, ut judicari, puniríque ab eis possint, quibus ipsi imperant, quantò minùs si ab eo, cui obsequuntur, quémque ùt Patrem reverentur? Quòd si jure naturalis defensionis id subditis licet, ne Respublica concidat, quantò magis eodem Jure naturalis defensionis id liceat Pontifici, ne Ecclesia pereat? nec enim Jura naturalis defensionis minùs Pontifici, quàm Civibus permittuntur. Nec erit puto Maimburgus tam inhumanus, ut potestatem extorquendi ferrum è manu furentis Principis, quam pedissequo & lixæ concedit, Pontifici neget; nam si coèrceri furentem Principem oporteat, meliùs id, honestiúsque Pontifex, quàm alius fecerit. Ubi verò sunt illa, & ingentia mala, quæ ex hac potestate Pontifici data Conventus Parisiensis consequi ominatur? dicunt enim, *invidiosam illam, & gravem Principibus, ac populis esse*; at verò, si hanc ipsam potestatem civibus, populisque uniusurbis, aut Provinciæ tribuas, non erit invidiosa, non gravis? an unquam causæ deficiendi, ac Principes incusandi subditis deerunt, si semel id eis liceat? Malè ergo Majestati Regnantium Maimburgus consuluit, quando non uni tantùm Pontifici potestatem Reges abdicandi permisit, sed singulis penè Urbibus ac Provincijs, nec enim totum Imperium à Leone Imperatore, sed Roma tantùm, & Italiæ aliquot Provinciæ defecerunt. Hûc ergo redit tota Maimburgi disputatio, ut Imperia, quæ nos Pontifici, ille populo submittat, simili damno, & fœdiore servitute.

Et denique si datur aliquis casus, quo Principes saltem à Regni statibus, & in Comitijs Generalibus exauctorari possunt, & subditi Juramento solvuntur; ergo quando is casus adsit, & quando Juramenti obligatio cesset, pertinebit ad Summum Pontificem declarare (ad hunc enim causæ majores & Juramentorum spectant, (a) nec Galli diffitentur) si ergo Pontifex declaret, Romanos

(a) Causæ maj. & Juram. pertinent. ad Summ. Pontif. V. DD. in c. 1. de Transl. Episc. Canum lib. 6. cap. 4. Cler. Gallic. ap. Grammond. lib. 1. f. 65. Maimb. Tr. de l'eglise Romaine cap. 5. & 13. de jud. & cap. 34. de elect.

nos juramento Græcis exhibito non vinciri, eósque Imperium alijs posse deferre, certum erit, Juramento liberari, ac in alios Coronas deponi, nullâ Imperantium injuriâ: sive ergo potestas, quam Pontifices in Reges exercent, sit declarativa, sive decisiva & statutiva, certum est, ex principijs Maimburgi negari eam haud posse, eique Reges subjacere, quemadmodum si centum aureos gemmario debeam, quia is adamantem mihi vendidit: eo verò aut gemmam non exhibente, aut falsam; si judex pronunciet, me obligatione centum aureos præstandi solutum esse: certum est, me nihil debere, nec petere aliquid venditorem posse, quamvis Judex declaraverit potiùs, debitum nullum, aut extinctum esse, quàm ut illud sustulerit. Sic ergo Pontifex, seu declaret, seu statuat, potest Regibus, cùm necessitas fuerit, Coronas adimere; neque id magis eorum minuit, lædítque majestatem, quàm si hoc ipsum Subditis permittas, quod facit Maimburgus. Cœterùm hæc ita dicuntur, quasi concedam, Gregorium non Pontificis partes, sed Civis egisse, quando Italiam Græcis, & Imperium, & tributa ademit. Sed veritas est, eam distinctionem frustrà à Maimburgo, & infeliciter repertam; fruſtrà quidem, quia nullo Auctore: infeliciter, quia nullo effectu, imò pari aut majori damno; quis enim ferat Maimburgum, toties profitentem, *se omni subtilitate ac distinctione abstinere velle, solâque historiâ contentum ea narraturum, quæ vel sola invidiam faciant, nec ab ullo mortalium negari possint*; nunc verò ubi urgeri se videt, ad distinctiones recurrere à nullo Auctorum traditas, à nullo cogitatas, quæque nec ipsi Maimburgo incidissent, nisi, premente veritate, aut fateri cogeretur, quod novit, aut dicere, quod nemo credet; nullus enim ex citatis Auctoribus aliud dicit, quàm Gregorium Pontificem ad Martellum Legationem destinâsse, Consulatum obtulisse, prohibuisse tributa deferri & alia, quæ nimis clara sunt, ut corrumpi aut fuscari sinistrâ interpretatione possint. Nec tantum Maimburgo debemus, ut ei nullos testes alleganti, ac post tot secula scribenti, nimiúmque partibus addicto majorem fidem præstemus, quàm Fredegario, Theophani ac Zonaræ, res suorum temporum, & vicina narrantibus, quibus etiam adde Sigonium ità loquentem: *Gregorius Pontifex decretum proposuit, quo Leonem Imperatorem priorum communione removit, ac mox Ita-*

liæ populos Sacramenti, quo se illi obligaverant, religione exsolvit, & ne ei aut tributum darent, aut aliâ ratione obedirent, indixit. Ubi vides Gregorium non Civem, sed Pontificem egisse, ad hunc enim pertinet *populos Sacramenti religione absolvere.* Idque etiam ex eo evidenter deducitur, quòd citati auctores hisce verbis utantur: *Consulatum sancivit, tributa deferri prohibuit, vectigalia inhibuit, fœdus cum Francis percussit, ne obedirent indixit*; quæ verba superioritatem omninò indicant, qualem Gregorius ut Civis supra Romanos non habuit, ea enim tota ad Imperatores & Exarchos pertinebat; non ergo ut Civis, sed ut Pontifex Romanus prohibebat, inhibebat, edicebat, inibátque cum externis Principibus fœdera. *Nec obstat,* hunc eundem Gregorium in secundâ ad Leonem epistola (a) scripsisse, nullam esse Pontificibus in Reges, eorúmque Palatia potestatem: *Nam quemadmodum,* inquit, *Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi: sic néque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi.* Additque Maimburgus: *His solis verbis debilitatem illius argumenti ostendi, quod ab exemplo Gregorij petitur.* Miram hujus præfidentiam juxta & simplicitatem! non observantis, quæ à nobis concedantur, quæque negentur; nos ipsi concedimus, nullam esse Pontifici Romano in Reges ordinariam & directam potestatem, nec ex istorum arbitrio deferri Regna, sed vel successione, vel electione, vel jure belli, alióve legitimo titulo; & quamvis in raro aliquo casu, & indirectè, rebúsque in arcto stantibus etiam hoc Pontifici competat, hæc tamen rara & indirecta, meréque contingens potestas non denominat subiectum, nec ab ea dicimur aliquid posse; sic dicimus, non posse Ecclesiasticos nubere, non posse Principes alieno Juri derogare, non posse carnes Sabbatho comedi, non posse Gallos in Romanos Imperatores eligi, & mille alia, quæ absolutam, certísque circumstantijs adstrictam potestatem non excludunt; & hanc ipsam Pontifici permissam ex Gregorij literis deducas; nam in prima ad Leonem Imper. hæc habet: *Scire autem debes, ac pro certo habere, Pontifices, qui pro tempore Romæ extiterint, conciliandæ pacis causâ sedere, tanquam parietem intergerinum septúmque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores esse.* Et epistolâ secundâ circa f. *Et nos culpam peccati recipimus,*

(a) Epist. II. Greg. II. ad Leon. Isaur. anno 726.

ut qui potestatem à Deo receperimus, terrena, cœlestiáque solvendi atq; ligandi. Ubi vides, Potestatem Pontificiam non ad cœlestia solùm & spiritualia, sed etiam terrena & temporalia proferri, quando videlicet necessitas postulat. Sed præsertim ex illis verbis argumentari licet, quibus *ut Imperatori in Ecclesias & Clericorum electiones; ita Pontifici in Palatia, Regésque nullum esse Jus dicit.* At verò si Clerus Episcopum aliquem hæresi imbutum, aut perduellem eligat, quique Ecclesiam vastet, quis dubitat, si alia remedia absint, nec periculum moras patiatur, posse Imperatorem, tanquam Ecclesiæ Advocatum, prohibere, ne is eligatur, aut electum Regno, & Ecclesiâ arcere? nec pauca sunt hujus rei exempla. Si ergo id natura ipsa, ac necessitas Ecclesiæ defendendæ Principibus concessit, quanto magis Pontifici in Principes & Regna? cùm nihil magis Ecclesiæ noceat, exponátque ruinæ, ut hæresis coronata; si enim tot illa clades & ærumnas excitavit inermis & abiecta, quid faciet armata, regnánsque? & experientia plus satis docuit, ex principum Religione etiam subditorum Religionem, fidémque pendere. Cœterùm cùm extincto Martello, & Pipino necdum noto, aut rerum potito, auxilium à Francis cessaret, & Græci Exarchum adhuc in Italia, & Siciliam, Calabriámque obtinerent, Longobardi verò hæresi & armis grassarentur, ac Romæ imminerent, non destitêre Romani Pontifices, Gregorius vid. II. Gregorius III. Paulus, Stephanus, Zacharias, Hadrianus, alijque apud Græcos Imperatores literis ac legatis agere, ut in sinum Catholicæ Ecclesiæ redirent, & Romam, Italiámque à Longobardis tuerentur; cùm tandem rebus omnibus desperatis Pipinus & Carolus subvenêre, Imperio Græcis adempto.

III. *Anno DCCLII.* Contigit auctoritate Pontificis Romani celebris illa Regni Francici de Merovingica in Carolinam stirpem translatio, quæ sola sufficeret, si omnia alia deessent, ad demonstrandum, quæ tunc temporis fuerit Gallicanæ Ecclesiæ sententia, tunc inquam temporis, cùm doctrinâ ac pietate florebat, omni procul adulatione, & Romana Ecclesia adeò à Longobardis oppressa, ut nihil ab ea sperari, nihil metui posset; nec ferè in historia Gallica aliud reperies pluribus ac majoribus testibus proditum, ut tantò magis eorum præfidentiam admireris, qui audent

tam aperta negare, & oculos Soli claudunt, ne cogantur videre: duplicis culpæ rei, & negatæ veritatis, & amissi pudoris; quid enim credas tam certa abnuentibus? Fluxerant à baptismo Clodovæi anni quinquaginta duo supra ducentos, & Franciam duodeviginti Principes gubernaverant, sed civilibus bellis, fratrúmque discordiâ, ac Regum ignaviâ res Francicæ jam ferè conciderant. Reges ruri potiùs, quàm in aula degere, otio & delitijs vitam ducere, præparcis tamen, & privatæ potiùs, quàm Regiæ sortis; rarò in publico, nisi cùm Legatos audirent, redderéntque responsa, nec ea pro arbitrio, sed suggesta, aut etiam jussa, inani Majestatis simulachro, nisi quòd Solio insisterent. Cùm prodirent, plaustrum pro curru, boves pro equis erant; producta, fluénsque barba, & coma in humeros fusa; hæc pompa, hoc fastigium Francicæ majestatis, quod pluribus Eginhardus testatur. Jus interim belli pacísque, ac Regni moderandi penès Palatij Magistros; & dum isti aut retinendæ potentiæ, aut vincendis æmulis, aut Regibus pro arbitrio deligendis, abdicandisque certant, Regnum interea civili bello consumi, Franciæ Provincias, ut quísque occupaverat, in diversos scindi Principatus: Saracenos, Gothósque aut sponte, aut in subsidium vocatos Galliæ infundi; & quamvis deleti essent Martelli virtute, parique fortunâ, nulla spes tamen componendi Regni, Regibus lasciviâ ac otio torpentibus, Præfectis verò Palatij civili bello collisis, quòd Regij sanguinis non essent, invalidâ apud populos reverentiâ. Nec melior Ecclesiæ, quàm Regni facies. Ærarijs bello exhaustis, Ecclesiarum decimas & facultates occupaverant. Ex his stipendia militi, Ducibus præmia; & quòd bellum contra Paganos, Gothósque actum, pietas obtendebatur; promisítque Martellus, omnia Ecclesijs redditurum confecto bello; sed ut fieri solet, inane id solatium, & irritum fuit, hostes cæsi, fugatique, bellum peractum, Martellus victorijs ac triumphis plenus, sed nudæ, spoliatæque ut priùs Ecclesiæ; eóque audaciæ & avaritiæ deventum, ut Episcopatus & Sacerdotia à Laicis obtinerentur, pretióque Infulæ vænirent, fœdo quidem, sed publico mercatu. Quæ posteà Zachariæ causa fuit, ut Pipino privilegium concederet nominandi Episcopos ad omnes Regni Ecclesias, quod gravis-

gravissimi Auctores (a) tradunt. Sic in Gallia res habebant, nec melior aliarum Orbis Ecclesiarum conditio. Italiam Longobardi, Africque bello, hæresi, prædatione vastabant: Græciam Bulgari, Avares, Saraceni, civilésque discordiæ, sed omnium pessimè Iconoclastarum sævities: Hispaniam, Africámque Alani, Wandali, Sueci, Gothique, & Turcæ quóque glíscebant. Crederes, communi bello Ecclesiam peti, ipsámque periclitari arcem Religionis, Longobardis Romam accinctis. Et ecce! cùm minimè crederes, à Pipino Legati & auxilium. Poscebat Pipinus Regnum à Zacharia Pontifice, & Childericum Regem deponi, poterátque audax votum videri, nisi necessitas & periclitans Religio excusaret: *Childericum Regem ignaviâ ac delitijs marcere, non ingenium illi regendo Imperio, non sobolem firmando esse, nec maius ab eo auxilium Francis, quàm à simulachro gemmis, auróque intecto. Cessare populis reverentiam tam abiectæ, derisæq; Majestatis: Regnum interea domi forisque laborare, quippe nullis legibus plebem, primoréque franari Regis contemptu: instare Barbaros totâ Asiâ, Africâ, Hispaniâque victores: jam quartâ vice Pyraneis superatis Franciam irruisse: ter à Martello Patre, nuper à se victos, deletósque: redituros tamen, quippe exploratis jam montibus, & nivibus assuetos, & tot cladibus asperatos potiùs, quàm fusos; si vincant, nam lubricam fortunam esse, nec uni addictam, quis Italiam, quis Romam, ipsámque Religionem tueri possit? Solam Galliam Barbaris obstare, nec Pipino apud Gallos, dum Corona absit, satis reverentiæ ac fidei esse, plerísque Imperium aspernantibus, Coronæ vacuum. Childerico sobolis experte defunctóque civile bellum inter æmulos arsurum, irrupturos Barbaros, Patriæ ac Religionis excidio. An ergo non expediat, prævenire potius, quàm operiri extrema, & Regem deligere, tot infortunijs ac necessitatibus parem? Id futurum, si Pontifex Romanus jubeat, nec aliud Gallos expectare, tanto operi promptos, accinctósque.* Permovit Zachariam oratio, & instans Religionis, Regníque periculum. Ergo Childericum Imperio moveri, tonderique; Pipinum omnium votis eligi jubet, Francos verò juramento absolvit, quod Childerico dixerant. Quod

(a) V. Lup. Ferrar. epist. 81. 98. & 99. S. Bonif. ep. ad Zach. PP. Flodoard. in hist. Rhem. de Privil. Hadr. I. De Privil. à Zach. concesso. Joan. X. PP. ep. ad Herim. Colon. Florum Magistrum in fragm. de elect. ad calcem op. S. Agob. Paschal. II. PP. apud Malesbur l. 5. della Marca lib 8. c. 20. Maimb. des Iconocl. l. 2. f. 259. Reg. Sac. f. 57.

rogo majus exemplum velis Pontificiæ in Reges potestatis, quàm coronas uni stirpi & familiæ insertas, in alias transferre? tantúmque abfuit, Gallos obniti, ac Zachariæ adversari, velut inconcessa tentanti, ut potiùs id ipsum expeterent, acceptaréntque concordibus votis, pari in Pipinum amore, & Pontificem reverentiâ; patet ergo, quænam fuerit eo temporis sententia Ecclesiæ Gallicanæ; & ne ulla dubitandi ratio superfit, dabimus auctorum omni exceptione majorum verba, & ea tam clara, ut negari à nemine possint, nisi qui fidem abrogari sibi velit, & inter eos censeri, quos victos licet, edoctósque pudet veritatem fateri, quam agnoscunt, malúntque obstinati potiùs videri, quàm victi.

Eginhardus perpetuus Carolo comes, eique à Secretis, quique non audita solùm & præterita, sed visa & præsentia scribebat: (a) *Gens*, inquit: *Merovingorum usq; in Hildericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis dèpositus, ac detonsus durâsse putatur.* Et infrà: (b) *Pipinus autem per jussionem Romani Pontificis ex præfecto Palatij Rex constitutus est.* Et in annalibus: (c) *Burkardus Wirziburgensis Episcopus, & Folualdus Presbyter Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Papam, de causa Regum, per quos prædictus Pontifex mandavit, melius esse, illum vocari Regem, apud quem Summa potestatis consisteret, datâque auctoritate suâ jussit Pipinum Regem constitui.* Et alibi ad annum 750. *Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Nota, hanc translationem ab Eginhardo jam Zachariæ, jam Stephano tribui, quia illam utérque promovit, Zachariæ initium, Stephani exitus & perfectio fuit; eodem enim anno, quo Zacharias Pipinum Regem jussit, & Francos Sacramento exsolvit, ipse vitam finivit. Stephanus verò Jus Regium Pipino & Filijs confirmavit, ut postea videbimus, unxítque & Coronam imposuit.

Annales Francici à Pithœo editi: *Septingentesimo, quinquagesimo secundo anno Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate Regiâ utebatur, nominis quóque Dignitate frueretur.*

Frede-

(a) Eginh. in vita Caroli M. ab initio. (b) Et in annal. ad ann. 749. & ad ann. 750. Obijt Eginhardus anno 843. juxta Chronol. Bolandi T. 2. Jan. f. 875.

Fredegarius: (a) *Quo tempore unà cum consilio, & consensu omnium Francorum missâ relatione à Sede Apostolica, auctoritate perceptâ præcelsus Pipinus electione totius Franciæ in Sedem Regni sublimatur.*

Rhegino: (b) *Jussit Papa per auctoritatem Apostolicam Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis Ordo.*

Otto Frisingensis, Imperatorum nepos: (c) *Zacharias consultus respondit, & ipsius auctoritate Pipinus à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, & alijs Regni Principibus in Regem eligitur.* Et alibi: *Anno Domini 754. Pipinus à Stephano Papa I. à fidelitatis Sacramento, quod Hilderico promiserat, cum alijs Regni Francorum Proceribus absolvitur.*

Abbas Urspergensis: (d) *Sic ergo Pipinus ex Præfecto Palatij auctoritate Apostolicâ sublimatus, & unctus in Sedem Regni, regnavit annis quindecim, absolutus per eundem Stephanum Papam à Juramento, quod Regi Childerico cum cæteris Regni primoribus fecit.* Et alibi: *Zacharias verò Papa super hujusmodi negotio consultus, remandavit, melius esse, eum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret, datâque auctoritate suâ Pipinum Regem jussit constitui.*

Sigebertus: (e) *Pipinus verò Princeps Apostolicâ auctoritate, & Francorum electione à S. Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo in Regem ungitur & consecratur.*

Ludovicus II. (f) Caroli M. Pronepos, qui res in familiâ sua gestas recentésque ignorare non poterat, in Epistola ad Basilium Orientis Imperatorem: *Matrem omnium Ecclesiarum DEI (Romanam videlicet Ecclesiam) defendendam suscepimus, ex qua & regnandi priùs, & posteà Imperandi auctoritatem Prosapiæ nostræ seminarium sumpsit; nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt ij duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt, &c.* Ubi vides, Ludovicum Imperatorem agnoscere, auctoritatem regnandi Carolinæ Prosapiæ à Romana Ecclesia proveniisse.

Schafnaburgensis: (g) *Pipinus decreto Zachariæ Papæ per unctionem S. Bonifacij Rex appellatus est.*

Hermannus Contractus: (h) *Pipinus auctoritate Stephani Papæ, detonso ac deposito Hilderico Rex Francorum factus est.*

Albertus

(a) Fredeg. ad ann. 751. f. 161. floruit seculo 8. (b) Rhegino in Chron. obiit circa initium sec. 10. (c) Otto Frising. lib. 5. c. 22. & 23. obiit anno 1158. (d) Abbas Urspergens. ad ann. 743. circa fin. floruit seculo undec. (e) Sigeb. ad ann. 750. floruit seculo undec. (f) Ludov. Imper. epist. apol. ad Basil. ann. 871. habetur apud Baron. & du Chesne Tomo 3. (g) Lamb. Schafnaburg. in hist. Germ. (h) Herm. Contr. ad ann. 752. in Chron.

Albertus Crantzius: (a) *Meritò Summus Pontifex, & Gallorum Rex mutuis se attollunt favoribus, quando ab initio hæc Sedes Domui Caroli hoc præstitit, ut Regiam haberet Dignitatem.*

Carolus Sigonius: (b) *Pipinus Zachariam consulit, uter ei Regio fastigio dignior videretur? is qui otio languens nihil ad communem utilitatem afferret, an qui dies noctesque de Regni utilitate cogitaret? Cui Zacharias respondit, omninò se Regem illum cogitare, qui Regni commodis & utilitati serviret: rogatúsque ab illo, Decretum pro magnitudine potestatis interposuit, quo Regnum Childerico abrogavit, & Francis Sacramenti Religione solutis, ut Pipinum Regem substituerent, Auctor fuit. Quo decreto accepto Franci convenerunt, ac Childerico abdicato Pipinum Regem designârunt, eúmque Suessione per Bonifacium Archiepiscopum consecrârunt.*

Paulus Æmilius rerum Francicarum scriptor accuratissimus: *Pipinus Burchardum VVirzburgensium Episcopum ad Zachariam Pontificem Max. Oratorem mittit, ut Franci solverentur Jurisjurandi religione, quâ se Childerico devinxerant. Oratione Episcopi motus Zacharias initio minimè audebat tam magni momenti cogitationem suscipere, sed tandem Francos Sacramento Regi Childerico dicto solvit.*

Præter jam citatos Auctores videndi sunt (c) Aimoinus, Marianus, (d) Scotus, (e) Gaguinus, Sabellicus, (f) Spondanus, alijque, qui ijsdem ferè verbis hanc translationem recensent; ubi simul adverte, esse omni exceptione majores, quippe integerrimâ fide, quique aut res suorum ferè temporum, recentésque narrabant, aut Principum partibus addicti potiùs, quàm Pontificum, imò istis infensi, quales Frisingensis, Urspergensis & Sigebertus; & denique eodem modo deponunt, videlicet Childerici ignaviam, Pipini ad Zachariam Legationem, consilium à Pontifice petitum, acceptúmque, uter videlicet dignior Imperio esset, Childericus ignaviâ torpens, an Pipinus bello & victorijs promptus? decretum & mandatum Zachariæ Pipinum eligi jubentis; juramenti, quo Franci tenebantur, absolutionem, & denique omnium votis electum Pipinum. Jam verò post tam multa

(a) Crantzius lib. 1. metropol. c. 14. (b) Carol. Sigon. de Regno Ital. ad ann. 750. obijt anno 1585. (c) Aimoin. de gest. Franc. l. 4. c. 6. (d) Scotus l. 3 Chron. (e) Robert. Gagu. l. 3. Chron. f. 45. (f) Spond. ad ann. 751. Sabellicus enead. 8. l. 8. Platina in Zach. Greg. VII. in c. alius 15. q. 6.

multa, & tam clara testimonia quid aliud à Maimburgo expectares, quàm aut veritati cessurum, quippe tot testibus & probationibus nixæ, aut saltem alios productum, pari numero, pariqué auctoritate; id enim causæ gravitas, ac toties ostentatus amor veritatis, & vitæ Institutum duplici titulo Sacrum, Religiosi videl: & Sacerdotis exposcebant, præsertim cùm toto eo libro, quem ultimò edidit, nullum finem protestandi faciat: *Se non disputationibus, non subtilitate usurum, sed historiâ & factis evidentibus, quæq; nullam tergiversationem admittant.* Audi jam verò, quid exhibeat post tot magnificè promissa: (a) *Quæ*, inquit, *de Zacharia dicuntur, nullius momenti sunt, Supponúntque Franciæ historiæ extremam ignorantiam; Franciæ enim Optimates sunt, qui Coronam Pipino detulêre, non verò Pontifex Romanus; hic enim rogantibus & consilium expetentibus, an id liceret? respondit licere; consuluit ergo, non imperavit. Et verò æquum id consilium fuerit, an secùs, non est hujus loci disputare; enimverò verba, quibus antiqui Scriptores hanc Translationem describunt, clarissima sunt, ut ostendant, nihil aliud quàm consilium à Francis petitum esse, ut videlicet electionem, quam animo agitabant, Summi Pontificis auctoritate munirent; nam Chronicon vetus à Pithœo editum: Missi sunt, inquit, ad Zachariam Papam, ut consulerent.* Et Annales Francorum Metenses: *Missi fuerunt ad Zachariam interrogandum, si bene fuisset, annon? ergo nihil aliud à Pontifice & petitum, & datum, quàm solum merúmque consilium, & hoc ipsum improbavit Stephanus Zachariæ Successor, qui teste Theophane ejus temporis Scriptore à Pipino ob violatam Childerico fidem pœnas expetijt; aut ergo Stephanus, aut Zacharias erravit; imò cùm Franci Hugonem Capetum solio imposuêre, Carolo debitum, ne consilium quidem à Joanne XV. expetitum est, multò minùs Imperium.* Hæc Maimburgus. Ignorantiam primò historiæ Francicæ opponit nobis, sed ego Lectoris arbitrium posco; nam piget cum Maimburgo loqui, tam vana jactante, an nos historiam Francicam ignoremus, qui præcipuos historiæ Francicæ scriptores non legimus tantùm, sed verbatim allegamus, Eginhardum videlicet, Fredegarium, Rheginonem, Pithœum, Æmilium, aliósque. Quòd si ignorantia hæc est, non nostra, sed omnium illorum fuit. Quis verò est Maimburgus, ut istos ignorantiæ accuset? aut quæ ipsius merita, fidésque toties fœdata, ut eum Eginhardo, Ottoni, Urspergensi, Aimoino æques, præferás-

(a) Maimb. Tr. de l' Egl. de Rome c. 29. f. 404.

que? Quòd si istos ipse non legit, quæ rogo hæc negligentia, & ignorantia fuit, nescire tam obvia, támque necessaria historiam profitenti? Scribit, quæ non legit, jactat, quæ ignorat, profitetur, quæ nescit, & tamen objectat alijs ignorantiam; hoc novum modestiæ genus. Si verò hos ipsos Auctores legit, quos modò produximus, cur rogo silentio præterit? & illum ipsum Pithœum, quem citat, cur una tantùm ex parte recitat, premítque aliam, quæ totam rem explicat? consilium enim à Francorum Legatis petitum esse, & à Pontifice datum, nemo inficias iverit, sed Imperium consilio accessisse & nos asserimus, & historici tradunt, & ipse inter alios Pithœus his verbis exponit, quæ Maimburgus omisit, vid: *Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate Regiâ utebatur, nominis quóque dignitate frueretur.* Et Eginhardus studiosè inter consilium & præceptum distinguens, utrúmque Pontifici attribuit: (a) *Burchardus*, inquit, *Episcopus & Folradus Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent de causa Regum, qui illo tempore nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt; per quos prædictus Pontifex mandavit, melius esse, eum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret.* Hactenus consilium. Audi nunc mandatum: *Datáque auctoritate suâ jussit Pipinum Regem constitui.* Et ad annum 750. *Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Dicíne potuit aliquid clarius? Et idem in vita Caroli: *Childericus Rex jussu Stephani Pontificis depositus ac detonsus, & in Monasterium detrusus est.* Et Rhegino: *Jussit Papa per auctoritatem Apostolicam, Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis Ordo.* Et Otto Frisingensis: *Pipinus à Stephano Papa fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat, absolutus est.* Et Urspergensis: *Pipinus ex Præfecto Palatij auctoritate Apostolicâ sublimatus postea regnavit annis quindecim, absolutus per Stephanum Papam juramento, &c.* Et Aimoinus: *Missi sunt Romam ad consulendum Pontificem, datâque auctoritate suâ jussit Pipinum Regem institui: hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Hæc omnia an solum consilium denotent, clarius est, quàm ut explicari à me debeat; sanè, *solvere aliquem Juramento, jubere, sancire*, non sunt consilia, sed præcepta, nec aliâ ratione Maimburgus ea tacuit, quàm quia convinci se illis videbat. Quanto id verò historiæ, suíque dedecore, ac fidei, quæ in scriptore pri-

(a) Eginh. in annal. ad ann. 749.

ma

ma esse debet, detrimento, nihil attinet dicere; quis enim jam credat Maimburgo, tam comperta neganti, támque indignis artificijs fucanti veritatem? Tinctorem eum magis, quàm historicum credas. *At*, inquit, *Theophanes scribit, Pipinum Stephano pœnas dedisse violatæ Childerico fidei.* Sed quàm ista veritati consentiant, sufficit repetere, quæ modò ex Eginhardo, Urspergensi & Frisingensi retulimus, qui omnes Pipinum juramento fuisse solutum à Stephano tradunt; non potuit ergo Stephanus punire, quod ipse fecerat, aut si Pipinus injustè alienum Regnum invaserat, parùm fuit punire, nisi restitueret: & tamen tantum abfuit, Stephanum restitui jussisse, ut potiùs Regnum Pipino confirmaret, quod citati Auctores tradunt; & mirum est, Theophanem, qui aut Constantinopoli, aut in exilio agebat, tanto Româ & Parisijs intervallo, Eginhardo præferri, qui in Aula, ubi hæc contingebant, versabatur, Carolo Pipini filio à secretis, & omnium conscio, quæ illic fiebant: id perinde fuerit, ac fide ijs, quæ Romæ contingunt, malis nautæ Bizantino, quàm Romano Senatori fidem habere. Imò idem Theophanes (a) pro nobis contra Maimburgum testatur, sic enim scribit: *Prædictus námque Stephanus vi pressus, & crudelitate coactus Aistulphi, simul etiam cohortatus est ab eodem Pipino ire in Franciam, & facere quæcúnque posset; qui veniens Pipinum provehit in Regem, virum probatissimum, &c. Cur ergo non etiam Pontificem Franci rogárunt, cùm Hugonem Capetum Regno admoverunt?* Vanum est hoc argumentum, non enim sequitur, quod semel omissum est, non esse alio tempore factum, id enim perindè est, ac si dicas: *Semel sitivit David, nec tamen bibit; ergo quoties sitivit, non bibit.* Ergo non sequitur, si Hugo Capetus Coronam à Pontifice non accepit, non etiam Pipinum accepisse, nec enim semper è Pontificis manu Coronæ proveniunt, sed cùm necessitas postulat, & ut loquitur Rhegino, *cùm ordo Christianitatis periclitatur.*

IV. *Anno* DCCLIV. Aliud specimen, nec minùs egregium Pontificiæ auctoritatis in Gallijs editum. Aistulphus Longobardorum Rex ferro igníque Italiam vastabat, & Romæ imminebat, prædæ avidus, jámque Urbem obsederat. Auxilia à Græco petita, Longobardus donis, ut abscederet, tentatus, sed omnia frustrà; preces ergo ad Pipinum versæ, qui Pontificis necessitate compertâ, Rhodigangum Episcopum mittit, Ducémque Ancharium,

(a) Theoph. lib. 22.

rium, ut illum in Franciam deducant : jam Barbari Urbem premebant, cepissentque, sed Legatis in castris comparentibus obsidio omissa, metu & reverentiâ Franci; Stephanus Parisios à Legatis deductus, illic omni apparatu, cultúque exceptus, & mixtâ amori reverentiâ; ipse Pipinus cum Regia Conjuge, liberisque obviàm processit, & equum comitatus est obsequij causâ. In eo conventu decreta in Aistulphum expeditio, & Regia Dignitas, quæ nuper per Legatos, nunc coràm, & ab ipso Pontifice, majoríque apparatu, Pipino collata, cui etiam Sacra Unctio, & solennis Coronatio addita. Quæ ratio est, ut multi scriptorum nunc à Zacharia Pipinum, nunc à Stephano provectum dicant; sed veritas est, ab utróque factum : sed illud in hac secunda multò ampliùs, quòd non contentus Pipinum Regem dicere, jussit insuper, adegítque Francos juramento, ne Regem ex alia stirpe, quàm Pipini deligeret. Nec putandum est, prætergressos juramentum, cùm Hugonem Capetum Throno intulêre, omisso Carolo Primo Lotharingiæ Duce, & proximo Regij Sanguinis Principe; quamvis enim, ut dixi, is proximè Ludovicum Quintum ultimum Galliæ Regem, & sine liberis functum attingeret, quippe hujus Patruus, & Lotharij Regis frater; Capetus tamen & ipse Pipini progenies erat, ex Childeprando vid: Pipini Crassi filio, & Martelli fratre, quod etiam passim Galli testantur, ut apud (a) Spondanum & Morerum videre est. Sed ut fides narrationis constet, verba scriptorum numerabimus.

Theophanes: (b) *Prædictus Papa Stephanus vi pressus, & crudelitate coactus Aistulphi, simul etiam cohortatus à Pipino ire in Franciam, veniens Pipinum provehit in Regem, Virum probatissimum.*

Ludovicus (c) Caroli M. filius: *Gesta autem sunt hæc à B. Stephano Papa adjuvantibus SS. Apostolis Petro & Paulo anno ab Incarnatione DCCLIV. quo inter oblationem & celebrationem Sanctissimi Sacrificij unxit in Reges Francorum florentissimum Pipinum Regem, & duos ejus filios, atq; Francorum Proceres auctoritate B. Petri obligavit & obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe Regem supra se præsumant aliquo modo constituere, quos & divina providentia ad Sanctissimam & Apostolicam Sedem tuendam eligere dignata est.*

Gagu-

(a) V. Spond ad ann. 987. & Morer. in Childepr. (b) Theoph. lib. 22. (c) Lud. in ep. ad Hilduin. quæ habetur in Areopag.

Gaguinus : (a) *Stephanus autem ut Regi gratificaretur, Pipino benedixit, & posteritati ejus, atq; qui temeritate aliquâ adversùs Francos bella moverent, Communione Christianâ interdixit.*

Abbas Ursperg: (b) *Francorum Populos unà cum Proceribus auctoritate B. Petri Apostoli obligavit, & protestatus est eos, ut nunquam de alia stirpe sibi Regem praponerent, quos divina Providentia in defensionem Ecclesiæ dignata est sublimare.*

Paulus Æmilius : (c) *Hâc celebritate Pipinum coronavit, sacrâque unctione imbuit, omniáque fausta in omne tempus apprecatus est, simul diris, detestationéq; insectatus, si quis contrà moliri auderet; ità priùs acceptum Jus regnandi, tunc quasi divinitùs confirmatum, & immortale factum in ea familia videbatur.*

Nauclerus : *Stephanus Papa, ut Ecclesiæ defendendæ spem accepit, Pipinum sacrâ unctione in Regiæ dignitatis honore confirmavit. Pipino benedixit, & posteritati ejus, átque qui temeritate aliquâ adversùs Francos bella moveret, Communione Christianâ interdixit.*

Carolus Sigonius: (d) *Solemni pompâ Carolum, & Carolomanium Reges inunxit, solemni carmine adstantes Francorum Proceres sacræ detestationis obstringens, ne quando alios, quàm exillorum progenie regnare juberent, quos constaret, Divinâ Providentiâ ad Catholicæ Ecclesiæ tutelam adscitos, Universâ interim Francorum Nobilitate plaudente.*

Habemus hîc iterum, quid senserit Gallia de pontificis potestate, tantum enim abest, obstitisse Pontifici, ista decernenti, ut potiùs & audierit, & oraverit, & Regnatrices Capetam ac Borboniam familias Pontifici Romano debeat.

V. *Anno DCCLXXIII.* Desiderius Longobardorum Rex Ecclesiæ Ditiones populatur, exarchiam Ravennatem occupat, & Romam cum exercitu movet: causa belli, præter regnandi cupiditatem, quòd Hadrianus Pontifex nollet Carolomanni liberos, nepotésque Desiderij ex filia Carolomanno nupta, Reges, habilésque paterno Regno, quod totum Carolo Magno cesserat, appellare. Audi Æmilium: *Longobardus contendebat, ut Hadrianus Pontifex Carolomanni liberos, eosdem Pipini nepotes Reges appellaret, inungerétque, quòd ejus judicium Sanctum apud Francos fore non dubitaret, Regnúmque paternum ad adolescentulos redituru.* Vides hîc iterum, quænam tunc temporis Francorum mens & sententia fuerit, quámque etiam apud Barbaros vulgata.

(a) Gaguin. hist. Franco. lib. 3. f. 45. (b) Abb. Ursperg. ad ann. 753. (c) Æmil. in vita Pipini propè init. (d) Carolus Sigo. lib. 3. Italiæ ad ann. 754.

VI. *Anno* DCC LXXIV. Carolus Magnus Ticino expugnato, Rege Desiderio capto, deletóque Regno Longobardorum, quod annis ducentis steterat, Patritij Romani dignitate ab Hadriano Pontifice augetur; hâc Imperio aptabatur. Constantinus Augustus præcipuè Patritij dignitatem extulerat, primâ post Cæsares, majorique Præfecturâ Prætorij. Patres Imperatorum dicebantur; si bellum inferendum, si pax sancienda, aut alia Imperij cura, primum cum Patritijs consilium: paludamentum humeris injectum, annulus dextro indici insertus, caput aureo circulo revinctum, picti calcei, sublimisque Sella insignia Patritij erant. Ejúsque officium & curæ, tueri populum, hostes repellere, urbémque gubernare; tantique fuit, Patritium esse, ut non à Romanis solùm ea Dignitas, sed ab exteris etiam Principibus peteretur, eámque Theodorico Gothorum Regi datam à Zenone legimus. Vide (a) Cantelium, & Cassiodorum (b) de Patritij dignitate, Adelmum (c) verò, Sigebertum (d) & ex hoc (e) Gratianum, qui hujus in Carolum collatæ meminerunt.

VII. *Anno* DCCC. Contigit celebris illa Occidentalis Imperij in Francos translatio, auctoritate Leonis III. Pontificis Max. facta. Ejus translationis seriem & narrationem in Regali Sacerdotio descriptam habes, nec mihi animus est repetere illic dicta. Solum observa, eum tunc temporis Romanæ Ecclesiæ statum fuisse, ut meritò Romanus Pontifex huic Translationi animum adiecerit. Italia quadringentos ferè annos sub Gothorum & Longobardorum dominatu gemuerat, nunc à Græcis, nunc à Gothis, nunc à Longobardis; jam civili, jam externo Marte fœdata, & quod acerbius erat, cum Ariana, cum Iconoclastica hæresi toties collisa, & tantùm non victa. Quoties ad Romæ portas nunc Luitprandi, nunc Aistulphi, nunc Desiderij classicum sonuit? quoties accensæ à Barbaro faces Urbi delendæ? quoties necando Pontifici nunc insidiæ, nunc venenum, nunc Sicarius à Græco immissus? Et quamvis & Pipini, & Caroli M. armis respirásse Italia ac Roma viderentur, Longobardis planè deletis: ut primùm tamen in Franciam redibant, nova iterum bella, nova pericula

(a) Cantel. p. 1. diss. 2. c. 4. (b) Cassiod. l. 8. ep. 9. & seqq. (c) Adelm. ad ann. 801. (d) Sigeb. in Chron. ad ann. 774. (e) Grat. in c. Hadrianus & seqq. d. 63.

ricula nasci, crederes pacem ferre non posse, tot jam seculis bello assuetos. Eò factiones, turbæque civiles, cùm Carolus exercitus abduxisset, Romæ processerant, ut Leonem Pontificem Sacras Litanias obeuntem æmuli aggrederentur, cæderéntque, ac oculos eruerent: elapsus ad Carolum, cum exercitu Romam reduxit: supplicia de reis sumpta. Sedebant Constantinopoli Imperatores Græci, aut proferendæ hæresi, aut domesticis & intestinis bellis intenti, nullâ Italiæ, nec imperij curâ. Constantinus cum Matre de Imperio contendebat, & hæc prævaluit, ac filio oculos primùm, tum vitam ademit: Sol septendium latuit tanti sceleris odio, ac navibus toto mari, ac sine luce errantibus, aut anchorâ fixis, dum lux rediret. Saraceni, Bulgari, Auaréque, Græciam vastabant: quod istis intactum reliquúmque, civile bellum absumpserat. Ergo ut inclinanti, imò labenti Imperio Leo subveniret, desperatâ à Græcis ope, Carolum deligit, & in Francos communi etiam Senatûs Populíque Romani assensu, coronam deposuit, quam nemo magis ut ille tueri poterat, nemo meliùs Religioni aptare. Vide, quæ in Regali Sacerdotio (a) narrata sunt.

Factam esse hanc Imperij Occidentalis translationem auctoritate Romani Pontificis jam dudum Bellarminus ostendit duodecim Imperatorum, aliorúmque Principum, quínque & triginta historicorum, septémque Pontificum testimonijs: ego, ne jam notis insistam, unum alterúmque libabo.

Omnes historici, Græci, Latiníque, quotquot de hac Imperij translatione loquuntur, eam Leoni Pontifici tribuunt, exprimúntque his verbis: *Carolus à Leone Papa coronatus est, ac Imperator appellatus est: Leo Francos Romam admisit: Carolus à Summo Pontifice ablato Patritij nomine, coronatus: Leo Papa Carolum fecit Imperatorem: Leo de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum & Germanos Imperium transtulit: Leo Carolum ad imperium unxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit: Leo illustria Caroli merita remunerans, eum Imperatorem appellat.* Sic omnes scribunt, nec aliâ dicendi formulâ utuntur, cùm hujus rei mentionem faciunt, ut bene Spondanus (b) & ipse Gallus pronuntiet: *Non tantùm Eginhardus & Anastasius de collata per Leonem Pontificem dignitate Carolo M. sunt testes, sed fatentur id ipsum Latini omnes, & Græci*

(a) Reg. Sacerd. f. 136. (b) Spond. ad ann. 800.

& Græci auctores. Quòd verò Carolus aut jure belli, aut Senatûs Populíque Romani donatione Imperium acceperit, nullus omninò meminit, sed populo solas acclamationes tribuunt, quæ utique Imperatorem haud faciunt. Jam verò in rebus ad historiam pertinentibus, quæque nisi ex scriptorum fide sciri non possunt, cur non potiùs id dicas, credásque, quod omnes dicunt, quàm quod omnes tacent? & quæ ratio velit, ut, quod omnes asserunt, tu neges, & quod omnes tacent, tu asseras? & verò si non Leo Imperium in Carolum transtulit, sed Senatus aut Populus, cur ex tot auctoribus Græcis, Latinísque, nemo Senatûs, nemo Populi meminit, omnes Leonis? aut cùm aliquam Populi, Senatûsve mentionem faciunt, cur istis solas acclamationes tribuunt, de Leone verò, transtulisse Imperium, fecisse & appellâsse Imperatorem dicunt? cùm potiùs contrarium dici oporteret; si enim Carolus à Senatu, Populóque Imperium habuit, ergo principales, præcipuæque partes Senatûs & populi erant, & huic translatio & appellatio, non Leoni, ministro tantùm, non auctori, adscribenda erat: quemadmodum licet S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Pipinum, Filiósque Reges Francorum unxerit, nemo tamen scriptorum dixit, Bonifacium transtulisse in Carolinos Regnum, Reges constituisse, sed Zachariam, cujus jussu & auctoritate Bonifacius agebatur, nec auctor, sed minister erat. Patet ergo ex omnium Latinorum, Græcorúmque testimonijs, ac uniformi loquendi modo, non solum titulum & Coronationem, sed ipsam Dignitatem ac potestatem Imperatoriam à Romano Pontifice in Carolum translatam esse.

Ludovicus Imperator conquerenti Basilio Imperatori, quòd titulum ac dignitatem Imperatoris usurparet, soli Græco debitam, hæc per Legatos & epistolas respondit, anno 871. datas; hoc est septuagesimo post translationem anno, recenti adhuc facti rerúmque memoriâ: (a) *Mirari*, inquit, *se Fraternitas Tua dilecta significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur; sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen & dignitatem assumpsimus, quorum gentem & Urbem divinitùs*

(a) Epist. Ludov. II. Imp. ad Basilium æquè Orient. Imp. anno 871. ap. Baron. ad eund. ann. n. 51. & Andr. du Chesne Tom. 3.

viriûs gubernandam, & matrem omnium Ecclesiarum DEI gubernandam susce-pimus, ex qua & regnandi priùs, & posteà imperandi auctoritatem prosapiæ no-stræ Seminarium sumpsit; nam Francorum Principes primò Reges, deinde Impera-tores dicti sunt ij duntaxat, qui à Romano Pontifice oleo sancto perfusi sunt. Præ-sertim cùm tales sæpe ad Imperium sint adsciti, qui nullâ divinâ operatione per Pontificum ministerium propositi solùm à Senatu & Populo, Imperatoriâ dignitate potiti sunt: nonnulli verò nec sic, sed tantum à militibus sunt acclamati, & ipsi Pa-trui nostri gloriosi Reges absque invidia Imperatores nos vocitant, attendentes ad unctionem & sacrationem, quâ per Summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen provecti. Et ibidem: *Illud autem mirari meritò possumus, quòd sublimitas Tua ad novam & recentiorem appellationem adspirare nos autumat, cùm non sit novum, vel recens, quod jam ab Avo nostro, non usurpante, ut perhibes, sed DEI nutu & Ecclesiæ judicio, Summique Pontificis per impositionem & un-ctionem manûs obtinuit.* Vides in his litteris Ludovicum Imperatorem non belli, non Senatûs Populíque Romani, quasi ab his Imperium accepisset, sed solius Pontificis meminisse: nec dicit, Carolum Magnum populi, aut Senatûs judicio, *sed DEI nutu & Ecclesiæ, Summique Pontificis judicio Imperio potitum esse.* Cur ergo semper Populum & Senatum excludit, si ab istis Imperium sumpsit? annon poterat eâdem operâ jus belli, ac popularis electionis prætexere, si Impe-rium istis debebat? aut forsan quæ in Ludovici familia, & adhuc recentia contingebant, meliùs Maimburgo post tot secula scri-benti, quàm ipsi Ludovico constabant? & quis credat homini privato, abditóque, & curis hujus mundi soluto, qualem se Maim-burgus profitetur, magis Imperij jura, titulósque, quàm Impera-tori explorata esse? imò quod bene observandum, idem Ludovi-cus titulos obtinendi Imperij diligenter distinguens, alios militum, Senatûs, populíque consensu, se verò *DEI nutu, & Ecclesiæ Summique Pontificis judicio* electum dicit, & Imperio potitum; non ergo Sena-tui, non populo Romano, non armis hoc debuit, sed post Deum Ecclesiæ & Pontificis dono.

Albertus Imperator (a) in litteris ad Bonifacium VIII. *Profiteor, Beatissime Pater, me bonorum omnium largitori ac Vobis fore pro innumeris misericordijs ac immensis beneficijs obligatum, &c. Recognoscens igitur, quòd Rom. Imperium per Sedem Apostolicam de Græcis translatum est in personam Ma-gnifici Caroli in Germanos. &c.*

(a) Albert. Imp. in lit. ad Bonif. VIII. anno 1303.

Principes Electores (a) in litteris ad Nicolaum III. PP. *Nos Principes Imperij universis præsentem paginam inspecturis, &c. Complectens ab olim Romana Mater Ecclesia quâdam quasi germanâ charitate Germaniam illam eo terrenæ dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen, temporaliter præsidentium super omnem terram, &c.*

Clemens V. in Concilio Viennensi Oecumenico: *Romani Principes Sacrosanctam Ecclesiam Romanam, ac Romanum Pontificem fervore fidei venerantes eidem Romano Pontifici sua submittere capita non reputabant indignum, seque illi & eidem Eccleſiæ Rom. quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, adstringere vinculo Juramenti &c.* Nota, hoc etiam testimonium maximi ponderis esse, quippe à Pontifice Gallo, in ipsa Gallia, præsente, audiente & approbante totâ Ecclesiâ Gallicanâ, ac tandem ipsis actis Concilij Oecumenici insertum, adeò ut non tam Clementis Pontificis, aut Concilij Decretum, quàm totius Ecclesiæ Gallicanæ haberi debeat. Et ipse Maimburgus rei veritate convictus, & hoc Concilij Viennensis, & illa, quæ suprà citavimus, Electorum, & Imperatorum testimonia: (b) *Tanquam verissima, indubitata, & adeò fide digna pronuntiat, ut ea nec negari, imò nec in dubium vocari posse dicat.* Sed addit, intelligenda esse, *non de vera, realique potestate, sed tantùm de ritu & ceremonia ac coronatione externa; in electione enim, ipsoque electo Imperatore duo distingui: primum, quòd sit caput supremúsque Princeps & Monarcha Germanici Imperij, à quo Principes alij dependeant, & hoc primum quòd spectat, nec Electores, nec Imperatores à Romano Pontifice quidquam accepisse; cùm Jure naturali, divinoque, ut in alijs Regnis electivis, sic & in Germanico Imperio possint Opimates sibi Caput & Principem deligere. Secundum, quod in electo Imperatore spectari debeat, esse, quòd electus solus, exclusisque alijs omnibus unicè Jus habeat coronam à Romano Pontifice postulandi: hanc verò Coronationem à Romano Pontifice fluxisse quidem, esse tamen ritum haud necessarium, & sine quo tota Majestas Imperatori constet.* Hæc Maimburgus in libro de Imperij Declinatione; & in historia Iconoclastarum: (c) *Carolum M. Imperium Occidentis, ipsamque Italiam bello occupâsse* ait; *Romam verò populi Romani donatione: nec aliud à Leone Papa, quàm Coronam, hoc est, non*

(a) Lit. Princ. Elect. anno 1269. Indict. 7. Rodolphi Imp. ann. 6. V. Baron. ad ann. 996. n. 44. & Bellarm. l. 3. c. 3. V. Serrar. lib. 1. rerum Mogunt. & Grets. in defens. Bellarm. c. 28 (b) Maimb. de la decadenze de l' empire lib. 2. ad ann. 996. (c) Id. in hist. Iconocl. lib. 4. an. 800.

non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, nudámque ceremoniam accepisse: imò nec istam, nisi Civium Romanorum precibus compulsum, eum sine fine Augustum conclamantium, tunc enim nec priùs à Leone coronatum. Additque: *Se quidem de hac Imperij translatione nolle sententiam pronuntiare, eámque arbitrio lectoris committere; principia tantùm statuisse, ex quibus rei veritas facilè deduci possit.* (hæc principia sunt, quæ modò ex eodem scriptore commemoravi) *Eum verò, qui alia, quàm ipse principia statuat, omninò errare, & à vero abludere, pulchráque rerum ideas & imagines velut somniantem ante oculos ponere, quæ delectent quidem, sed nunquam fuerint. Carolum ergo Magnum jure partim belli, partim hereditario magnam Occidentis partem obtinuisse; quid ergo illi defuit, ut Imperator diceretur? quòd si dici noluit, modestiæ id fuit; maximè postquam dono & spontaneâ Populi Rom. subjectione Romana Urbis potitus est; nam eandem ob causam Odoacer & Theodoricus Imperatores appellati sunt, subactâ Româ.* Hæc Maimburgus citatis locis, repetitque Tractatu de Romana Ecclesia *c. 29.* Quæ omnia ex Matthæo Illyrico Lutherano Centuriatore accepta sunt, nec quidquam Gallicas voces Maimburgus ex suo addidit, mirúmque est, Maimburgum, cùm hæc Lutherani argumenta ex Bellarmino, ubi ea legerat, descripsisset, non etiam Bellarmini solutiones adjecisse; cur enim has dissimulavit, si bonas? aut si malas, cur non evertit? aut quæ Religio, ac bona fides fuit, quæ Lutherani nobis objiciunt, pro argumentis suis sumere, & quæ nos illis respondemus, silentio à Maimburgo premi? ergo ut vinceret in mala causa, non erubuit Lutheranum advocare, eúmque mendacijs præcipuum, turpi utique triumpho, quamvis vicisset. Sed ad singula respondendum. 1. Dicit, solam coronationem, ritúmque externum à Pontifice Maximo, non veram & Imperatoriam potestatem tributam Carolo esse, hanc enim Senatui, Populóque & militi, non Leoni adscribendam. Si ità est, cur ergo nemo ex tot scriptoribus antiquis (nam recentiores haud moramur, Sigibertum vid. & alios paucos) qui eam translationem commemorant, Populo aut Senatui adscribunt, sed Leoni tantùm? nam si Leo instrumentum fuit, populus verò & Senatus auctor, & causa principalis, cur tantum opus non causæ potiùs principali, quàm instrumento dicaretur? cur solas acclamationes populo tribuunt, cùm potiùs rem ipsam, collatámque dignitatem tri-

buere debuissent, si vera sunt, quæ Maimburgus narrat; nam quod scribit, priùs à populo, Senatúque Carolum Imperatorem acclamatum esse, quàm Leo coronam imponeret, falsum esse ex Eginhardi historia constat, qui Carolo à secretis, & spectaculo intererat, sic enim loquitur: (a) *Cùm die Sacratissimâ Natalis Domini ad missarum solemnia fuisset ingressus, & coram Altari assisteret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante; Carolo Augusto à Deo coronato &c.* Et Anastasius in vita Leonis: *Tunc almificus Pontifex manibus suis propriis pretiosissimâ Coronâ coronavit eum, tunc universi fideles unanimiter exclamârunt: Carolo pijssimo Augusto à Deo coronato.* Vides, semper Coronationis priùs mentionem fieri, quàm acclamationis: nec populum acclamâsse, nisi jam coronato; eodémque modo alij Scriptores narrant, vid. Annales Francorum, Aimoinus, Otto Frisingensis, alijque. Quæ ergo Maymburgo fides, tam comperta & vulgata neganti? hausit nimirum ex Illyrico Centuriatore, cujus argumenta descripsit, & quo nemo mendacijs largior. (b) Et planè consuluisset Maimburgus famæ ac pudori suo, si postquam animo fixerat veritatem oppugnare, alium saltem ducem elegisset, & mendacijs minùs infamem. Nota etiam in vita Caroli ea verba Eginhardi: *Imperatoris & Augusti nomen in tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die nunquam Ecclesiam intraturum fuisse, si Leonis consilium scire potuisset*; cur non dicit: *Si Senatûs Populique Romani consilium præscire potuisset?* Nisi quia rem totam ex Leonis auctoritate pendere intelligebat. Sed & illud mirum, certúmque indicium falsi, in re tam celebri, ac certatim à tot historicis, Græcis, Latinisque conscripta, ne unum quidem à Maimburgo allegari posse suæ sententiæ testem; nam si aliquem haberet, quanto illum apparatu, pompâque verborum in scenam produceret? id enim solet; cur ergo credas, quod nemo dicit, neges verò, aut in alienos sensus detorqueas, quod omnes, & tanto numero, claréque dicunt? ergo majorem nemini, quàm omnibus fidem habeas? Sed & ipse Maimburgus locis suprà citatis fatetur, documenta & testimonia Innocentij III. in capit. *venerabilem.* de elect. Principum Electorum, Alberti Imperatoris, & Concilij Viennensis

(a) Eginh. in annal. ad an. 801. (b) De Illyr. mend. v. Bellarm. lib. de transl. Imp. c. 2. & Baron. ad ann. 800. n. 29.

nensis (a) *esse certissima, indubitata, nec posse negari nisi fundamentis historiæ, fideique humanæ convulsis.* At verò hæc ipsa & indubitata testimonia non solùm de ritu ac ceremonia externa, & coronatione non necessaria, sed de vera, realique Dignitate Imperiali intelligenda esse tam clarum est, ut nihil magis; sic enim sonant: *Germanis Principibus concessum esse Jus eligendi Advocatum & Defensorem Ecclesiæ: Electoribus dissidentibus posse Romanum Pontificem non tantùm Imperatorem, sed etiam Regem eligere, alio rejecto, omníque dignitate excluso: posse Pontificem declarare, electum à Principibus, propter hæresin, Censuram, aliúdque Impedimentum inhabilem Regno esse: posse imò teneri subditos ab eo, quem Pontifex, ejúsve Legatus excluserint, omninò deficere, & juramento solvi: Imperium auctoritate Pontificis à Græcis in Germanos tanslatum esse: Imperatorem ab eodem Pontifice per Electores recipere temporalis gladij potestatem.* Hæc omnia sunt verba ipsissima Innocentij, Concilij Viennensis, Alberti Cæsaris, ac Principum Electorum, quæ an explicari possint de solâ ceremonia externa, ritúque haud necessario, clarius est, quàm dici debeat; mirúmque sit, Gallos ipsos Maimburgo non irasci, tam infirmis, caducísque humeris tantam molem sustinenti, & supra vires conanti. Accedit & insigne Glabri testimonium (qui & ipse Gallus fuit, & utique ex sensu Gallicanæ Ecclesiæ scribebat) dum Jure Imperatorem eligendi necdum ad Septem-Viros translato hæc scribit: *Illud nimiùm condecens ac perhonestum videtur, atq; ad pacis tutelam optimum Decretum, scilicet, ut ne quisquam audacter Imperij Romani Sceptrum præproperè gestare Princeps appetat, seu ut Imperator dici aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eíque commiserit insigne Imperiale.* (b) Addítque causam: *Quòd olim ubíque terrarum quilibet Tyranni sese procaciter impellentes sæpissimè essent Imperatores creati, quanquam minùs apti Reipublicæ.* Asserit hîc Glaber, ad Romanum Pontificem publici boni, vitandæque Tyrannidis causâ pertinuisse, non solùm coronare, sed etiam *deligere Imperatorem*, & contra Pontificis voluntatem neminem dici Imperatorem, imò *nec esse* potuisse: non ergo Pontifex ritum tantùm externum, nec necessarium circa Imperatores

(a) Maimburg. de la decad. lib. 2. ad ann. 996. propè init. (b) Glaber. lib. 1. in f. floruit circa ann. 1040. V. & Panvin. de Comit. Imper. & Regal. Sacerdot. fol. 148.

exercebat; hic enim non pertinet ad *delectum Imperatoris*, & ad hoc, ut dicatur aliquis, *sitq; Imperator*: & verò quid compescendis tyrannis solus hic ritus profuisset, si nihil Imperatoribus dabat, adimebátque? num tyranni titulis tantùm, & specie coercentur rebus vacuâ? Commendat verò Glaber hanc in Pontifice potestatem, eámque dicit *Reipublicæ necessariam*; tantùm abest, ut eam reprehendat, & inconcessam credat. Vides ergo, quæ tunc temporis fuerit Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Sed ad convincendam Maimburgi vanam illam distinctionem, egregium est testimonium (a) Synodi Ticinensis, in qua expressis ac conceptis verbis habemus, Coronationem illam, quam Pontifices præstant, non esse merum ritum externum, nudúmque ministerium, *sed electionem & approbationem, & solemnem ad Imperij Romani sceptra provectionem.* Quod postea Decretum Concilij Ticinensis ab Episcopis Galliæ in Synodo Pontigonensi *actione 2.* lectum, approbatúmque est, teste Aimoino; exclusó Ludovico fratre Germaniæ Rege, & Imperij æmulo. Et quamvis Galliæ Antistites in eadem Synodo Pontigonensi nunquam flecti potuerint, ut contra Galliæ privilegia Ansegiso Archiepiscopo Senonensi Primatum deferrent: quamvis subornato privilegio, & Caroli Imperatoris potentiâ, id enixè urgentis, fulciretur; ubi tamen de Imperatoris electione actum est, omnium assensus extemplò secutus, reverentiâ Pontificis Romani. Nec ulli Episcoporum in mentem venit, ut dicerent, supra Pontificis Romani potestatem id esse, eóque Regni & Ecclesiæ Gallicanæ libertates violari; nam si violari istas crederent, cur non eodem animo, eâdémque constantiâ Pontifici & Carolo obsisterent, quâ utique obstiterunt, cùm pro Archiepiscopo Senonensi Primatum peterent? non ergo obluctandi animus, sed ratio illis defuit; elucet hîc iterum, Coronationem à Pontifice factam non fuisse Galliæ judicio speciem tantùm ac pompam externam, sed Juri ac potestati Imperatoriæ conjunctam. Equidem non id ago, ut hîc decidam, jure an injuriâ Joannes VIII. Carolum Calvum promoverit, neglecto Ludovico fratre, sed solùm ut Pontificis Romani ostendam in Impe-

(a) Syn. Ticin. §. unde nos. Habetur in annal. Pithœi f. 391. & apud Baron. ad ann. 876. V. Spond. ad eund. ann. n. 2. & ann. 875. n. 2. Syn. Pontigon. Act. 2. apud Spond. anno 876. n. 2. & Aimoin. lib. 5. c. 33. Grets. Apol. Baron. c. 15.

Imperatores exercitam, agnitámque à Gallis potestatem. Credo equidem satis auctoritate probatum, Leonem, cùm Carolum Magnum Imperatorem pronuntiavit, non solum ei nomen, sed etiam Imperatoriam potestatem contulisse; sed etiamsi auctoritas abesset, id satis ratio ostenderet; si enim ante Leonis Coronationem jam Imperator Carolus, ut contendit Maimburgus, cur nulla apud auctores istius Imperij mentio? cur modò post Coronam à Leone acceptam ab omnibus historicis Imperator appellatus? cur in omnibus Diplomatibus ante Coronationem datis Regis titulum, posteà verò Imperatoris præfigit? & denique cur anni illius Imperij modò à Coronatione numerantur? si enim Coronatio res tantùm accidentalis erat, nullúmque Jus Imperatori tribuebat, & Carolus multò priùs Imperator, cur non potiùs ab ipsa vera realíque potestate, quàm à mero titulo umbráque Dignitatis anni ducebantur? quod perinde est, ac si Regni sui annos non ab ea die numeret aliquis, quâ successit, vel electus est, sed ab eo, quo cum Sceptro & purpura in publicum processit; cùm tamen fieri possit, ut multis priùs annis Rex fuerit, quàm insignia Regni induerit. *Sed*, inquit, Maimburgus, *modestia fecit, ne vellet Imperator appellari.* Inane responsum. Modestia enim aliena tantùm usurpari prohibet, non proprijs uti; quis enim modestiæ adscriberet, & non potiùs aut hypocrisi aut pudori rustico, si qui Parochus est, nollet Parochus dici: & qui Episcopus est, omníque conatu Episcopatum captâsset, nollet eo adepto Episcopus vocari? quòd si Carolo tanta modestiæ cura, oportebat illum non tam titulo & insignibus irasci, quàm ipsi dignitati & potestati Imperatoriæ, quam teste Maimburgo tot priùs annis adeptus erat, ac Græcis eripuerat: ipsíque Græci nunquam priùs de Carolo conquesti sunt, quasi Jura Occidentis Imperatorum occuparet (cùm tamen multos jam annos præter Franciam & Germaniam Italiæ potiretur) sed modò, cùm coronatum illum à Leone audierunt; id manifesto argumento est, non ante Coronationem Imperatorem fuisse, sed Regem; quod in Carolo æquè ac in alijs Longobardorum Regibus patienter Græci ferebant.

II. *Sed*, inquit Maimburgus, *quid Carolo deerat, ut Imperator dici ante Coronationem non posset, cùm jam maximâ Occidentis parte potiretur, & quantâ nemo alius Imperatorum, Franciâ videlicet, Alemanniâ, Italiâq;, aut quid illi Coronatio*

natio adjecit, quod priùs non haberet? Resp. Hoc argumentum ex Illyrico descripsit Maimburgus, recitátque Bellarminus, *l. de transl. Imp. c. 13. arg. 16.* Sed Maimburgus, ut tempori ac calamo parceret, Illyrici argumenta velut sua deprompsit, tacuítque Bellarmini responsa. Concedo ergo, magnam Occidentis Partem Carolo paruisse, sedut Regi, non Imperatori; priùs enim quàm Carolo hæc dignitas à Leone conferretur, legitimi Imperatores Occidentis Græci erant; nec oberat, paucas in Occidente Provincias eis tunc temporis paruisse; constat enim, Jura Imperij aut Monarchiæ vel in una Civitate, & exiguo terræ spatio conservari, quod leges Romanæ & ex illis Hermes (a) insignis Juris-Consultus egregiè ostendunt; & quantula Jmperij Romani pars est, quam nostri Imperatores obtinent? Cùm ergo Occidentis Imperatores Græci essent, & in Italia Siciliam, Neapolin, Apuliam, Calabriámque tenerent, non poterat Carolus Imperator esse aut dici, nisi translato per Leonem Imperio: nec verò hæc Translatio merè titularis fuit & honoraria, ut putat Maimburgus; nam *primò* novus Imperatoris & Augusti titulus accessit, & cum titulo Jus præcedendi, gaudendique omnibus Privilegijs Romani Imperatoris, quæ tunc temporis majora fuisse, quàm nostrorum Imperatorum, exemplo Henrici II. constare videtur, qui missis ad Concilium Turonense Legatis (b) graviter de Ferdinando Magno Castellæ & Legionis Rege conquestus est, quòd titulos & insignia Augusti usurparet, nollétque Henrico legitimo Imperatori obtemperare; & Ferdinandus Victori II. ut alienis honoribus abstineret monenti, modestè acquievit. Quanti verò etiam nuda insignia, titulíque, ac Jus præcedendi à magnis Principibus fiant, quantâque pro illis contentione certetur, nihil attinet dicere, quippe & antiquis, & recentibus exemplis res nota est. Nec diffitetur (c) Maimburgus, Nicephorum Logothetam, qui Irenæ successerat, ægerrimè tulisse, acceptum à Carolo Imperatoris nomen; sed cùm armatum illum, victorémque metueret, amicum quàm hostem maluit. Basilius quóque graviter cum Ludovico II. per literas expostulavit, (d) quòd

(a) Hermes in fascic. Juris publ. l. 1. q. 3. n. 30. argum. L. 7. ff. quod cuíúsque univ. (b) Anno 1055. (c) Maimb. des Iconcl. l. 4. f. 102. (d) Spond. ad ann. 871. & 968. Anastas. in Vita Hadr.

quòd non Regem, sed Imperatorem se scriberet, ejúsque Legatos in Synodo Constantinopolitana pessimè habuit, quòd Ludovicum Imperatorem appellâssent; imò ex literis Apostolicis, quas dolo corruperat, expungi hunc titulum fecit; eandémque ob causam indignè accepti Ottonis Primi (a) Legati à Nicephoro Phoca, cujus privignam Ottoni filio petebat. In Occidente verò palam est, quanti hic titulus & Corona ab Imperatoribus ambirentur: hinc omnium ferè Imperatorum à Carolo M. usque ad Rodolphum in Italiam (b) expeditiones; nec anni Imperij à die successionis, vel electionis, sed à die Coronationis per Romanum Pontificem numerabantur, ut passim in historia occurrit, & in Regali Sacerdotio exemplis probatum. Patet ergo, quanti à Græcis, Latinisque hæc Coronatio fieret, quantumvis daremus, quod tamen falsum est, merè titularem fuisse. *Secundò*, accedebat præter titulum Imperatoris jus quóque non tantùm eas Provincias occupandi, quæ ad Imperium Occidentis pertinebant, à Græcis, aut injustè ab alijs possessæ (erant verò Apulia, Calabria, Sicilia, Neapolis, Illyricum, Candia, Dalmatia, Cyclades insulæ) sed etiam retinendi, quæ Carolus Longobardis, & Longobardi Græcis eripuerant; Longobardi enim injusto bello Italiam, & per Tyrannidem invaserant, non ergo ejus Dominium Græcus amiserat, & ideò nec Carolus retinere eam poterat, quippe legitimo, invitóque Domino ablatam: & Græci nunc Legatis ad Pipinum missis, nunc classe in Carolum armatâ & atroci pugnâ defuncti Duce Aldagiso Desiderij filio Italiam repetebant; cesserúntque eâ tandem pace cum Francis ac fœdere composito, ac Siciliâ, Calabriâ, Apuliâque retentis: sed id translato jam Imperio evenit. Ut ergo Carolus justo titulo Italiam posslideret, non sufficit, ut Longobardos bello vinceret, isti enim non Domini Italiæ, sed raptores erant, nisi insuper Imperio Occidentis augeretur, quod, ut dixi, à Leone ei præstitum. Cùm ergo Maimburgus quærit, quid hæc translatio Carolo adjecerit, jam aliàs majorem Occidentis partem obtinenti? Respondeo, adjecisse titulum, præcedentiam, & alia Imperatorum Occidentis privilegia, ac insuper jus Italiam à Longobardis possessam occupandi, aliásque insuper Provincias, quæ ad Imperium

(a) Spond. ad ann. 968. (b) Vide Reg. Sacerd. f. 148.

Occidentis pertinebant, nec Longobardis paruerant, vindicandi; & jam Pipinus Caroli filius bello accingebatur; sed ut dixi, Græcus prævenit, festinatâ pace, quod Æmilius in vita Caroli observat. *III.* Objicit insuper Maimburgus: *Romam Imperij Caput spontaneâ Senatûs Populíque Romani cessione Carolo advenisse, ergo jam antè dici Romanorum Imperator poterat, quàm à Leone coronâ cingeretur: sic Odoacer & Theodoricus Imperatores dicti sunt, Romam adepti. Respond.* Promiserat Maimburgus, se de Imperij translatione ea dicturum, quæ ipsam lucem vincant certitudine, nec in dubium vocari possint; nunc promissi oblitus rem ponit incertissimam: incerta enim sunt, quæ de spontanea Romanorum subjectione narrat (nam Agilbertus, Abbas S. Richardi, non Francis jurâsse Romanos, sed Pontifici Leoni jussu Caroli Imperatoris, scribit) & videri potest Bellarminus (a) de Translatione Imperij. Sed juraverint Carolo Romani, at id fieri potuit jussu & auctoritate Pontificis Romani, à juramento, quod Græco fecerant, solutis; imò ità factum esse persuadent *tum* omnium scriptorum vota, uni Pontifici hanc Imperij translationem adscribentium, *tum* exempla Zachariæ Pontificis, & Stephani IV. de quo Theagnus, & ex illo Maimburgus: (b) *Stephanus postquam Pontificatum suscepit, statim jussit omnem populum Romanum fidelitatem cum Juramento promittere Ludovico.* Sed demus, populum Romanum se Carolo subjecisse, demus, id sponte sua, non Leonis auctoritate aggressum esse, non ideò Carolus Romanorum & Occidentis Imperator; Imperialis quippe dignitas non est loco & Urbi alligata, alioquin qui hanc haberet, continuò Imperator esset, qui non haberet, non esset; ergo nec Leopoldus, nec alij longâ serie Augusti Imperatores Romanorum dici possent, nam Româ caruêre: an verò Reges Hispaniæ, Galliæ, Angliæque Romanorum Imperatores, quia Regnis præsunt, quæ olim Provinciæ fuerant Romani Imperij? non ergo Roma, non Romanæ Provinciæ Imperatorem faciunt, sed qui legitimo ordine, jure videl. sanguinis, aut electionis Romanis Principibus succedit, sive is Romæ, seu Viennæ Regiam figat, nam ut observat Poëta:

Sejos habitante Camillo
Illic Roma fuit. Patet

(a) Bellarm. de Transl. Imp. l. 1. c. 1. n. 15. & c. 13. ad 11. (b) Maimb. des Iconocl. lib. 4. ad ann. 800. Theagn. de gest. Lud. Pij c. 16. 17. 18.

Patet ergo ex dictis, quàm multis partibus Maimburgi laboret objectio; nam quod de Odoacre & Theodorico addit, quasi occupatâ Româ Imperium gesserint, infeliciter, imperitéque ex Illyrico suo descripsit, qui hoc ipso argumento utitur (a) de translatione Imperij *pag. 26.* quamvis contrarium in Centurijs docuerit *Centur. 6. c. 16.* Quid rogo Barbari & Tyranni exemplum probet? eodem enim Jure Imperium & Italiam tenebant, quo Pyratæ & latrones viatorum spolia, tantúmque ad probandum Theodorici & Odoacris exemplum valet, quantum pyratarum & latronum; ubi videas Maimburgi paupertatem tam infelicibus exemplis usi, cùm alia deessent malæ causæ firmamenta. Deinde Theodoricus non ob Romam, Italiámque occupatam Imperator dictus, sed dono Zenonis, qui triumphum, Consulatum, & equestrem in foro statuam Theodorico detulit, imò in filium adoptavit, præmia bellicæ virtutis, navatæque contra rebelles operæ: sed ipse fortunam suam non ferens, & majora, quàm caperet, animo agitans, primò Orientem, tum Italiam tentavit, subegitque, Benefactori suo ingratus, de quibus Evagrium, (b) Ennodium, Jordanémque Episcopum consule.

IV. Objicit etiam (c) Maimburgus in libro de Imperij declinatione: *Friderico Primo Imperatore vehementer Hadriano IV. Pontifici infenso, quòd in litteris ad eum datis hæc verba posuisset; insigne Coronæ beneficium tibi contulimus; Hadrianum repetitâ ad Cæsarem Legatione protestatum esse, se illis verbis nihil aliud significare voluisse, quàm imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus.* Fatetur ergo Hadrianus, nullum aliud Pontificis munus esse circa Imperatores, quàm Coronam eis imponere; & hoc totum esse, quod præstant, cùm dicuntur Imperatorem constituere, quod etiam Fridericus in Conventu Principum his verbis expressit, teste Radevico, (d) Ottonis Frisingani Continuatore: *Liberam Imperij nostri Coronam divino tantùm beneficio adscribimus; electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod supererit, cæteris secundùm Ordinem Principibus, Regalem unctionem Colonienſi, supremam verò, qua Imperialis est, Summo Pontifici, quidquid præter hæc ex abundanti est, à malo est.*

(a) V. Bellarm. de transl. Imp. l. 1. c. 1. n. 7. (b) Evagr. l. 3. c. 25. Ennod. in Paneg. Jord. Episc. in Orat. Spond. aliisque (c) Maimb. de la decad. l. 5. f. 451. (d) Radev. lib. 1. cap. 15. & 16.

Ergo ex Hadriani & Friderici sententia, cùm Pontifices Imperatorem coronant, nihil exhibent præter externam ceremoniam, sacrámque Unctionem: *Idque*, inquit Maimburgus loco citato, *tota hactenus Gallia credidit; quidquid enim Imperialis potestatis in Occidente Carolus & Otto Magni possederant, aut paternæ hæreditati, aut gladio debent. Respond.* Confundit Maimburgus tempora, educitque argumentum, quàm visu speciosum rerum imperitis, tam historiam callentibus ne aspectu quidem dignum, quod ferè in hoc scriptore perpetuum. Cùm hæc Episcopi Germaniæ ad Hadrianum ex mente Friderici scriberent, agebatur annus 1157. quo tempore Jus eligendi Imperatorem in certos Germaniæ Principes auctoritate Summorum Pontificum translatum fuerat. Sciendum enim est, dominante stirpe ac familiâ Carolinâ jure legitimæ successionis Regnum Germaniæ deferri (cui Imperium annexum erat) vel potiùs transmitti ad proximos Agnatos consuevisse; sed extinctâ Carolinâ stirpe Reges eligi cœpêre. Ea in Ludovico IV. (a) Imperatore Arnulphi filio, ac sine virili prole defuncto, extincta est. Supererat ex Carolina stirpe Carolus cognomento Simplex, Franciæ Rex, sed eo ob ignaviam contempto, Imperium à Principibus Germaniæ Ottoni Saxoniæ Duci, istóque recusante Conrado Primo, Franconiæ Principi, oblatum. *Anno* DCCCCXIX. moritur Conradus, & Henricus Auceps Saxoniæ Dux, ad quem Conradus insignia Imperij transmiserat, communi Principum voto sufficitur. *Anno* DCCCCXXXVII. in Comitijs Generalibus Aquisgranum indictis Otto Magnus Henrici Aucupis filius Rex Germaniæ pronuntiatur, inungitúrque ab Archiepiscopo Moguntino. Ottoni, ejúsque filijs, quò eos ad liberandam Romanam Ecclesiam invitaret à Tyrannis oppressam Leo VIII. privilegium concedit, eligendi successores Germaniæ Reges, postea ad Imperium à Pontifice promovendos. Recitant hoc Privilegium non Baronius (b) tantùm, sed etiam ipsi Centuriatores (c) Lutherani, verba Privilegij inter alia sunt etiam hæc: *Nos quóque Leo, servus servorum DEI, Episcopi similiter cum toto Clero & universo populo Romano constituimus, confirmamus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, átque largimur Domino*

(a) Anno 912. (b) Baron. ad ann. 996. n. 41. habetur cap. in Synodo d. 63.
(c) Centuriar. Cent. 10. cap. 16.

Domino Ottoni Primo Teutonico Regi, ejúsque successoribus hujus Regni Italiæ in perpetuum facultatem successorem eligendi &c. Quo privilegio Otto ejúsque filius usi sine alia electione, jure sanguinis Imperium adepti sunt. Witichindus tamen, Continuator Rheginonis, & Platina in vita Benedicti VII. etiam istos à populo electos dicunt. Post Ottones non ampliùs successione, sed electione provecti Imperatores, quod de Henrico II. Rege, & I. Imperatore, qui Ottoni III. successit, Conrado II. Rege & I. Imperatore, Hemrico IV. Rege & III. Imperatore, Henrico IV. Imperatore, Lothario II. Conrado II. Imperatore. Friderico I. Ottone IV. & Friderico II. docent Auctores (a) hîc ad marginem citati. Sæpe tamen in forma eligendi variatum, aliquandiu enim etiam populus ad suffragia admissus, imò Principes, Urbésque Italiæ, ipsíque per suos Legatos Pontifices, quia videlibet Italiæ Regnum pars Germanici Imperij censebatur: aliquando ad solos Principes Officiales, Ministróque Imperij jus eligendi spectavit: aliquando soli, omnésque, qui vellent, Principes Germaniæ. Tandem ad Septem-Viros res delata, adeò ut ultima de Electoribus Constitutio multa capita complecteretur, videl: ut non hæreditate, sed electione Imperium quæratur; ut soli Principes, non populus eligat; ut soli Germani; ut non omnes, sed sex tantùm aut septem. Fuisse autem institutum Collegium Electorale, receptúmque non quidem quoad numerum Electorum, sed quoad alia electionis capita suprà commemorata, ac Principibus Germaniæ jus eligendi concessum, idque ante obitum non solùm Friderici II. sed etiam Friderici I. Imperatorum, dubitari non potest; id enim omnes Auctores (si Onuphrium Panvinum excipias de Comitijs Imperatorum, & Auentinum) gravissimíque testantur, ac Friderico II. coævi; ij sunt S. Thomas, (b) Beatus Augustinus Triumphus, Lupoldus Bambergensis, Aluarus Pelagius, & Ioannes Villanus, alijque quos citat Bellarminus; hi omnes ad tempora Ottonis III. referunt hoc Privilegium, & facultatem Principibus Germaniæ datam circa Imperatoris electionem; & ab Ottone III. per ducentos & suprà

(a) Otto Frising. l. 6. c. 27. & 28. l. 7. c. 22. & l. 2. de reb. Frid. Ursperg. in Chron. anno 1053. & 1106. Continuator Sigeberti an. 1126. Witich. l. 1. rer. Saxon. Luitpr. l. 2. c. 7. (b) S. Thom. l. 3. de Regim. Princ. c. 19. B. Aug. Triumph. de pot. eccl. q. 35. Lupold. l. de jur. Imp. c. 3. Alu. Pelag. l. 1. a. 41. Villan. l. 4. hist. Flor. c. 2.

annos usque ad Fridericum II. negari haud potest, Jus eligendi penès omnes Principes fuisse, id enim & ipsæ electiones ostendunt, & litteræ Romanorum Pontificum ad omnes Principes Germaniæ datæ de nova Imperatoris electione, Gregorij (a) videlicet VII. circa annum MLXXX, & (b) Innocentij III. MCC. Ipse Fridericus II. non à septem tantùm, sed à quàm plurimis Germaniæ Principibus electus est, ut apparet ex Comitijs ea de causa habitis. Numerus ergo Septem-Viralis aut à Gregorio V. natione Germano, & Ottonis III. Nepote institutus est, quod voluit Bellarminus; obijt verò Gregorius anno 999. & jus eligendi concessit Germanis in Synodo Romana anno DCCCCXCVI. aut in Synodo Lugdunensi prima ab Innocentio IV. anno MCCXLV. quod probat Baronius (c) testimonio Matthæi (d) Parisiensis, & actorum Concilij Lugdunensis, in quibus id clarè asseritur. Et verò multæ magnæque rationes erant, numerum Electorum ad paucos restringendi, ob ingentia mala, flammásque bellorum, quæ totum Imperium, Ecclesiámque in partes scindebant, vastabántque ambitione Candidatorum. Nisi malis dicere, in Concilio Lugdunensi primo non tam fuisse constitutum numerum Septem-Viralem, quàm renovatum, præceptúmque observari, cùm hactenus induci Principes non potuissent, ut se jure eligendi abdicarent. Deberi verò hunc numerum, formámque eligendi Summorum Pontificum auctoritati, in Regali Sacerdotio (e) evidenter ostendimus, productis vid: testimonijs omni exceptione majoribus, ac etiam confessione adversariorum certissimis. Patet ergo ex dictis, frustrà à Maymburgo testimonia Hadriani PP. & Friderici I. Imperatoris objectari, nullum Jus Pontifici Romano, exceptâ Coronatione, sacráque Unctione agnoscentium; eo enim tempore totum Jus eligendi in Principes Germaniæ Pontifices transtulerant, & ideò non Pontificum ea cura, sed Principum erat, nisi cùm Ecclesiæ & publica necessitas aliud exigerent; quæ ergo consequentia à Friderico ad Carolum Magnum, quando & ultima necessitas Pontificem urgebat, & jus Imperatorem eligendi necdum ad alios translatum?

V.

(a) Innocent. III. in cap. venerabilem. de elect. (b) Greg. VII. l. 4. ep. 3. (c) Matth. Paris. in V. Henr. III. (d) Baron. ad ann. 996. (e) V. Regale Sacerd. f. 166.

V. Allegat Maymburgus testimonium Ottonis Frisingensis, Viri sanctitate & eruditione præcipui, nec minùs Pontificum, quàm veritatis studiosi; is enim ita loquitur: (a) *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice vel excommunicatum, vel depositum.* Hæc Otto non scriberet, si aut legisset, aut putâsset, Græcos Imperatores majori parte Romani Imperij à Leone privatos esse. Et verò quis credat, à tam præclaro scriptore rem tam celebrem aut ignoratam, aut negatam esse? *Resp.* Ottonem Frisinganum (b) inter præclaros Scriptores numerandum esse nemo inficias iverit, sed & illud compertum, non caruisse illum nævis, quæ humanam naturam comitantur. Quantis ille laudibus Gilbertum Porretanum non extulit? adeò ut S. Bernhardum, qui Porretanum confutabat, nimij ardoris incusaret: sed moriturus errorem agnovit, deploravitque, ac libros, quos ea de re scripserat, corrigi à suis jussit, teste Radevico (c) Canonico Frisingano. Quid ergo mirum, si Otto Imperatorum frater & Patruus naturæ aliquid & affectui indulserit? præsertim cùm semper aulam & castra Cæsaris sequeretur, ubi querelæ in Pontificem perpetuæ. Et reverà deceptum Ottonem, cùm scripsit, à nullo ante Gregorium Pontificem Imperatores Romanorum excommunicatos fuisse, plus quàm certum est; nam *anno CCXXXVI.* Fabianus Papa teste Eusebio (d) Philippum Imperatorem multis delictis impiatum Ecclesiâ ejecit, nec priùs admisit, quàm publicâ pœnitentiâ & confessione veniam flagitijs impetraret. *Anno CCCVII.* Innocentius Pontifex Arcadium & Eudoxiam Imperatores ob proscriptum Chrysostomum anathemate percussit; inter alia litteris ad eos datis ità Pontifex loquitur: (e) *Itaque ego minimus & peccator, cui thronus Magni Petri commissus est, segrego & reijcio te, & illam, à perceptione immaculatorum mysteriorum DEI nostri. Episcopum autem, aut Clericum Sanctæ DEI Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, dignitate excidisse decerno; quòd si ut homines potentes quenquam ad id vi adegeritis, scitote, id vobis non par-*

(a) Otto Frising. in Chron. l. 6. c. 35. (b) Otto Frising. l. 1. c. 46. (c) Radev. in Frid. l. 1. c. 46. (d) Euseb. l. 6. hist. c. 27. Spond. ad ann. 246. n. 2. (e) Theodor. l. 5. c. 34. Niceph. l. 13. c. 34. Glycas Annal. p. 4. Extant Tom. 1. epist. Rom. PP. ep. Innoc. 17.

parvum peccatum fore, in tremendo illo Judicii die, cùm neminem hujus vitæ dignitas & honor adjuvare poterunt. *Anno DII.* Symachus Papa Anastasium Imperatorem Sacris interdicit. *Anno DXXXXVII.* idem fulmen in Theodoram Augustam Justiniani Conjugem: *Quòd pertinaciter Eutychianis faveret,* à Vigilio Pontifice vibratum, ut testis est B. Gregorius Papa. (a) *Anno DCCXXX.* Leo Isauricus à Gregorio II. quòd Sacras Imagines persequeretur, in Synodo Romana diris percutitur: testes sunt Theophanes, Zonaras, Græcique & Latini omnes. Aut ergo deceptus est Otto Frisingensis, cùm negat, quenquam Imperatorum à Summis Pontificibus excommunicatum esse, aut intelligendus de Imperatoribus Germanis. Sed qui excuses Maimburgum tantum historiæ ostentatorem, & hæc nescientem? quíque toties, tantóque verborum strepitu Baronio congreditur; nunc Ottoni propitium, eo solùm nomine, quòd contra Pontifices scribat; nam si Ottoni contra Imperatores similis error excidisset, quantâ putas solertiâ illi expromendo Maimburgus laboraret? adeò hunc hominem non veritas, sed odium delectat. *VI.* Opponi etiam potest, quod narrat Sigebertus in Chronico, videl: *Clodovæum Regem ab Anastasio Imperatore Codicillos de Consulatu, & Coronam auream accepisse cum gemmis, & tunicam blatteam, & ex ea die Consulem, & Augustum appellatum esse, ipsum verò Coronam cum gemmis Sancto Petro dono misisse.* Causa quærendæ, parandæque cum Clodovæo amicitiæ bellum fuit cum Theodorico, (quòd Pannoniam occupâsset) Gothisque susceptum, quo tempore eosdem Gothos Clodovæus ingenti clade delevit, Alarico eorum Rege suâ manu percusso. Si ergo, *inquiunt*, Anastasij Imperatoris dono Clodovæus Consul & Augustus fuit, sequitur hanc dignitatem Augustalem ad Clodovæi posteros, & consequenter Carolum Magnum, non Pontificis auctoritate, sed hæreditariò devenisse, *Resp.* Cùm nullus Scriptorum Clodovæum, multóque minùs ejus posteros in fastos consulares, aut numerum Imperatorum referat, palàm est, sola insignia, titulúmque Clodovæo oblata, non verò ipsam Consulis potestatem: & hoc ipsum fuisse prærogativam Personalem, & cum Clodovæo extinctam, nec in ejus posteros propagatam; quis enim ex omnibus Franciæ Scriptoribus Reges

(a) S. Greg. 2. epist. 36.

Reges Galliæ Imperatores & Augustos appellavit? & quam ob causam Græci Imperatores tam ægro animo hunc titulum à Carolo assumptum esse doluêre, si ad ipsum, ejúsque majores spectabat, Græcorum dono? Adde, nec Carolum Magnum ex Clodovæi, sed Pipini stirpe prognatum, & ideò nec potuisse jure hæreditario gaudere Clodovæi privilegijs. *VII.* Objcit etiam Illyricus Sigeberti, Vincentij Belluacensis, & Lupoldi auctoritatem, qui videntur hanc Imperij Translationem non Pontifici, sed populo adscribere. Resp. Qui rogo sunt hi Auctores, & tam pauci numero, & tot annis à Carolo remoti, ut possint cum alijs innumeris, ac Carolo coævis componi, qui omnes hanc Translationem Imperij non populo, sed Pontifici tribuunt? & cùm Imperium non penes populum Rom. sed Græcos esset, quî poterant Romani tribuere, quod non habebant? id enim perinde esset, ac si diceres, posse Gallos Imperium Romanum in Principes Borbonios transferre, cùm tamen nec Galli hoc Imperium habeant, nec dare alijs possint. Et Sigebertus nihil aliud dicit, quàm (a) *populum Carolo Regi Imperatorias laudes acclamâsse.* Lupoldus verò ex instituto probat, non potuisse à populo Romano Imperium transferri. Vincentius Bellvacensis idem quod Sigebertus scribit, nihil ergo ex his Auctoribus probari potest.

Patet nisi fallor ex hactenus dictis, Romani Imperij Translationem auctoritate Romani Pontificis factam esse, & argumenta, quæ in contrarium opponuntur, tam esse infirma, & omnium præsertim antiquorum testimonijs adeò convinci, ut vel hoc ipso imbecillitatem suæ causæ ostendant, quòd tam vanis nitantur: sed nescientibus imponunt; brevi tamen, & fœdo mendacij solatio, placuisse imperitis, & decepisse. Nunc ad alia exempla hujus Pontificiæ potestatis vertamur, si minùs celebria, at æquè vera, semper tamen intra Galliam hærebimus, id enim propositum mihi, ut longâ, certâque inductione ostendam, quænam mens fuerit Ecclesiæ Gallicanæ.

VIII. *Anno DXCIII. Petentibus Francorum Regibus*, inquit Spondanus, *B. Gregorius Magnus Monasterio Suessionensi S. Medardi in Gallia Privilegium concedit, quo illud constituit caput omnium Monasteriorum totius Galliæ,*

(a) V. Bellarm. de transl. Imp. l. 1. c. 10.

& nullius voluit ditioni subjici, præterquàm Sedis Apostolicæ. Initium hujus Privilegij sic habet: *Pretiosissimis lapidibus in Diademate Christi, &c.* Et infrà: *Si quis autem Regum, Antistitum, judicum hujus Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis Decreta violaverit, vel aliter ordinaverit, cujuscúnque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur.* Huic privilegio Theodoricus Rex, aliique Franciæ Episcopi subscripsêre, ut intelligas, quæ tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ mens, & sententia fuerit. Adverte tamen, eam subscriptionem posteà adjectam esse Theodorico Galliam gubernante; anno enim, quo ea Constitutio facta est, videl. DXCIII. Gildebertus regnabat. Tanta verò fuit modestia, pietas & doctrina Gregorij, ut eum aut fastu, aut ignorantiâ errâsse, dubitare nemo possit.

IX. *Anno DCIII.* Idem Gregorius M. concessis privilegijs Xenodochio à Brunihilda Regina & Theodorico ejus nepote eandem clausulam subnectit, vid. *Si quis verò Regum, Sacerdotum, judicum hanc Constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate privetur.* Nota circa has Epistolas, eas inter epistolas B. Gregorij (a) reperiri, & in omnibus quidem tam impressis, quàm scriptis Codicibus, citántque non solùm Gregorius VII. sed etiam illi, qui Galliæ monumenta collegerunt, vid. Andreas du Chesne, Jacobus Sirmondus, alíque quàm plures Galli, & ab undecim ferè seculis nemo de illis dubitavit. Maimburgus, cùm nihil solidi objectare his epistolis posset, in solitas invectivas effunditur, & armis destitutus cymbalo perstrepit: *Impostoras crassissimas vocat, & inverecundos, qui earum testimonio utuntur.* Si quæras, quibus rationibus contra tot seculorum cursum nitatur, támque insignes viros, ad quorum vix fimbrias ipse assurgat, tam indignis censuris perstringat? nullas prorsùs adducit, imò nec testes, perinde ac si Maimburgi auctoritas toties fœdata, & malæ fidei comperta tanti sit, ut undecim seculorum possessioni præferri debeat, & in ejus gratiam Gregorius Pontifex, Spondanus, alijque impudentiæ notari; nam quòd dicit; *repugnare Gregorij modestiæ tam severæ Clau-*

(a) Greg. VII. l. 8. ep. 2. & l. 4. ep. 2. & 23. Sirm. Concil. Gall. T. 1. Andr. du chesne hist. Franc. T. 1. Spond. ad ann. 593. n. 6. Baron. ibid. n. 95. Greg. M. l. 11. ep. 10. ind. 6. V. tract. de libert. Ecclesiæ Gall. f. 175. Maimb. traité de l'Eglise de Rome f. 403.

Clausulas; jam suprà ostendimus, eum Gregorium fuisse, qui & obsequi sciret & imperare, & cùm necessitas posceret, modestiam severitati jungeret.

X. *Anno* DCCCXXIII. In Ludovicum Pium Imperatorem Pipinus, Lotharius, & Ludovicus filij armantur. Causa pudendi belli ambitio; jámque acie congredi paratis Gregorius Papa, qui ex Italia advólaverat, pugnam diremit: sed eo digresso bellum iterum, litesque accensæ. Conventus Episcoporum Compendij habitus; illic Sacerdotum auctoritate Imperium Ludovico ademptum, & Lothario filio traditum. Audi annales Francorum ex Bibliotheca Pithœi editos, qui sententiam ab Episcopis latam ità referunt: *Omnibus in Christiana Religione scire convenit, quale sit ministerium Episcoporum, quos constat esse Vicarios Christi, & Clavigeros Regni Cœlorum, &c.* Et infrà: *Proinde notum esse necessarium duximus, qualiter nos Episcopi super Imperio Domini Lotharij Imperatoris constituti memoratum Principem humiliter audivimus, & hoc quidem illi, seu Optimatibus ejus, seu omni generalitati populi, quæ undique illuc confluxerat, manifestari curavimus, qualis sit vigor & potestas, seu ministerium Sacerdotale, & quali meretur damnari sententiâ, qui monitis Sacerdotalibus noluerit obedire.* Et infrà: *Sed quia idem Princeps Ludovicus ministerium sibi commissum negligenter tractavit, & multa, quæ DEO & hominibus displicent, fecerit, & facere compulerit, & in multis nefandis consilijs Deum irritavit, & populum sibi subjectum ad generalem interitum contraxit, & ab eo divino justóque judicio subitò Imperialis sit subtracta potestas, nos tamen, &c.* Vides, quid Episcopi Galliæ senserint de Ecclesiastica in Regna potestate. Et quamvis postea (a) hoc Decretum, ut Æmilius & Marianus Scotus notant, auctoritate Gregorij Pontificis rescissum fuerit, & Juditha Augusta Imperio & thoro restituta, ac Lugdunensis Archiepiscopi temeritas multata, imò ab omnibus ferè Gallis execrationi habita; non ideò id fuit, quòd negarent, hanc esse in Ecclesia potestatem, sed *quia*, ut loquitur, qui res gestas Ludovici tunc temporis conscripsit, *pro his, de quibus jam pœnitudinem gesserat Imperator, iterum publicâ pœnitentiâ judicaretur. Cùm ne forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam bis invehant vindictam, eúmque absentem & inauditum, néque confitentem, neque convictum adjudicârunt.* Ubi vides, non esse de potestate, sed de abusu querelam; imò Ludovicus,

(a) Baron. ad ann. 833.

cus, quamvis exercitus affluerent, constarétque injustam esse sententiam, & urgeretur totius Galliæ votis in thronum redire; ut tamen palàm faceret, quantum ipse potestati Ecclesiasticæ deferret, noluit nisi Episcoporum manibus Coronam recipere, gladióque accingi. Sic enim auctor vitæ Ludovici: *At verò ij, qui cum Ludovico remanserant, eum ad recipiendas Imperatorias Insulas hortabantur, sed Imperator nequaquam propere eorum voluit sententiæ acquiescere, sed Episcopali ministerio voluit reconciliari, & per manus Episcoporum armis accingi consensit.* Agnovit ergo Ludovicus, esse in Ecclesia potestatem, quæ Imperatores moveat noxios Religioni; idque in Gallia adeò receptum fuerat, ut non solùm Ludovicus Imperator, sed posteà etiam Carolus simplex id agnoverit; cùm enim anno DCCCXCVIII. cum Normannis tunc temporis idolorum servituti addictis fœdus contra Odonem Franciæ Tyrannum pararet, Fulco Archiepiscopus Rhemensis, pietate & doctrinâ celeberrimus, re intellectâ Carolum ab incepto revocat, minatus, nisi impio fœdere absistat, *se nunquam ei fidelem extiturum, sed & quoscúnque posset, ab ejus fidelitate revocaturum, & cum omnibus Episcopis suis ipsum Regem æterno anathemate damnaturum.* Verba sunt ipsius Fulconis (a) apud Flodoardum. Paruit Rex salubria monenti, & DEUS in præmium auditi Sacerdotis Odonem æmulum Regni è medio sustulit. Cœterùm circa utrúmque observa, cùm Reges exauctorare, eorúmque subditos juramento absolvere ad majores causas pertineat, & plerúnque totius Ecclesiæ aut quies, aut turbatio in eo vertatur; non posse rem tanti periculi à solis Episcopis suscipi, sine Romani Pontificis auctoritate, assensúque, ad quem in majoribus causis judicium & sententia pertinent; & in hoc quóque graviter ab Episcopis peccatum, qui Ludovico Imperium ademerunt; sed hoc ad abusum potestatis pertinet, de quo modò non disputamus, quis enim nescit, non ideò privari potestate supremos Principes, quia aliqui eâ abutuntur, alioquin omnis è mundo potestas proscribenda, quia vix aliqua non abusu fœdatur: id verò perindè esset, ac si oculos linguámque omnibus adempta velis, quibus homines toties delinquunt; majori pernicie, quàm remedio. Subinde tamen silentium & approbatio Pontificis Romani pro assensu fuit, quod etiam in sequenti exemplo observa. XI. An-

(a) Flodoard. lib. 4. cap. 5.

XI. *Anno DCCCXLII.* Lotharius Imperator Ludovicum, Carolúmque fratres bello aggressus, acie vincitur, fugámque capit. Episcopi Galliæ Aquis conveniunt, & Lotharium Regno, Imperióq; abdicant, duobus fratribus in ejus locum suffectis; priùs tamen de Lotharij criminibus cognoscunt, vindicántque, ac tunc demum Imperio ejiciunt; sed nec fratres admissi, nisi priùs se justè & ex legum præscripto regnaturos jurâssent; audi Nithardum, Francorum nobilissimum, & Caroli M. ex filia nepotem, quíque omnia coràm spectábat; sic enim inter alia: *Qui Episcopi ab initio gesta Lotharij spectantes, quomodo Patrem suum Regno pepulerit: quoties populum Christianum perjurum effecit: quot homicidia, adulteria, incendia universalis Ecclesia suâ nefandissimâ cupiditate perpessa sit: insuper autem neque scientiam gubernandæ Reipublicæ illum habere. Ergo omnibus unanimiter visum est, átque consentiunt, quòd vindicta Dei illum ejecerit, Regnúmque fratribus suis melioribus se ad regendum tradiderit. Veruntamen haud quaquam illis Episcopi hanc licentiam dedère, donec percunctati sunt, an secundùm Dei voluntatem regere vellent? & respondentibus se velle, ajunt, & auctoritate divinâ ut illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem Regatis, monemus, hortamur, átque præcipimus.* Vides hîc, Galliæ Episcopos jus Imperijs ac Regibus dicere, nostrámque sententiam non calamo solùm, sed exemplo docere, & Coronas de uno in aliud Caput transferre, certis tamen, fixísque legibus, & juramento sancitis: quid ampliùs velis?

XII. *Anno DCCCLX.* Ludovicus Pius Imperator, cùm tres filios reliquisset, Lotharium primum Imperatorem, Ludovicum Germaniæ Regem, & Carolum Calvum, istorúmque factionibus, bellisque Civilibus, diu Imperium & Gallia conflictarentur; tandem inter Ludovicum & Carolum fratres, eorúmque ex fratre nepotem Lotharium (filium Lotharij Imperatoris) pax sancita est, ac mutuis juramentis firmata; sed Caroli ambitio, pacto um ac finium impatiens omnia abrupit, invasítque fratris ac nepotis Provincias; hinc à Ludovico & Lothario ad Nicolaum querelæ, quibus ut invasorem compesceret petebatur; inter alia sic Pontificem alloquuntur: (a) *Oporteret vestræ auctoritatis jubar propter generalem solicitudinem nostros invisere fines, ut quos nulla movent fraternæ charitatis*

(a) Exactis Concilij apud Confluent: in MS. Cod. Anton. Augustæ. ap. Baron. ad ann. 860.

viscera, Apostolica invectio ad censuram veniræ Ecclesiasticam compellat. Vides hic testimonio Regum Galliæ, posse Romanos Pontifices de causis Principum temporalibus cognoscere, sententiam proferre, & compellere repugnantes, quod magis etiam ex mox dicendis apparebit. Nam cùm idem Lotharius Waldradam pellicem deperiret, eamque, abdicatâ Theutpergâ Reginâ, in thorum recepisset, Nicolaus Papa, nisi protinùs resipisceret, non tantùm Ecclesiâ, sed etiam Regno se illum amoturum minatus est. Sic enim loquitur: (a) *Non putamus, te in tantam tui perniciem devolvendum, ut contra nostras definitiones, vel adversùs dictam fœminam B. Petri confugio prorsùs inimicam, agere quoquo modo consentias, cùm tibi potiùs & Regno tuo, quàm Theutpergæ acquiras omninò dispendium.* Quibus verbis Regni abdicationem minari Nicolaum non solùm Baronius & Spondanus ad an. DCCCLXVI. testantur, sed etiam ipse Lotharius agnovisse videtur, quando in hæc verba (b) reverentiæ & modestiæ plena Nicolao respondit: *Uti Antecessores nostri Sanctissimorum Prædecessorum vestrorum monitis obedierunt, ità nos etiam coram excellentia Apostolatûs vestri nos humiliare cupimus; quamobrem cernuo lumine vestram affatim deposcimus Paternitatem, ut dum nos vobis, missisque vestris per omnia obedire volumus, non aliquem nostri DEO miserante consimilem super nos extollere, aut terræ præponere vestræ libeat Paternitati, ne fortè ipsi talem contra moliri velint causam, quam tolerare non valeant pro Regio munimine, inter nos aliquod scandalum evenire possit.* Et infrà: *Nulli prorsùs homini subjecti esse volentes, nisi DEO, & sancto Petro, ac cæteris Sanctis, vestræq; Paternitatis culmini, mi Pater & Domine &c.* Vides, profiteri Lotharium, *se nulli prorsùs homini subjectum esse, nisi sancto Petro, ac cæteris Sanctis*; quod utique de subjectione temporali saltem indirecta accipiendum est, si enim de subjectione merè Spirituali intelligas, quis nescit, Reges non soli Pontifici, sed etiam Episcopis, aliisque Sacerdotibus subjectos esse? Rursus illa verba: *Vestram deposcimus Paternitatem, ne aliquem nostri consimilem super nos extollere, aut terræ præponere libeat*; apertè significant, & Pontificem minatum esse, & Regem timuisse, ne alius Regno imponeretur.

XIII. *Anno DCCCLXIX.* Mortuo Lothario Carolus Calvus ejus Regnum invadit, occupátque assensu Procerum, excluso Ludovico

(a) Epist. Nicol. 51. apud Binn. T. 3 Conc. sect. 2. (b) Epist. Loth. ad Nicol. PP. ex Cod. Treu. ap. Baron. ad ann. 866. n. 43.

vico Imperatore defuncti fratre, ac legitimo Regni hærede. Hadrianus II. qui Nicolao successerat, ubi id intellexit, Legatos ad Carolum mittit, jubétque alieno Regno abstinere, nisi pareat, anathema intentat, infirmátque electionem iniquè peractam. Verba Pontificis ad Regem, & Episcopos apud Aimoinum (a) sunt ista: *Regnum quondam Lotharij, quod spirituali filio nostro Ludovico Imperatori hæreditario jure debebatur, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se flectere conetur; quod si quis præsumat, non solùm per nostræ auctoritatis ministerium infirmabitur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus cum Diabolo omninò locabitur.* Et infrà: (b) *Carolus peractâ venatione Autumnali ad Monasterium S. Dionysij perrexit, ubi Apostolicos Legatos cum epistolis ad se & ad Episcopos Regni sui directis, terribiliter sibi Regnum quondam Lotharij interdicentibus, molestè accepit.* Et ipse Hadrianus in epistola ad Carolum Regem: *Ludovico Cæsari contra hostes Christiani nominis dimicanti, pro liberatione populi DEI multis laboribus insistenti, & Saracenorum multitudinem superanti, ut pax fieret, cedere noluisti &c.* Et infrà: (c) *Igitur monemus, & auctoritate Apostolicâ modis quibus possumus spiritualiter suademus, paternóque affectu præcipimus, ut jam tertiò monitus ab invasione Regni Spiritualis filij nostri, Christianissimi Principis te subtrahas; nos etenim, nisi saltem nostris parueris monitis, nullo pacto, nullóque prætermittemus ingenio, quò minùs nosmet ipsi partes illas petamus, & quod nostri est ministerij penitùs peragamus.* Vides hîc iterum, Romanum Pontificem jus Regibus dicere, & ad quem Regna pertineant, aut non pertineant definire, ac procerum Regni electionem, quòd injusta ea esset, penitùs solvere. Sciendum enim est, in Synodo Metensi ab Episcopis & Magnatibus Regni fuisse Carolo delatam Coronam, quorum inter alia sunt etiam hæc verba: (d) *Quia voluntatem DEI unanimitate nostrâ videmus, hunc Regni hujus hæredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, vid: præsentem Regem ac Principem nostrum Carolum, ut nobis præsit & prosit &c.* Pontifex ergo Romanus dum Regiam electionem ab Episcopis & Optimatibus factam auctoritate suâ dissolvit, satis ostendit, quid in Reges & Regna possit. *Nec obstat,* Hincmarum Archi-Episcopum Rhemensem, aliósque Galliæ Episcopos obstitisse Pon-

(a) Aimoin. l. 5. c. 24. & 26. (b) Id. l. cit. c. 27. (c) Ep. Hadr. PP. ad Carol. Reg. apud. Baron. anno 870. ex Cod. Petr. Fabr. Parisijs allato. (d) Ex Actis Syn. Met. quam prædatoriam appellârunt.

Pontificis decreto, quorum hæc sensa & verba in epistola Hincmari ad (a) Hadrianum leguntur : *Omne Regnum seculi hujus bellis quæritur, victorijs propagatur, & non Apostolicis, vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur ; & scripturam divinam proponunt dicere : Domini est Regnum, & cui voluerit dabit illud : & Dominus Apostolicus Rex & Episcopus esse simul non potest, & sui antecessores Ecclesiasticum Ordinem, quod suum est, & non Rempublicam, quod Regum est, tractaverunt.* Hæc ex Gallorum sententia Hincmarus ; non ergo hanc in Pontificibus potestatem admiserunt, imò reijciunt, damnántque. *Resp.* Mirum non est, si Hincmarus, alijque Episcopi, qui in Concilio Metensi Coronam Carolo imposuerunt, Ludovico abdicato, nunc quóque factum excusent, quid enim aliud exspectares à Synodo Prædatoria, qualem hanc Metensem appellârunt ? & quem latent Hincmari artificia, & intemperies scribendi ? Malè ergo ab irato & offenso, & Regi Carolo adversùs Pontificem tot titulis devincto argumentum sumitur. Deinde demus, Gallos obstitisse, at saltem constat, Hadrianum Pontificem auctoritate suâ in Reges æquè ac alios Summos Pontifices usum, & ita falli Maymburgum, qui negat, conatúrque inductione ostendere, nunquam id Pontifices ausos esse, quasi verò exempla Zachariæ, Gregorij, Leonis, Stephani, Nicolai, aliorúmque ignorentur, qui Regibus imperârunt : frontésque Coronatas Imperio crucis submisêre : & in hoc ipso exemplo, quod manibus versamus, quis nescit, Carolum Calvum auctoritate jussúque Joannis Pontificis (quod in Concilio Pontigonensi Galli venerati sunt, non ausi obsistere) coronam & Imperium accepisse (b) Ludovico debitum majori natu ? Agnovit ergo Gallia hanc Pontificum in Reges potestatem, sed tunc, cùm pacata, cùm libera passionibus fuit, & ratione, non irâ ad clavum sedente.

XIV. *Anno DCCCXCVIII.* Carolus Simplex Ludovici Balbi filius, cùm se imparem videret Tyrannis Galliam occupantibus, præsertim Odoni Comiti Parisiensi, cum quo paulò antè pacem inierat, vires cum Northmannis idolorum cultoribus sociare parat, ac fœdus componere ; quod ubi Fulco Rhemorum Archi-Episcopus intellexit, ac Religionem, animásque periclitari impio-

(a) Epist. Hincm. ad Hadr. PP. anno 870. (b) Aimoin. l. 5. c. 31. 32. & 33.

impiorum consortio, literas ad Regem componit, libertatis ac ardoris plenas, & quales solent, cùm quis amat, dolétque, & medius inter indignationem ac reverentiam pendet, claudítque his verbis Epistolam, quæ ad propositum nostrum apprimè faciunt, vid: *Melius enim fuerat, vos non nasci, quam Diaboli patrocinio velle regnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis & talibus consilijs acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis, sed & quoscunque potuero, à vestra fidelitate revocabo, & cum omnibus Coepiscopis meis vos & omnes vestros excommunicans æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis servo, gemebundus scribo, Regnum enim, quod DEUS dat, firmum habet fundamentum; quod verò per injustitiam & rapinas acquiritur, caducum est, & citò deciduum.* Hæc Fulco apud (a) Flodoardum. Fuit is nobilitate, pietate, ac doctrinâ insignis, & inter præcipua Ecclesiæ Gallicanæ lumina censeri potest. Si ergo is credidit, ob Religionem in discrimen adductam, ac fœdus cum gentilibus initum, quorum societate periclitari, pervertíque Imperium posset, Regiâ dignitate exui Regem debere, idque in potestate Archi-Episcopi Rhemensis esse; quantò magis hanc ipsam potestatem Romano Pontifici tribueret, cujus custodiæ ac curæ omnes Ecclesiæ committuntur? Nec Fulco tam præfidenter & omnium suorum Coëpiscoporum nomine hæc scriberet, nisi ei constaret, hanc aliorum Galliæ Episcoporum mentem & sententiam esse.

XV. *Anno MCLXXIX.* Celebratum est Concilium Lateranense Oecumenicum, cui quàm plurimi Galliæ Episcopi interfuêre, in quo cap. ultimo in Dominos, qui certum ptædonum genus foverent, hæc pœna indicitur: *Relaxatos se noverint à debito fidelitatis, & hominij ac totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint.* Agnoverunt ergo Patres, & inter illos Galliæ Præsules, posse à Summo Pontifice (nam huic Synodo Alexander III. præsidebat,) non solùm spiritualibus pœnis, quæ plerúnque à sceleratis contemnuntur, sed etiam temporalibus delinquentes puniri.

XVI. *Anno MCCXV.* Magnum & Oecumenicum Lateranense Concilium convenit, quo nullum frequentius, ac pluribus Insulis celebre, quippe cui adfuerunt, Urspergensi, Stadensi & Parisio testibus, (b) Episcopi 412. Archi-Episcopi 70. Prælati alij supra 800. Pa-

(a) Flodoard. hist. Rhem. l. 4. c. 5. (b) V. Raynald. ad ann. 1215.

800. Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Legati Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum. Imperatorum Orientis & Occidentis, Regúmque Hierosolymorum, Angliæ, Galliæ, (Philippi Augusti) Arragoniæ, Hungariæ, Cypri, aliorúmque Principum Oratores, præsedítque Innocentius III. In hoc verò Concilio, quod meritò Conventum totius Orbis Christiani vocaveris, cap. 3. ità statutum est: *Si verò Dominus temporalis requisitus vel monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & cæteros Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam.* En tibi totius Orbis Christiani sententiam! Cui tantùm abest Gallos obsistere, ut potiùs & ipsi, magna quippe illius Concilij portio, sua vota contulerint. In eodem Concilio Dominium Tholosanum Comiti Monfortio dono datum, exuto Raymundo, quòd Albigenses bello adjuvisset. Verba Concilij sunt: (a) *Sacro consulto Concilio ità duximus providendum, ut Raymundus Tholosanus Comes ab ejus Dominio, quod utique grave gessit, perpetuò sit exclusus.* Probavítque tota Gallia, & ipse Philippus Rex, quando præstandi Juramenti causâ (nam supremum Tholosæ jus Regi Innocentius reservaverat) ad se venientem summâ gratulatione plausúque excepit. Alia ergo tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ sententia fuit, quàm nupera Conventûs Parisiensis.

XVII. *Anno MCCXLV.* Innocentius IV. Friderici Imperatoris arma, quibus totâ Italiâ grassabatur, veritus, in Galliam secedit, & Lugduni Concilium indicit, ubi Pontificio apparatu, cultúque insignis, facésque cum ingenti aliorum Episcoporum agmine manu quatiens, & mox terræ obversas extinguens, diras solemni pompâ in Fridericum pronuntiat, privátque Imperio, ac Principibus, ut alium eligant, mandat; & illi nec mora obsecuti, Henricum Thuringiæ Ducem Imperatorem pronuntiant. Sententia in Fridericum prolata hæc fuit: *Nos super præmissis, & quàm pluribus alijs ejus nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabitâ diligenti (cùm JESU Christi vices licet immeriti in terris, nobisque in B. Petri persona sit dictum, quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in*

(a) V. Lucam Dacher. T. 7. Spic. & Rayn. ad ann. 1214. n. 19. & anno 1215. n. 25.

in Cœlis:) memoratum Principem omni honore ac dignitate privatum à Domino ostendimus, & denuntiamus, & nihilominùs sententiando privamus omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes, auctoritate Apostolicâ firmiter inhibendo, ne quisquam de, cætero sibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, vel intendat.

Ludovicus Maimburgus libro II. des Croisades ad ann. 1245. fol. 116. cùm sententiam Innocentij recitâsset, hæc subdit: *En meme temp les Eueques, qui tenoient des cierges allumez, approuvent & confirment la sentence, & en les eteignant prononcent l'anatheme contre lui.* Hoc est: *Eodem momento Pontificis sententiam Episcopi confirmârunt, ratámque habuerunt, extinctisque, quas manu gestabant facibus, anathema Friderico dixerunt.* De hoc eodem Concilio Æmilius & Spondanus hæc habent: *Nisi S. Ludovicus Rex Francorum huic Concilio dignitatem, robúrque præstitisset, turbâsset illud armis Fridericus.* Habes hîc iterum Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, non utcúnque, sed in ipsa Gallia, plenóque Concilio expressam, & cui muniendæ Episcopi vota, Rex potentiam suam commodârunt: nec habuit Maimburgus, quid huic Concilio opponeret, quamvis alioquin nec timido ingenio, nec parco exceptionum. Jam tecum expende, quæ sit eorum fiducia, qui audent nobis Ecclesiam Gallicanam opponere, cùm nullibi plura aut fortiora exempla, quàm in Gallia pro nobis obvenerint. Et si nihil aliud, quàm Concilij Lugdunensis auctoritas esset, qui rogo sunt illi, qui non dico præferri, sed vel comparari possint cum tam magno, tam sancto, celebríque Consessu, totáque Galliâ tantâ veneratione culto?

XVIII. *Anno MCCCVII.* Interfecto Alberto Imperatore Philippus Pulcher Galliæ Rexre in Senatu maturè agitatâ solemnem ad Clementem V. Pontificem, qui tunc in Gallijs morabatur, Legationem decernit, sibíque Imperium, aut Carolo fratri deposcit. Inter alias rationes permovendo Pontifici hanc etiam Legati produxerunt, videl: *Cui enim*, inquiebat, *fiat injuria, si vacantis Imperij conditio permutetur? idem fecerunt olim Pontifices alij.* Sed Clemens niniam Philippi potentiam verebatur, si Regno Imperium conjungeret; spatium ergo deliberando petit, & interim clàm missis nuntijs Henricum Luzenburgensem promoveri ab Electoribus curat. Vide Conradum Vecerium, (a) Bzovium, & Æmilium,

(a) Conr. Veccr. l. de gest. Henr. VII. Bzov. ad ann. 1307. Æmil. in Phil. Pulch.

aliósque. Agnovit ergo Rex Galliæ, Regiúsque Senatus, posse Imperia à Pontifice transferri, alioquin cur peterent, quæ fieri non possunt ? idque ab alijs retrò Pontificibus factum esse professi sunt.

XIX. *Anno MCCCCXIV.* Inchoatum est Constantiense Concilium, cui interfuêre Sigismundus Imperator, quatuor Patriarchæ, Cardinales viginti novem, Archiepiscopi septem & quadraginta, Episcopi centum sexaginta (alij 270.) Prælati & Doctores sexaginta quatuor supra quingentos ; taceo promiscuum vulgus, quod ad mille sexaginta perveniisse dicitur. Cœterùm in hoc Concilio præcipuas fuisse Gallorum partes & Galli fatentur, Maimburgus præsertim, (a) in magno Schismate Occidentis: & res ipsa loquitur, cùm nemo ignoret, quid Universitas Parisiensis, ejúsque Cancellarius Joannes Gerson in Concilio præstiterint, à cujus doctrina, calamóque, velut pacis Oraculo Patres pendebant, cui meritò illud Eliæ applices elogium : (b) *Et surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Episcopi Conventûs Parisiensis propositione secundâ dicunt: *Decreta Concilij Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, átque ab Ecclesia Gallicana Religione perpetuâ esse custodita.* At verò nullum Concilium magis, pluribúsque exemplis hanc ipsam Pontificis in Reges potestatem ostendit, decidítque, ut adeò & secum ipsis pugnent, qui Concilium Constantiense miris laudibus extollunt, simúlque ab ejus doctrina discedunt; & cum Ecclesia Gallicana, quæ in Concilio sedit, in Concilio dixit, & quam tamen Maimburgus non audit, imò eodem tempore impugnat, laudátque. Concilium ergo Constantiense *Sessione 20.* Friderico Austriæ Duci, *in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna privationis omnium bonorum Feudalium, quæ ab Ecclesia vel Imperio obtinet, & inhabilitationis suæ, & filiorum suorum ad obtinendum tam feuda, quàm officia & Beneficia, & honoris ac famæ, & communionis in consilijs Principum mandat, ne jura & bona Episcopatûs Tridentini invadat.* Et *Sess. 31.* in monitorio contra Comitem virtutum : *Et si prædictas pœnas interducti & excommunicationis dictus Fridericus animis sustinuerit induratis, ad omnes alias pœnas spirituales & temporales procedere valeant.* Et *Sessione 39. Si quis in electione metum, vel impressionem aut violentiam intulerit, cujuscúnque statûs vel præeminentiæ fuerit, etiamsi Regali aut Imperiali præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat,*

quæ

(a) Maimb. Grand. Schism. d' Occid. præsertim. l. 3. (b) Eccles. c. 48.

quæ in Constitutione Bonifacij VIII, quæ incipit, Felicis, continentur. Eæ verò sunt, ut sit infamis, bannitus, intestabilis, nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocetur; dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam, nullus ei debita reddere teneatur, & alia, quæ habentur *in c. 5. de pœn. in 6.* Et in Bulla Martini Sess. ult. idem Pontifex sacro approbante Concilio: (a) *Volumus,* inquit, *ac statuimus, ut omnes & singulos hæreticos, etiamsi Regali, Reginali, aut aliâ quâvis Ecclesiasticâ vel mundanâ præfulgeant dignitate, auctoritate nostrâ diligenter inquirere studeatis, & per pœnas excommunicationis, nec non privationis dignitatum, ac etiam bonorum, & dignitatum secularium puniri faciatis, &c.* Similia habentur in Constitutione Carolina auctoritate Concilij edita (ut habetur Sess. 19.) quam reperies post acta Concilij, præsertim verò in §. *item eâdem auctoritate,* & §. *item dicta Synodus.* Habees hic iterum illius Synodi sententiam, quàm Patres Conventûs Parisiensis tam impensè dilaudant, quam sanctam & immotam, sempérque in Gallijs custoditam ac cultam pronuntiant, & cujus decretis Pontificiam potestatem alligatam volunt: & tamen hæc ipsa est, quæ Regibus imperat, quæ Coronis minatur, quæ honores, dignitates, testamenta delinquentibus adimit, quæque omnem potestatem temporalem fidei rebellem compescit, exarmátque. Quid aliud volunt, & quæ alia supereſt probandi necessitas post tam clarum, evidénsque testimonium? Galli erant, qui in hac Synodo sedebant, Galli, qui vota conferebant, Galli, qui primas acies ducebant, Galli denique, qui nullum finem faciunt hujus Synodi laudandæ. Ergo quià sententia, doctrináque hujus Synodi abscedunt, qualis Maimburgus, eíque similes, nec Galli dici merentur, nec Gallicanæ Ecclesiæ sensis imbuti sunt.

Maimburgus, ut auctoritate & exemplo Concilij se liberet, in libro (b) de magno Schismate Occidentis, dicit: *Concilium rem ausum esse, quæ nullo pacto sustineri, excusaríque possit, quæq; Principum supremæ Dignitati planè adversetur, nullúmque exemplum in quatuor primis Concilijs habeat: & privilegium infallibilitatis à DEO Concilijs datum, ad sola fidei dogmata, non ad Regna & Principum dignitates pertinere. Errare ergo Concilium in hac parte potuisse, imò errâsse.* Hæc Maimburgus, quæ ego verbatim ex Gallico transtuli, ut inconstans hujus auctoris, ancépsque ingenium videas, & in omnem partem versatile, ut Re-

(a) Vide etiam Sess. 15. & 17. (b) Maimb. grand Schism. d' Occid. l. 6. f. 370.

gibus blandiatur. Concilium Constantiense, ubi contra Pontifices statuere aliquid videbatur, ad Cœlum extollit, nec ejus laudandi finem ullum aut exitum reperit. Ubi verò pro Pontifice aliquid & contra Reges decernit, continuò errat Concilium, fallitur Concilium, limites suos & alveum egreditur, non excusari, non sustineri potest. Quis hic non videat, calamum & ingenium Maimburgi non veritati, quæ & una, eadémque est, sed adulationi dicatum esse, in personas & obsequium intentæ? Quis verò ferat privatum hunc hominem, nec optimo metallo fusum, tam Sacro Senatui, & ex flore totius Europæ, Galliæque præsertim collecto insultantem, quasi is ea decreverit, *quæ nullo pacto sustineri excusarique possint*, minúsque quàm Maimburgus suæ potestatis limites ac Principum jura cognoverit? Enimverò nimiùm hic auctor sibi blanditur, si tam Sancto Concilio, & Patribus tantâ virtute ac doctrinâ insignibus non dico se tantùm exæquet, sed etiam præponat. Ubi etiam observes, eos, qui tot encomijs Concilia exornant, ac etiam Pontifici præferunt, non eò spectare, ut Concilijs subdantur, sed solùm ut istorum obtentu, quæ tardissimè & rarò conveniunt, parata interim Pontificis Imperia deludant, eodémque artificio Concilijs imponant, si aliquando convenerint. Dicunt enim, aut in ijs, quæ ad fidem non pertinent, errare posse, aut non esse recepta, aut non esse universalia, saltem non constare, aut mille alia, quæ nunquam desunt quærentibus. Ergo obtentu Concilij anarchia & libertas paratur, nullis legibus, nulli Magistratui, nulli obsequio devincta, solâ gubernante voluptate. Sed rem ipsam quod attinet, nolo cum Maimburgo de singulis, quæ objectat, contendere, ea enim aut principium petunt, aut alibi soluta sunt, & infrà redibunt. Id solum dico, non jam verti quæstionem, an falli aut non falli Concilium possit? sed quæ in hoc argumento Ecclesiæ Gallicanæ sententia fuerit? eam verò sensisse, etiam Regna & Principatus Pontificum potestati subjacere, testimonio, exemplóque Constantiensis Concilij demonstravimus. Cùm enim hoc Concilium tam severas pœnas Principibus dictaret, cùm dignitatibus, imò Regnis exueret, an Galli Concilio non assidebant? annon primas illi partes agebant? an sua quóque vota non illi conferebant? num Patribus ea decernentibus aut

Gerson,

Gerson, aut Universitatis Parisiensis Legati, aut Gallorum alius obluctatus est? sive ergo Concilium erraverit, sive expers erroris fuerit, Gallorum ea doctrina & sensus fuit. Errátque Maimburgus, aliósque in errorem inducit, cùm jactat, sententiam, quam nos tuemur, Ecclesiæ Gallicanæ adversam esse; qui enim adversa, quam Ecclesia Gallicana, & præcipui illius Doctores in Concilio Oecumenico tam enixè, exemplisque repetitis professa est? An ergo ea solùm erit Maimburgo Ecclesia Gallicana, quæ Regibus adulatur: quæ non adulatur, non erit? at Ecclesiam non adulatio, sed veritas facit. Et verò neminem credo tam fore imprudentem, qui non malit cum Concilijs Oecumenicis, quàm Maimburgo sentire; si enim errare illa, fallíque possunt, & aliter quàm veritas permittit, scripturas explicare, quantò magis Maimburgus, eique similes? nam & minus periculum, & major errori venia, in ambiguo, incertóque plures, gnaróque viarum elegisse, quos sequaris; quippe & peritissimis potiùs medicis valetudinem nostram, & versatissimis Gubernatoribus navigationem committimus, quàm Unguentario nuper Scholas egresso, & nauclero, marium, ventorúmque & stellarum, quæ spectari solent, ignaro. *At*, inquit Maimburgus, *antiqua Concilia, & Papæ spiritualibus pœnis contenti, temporalibus abstinebant, nec legimus, in Coronas & Regna sævisse.* *Resp.* Pessima semper fuit à negativis argumentatio; quàm enim multa hodie, & salubriter fiunt, olim insueta? Olim nulla Antipodum, Americæ, Magnetis, & mille medicinarum notitia & usus, quæ modò & passim abundant: an ideò nemo hodie in Americam navigabit, quia olim nulla illuc navigatio? nemo contra febres Chinamchinæ sumet, quia olim ignota? produntur & crescunt cum morbis, anníque remedia, & quæ multis retrò annis aut noxia, aut occulta, nunc aperta & salubria. In ipsa fide, hoc est, anima nostræ Religionis quàm multa aut dubia, aut intra velum subducta, nunc in apricum emersêre, semper quidem vera, at non semper patentia. Ipse Maimburgus percurrat illa Privilegia, aut, ut vocant, Ecclesiæ Gallicanæ libertates, quàm multa illic inveniet elapsis retrò temporibus non ignota tantùm, sed etiam damnata? non ergo sequitur, ut modò non liceant, quæ olim usurpata non sunt, mutatâ præsertim hominum, temporúmque con-

conditione. Olim uni aut summùm duobus Principibus totus Orbis Oriens, Occidénsque parebat, quæ ergo Pontificum imprudentia fuisset, cùm ipsi inermes, nudique potentiâ essent, aggredi tam potentes, & pœnas vibrare, quas nec accipere Principes vellent, nec exequi ipsi possent? Deinde, major olim sacrarum pœnarum reverentia & metus erat, ut adeò nec temporalibus uti oporteret. Audi Arcadium Imperatorem, quàm modestè, demisséque intentatas ab Innocentio Pontifice censuras sit deprecatus: *Omninò ô Pontifex DEI ne quidquam eorum, quæ in Legatos audacter perpetrata sunt, sciente me factum est. Nobis ergo placetur Paterna humanitas tua, néque deseras nos expertes mysteriorum Sacrorum. Tunc etiam filiam tuam Eudoxiam, quæ peccaverit, ultus sum, quæ etiam ex his gravissimo morbo correpta lectulo decumbit. Ne igitur sæpiùs pœnas sumas ô Reverendissime Pater: ubi autem erit pœnitentiæ bonum, nisi is, qui pœniteat, veniam consequatur? Igitur si nos quidem ex pœnitentibus non essemus, meritò aditus ad veniam clauderetur.* (a) De Theodosio Imperatore audi S. Ambrosium: (b) *Stravit omne, quo utebatur, insigne Regium: deflevit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat; gemitu & lachrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam, néque postea ullus dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Si ergo Arcadium & Theodosium Principes imitarentur, pari in Sacra & Sacerdotes reverentiâ, nihil opus temporalibus pœnis, sacræ sufficerent; nunc verò ubi parvus aut nullus sacrorum sensus, & solæ dignitates ac Coronæ in pretio & cura sunt, æternorum neglectu; quid aliud superest, quàm ut fatali somno abrumpendo (quo plerique tenentur) ea applicentur, quæ cùm magis doleant, magis excitant, sanántque; nam si censuris semper pugnatum esset, quando Friderici, Henrici, alijque ad mentem redijssent? Ergo ut præmia, quibus bene meritos Ecclesia muneratur, si sacra tantùm & spiritualia essent, parùm animos excitarent, ita & pœnæ parùm compescerent. Cœlum ergo terræ miscendum, & spes, metúsque utróque temperanda.

XX. *Anno MCCCXI.* Viennæ in Gallijs Concilium Universale celebratum est, aderántque Galliæ, Angliæ, & Arragoniæ Reges, Patriarchæ, Alexandrinus & Antiochenus, Episcopi centum qua-

(a) V. Glyc. annal. p. 4. & Baron. ad ann. 407. (b) S. Ambr. orat. in fun. Theod.

quatuordecim, præsedit Clemens V. natione Gallus, ipsisque Gallis addictissimus, quique Sedem Pontificiam Avenionem transtulerat, gemente aut indignante Italia. In hoc Concilio nostram sententiam Ecclesia Gallicana iterum professa est, videl: *Ecclesiam Romanam à Græcis Romanum Imperium ad Germanos transtulisse, & ad certos eorum Principes jus & potestatem eligendi Regem ab eadem Ecclesia pervenisse, &c.* Quæ verba sunt ipsius Clementis in Concilio Viennensi, imò ipsius Ecclesiæ Gallicanæ, quæ maximam hujus sacri Senatûs partem implebat.

XXI. *Anno MCCCCXXXII.* Synodus Basileensis in Salvo Conductu, seu fide publica Legatis Pontificijs (a) data sic loquitur: *Exhortatur omnes & singulos Christi fideles, cujuscúnque dignitatis, gradûs, aut præeminentiæ existant, spiritalis seu temporalis, etiamsi Regali fulgeant Dignitate, eisque in virtute sanctæ obedientiæ mandat, ut si per eorum dominia, terras, Civitates, territoria, aut alia loca transire contingat, sub pœna, sententijs & censuris, tam Constantiensis, quàm hujus sacræ Synodi decretis conventis & fulminatis, districtè injungendo, quatenus vos & vestrum quemlibet cum vestra Comitiva securos, liberos, & tutos cum rebus vestris ire, stare & redire sine molestia & impedimento permittant, &c.* Pœnæ verò à Concilio Constantiensi (b) decretæ, quarum Basileenses meminerunt, habentur in hæc verba sess. 17. *Quicúnque cujuscúnque statûs aut conditionis existat, etiamsi Regalis, euntes vel redeuntes impedíverit, aut perturbaverit, sententiam excommunicationis incurrat, & ulteriùs omni honore & dignitate ipso facto sit privatus.* Episcopi ergo Galliæ, qui magno numero, nec minori auctoritate Concilio tunc aderant, sentiebant, Reges, etiam quod temporalia spectat, Ecclesiasticæ potestati subjacere; quod præsertim argumentum contra Maimburgum (c) valet, qui decreta Basileensis Concilij valida, & ab Eugenio confirmata esse omni studio contendit.

XXII. *Anno MDLXIII.* In Synodo Oecumenica Tridentina Sessione 25. (d) cui Galliæ Episcopi & præsertim Cardinalis Lotharingicus intererant, omnium approbatione & consensu duella & monomachiæ prohibitæ, ijsque hæc pœna apposita: *Qui pugnam in duello commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut*

(a) Concil. Basil. in Congreg. Gener. anno 1432. habetur in append. epistol. Conc. ap. Binium. T. 4. Concil. (b) Concil. Constant. Sess. 17. (c) Maimb. Traité dell'eglise de Rome c. 25. (d) Concil. Trid. Sess. 25. c. 19.

homicidæ juxta sacros Canones puniri debeant. De hoc & alijs decretis eâdem Sessione editis hæc habet Pallavicinus: (a) *De his, quæ proposita sunt, mirus fuit consensus.* Agnoverunt ergo, probârúntque hanc nostram sententiam Galliæ Antistites (nam Oratores ob alias causas Concilio abscesserant) quorum in Concilio magna & spectata auctoritas, Lotharingi præsertim, quem ut instar Collegæ haberent, rerúmque omnium conscium, suis Legatis Pontifex imperaverat. *Nec obstat,* non fuisse Concilium Tridentinum in Gallijs receptum, id enim ob alias causas contigit, quæ à Pallavicino (b) memorantur, ejúsque receptio non à Galliæ Episcopis (de quorum sententia disputamus) sed ab Optimatibus Regni, & Regina præsertim pendebat, rationibus Politicis absterrita, & præsertim ne Calvinistas tunc temporis in Gallia præpotentes offenderet.

XXIII. *Anno MDLXXXIX.* Duce Guisio, ejúsq; fratre Cardinali ab Henrico III. occisis, *Facultas Theologica Sorbonæ,* inquit Spondanus ad hunc annum, *die 7. Januarij congregata, post publicam supplicationem omnium Ordinum dictæ facultatis, & Missam de Spiritu S. celebratam audita omnium & singulorum Magistrorum, qui ad septuaginta convenerant, maturâ, accuratâ & liberâ deliberatione, & multis ac varijs rationibus, quæ magna ex parte ex sacris scripturis, canonicis Sanctionibus, & Decretis Pontificum in medium prolata fuere, conclusum est à Decano nemine refragante per modum consilij ad liberandas Conscientias, populum solutum esse à juramento fidelitatis & obedientiæ Henrico præstito. Seniores tamen Theologi ipseque adeò Decanus, qui tunc erat Joannes Faber, censuit, ut res integra ad Pontificem remitteretur; qui Decretum illud uti temerarium valdè improbavit.* Hactenus Spondanus. Vides ergo quæ tunc temporis fuerit Sorbonæ sententia, posse vid. Reges abdicari: & quamvis temerarium fuerit, id propriâ auctoritate aggressam esse, temeritatem tamen correxit, adornatâ ad Sixtum V. quatuor Optimatum Legatione, qui id ipsum à Pontifice peterent. Hunc verò censuisse, omnino Pontifices id posse, quamvis hac potestate uti tunc noluerit; certissimum est, quippe qui primo Pontificatûs sui anno, videlicet MDLXXXV. Henricum Navarræ Regem, ejúsque fratrem, Principem Condeum, omni Regio jure, ac Principali Dignitate spoliavit, ut videre est apud (c) Spondanum.

Sed

(a) Pallavic. in hist. Concilij Trid. l. 24. c. 7. n. 2. (b) V. Pallav. cit. c. 10. & 11.
(c) Spondanus ad ann. 1585.

Sed & ipsi Sorbonicæ Facultatis Decanus & Seniores hanc ipsam potestatem professi sunt, quando vid. censuerunt, *rem totam Pontifici remittendam.* Imò totius Sorbonicæ facultatis hæc sententia fuit, missâ ad Pontificem celebri Legatione, quâ, ut dixi, Regem exauctorari petebant.

XXIV. *Anno denique MDCXV.* Clerus Gallicanus in publicis & Universalibus Regni Comitijs hanc nostram sententiam egregiè & clarissimè professus est, cùm etiam Clerus novam quandam legem abrogari peteret tertio Ordini (qui ex Magistratibus subalternis, minorique populo constat) proficuam: *Continuò*, inquit Gramondus, (a) *ubi id tertij Ordinis Oratoribus constitit, rati, ut res erat, peti Ordinem suum, statim proponunt thesin totes Clero obstrepente agitatam; nullam videlicet esse potestatem in temporalibus supra Regiam, unique immediatè DEO debitam Coronam à Gallis Regibus &c.* Nota ea verba; *obstrepente Clero*; ijs enim significatur, propositionem Parisijs editam, & nuper à Maimburgo ex professo defensam, à populo ultimóque Ordine receptam quidem jactatámque, sed *obstrepente* semper & adversante *Clero*; sicque sententiam dici posse plebis, non Ecclesiæ Gallicanæ. Pergit posteà idem Gramondus dicere: *Clerum perorante doctissimo Perronio probâsse, potestati Romanæ Sedis in Reges hæreticâ labe infectos, Regúmque Sceptra, subscripsisse, quotquot ante Calvinum Theologica tractavêre. Contrariam opinionem novam esse, Luthero & Calvino auctoribus natam, cui veterum nemo subscripsit, recentiorum pauci; hunc errorem primum fuisse Henrico VIII. Angliæ Regi viam in hæresin; apertam rebellionem sonare in solium Petri; si Reges Galliæ fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario DEI, ad quem ex lege pertineat perjurij pœna. In eam sententiam exactis seculis itum, iri & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis, contrariam sententiam tanquam dogma politicum defendi posse ad summum &c.* Et infrà, cùm Senatores Parlamenti in eandem sententiam cum tertio Ordine conspirâssent, placitúmque vulgâssent, vid: *Pro lege Politica, Regnique fundamentali habendum esse, quòd Rex Galliæ nullum alium in temporalibus superiorem agnoscat; exclamavit*, inquit, *Clerus, non eas esse Parlamenti partes; Comitijs Generalibus convocatis Regum omne Jus translatum in ipsa, adeò ut velut justitio indicto cessare*

(a) Gramond. Regij Consist. Senat. & in Parlam. Tholos. Præscs l. 1. hist. ad annum 1615. fol. 60.

sare debeat omnis Magistratus. Clerum & Nobilitatem convenire in eandem sententiam, nec ideo contrariam opinionem valere, quia ita populus censet; duorum vota & calculos uni prævalere. Audis hîc iterum duos Galliæ Ordines, Clerum videlicet & Nobilitatem, pro nostra sententia esse, populum & Parlamentum adversari; & ideò cùm suprà Perronius dixerat: *Exactis seculis in nostram sententiam itum, iri & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis*; id solùm significavit, toto Orbe Catholico sententiam nostram teneri, in sola Gallia Populum, Parlamenta, & reliquum vulgus Politicorum contrà opinari, Clero tamen & Nobilitate nostram sententiam complexo, hos enim duos Ordines, ut vidimus, clarè excipit, quod etiam ex ijs patet, quæ postea subjungit, certatum videl. esse de Tridentino Concilio Galliæ inferendo: *Eleganter & doctè perorante Perronio; sed prævaluit Clero Populus: creditum tunc potuisse conciliari opiniones Cleri, & populi, factâ quasi compensatione, nempe si Clerus tertij Ordinis articulum admitteret, negantem Summo Pontifici jus esse in Regna.* (a) Ergo propositio, quæ Pontifici hanc potestatem in Regna adimebat, populi & politicorum: quæ asserebat, Cleri erat; maluitque Clerus, non recipi Tridentinum, quàm populo contra Pontificem assentiri; permittebat tamen, utrámque Propositionem problematicè defendi, unam, quia veram, alteram, quia Senatûs, populíque aurâ subnixam, ut idem Gramondus (b) testatur. Habemus hic iterum testimonium omni exceptione majus, & Ecclesiæ Gallicanæ luculentam professionem, quâ mentem suam ante paucos annos non solùm declaravit, sed etiam contra Senatum, populúmque egregiè tutata est. Nec habuit Maimburgus, quid opponeret, nisi, (c) *Perronium Cardinalem suo, privatóque nomine, non Cleri locutum in Comitijs esse.* Cœterùm quis non videt, sine omni fundamento hæc dici, solóque studio impugnandæ ac premendæ veritatis, nullâ historiæ aut notitiâ, aut curâ. Demus solius Perronij hanc mentem fuisse, an æquum non erat, eum potiùs, quàm Maymburgum audire? quis enim Maimburgus, ut non dicam præferri, sed componi cum Perronio debeat, auctoritate, eloquentiâ, doctrinâ scriptísque præcipuo? Sed nec Perronium ex sua tantùm, sed totius

(a) Gramond. l. cit. (b) Gramond. cit. f. 67. (c) Maimb. Traitè de l'eglise de Rome ch. 30. f. 416.

tius Cleri sententia locutum esse, clarius est, quàm ut ab aliquo dubitari possit. Gramondus enim illis verbis: *Clerus perorante Perronio:* & infrà: *Excanduit Clerus:* Et, *Clerum & nobilitatem in eandem sententiam convenire:* & paulò post: *Creditum tunc potuisse conciliari opiniones Cleri & Populi, nempe si Clerus articulum tertij ordinis admitteret, &c.* Plus satis demonstrat, voces quidem unius Perronij, sed mentem ac sententiam totius Cleri fuisse; quod etiam ipse Perronius professus est, quando in ea Oratione, quæ actis Gallicanæ Ecclesiæ inserta, se non suo tantùm, sed totius Ecclesiastici & Nobilium Ordinis nomine loqui testatur; ejus verba (a) sunt: *Considerez, que ce non est point moy, que vous ecoutez; car ce non est point moy, qui parle en cette cause, mais tout le corps de l'Ordre Ecclesiastique, & tout celui de la Noblesse &c.* Hoc est: *Nec verò in animum vestrum inducite, me eum esse, quem vos loquentem auditis, & cujus voces excipitis: mihi credite, non ego in hac causa loquor, sed Clerus & Nobilitas tota &c.* Et verò oportuit Perronium mente ac pudore omni destitutum esse, si in publicis Comitijs, & ubi tot testibus redargui, vincíque poterat, ea diceret, & nobilitati, Cleróque tribueret, quæ sciret, non solùm injussu, sed etiam contra utriúsque sententiam à se proferri. Quis rogo tantum Maimburgi testimonio tribuat, ut hoc credat de Perronio Cardinali? & quid Gramondo facias, & Gallo, & Parlamenti Tholosæ Præsidi, résque suorum temporum scribenti, qui toties, ut suprà vidimus, non Perronij tantùm, sed Cleri hanc fuisse mentem profitetur? Vidimus in hoc toto exemplorum, annorúmque decursu, semper Ecclesiæ Gallicanæ hanc sedisse opinionem, ut crederent, in certis casibus Regna Pontifici subjacere: nunc Scriptorum nomina recitabo, qui aut Galli fuêre, aut in Gallia celebres, eandémque sententiam amplexi sunt, & quia eorum verba in Regali Sacerdotio recensita sunt, aut aliâs nota, ijs supersedebo. Ji ergo sunt, inter alios quàmplurimos, sequentes.

XXV. S. Thomas *2. 2. q. 12. a. 2. in corp.* & *ib. ad 1.* & *2. 2. q. 69. a. 6. ad 3.* & *in 2. d. 44. q. 9. a. 2.* & *in 2. ad Corinth. c. 11. lect. 2.* & *in epist. ad Philipp. circa fin.* & *opusc. 20. de Regim. Princip. l. 3. c. 10.* & *cap. 17.* Negant tamen aliqui, hoc Opusculum esse S. Thomæ. S. Bonaventura, *l. de Eccl. Hierarch. p. 2. c. 1. T. 7. operum.* Et *in 4. d. 37.* Joannes Gerson Cancellarius Universitatis

(a) Ex Actis Cleri Gallic. T. 5.

sitatis Parisiensis *p. 4. serm. de pace & unit.* *Gracor. consid. 5.* Petrus Blesensis *ep. 146.* S. Petrus Cluniacensis *l. 6. ep. 28.* S. Bernardus *l. 1. de consider. c. 6. & l. 4. c. 3.* S. Augustinus Triumphus, Sanctorum Thomæ & Bonaventuræ Parisijs discipulus *q. 1. de potest. Eccles. p. 1. a. 7. & 8.* Alexander Alensis Parisijs Thelogiæ Lector, & SS. Thomæ & Bonaventuræ Magister *p. 3. Summæ q. 48. membro 1. a. 3.* Henricus Gandavensis Doctor Sorbonicus *quodl. 6. q. 23.* Umbertus ex Diœcesi Viennensi *serm. 70.* Petrus Paludanus *in 3. sent. d. 40. q. 2. concl. 4.* Franciscus Mayronus in Schola Parisiensi Doctor insignis *in 4. d. 19. q. 4.* Durandus Episcopus Meldens. *in tract. de orig. Jurisd. Eccles. q. 3.* Joannes de Parisijs *c. 14.* Jacobus Almainus Doctor Parisiensis *tract. de pot. Eccles. c. 9. & q. 2. c. 5. ad c. 8. Occam.* Joannes Major Doctor Parisiensis *in 4. d. 24. ad 4.* Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis *in spec. Jur. Tit. de Legat. §. 6. n. 17.* Joannes Monachus *de supl. negligent. Prælat. n. 4.* Joannes Selva *tract. de benefic. p. 3. q. 8. n. 31.* Stephanus Anfrerius in Senatu Tholosano Præses *tract. de potest. Eccl. n. 32.* Joannes Faber in Senatu Parisiensi causarum Patronus *in l. 1. c. de summa trin. n. 10.* Petrus Gregorius Tholosanus in varijs Galliæ Academijs Professor *de Rep. l. 26. c. 5.* Fulco Archiepiscopus Rhemensis *in ep. ad Carolum Simplicem Galliæ Regem apud Flodoardum l. 4. c. 5.* Perronius Cardinalis *apud Gramondum l. 1. hist. ad ann. 1615.*

XXVI. Ex allegatis hactenus testimonijs multa colligere licet, quæ hîc breviter observabo. I. Falli Maimburgum, (falli dico, malo enim erroris eum, quàm doli postulare) cùm in ultimo Tractatu (a) de Ecclesia Romana sententiam hanc nostram illis tantùm attribuit, qui citra alpes morantur. Ergo ex sententia Maimburgi Patres Conciliorum, Lugdunensis, Viennensis, & Ordinis Ecclesiastici in Comitijs Parisiensibus, quæ Gramondus describit, Gerson etiam, Fulco, Petrus Blesensis, alijque præcipui in Gallia scriptores Cisalpini erant; nec advertit Maimburgus, hujusmodi hyperbolicis locutionibus, & adeò à vero abludentibus id solum agi, ut historiam suam totam, etiam ubi vera recitat, suspicioni exponat, dubiámque reddat; quis enim credat inexplorata narranti, ubi tantâ in rebus obvijs certisque fiduciâ impingit. Si quis seriò, enixéque contenderet, nullos passeres in Europa

(a) Maimb. Traitè hist. de l' eglise c. 26. f. 367.

ropa videri, crederes tu illi, Pegasos ex India, Gryphésque memoranti? II. In nulla Orbis parte plura exempla exercitæ in Reges potestatis, quàm in Gallia reperiri, & exempla non unius tantùm, aut alterius, sed omnium ferè Galliæ Ordinum, Pontificum videl: Regum, Imperatorum, Synodorum Comitiorúmque Gallicanæ Ecclesiæ; quos omnes, imò si ex illis unicum Maimburgo, eíque similibus opponas, sufficiet toti huic agmini fundendo, delendóque; qui enim illi, ut vel unius Thomæ, Bonaventuræ, aut Bernhardi auctoritatem, vultúmque sustineant, quantò minùs integræ unius Synodi, imò plurium Synodorum? III. Et illi ipsi, qui hanc nostram sententiam calamo, aut exemplo illustrârunt, tantâ doctrinâ & sanctitate floruêre, ut apicem in utróque contigerint, nec dici, imò nec cogitari potest, illos aut partium adulatione, aut fastu, aut Scripturarum ignorantiâ deceptos esse, corruptósve; ij sunt S. Gregorius M. S. Zacharias, S. Leo Pontifices: S. Thomas, S. Bernhardus, S. Bonaventura, S. Antonius, S. Petrus Cluniacensis, S. Augustinus Triumphus, Innocentius III. Gerson, alijque. Jam peto ex Maimburgo, ut sententiæ nostræ tot Sanctis munitæ vel unum pro sua opponat: quòd si nullum habet, ut planè non habet, neque enim aliquem allegat, dicat rogo quid causæ sit, ut nullus Sanctorum ei sententiæ subscripserit, nostræ verò quàm plures? an istis fortè doctrina, aut modestia, aut animi moderatio, aut aliquid eorum defuit, quod persuadendæ veritati faciat? aut fortè non Bonaventura, non Thomas, non Gregorius, non Bernhardus, non Patres Lateranenses, Viennenses, & Lugdunenses Conciliorum, Scripturæ Patrúmque mentem & sensa intellexêre? quòd si nihil horum dici potest, quæ causa Maimburgo fuit, & sacris addicto, & Pontifici jurato, eam sententiam deserendi, impugnandique, quam omnes Societatis suæ Doctores tot editis libris professi sunt, quæque tot habuit munimenta veritatis? Nam quòd ait: *Omnes primitivæ Ecclesiæ Patres, quíque ante quintum seculum scripserunt, pro sua opinione stare, & istos meritò præhabendos esse recentioribus*; id unum est ex solitis Maimburgi (a) argumentis, magno strepitu nihil præstantis: nimirum Concilia Oecumenica, Thomas, Bonaventura, Gregorius Magnus, alijque Ecclesiæ, Patrúmque

(a) Maimb. de l'egl. de Rome chap. 28. circa fol. 392.

que sensum ignorabant; & illi, quos ipse citat, in genere tantùm loquuntur, videl: *Obediendum esse Principibus, etiam Paganis, hæreticis, & ut loquitur Apostolus, dyscolis, eósque soli DEO subjacere.* Quæ omnia generalia & verissima sunt, quis enim negat, Persarum Regi quamvis impio, veræque Religionis experti teneri subditos etiam Christianos obedire, eúmque etiam eorum, quæ impiè agit, nemini præter Deum obnoxium esse? idem de alijs Regibus dicas. Hæc inquam in genere prolata verissima sunt; nemo verò eorum Patrum, quos recitat Maimburgus, negant: *Posse Reges in aliquo casu, & cùm Ecclesiam, fidémque persequuntur, exarmari, Regnóque exui, & subditos juramento solvi.* De hoc solo quæstio vertitur, néque hoc inficiantur Patres, imò ex principijs (a) Maimburgi inficiari non poterant, qui hanc potestatem Reges destituendi, quam nos Pontifici, ipse statibus & Comitijs Generalibus toties concedit. Ex adverso Concilia & Patres, quos pro nostra sententia produximus, hanc quæstionem, de qua modò contendimus, in particulari & individuo proponunt, an videlicet possint in certo, raróque casu Pontifices Romani imperia Regibus adimere? decidúntque, posse. Quis verò nescit, duos testes, qui in particulari deponunt, centum prævalere, qui in genere tantùm? & dispositionem legis particularem & specificam centum Regulis generalibus præferri? nam si quis Theologus, aut Juris-Consultus ex generalibus illis præceptis: *Non esse jurandum, & neminem cum alterius injuria fieri debere locupletiorem;* inferret, in nullo casu particulari, ne in Judicio quidem, & jubente Magistratu jurandum esse, nec præscriptionem, quâ quis cum alterius damno ditescit, permissam, is meritò se omnibus ridendum proponeret. Et ideò toties in Jure Romano, Sacrísque Canonibus illæ regulæ repetuntur: *Generi per species derogatur: in generali concessione non censentur comprehensa, quæ speciali notâ indigent, &c.* Nihil ergo probant generales illæ Patrum locutiones, multóque minùs Patribus derogant à nobis productis, & de hoc ipso casu particulari loquentibus, quem nos præ manibus habemus. IV. Sed & illud nimis præfidenter, inconsultéque à Maimburgo (b) dictum, videl: *Ecclesiam Gallicanam, omnésque Galliæ Doctores, sententiam, quæ*

(a) Maimb. hist. Iconocl. l. 2. f. 257. & l. 4. sæpiùs. Et Traitè de l'Egl. de Rome ch. 29. circa finem. (b) Maimb. Tr. de l'Egl. de Rome ch. 26. f. 365.

quàm Reges Pontifici jus tribuit, semper pronoxia, plenáque discriminis & seditionis habuisse. Crediderim hîc Maimburgo excidisse, quid aut de quibus loquatur, si enim de Concilijs Oecumenicis in Gallia celebratis, tótque alijs sacris Doctoribus loquise cogitaret, qui nostram sententiam exemplis, calamóque tradidêre, auderétne illis seditionis notam, publicæque inquietis attribuere? Seditiosum ergo Concilium Lugdunense, seditiosum Viennense? Seditiosi Leo, Gregorius, Zacharias, alijque tot sancti Pontifices? Et quæ tandem est illa Ecclesia Gallicana, quâ toties vanéque gloriatur? num illa Pontificibus, Episcopis, Synodisque & Doctoribus Galliæ constat? & si constat, cur nullos pro se Maimburgus producit? si nullis constat, oportet ergo Ecclesiam Gallicanam Idéam quandam Platonicam esse, solo nomine insignem, reíque expertem. Quòd si mihi pro Ecclesia Gallicana Conventum Parisiensem, & aliquos ex Sorbona Doctores objiciant, continuò illud Cœlestini Pontificis (a) reponam: *Desinat incessere vetustatem novitas.* Suspecta est mihi Ecclesia Gallicana nova, recénsque, & antiquæ opposita. Ubi Synodos habetis, quas Viennensi, Lugdunensi, Lateranensi ac Constantiensi æquare possitis? ubi Doctores nostris Bonaventuræ, Thomæ, Antonino pares? malo cum Bernardo, Fulcone, Gersone, Zacharia sentire, quàm cum Maimburgo, & Conventu Parisiensi paucorum Prælatorum, & in quo spes metúsque præsedit: Comitia totius Orbis præpono in Gallijs habita, à Gallis culta, & tunc solùm à Gallis impugnata, cùm plus aulæ, quàm Ecclesiæ delatum. Sed illud quis non videat? Maimburgum, qui Patres sexti, septimique & octavi seculi à nobis productos, tanquam novos, recénsque natos repellit, nunc velle, ut ijs fidem habeamus, qui decimo sexto seculo Parisijs convenêre? istos nimirum mille annis recentiores pro antiquis habet, illos pro novis. *V.* Denique nec tantùm exemplis, decretísque Ecclesiæ Gallicanæ, sed etiam ex Maimburgi principijs veritas Conclusionis nostræ deduci potest. Is enim in historia Iconoclastarum, in libro de Imperij declinatione, & in Tractatu historico de Ecclesia Romana, communi Procerum, statuúmque consensu Imperium Francicum in Pipinum & Hugonem Capetum, Romanum Italicúmque in Carolum

(a) Cœlest. PP. ad Episc. Gall.

Magnum translata eſſe docet, civiúmque Romanorum auctoritate tributa Copronymo Imper. negata, Urbémque à Græco ad Francos defeciſſe, (a) idque in libro de Imperij declinatione *ex ſingulari DEI providentia Regnum Gallicum protegentis, & Pipinum excitantis evenisſe dicit.* Et in libro de Eccleſia Rom. *Quòd populus, Senatúſque tributa Copronymo negaverint, imploraverintque tutelam externi Principis, juri naturalis defenſionis adſcribit.* Hæc Maimburgi doctrina ſi vera eſt, ſequitur ergo dari caſum, in quo ſtatus & Comitia abdicare Regem aliquem poſſint, quemadmodum Childebertum, Copronymum, Conſtantinum, & Carolum Lotharingiæ Ducem abdicârunt, Capeto Coronæ admoto; & negari haud poteſt, hanc eſſe ex majoribus cauſis, cùm in illis de Regnis, belliſque agatur, tótque alijs damnis, quæ hujuſmodi mutationes conſequuntur. Si ergo dubitari contingat, an is caſus evenerit, adſintque circumſtantiæ, quæ ſubditos Juramento liberent, ad quem pertinebit hunc caſum decidere, qui ex majoribus eſt, & cauſam juramenti cognoſcere, quæ omnino ſpiritualis eſt, niſi ad Summum Pontificem, cui cauſæ majores reſervantur? idque Eccleſia Gallicana cognovit, quando teſte Maimburgo Zachariam conſuluit, licerétne ipſis Childeberto Pipinum ſufficere? ſi ergo definiat, licere, imò neceſſarium eſſe, poterunt ſubditi, ac etiam tenebuntur huic ſententiæ declaratoriæ deferre. Sive ergo Pontifex juramento ſubditos ſolvat, ſive declaret ſolutos eſſe, perindè idem effectus conſequetur, ſubditis æquè obſequio liberis, quemadmodum cùm Pontifex declaravit, matrimonium Henrici IV. cum Margaretha Valeſia irritum, caſſúmque fuiſſe, perinde ad novas nuptias libertatem eſt nactus, coactúſque primas illas abrumpere, ac ſi Pontifex non irritum tantùm declarâſſet, ſed etiam feciſſet. Eadem ergo vis Pontifici, ſeu declaranti, ſeu ſtatuenti: hanc fruſtra impugnant, coacti illam cedere. Quid enim intereſt intrare volenti, ſi januam unam claudas, alterâ patente? In quamcúnque partem ergo ſe vertant, fruſtrà laborant, ſéque ipſos implicant, vincente veritate. Et hæc de mente, ſententiáque Eccleſiæ Gallicanæ: reſtat, ut quæ Maimburgus objicit ſolvantur, quanquam jam dudum & millies ſoluta, argumentis vid. exoletis, marcidiſque, & toties à Luthero, Calvino, Illyricóque (quem Maimburgus à ſecretis habuit) declamatis. § III.

(a) La decad. de l'Emp. l. 1. f. 7. Tr. hiſt. de l'Egl. de Rome c. 29.

§ III.

Solvuntur, quæ contra Pontificis indirectam in Regna potestatem Maimburgus, aliique objectant.

SUMMARIA.

1. Indirectam Pontificis in Reges potestatem, nec Gallicanæ Ecclesiæ, nec publico bono adversam esse, exemplis docetur.

2. Nec exemplo Christi adversari.

3. Nec Textibus SS. Scripturæ. Matth. 20. Marci 10. Lucæ 22. Roman. 13. 1. Petri 2.

4. Falli Maimburgum, asserentem subditos ab Obedientiæ Principibus debitæ exsolvi non posse.

5. Eandem potestatem Theologicè ex SS. Litteris deduci.

6. Neque improbari à S. Bernardo.

7. Neque ab alijs SS. Patribus, aut antiquis Pontificibus.

I.

NOn est mihi animus, singula persequi, quæ in ultimo Tractatu de Ecclesia Romana Maimburgus Pontificiæ potestati objectat, tam enim multa, aut extra lineam quæstionis, aut nihil probantia congerit, ut pigeat jam cadentia movere, irritóque labore papiliones istos pro-

prosequi, infestos quidem, sed innoxios flori. Illa tantùm seligemus, quæ fallere incautos possint colore veritatis.

Opponit I. Antiquorum Patrum & Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem; sed quàm id immeritò, nullóque fundamento, jam in priori Paragrapho evidenter ostendimus.

Opponit II. Ecclesiam Gallicanam, omnésque Galliæ Doctores existimâsse, sententiam, quæ Pontifici Romano potestatem in Reges concedit, periculi damníque plenam esse, & publicæ tranquillitati adversam. (a)

Resp. Quæ fuerit Ecclesiæ Gallicanæ, Galliæque Doctorum sententia, & quàm malâ fide ejus auctoritatem jactet Maimburgus, jam suprà ostendimus: quòd verò hanc nostram doctrinam *periculi, damníque plenam dicat, & publicæ quieti adversam*; id more suo jactat, non probat Maimburgus. Sed nos evidentibus argumentis contrarium ostendemus. I. Certum est, Ecclesiæ Gallicanæ florem Concilijs Lugdunensi, Viennensi, Constantiensi, & Basileensi adfuisse, & tamen in his ipsis Concilijs sententia hæc nostra non probata solùm & admissa est, sed magnis exemplis exercita, ut suprà ostensum: quis ergo non miretur, audere Maimburgum tàm insignem, clarámque falsitatem Parisijs vendere, Regique offerre, nescias, majori suo, an Principis ludibrio? & quæ rogo in sacrosancta Concilia Maimburgi reverentia, quæ ut Pontifici Romano præferat, in cœlos usque alibi extollit, nunc verò cùm eorum Decretis se premi videt, ea docuisse dicit: *Quæ periculi, damníque plena sint, & publicæ quieti adversentur.* Ergo Concilia jam sunt Sacrosancta, jam seditiosa, utcúnque Maimburgo placuerit. Nos verò qui sacra & Oecumenica Concilia eodem semper, parique tenore veneramur, nec tam in illis Senatum præcipuâ pietate ac doctrinâ florentem, quàm æternam veritatem Concilijs præsidentem adoramus, id potiùs dicimus, doctrinam in Concilijs expressam, exercitámque, non pernitiosam, non seditiosam esse, sed amoris, pacísque plenam, Religioni, fideíque conservandæ necessariam, quæque Ecclesiam Gallicanam, & præcipuos illius Doctores decuit. *II.* Ipse Maimburgus, cùm hanc ipsam potestatem destituendi Reges Comitijs & Statibus Generalibus tribuit, tantum abest, ut seditiosam,

(a) Maimb. de l' Egl. de Rome ch. 26. circa fin.

ditiosam, noxiámque dicat, ut potiùs *ex jure naturali, singularique Dei providentia* fluxisse velit, & eos, qui legitimis Regibus à Senatu substituti fuerunt, non perduelles, non Tyrannos vocat, sed *à DEO singulari bonitate excitatos*: sic loquitur, (a) cùm de Pipino, Carolo Magno, & Hugone Capeto sermonem facit; non ergo abdicatio Regum, in certis casibus peracta, talis est, qualem Maimburgus describit, hoc est, seditiosa, turbarúmque Civilium causa; alioquin non à DEO, non à natura proveniret, sed potiùs contra naturæ, Deique institutum: imò conservandis Regnis sæpè necessaria, nam & Franciæ Regnum, nisi Pipinus succollâsset Childerico suffectus, ruinam minabatur. Quæ tamen ita dicta velim, non ut Maimburgi sententiam probem, hanc potestatem eliminandi Reges in populum, Senatúmque conferentis: sed ut probem, vel ex ipso Maimburgi testimonio, potestatem abdicandi Reges, siritè peragatur, & à legitima potestate, nec seditiosam esse, nec publicæ quieti noxiam, imò sæpè proficuam. Quod exemplis jamjam ostendam. *III.* Franciæ Regnum ignaviâ Regum eò devenerat, ut Saracenorum incursu, bellisque Civilibus jam ferè concideret, & quod magis gemendum, hæresis Arriana invehi Romam parabat, fuisséque Longobardo ad portas strepente; sed Pipinus Zachariæ & Stephani jussu Imperio admotus, pristinæ majestati Galliam restituit, Longobardos submovit, Græcos cœlo terræque infestos, quique in Vicarium Christi toties sicarios armaverant, Italiâ exuit, Romanam Ecclesiam hactenus inopem, solâque Religione tutam, & ideò injuriæ expositam ingentibus Provincijs auxit, fecitque metuendam duplici terrore septam, majestatis & Religionis: ac denique collabentem Religionem ipse sinu excepit, sustentavitque, & quod omnia superat, Carolum Magnum successorem reliquit, quo nullum præstantius Ecclesiæ & Orbi beneficium. Hæc omnia & ingentia utique bona cessâssent, nisi Zachariæ Pontificis jussu Pipinus Coronam accepisset, non Saraceni expulsi, non Monarchia vindicata, non Saxones ad veram fidem provecti, Idolis abdicatis, non Græcus domitus, non Longobardus excisus, & Ecclesia Catholica nunquam tot naufragijs erepta. Hæc omnia Zachariæ debemus coronas transferenti.

(a) Maimb. la decad. l. 1. f. 7. & Tr. hist. de l'Egl. de Rome c. 29.

ferenti. Gregorij VII. contra Henricum IV. Imperatorem, & Investituras certamen nemo ignorat; & is quidem nimiæ severitatis & inclementiæ à multis notatus est: sed DEUS æquè multis prodigijs ejus innocentiam absolvit, quæ Leo Ostiensis, (a) & Bertholdus Constantiensis enarrant, & eventus ostendit, luctas Gregorij insigniter Ecclesiæ profuisse, dignásque omninò, quæ tam grandi conatu agitarentur; quamvis enim Gregorius in acie ceciderit, nec victoriæ superfuerit, ejus tamen exemplo successores Pontifices, Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. & Callixtus II. inhæsêre; & hic tandem, indicto Romæ Concilio, quingentorum annorum bellum absolvit, libertatem electionibus reddidit, præsertim Pontificijs & Episcopalibus; & investituras quoad spiritualia sustulit, Henrico in gratiam sinúmque recepto, sicque finis impositus tot illis & ingentibus malis, quæ dignitates consequebantur Principum voto, imperióque collatas, & fundamenta jacta altissimæ illius pacis, quæ modò Sacerdotium Imperio conjungit. Et cui tanti operis laus, nisi Gregorio? hoc enim cessante nec bellum cum Principibus, nec victoria fuisset, non Investituræ abolitæ, non libertas electionibus reddita, Pontificum præsertim, ex quo uno quanta in Ecclesiam mala profluxerint, quanta rerum omnium confusio, dici haud potest. Bellum ergo Gregorij pax Ecclesiæ fuit. Idem de Gregorio V. dicas, (b) (aut si quis alius Pontifex fuit, nam aliquem ex Pontificibus fuisse testimonio Concilij Viennensis, ipsorúmque Electorum constat) qui jus eligendi Imperatorem in Collegium Principum Germaniæ transtulit, à quo tempore illa bella civilia, discordiæque cessárunt Imperio fatales, ob ambitionem Candidatorum, ferro flammáque pro Corona, velut eridis pomo certantium. Evolve historiam profanam ad Ludovicum úsque Imperatorem, & Caroli M. filium, invenies, Imperium gravissimis bellis conflictatum, ac ferè deletum esse ob studia ambientium Coronam. Ludovicum ipsum Pipinus, Lotharius & Ludovicus filij, quòd Carolo Judithæ filio favere videretur, bello appetunt, ac throno movent, (c) & Lotharium Imperatorem dicunt: nec aliás funestius bellum Patre, filijs

que

(a) Leo Ost. l. 3. c. 53. Berthold. Constant. in append. ad Herm. (b) V. Reg. Sacerd. f. 166. (c) Anno 833.

que pro Imperio decernentibus. Ludovico Lotharius successit, (a) exarsitque inter fratres bellum Civile imperandi cupidine, nec priùs cessatum, quàm collatis signis concurrerent, gemente Francià, & civili discordiâ propè confectâ. Idem Carolo Calvo infortunium, (b) nunc cum Lothario fratre, nunc cum Ludovico nepote, armis implicito, jam victore, jam victo. Carolus Crassus Imperio à suis exutus, (c) & Arnulphus suffectus, quo tempore multi simul Tyranni Coronam invaserant, videlicet, Berengarius, Wido, Odo Parisiensis, & Rodolphus Conradi filius: adeóque omnium animos bellandi cupido invaserat, ut etiam Episcopi & Abbates armati in acie viserentur, pronúmque est cogitare, quæ tum facies & perturbatio Occidentis fuerit, tot bellis, cædibus ac discordijs agitati; duravitque ad Ottones úsque. Quæ sub Henricis & Fridericis, & quàm multa infaustè contigerint, notiora sunt, quàm memorari debeant; quæ omnia aut omninò, aut majori ex parte sublata sunt translato ad Principes Septemviros, auctoritate Romani Pontificis, Jure eligendi. Patet ergo, hanc potestatem, quam Pontifici in Imperia tribuimns, non discordiæ, non seditioni, sed paci servire. Quòd si aliquando contrarium evenit, non potestatis, non Pontificis culpa, sed eorum fuit, qui remedia obstinatè respuebant, peracerba illa quidem, sed tamen salubria pertinacibus morbis; quàm multi sub medentis manu ferróque labuntur? an ideò artem potiùs, quàm morbum accuses? Sed nunquam magis, ut in Henrici Magni conversione hujus Pontificiæ potestatis necessitas juxtà & utilitas apparuit. Mortuo Francisco Duce Alensonio Henrici III. fratre, Regisque sterili matrimonio, proximus Regij sanguinis sequebatur Henricus Borbonius, Navarræ Rex, sed Calvino addictus; hunc & fratrem ejus Principem Condœum Sixtus V. Pontifex Maximus inhabiles Regno declarat, excluditque. Henrico Rege per sicarium & insidias cæso pleræque Galliæ Civitates ab Henrico Borbonio, quem ob hæresin aversabantur, abstractæ, fœdus cum externis Principibus ictum, diræ à Gregorio XIV. repetitæ, immissique exercitus, effusique thesauri, quos Sixtus condiderat, ne hæresis cum Borbonio Principe thronum conscenderet; & hic quidem virtute ac forti-

(a) Anno 841. (b) Anno 858. & 876. (c) Anno 888.

fortitudine militari, & plerúnq; victor, diu torrentem sustinuit. Sed cùm Clemens VIII. potestatem Regem eligendi fœderatis dedisset, & isti Comitia Lutetiæ agerent, multique Europæ Principum hunc Galliæ florem rapturi viderentur, prævenit Henricus, séque Catholicum, cùm potiri aliàs Regno haud posset, palàm professus est; quod ubi constitit, tota in eum Gallia confluxit, exterique pulsi, & Regnum pace compositum. Henricum ergo, ut Catholicus esset, Pontifices evicêre; si enim thronum conscendisset hæresi imbutus, quis dubitet, majorem Galliæ partem exemplo Regis corruptam fore? Filij verò, neporésque ex Henrico nati, Ludovici videlicet, XIII. & XIV. eandem pestem Throno intulissent; quis enim credat, aliam eos Religionem, quàm Patris, Avique, & in qua nati, educatique essent, amplexuros? Perpetuum ergo hoc malum Galliæ fuisset, & Religioni fatale, plerisque, ut fieri amat, aut metu, aut adulatione Regem imitantibus. Quòd ergo Henricus Magnus hæresi exemptus, quòd Gallia hâc peste intacta, quòd Ludovicum regnantem non Catholicum tantùm, sed ardore veræ avitæque Religionis Constantino ac Theodosio parem habeamus, hæresi toto Regno ejectâ, devictáque; Vobis post Deum, Romani Pontifices Sixte, Gregori, Clemens, vestræque potestati debemus, quâ opportunè usi percussistis, secuistis, ac tandem sanâstis. Ingemuit quidem Gallia, altúmque indoluit, recenti adhuc plagâ, & multum sanguinis micante; nunc sana vigénsque ferrum illud, manúmque curatricem amplectitur, alioquin, si medicus parceret, peritura; nunc valet, quia secta. *At*, inquies, *infinita calamitates Regna & Imperium affluxêre, cùm Reges à Pontificibus Romanis abdicabantur, ut in Henricis, Fridericis, & Angliæ Regibus observatum est: satius ergo esset, hac potestate aut carere, aut non uti Pontifices.* *Resp.* Nulla est in rebus humanis aut ars, aut status, aut conditio tam perfecta & absoluta, quæ non multis magnísque incommodis misceatur, & ob quæ si tollenda illa essent, tolli omnes artes, potestates, ac statuum conditiones oporteret, idque omnibus his incommodis multo pejus foret. Ex Regia potestate quot injuriæ, ex arte navigandi quot naufragia, ex scientia militari quot cædes, artésque nocendi? ex matrimonijs quot adulteria, litésque domesticæ, & partus Reipublicæ noxij? an ideò Regia potestas, matrimonia, artésque abolen-

abolendæ? at multò id peius, ac pluribus obnoxium malis, sublatis videlicet humanis commercijs, datâque injurijs, vagísque amoribus licentiâ. Idem dicas de potestate Reges abdicandi: fateor bella, discordias comitari; at quantò pejora, si eos hæresin profiteri, matrimonia solvere, Ecclesias depilare ferres, idque impunè, nullóque freno & exemplo, quòd pro Imperio esse solet in subditos manante? quanta rerum omnium, morúmque corruptio sequeretur? Deinde videndum est, an ea incommoda, quæ nobis adversarij objectant, ex usu Pontificiæ potestatis, an verò ex eorum vitio proveniant, qui emendari nolunt, provocántque extrema remedia: dolorem enim irrogati supplicij cujus culpæ adscribes, reo, an Judici? flagitio, an legi? Henricus Bolænam amat, fastidítque Uxorem, & thalamo ejicit, ducítque amicam publicam publico ritu. Europa tam turpi exemplo attonita, hærétque cui primas lachrymas spargat, triumphanti unius libidini, an alterius oppressæ innocentiæ. Pontifex Romanus rogat, minatur, terrétque, & longas inducias pœnitentiæ donat, ac tandem obstinatum, & ludibria flagitijs jungentem sacris interdicit: hic amore & iracundiâ flagrans Romæ bellum denuntiat, séque jugo subducit. *O incautum,* inquiunt, *Pontificem, qui Angliam perdidit intempestivâ severitate!* Sed cur non potiùs exclamant: *O inconsultum Regem, qui animam, Regnúmque posthabuit insano amori!* nulla enim necessitas fuit adulterio fœdari, sed maxima adulterium punire: hoc Pontifex fecit, illud Henricus. Cur ergo malis defectionis culpam illi adscribere, qui scelus justè & necessitate punivit, quàm illi, qui impiè & voluntate commisit? alioquin omne flagitium impunè fuerit, si sufficiat metu defectionis terrere puniturum. Et ideò tanquam plena constantiæ & libertatis celebratur apud Joannem Saresberiensem illa Alexandri III. vox, quando Regijs Legatis minantibus, nisi Thomam Archiepiscopum abdicaret, Regem ad Mahometis Religionem defecturum, intrepidè respondit: (a) *Potest Rex eligere viam pravam, ego tamen non recedam à via recta.* Et illa Divi Thomæ Archi-Episcopi & Martyris Cantuariensis, cùm scriberet ad Ecclesiæ Romanæ Cardinales: (b) *Non simulatione, non ingenio regenda est Ecclesia, sed justitiâ & veritate, quæ se observantem liberat ab omni periculo.* Non

(a) Joan. Saresb. ep. 66. inter epist. S. Th. Cant. (b) Inter epist. S. Th. epist. 46.

negaverim tamen, hujusmodi interdicta, censuras, & præsertim Regnorum mutationes parcissimè adhibendas, nec alijs morbis, quàm desperatis, nam nec membra truncamus, nisi medicinis absumptis; quod etiam eleganter Concilium Tridentinum (a) præmonuit: videlicet, *Excommunicationis gladium sobriè, magnáque circumspectione exerendum, cùm experientia doceat, si temerè aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs afferre, quam salutem.* Cujus exemplum illustre apud eundem D. Thomam Cantuariensem, qui Regem Angliæ excommunicatione percussurus Suessionem ad D. Virginem peregrè profectus est, triduúmque inter preces insumpsit, ut videl. vibrando sacro fulmini Deum haberet directorem, (b) néve aliquid humani affectûs, aut vindictæ tam sacro operi misceretur.

II. *Oponitur III.* (c) *Christus*, inquit Maimburgus, *non Herodem Regno, non Pilatum Prætorio expulit, quamvis impios, injustósque*, imò utrique ac præsertim Cæsari se subjecit, jussítque pro se suóque Vicario tributum persolvi, apertéque professus est, *Regnum suum non esse de hoc mundo.* Quo ergo jure Romanus Pontifex faciet, quæ Christus non fecit? sibíque potestatem sumet, quam Christus non sumpsit? *Nec enim discipulus est supra Magistrum, nec servus major Domino suo.* Et si Christus non Cæsarem, non Herodem Regno interdixit, cur Pontifex Fridericos & Henricos interdicet? an isti Tiberio & Herode pejores? aut major Pontifici, quàm Christo in Reges auctoritas?

Resp. Hoc argumentum adeò infirmum est, ut multis modis impugnari possit; nam *I.* si exemplo Christi Domini agendum sit, dubitari vix potest, utrámque illi dignitatem collatam esse, Sacerdotalem videlicet & Regiam, id enim Angelicus Doctor (d) expressè docet, & saltem id verum est quoad illa, quæ gubernandæ Ecclesiæ, & redemptioni consummandæ necessaria erant, nam ut idem S. Doctor scribit: *Cui committitur principale, committitur & accessorium; omnes verò res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna.* Et hæc ipsa videtur expressa sacræ Scripturæ sententia, nam Matth. ult. *Data est mihi*, inquit Christus, *omnis potestas in cœlo & in terra;*

(a) Concil. Trid. de Reform. Sess. 25. c. 3. (b) Joan. Saresb. ep. 140. (c) Maimb. Tr. hist. de l'Egl, de Rome ch. 27. f. 367. (d) S. Thom. l. 1. de Regim. Princ. c. 12. & seq. & p. 3. q. 59. a. 4.

in terra; & Paulus ad Hebr. *Quem constituit hæredem universorum.* Et Apocal. 1. *Princeps Regum terræ*; & Apocal. 6. *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Et radix hujus Regiæ potestatis videtur fuisse unio hypostatica; communicatâ enim naturæ humanæ formâ Deitatis, communicatæ sunt etiam omnes divinæ proprietates, quarum capax erat natura humana. Quis verò neget, capacem fuisse Imperatoriæ & Regiæ dignitatis? quemadmodum formâ ignis ferro communicatâ omnes juxtà ignis proprietates communicatas videmus, adeò ut non ignis solùm, sed etiam ferrum luceat, rubescat, caleatque ut ignis; quòd si unio ignis ad ferrum, quæ merè accidentalis est, transiensque, omnes ignis proprietates ferro communes facit, quantò magis unio hypostatica, quæ substantialis est, ac æterna, omnes proprietates naturæ Divinæ, & consequenter etiam Regiam in res temporales potestatem humanitati impresserit? Et hâc ipsâ potestate Christus, quantumvis formam servi præferret, aliquoties usus est, solvendo videl. leges Civiles, & de rebus temporalibus aliorum disponendo; nam adulterij ream, compertámque absolvit, & pœnâ legibus præscriptâ exemit. Ficulneam nullâ Domini licentiâ aridam fecit, inutilémque, greges porcorum invitis & gementibus Dominis Dæmonio immisso aquis præfocavit. Quâ rogo hæc potestate, nisi Regiâ, absolutâque, nullisq; legibus obstrictâ? Quæ tamen Regia potestas cùm immediatè à Deo esset, & vi unionis hypostaticæ, optimè dixit Christus: *Regnum suum non esse ex hoc mundo*, non negat, Regnum suum esse in hoc mundo, erat enim: sed, *esse ex hoc mundo*; quippe nullo Jure aut titulo humano partum, quo modo hujus mundi Regna quæruntur, hoc est, non electione, non successione, non vi armorum, nec donatione paratum, sed immediatè à DEO, & vi unionis hypostaticæ. Negari ergo haud potest, Christum potestate in Reges præditum fuisse. Quæro jam ex Maimburgo, an Christi exemplo Pontificiam Potestatem metiri velit, aut non velit? Si non vult, cur ergo impugnandæ huic potestati Christi exemplum producit, quo eam impugnare, aut non vult, aut non potest? si vult, ergo sequitur exemplo Christi etiam Pontificem Romanum imperare Regibus posse, habuit enim Christus hanc potestatem, ergo etiam, si exemplo Christi uti velis, Pontifex Romanus. *At Christus nunquam Reges deposuit.* *Resp.* Non hîc

de usu, sed potestate quæri, hanc verò Christum habuisse negari haud potest, & si habuit, ergo uti etiam potuit. *Cur verò usus non est?* Quia passurus, quia moriturus venerat, nec vindictæ, aut potentiæ, sed humilitatis & patientiæ exempla daturus; si enim Herodem & Pilatum Regno ac Præfecturâ pelleret, quando pateretur? quando moreretur? quando genus humanum redimeret? & quis ab illo pati injurias disceret, hostésque amplecti, si in hostes vindicaret? Nec propterea caruit potestate, quia illâ uti noluit: quis enim neget, multis eum scientijs & artibus præditum, quas nunquam exercuit? militari videl: Astrologicâ, Medicâque. Nam & nostri Reges multa possunt, quæ nunquam exercent, indigna videlicet tanto fastigio, aut saltem incommoda. Cur ergo Summi Pontifices exemplo Christi non etiam hâc potestate abstinent, quamvis eam habeant? quia Christus Ecclesiam voluit non armis, non vi, non sapientiâ humanâ, sed humilitate, patientiâ & miraculis institui, ne illa opus humanum, sed cœleste tantùm crederetur. At verò semel institutam, humanis medijs ac industriâ propagari; nam & corpus humanum solus ipse, ac è terra produxit, productum tamen nec solus, nec è terra multiplicat, sed alijs ac naturalibus modis. Et quis agricolam aut vinitorem non rideret, qui segetem vitésque non cultâ, non aratâ terrâ, nec sparsis seminibus, aut palmite palis adstricto speraret, quia Deus ex nihilo produxit? non ergo sequitur eodem modo, quo plantata est, conservari Ecclesiam debere, & ea quæ à Christo, etiam à Pontifice omitti debere. Alioquin nec mitras Episcopis, nec sericum, nec annulum, nec equos, rhedásque permittes, quia Christus nihil istorum usurpavit. Ergo quid Pontifici aut Episcopis liceat, non ex ijs sumendum est, quæ Christus omisit, sed quæ praxis usúsque Ecclesiæ obtinuit; præsertim causis, statúque rerum mutatis: alioquin si exemplo Christi nec adulteria punias, nec calumnias refellas, nec contra injurias militem scribas, nec latrones castiges, sed potiùs præmijs dones, quæ facies Ecclesiæ & Reipublicæ fuerit? nullum ergo argumentum deduci potest ex ijs, quæ Christus omisit. Unde patet, Maimburgi argumentationem multis & grandibus vitijs laborare. Promiserat is initio capitis vigesimi septimi: *Se non multis, nec subtilibus argumentis usurum, sed citra omnem disputationem ea tantùm pro-*

producturum, quæ magni instar splendoris se ipsa ostentent, & modò oculos habeas, cerni ab omnibus possint. Quis non expectaret post tam magnificè promissa insignem aliquam, invictámque Demonstrationem? & tamen ex suppositis non tantùm non certis, aut saltem dubijs, sed evidenter falsis procedit. Supponit enim, Christum ut hominem nec potestatem in temporalibus Regiam habuisse, nec eâ usum; cùm tamen non testimonio tantùm Angelici Doctoris, sed omnium ferè Theologorum contrarium constet, saltem si de potestate indirecta loquamur, quatenus illa gubernandæ Ecclesiæ serviebat, eámque aliquoties exercuit, rarò tamen, quia videlicet non ideò in mundum venerat, ut exempla regnandi, imperandíque daret (id enim sponte suâ natura facit, nec exemplis urgenda est) sed potiùs obsequendi, ferendíque adversa. Deinde adducto Christi exemplo Pontificem omni in Reges potestate Maimburgus privat: at si exemplo Christi utamur, contrarium omninò sequitur; hanc enim potestatem Christus habuit, ergo & Papa, si istum ex Maimburgi sententia metiri velis. Supponit denique, omnia, quæ Christus fecit, omisítque Redemptionis peragendæ, & Ecclesiæ constituendæ causâ, fieri quóque, omittíque à Pontificibus debere, etiam peractâ redemptione, Ecclesiâque institutâ; quod perinde est, ac si dicas, constructo jam, absolutóque ædificio Patremfamiliâs, qui ædes inhabitat, ijsdem instrumentis, operis, fabrísque indigere, quibus Architectus, dum ædes construeret. En egregiam Maimburgi demonstrationem, ferro & adamante contextam, si promissa spectes; si facta, vitream, fragilémque, & vix dignam relatu. II. Multò minùs aliquid probat, quod adjungit; videl: *Jussisse Christum pro se & Petro tributum solvi; Petrum ergo subjectum Cæsari voluit: si subjectus, quî ergo Cæsari imperabit? quî Regno deponet? Resp.* Christus non ex debito, sed spontaneâ voluntate tributum solvit, ut apertè ex illis verbis constat: (a) *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis. Dixit illi Jesus, ergo liberi sunt filij: ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me & te, &c.* Non ergo Christus & Petrus tenebantur tributum solvere (sicut nec filij & familia Regum) liberi ergo erant; quæ verò est mirabilis

(a) Matth. c. 27. v. 25.

hæc consequentia Maimburgi: *Christus & Petrus liberi à tributo erant, ergo subjiciebantur Cæsari?* cùm potius contrarium deduci oporteret, videl: *Ergo non subjiciebantur Cæsari.* Sed Maimburgus nec Religioni habuit, sententiam Evangelij truncare, & ea verba subticere, quæ rem totam declarabant, nec consequens inferre præmissis contrarium, perinde ac si diceres: *Sol lucet, ergo nox est.* Quòd si concedamus, etiam Pontifices Romanos subjectos Cæsari fuisse, quoad ea, quæ res temporales, civilésque spectant, non ideò sequitur, non posse in certis circumstantijs, & quando agitur de Ecclesia conservanda, Cæsares, Regésque deponere: nunquid enim Galli, Romanique, qui Pipinum & Hugonem, ac Carolum Magnum Imperio donârunt, legitimis Regibus subjacebant? & istis tamen ex sententia Maimburgi Regna abrogârunt. Deinde cùm Pontifex Romanus declarat, subditos Principi hæretico, aut Ecclesiam persequenti juramento non ampliùs obstringi, cessat ea subjectio, & consequenter obligatio obsequendi. Sed & jus naturale defendendæ Religionis, & tot animas perituras, multò est antiquius, fortiúsque jure subjectionis erga Principes Seculares; cessat ergo subjectio periclitante Religione. Ac denique potestas indirecta Pontificis Rom. in Principes, Regésque temporales, est verè Spiritualis & Ecclesiastica, quippe gubernandæ Ecclesiæ, servandæque Religioni data, & Pontificio Characteri innexa; non ergo quoad hujus exercitium Imperatori Pontifex subjectus dici potest. Quemadmodum bona Ecclesiasticorum, quantumvis temporalia, quia tamen Ecclesiæ serviunt, nec quoad Dominium, nec quoad usum Principibus secularibus subjecta esse possunt. Nihil ergo probat Maimburgi argumentum.

III. *Opponitur IV.* Christus apud Matthæum (a) prohibet Apostolos omni dominatione illis verbis: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent inter eos; vos autem non sic.*

Resp. Hunc quóque Scripturæ locum Catholicis objiciunt Calvinistæ, ex quorum libris omnia ferè argumenta sua exscripsit Maimburgus, labori ut credo parcens, aut meliorum inopiâ. Contendebant Apostoli, quis in eorum Collegio Primatum obtineret? dabat-

(a) Matthæi c. 20. Marci 10. Lucæ 22. Maimb. cit. c. 27. f. 367.

dabárque ansam importunæ æmulationi duorum Piscatorum supplicatio, primas Sedes in Regno Christi expetentium, matre interpellante. Christus, ut primas scintillas extinguat glisscentis ambitionis, monet illos officij ac professionis Apostolicæ, nec enim Regnum suum alijs Regnis simile esse, nec apparatu niti, pompâque seculari, nec Apostolos, eorúmque Successores ad dominandum, imperandúmque & regendam Rempublicam vocari, sed ad pascendas animas, prædicandum Evangelium, corrigenda hominum flagitia, evertendam Idololatriam, exercendásque omne genus virtutes, humilitatis præsertim & contemptûs caducarum voluptatum. Quæ omnia verissima sunt, & nos quoque, has esse præcipuas partes Romani Pontificis constanter asserimus. Si verò Principes in hæresin labantur, & Religioni & animabus ingentem ac inevitabilem perniciem moliantur, non prohibet Christus, eos à Romanis Pontificibus coërceri, & gladium velut furentibus eripi; id enim cùm ex Jure naturalis defensionis, ac officio Pastorali consequatur, noluit hîc Christus exprimere, cùm potiùs comprimenda esset Apostolorum ambitio, quàm novis facibus accendenda. Nulla est ergo hæc consequentia: *Status & dignitas Pontificia ac Apostolica ad gubernandam Ecclesiam, non verò ad dominatum terrestris Reipublicæ ordinatur. Ergo nunquam potest Regibus Ecclesiam persequentibus potestatem Regiam adimere, aut Subditos juramento solvere*; imò contrarium potiùs inferri debuit: cùm enim causa & cognitio Juramenti, quibus videl: casibus obliget, aut non obliget, sit spiritualis, & temporalis potestas subordinetur potestati spirituali, tanquam medium fini, sitque, spectatâ conditione humanâ, maxima connexio rerum spiritualium cum temporalibus, ac gubernandæ Ecclesiæ sit omninò necessarium Ecclesiæ hostes coërcere (quemadmodum eadem est ars militaris, quæ cives munit, repellítque hostes) sequitur, ut concessâ supremâ potestate Spirituali Ecclesiam gubernandi, concedi etiam debuerit potestas Regibus imperandi, eósque, si necessitas & periculum Religionis urgeat, exauctorandi, non quidem absoluta & ordinaria, sed subsidiaria & eventualis, atque ut dixi ad casum puræ necessitatis restricta, idque juxta naturalia illa & communia prudentiæ axiomata, atque toties à Sacris Thelogis, Juríque-Consultis repe-

repetita, vid. (a) *Cuicúnque committitur principale, committitur & accessorium*; &, *Concessa alicui Jurisdictione conceduntur omnia, quæ ad illam necessaria sunt, & sine quibus exerceri illa efficaciter non potest.*

Opponitur V. Jubent sacræ Scripturæ, ad Romanos 13. (b) *Ut omnis anima* (& consequenter etiam Pontifex Romanus) *sublimioribus potestatibus subjecta sit.* Et apud Matthæum: (c) *Ut reddantur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO: ut obediamus Regibus etiam dyscolis*, idque, *non solum propter iram*, (d) *sed etiam propter conscientiam.* Acceditque (e) exemplum Ecclesiæ primitivæ, quando vid. flagrante persecutione, & Christianis omni genere tormentorum, vi dolisque ad cultum Idolorum adactis, nemo tamen contra legitimos Principes arma sumpsit, nemo cum illis de Imperio contendit, seque juramento solutum credidit. Neque id metui tribuas, aut paucitati Christianorum, aut quòd Principe Catholico carerent, quem sequerentur, quique Imperij Principibus bellum inferret. Nam quî poterant illi aut paucitate, aut metu cohiberi, qui non morti tantùm, sed etiam pœnis morte acerbioribus tantâ alacritate se offerebant? illi bellum refugerent pro Religione, qui gladios, ignésque velut delicias amplexabantur? Audi Tertullianum: (f) *Si hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? vestra omnia implevimus, urbes, Insulas, castella, castra ipsa, sola vobis reliquimus templa; cui bello non idonei, non prompti fuissemus, & non impares copijs, qui tam libenter trucidamur?* Eodem modo sæviente hæresi Arrianâ, & Neronum ac Deciorum crudelitatem æquante, & quando rerum in Occidente Catholici potiebantur, sub Imperatoribus Constantio & Valentiniano æquè Catholicis, deerant illis arma, vires Ducésque copiarum, quas Valenti & Constantio opponerent? & tamen quando nec causa, nec vires, Ducésque Catholicis aberant: & tempus vindicandæ Religionis: quis de Imperatoribus dejiciendis, solvendisque subditis juramento cogitavit? non ergo Pontifices Romani id sibi licere credebant; nam si crederent licere, cur non eodem modo illi Decios, Nerones, Constantios, Valentésque, quo

(a) S. Thom. 3. p. q. 59. a. 4. & L. fin. ff. de off. ejus, cui mand. jurisd. & l. 2. de jurisd. omn. Jud. & c. præterea de off. Jud. deleg. V. Reg. Sacerd. à fol. 236. (b) Rom. 13. (c) Matth. 22. (d) Et 1. Petri 2. (e) Maimb. cit. c. 27. f. 369. (f) Tertul. in apolog. c. 87.

quo nuperi Pontifices Fridericos, Henricósque persequerentur? aderat enim par, imò æquior causa protegendæ Religionis, nec vires minores.

Resp. Sententias S. Scripturæ quod attinet, generales illæ sunt, nec se ad casum adeò specialem & extraordinarium, de quo nos loquimur, extendunt. Quòd enim Principibus obediendum sit, omnique cultu ac reverentiâ, quamvis dyscoli impijque, prosequendi, nemo dubitat, nemo negat; imò ipsi Summi Pontifices, cùm adhuc quoad temporalia Imperatoribus subderentur, summâ illos reverentiâ observabant, adeò ut Stephanus II. in Epistola (a) ad Pipinum, *se ejus vestigijs advolvi*; Gregorius (b) verò Magnus in Epistola ad Mauritium; *se vermem, pulverem, cinerémque* profiterentur; non hic satis reverentiæ & obsequio datum? Cœterùm, ut etiam suprà notavimus, generales illæ locutiones nihil casui derogant, de quo nos loquimur. Quemadmodum enim generalia illa præcepta: *Ego autem dico Vobis, omninò non jurare: non occides: non furtum faces*, non extenduntur ad casus necessitatis, & naturalis defensionis, ità néque ad casum, de quo agimus; quæ enim major necessitas, aut quæ justior defensio, quàm animarum, quàm fidei & Religionis? *Cur ergo non etiam antiqui Pontifices hâc potestate usi sunt?* *Resp.* Nullum esse argumentum à negativis, multa enim olim facta non sunt, idque ex certis causis, quæ tamen fieri alioquin potuissent. Nec Decius, nec Diocletianus, nec Titus, nec alij retrò Imperatores Constantinopoli Regiam fixerant, num ideò nec Constantinus id potuit? Sic olim Episcopi & Pontifices in commune vivebant, nec distinctis suísque Patrimonijs instructi erant, nec etiam à solo Clero, multóque minùs à solis Canonicis eligebantur; num ergo aliter vivere, eligíque non poterant? Fateri ergo oportet, multa olim, quæ fieri poterant, facta non esse. Eodem modo, quòd olim Constantios, Valentes, aliósque impios persecutores Pontifices tulerint, nec eos diris percusserint, (quod utique poterant, néque Maimburgus negabit) multóque minùs Imperijs exuerint, dubium non est, ob magnas, gravésque causas fecisse, præsertim pejorum metu, & exili, quod temporalia spectat, Pontificum majestate, quódque nulla spes alluceret imperata exequendi; nam & immensa

(a) Steph. II. epist. 4. ad Pipin. (b) Greg. M. epist. 62. ad Maurit.

tunc erat Imperatorum potestas, aut toto, aut mediâ Orbis parte dominantium, promptíque exercitibus, militiæ ac pugnæ paratis; ergo tunc temporis aut non decuit, aut non oportuit, aut non expedijt, multóque tutius ferre & expectare, quàm hostes & fortiores excire inutili ac noxiâ vindictâ. Alioquin si hoc exemplum antiquitatis aliquid urgeat, quo jure ex sententia Maimburgi Franci Pipino & Capeto, Romani Carolo Imperium detulêre, ipsíque acceptârunt? si nefas hoc fuit, nunquam pejùs, quàm in Gallia & à Gallis peccatum. Sed & illud huc facit, quòd non olim tantùm, sed hoc etiam tempore, quando Summi Pontifices hanc sibi in Reges & Imperia potestatem convenire putant, multos tamen hæreticos Principes tolerant, nullíque eos pœnis nec sacris, nec profanis insectantur, nec subditos Juramento absolvunt, idque aut meru pejorum, aut quia credunt se fruſtrà conaturos, quamvis multi, potentésque Catholici Principes non desint, quorum armis uti possent; nec propterea sequitur, arbitrari modernos Pontifices, se hâc potestate uti non posse; ità non sequitur, & antiquos Pontifices id arbitratos esse, qui ob similes causas censuris, pœníque abstinebant, non quòd causæ aut potestas, sed quòd tempus abesset, nam navigatio non omni vento opportuna.

IV. *Opponitur VI.* Obedientia, (a) quam subditi Principibus debent, juris divini est, & à DEO imperata, non ergo dispensare, eámque solvere Pontifices possunt, ut sæpe in sacris Canonibus definitum est, docéntque illis verbis sacræ Scripturæ: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Alioquin auctoritate Pontificum etiam matrimonia laxari possent.

Resp. Observabit lector, promisisse Maimburgum, se argumentationibus non usurum, & consultò quidem, nihil enim eo infelicius, cùm argumentari incipit; cùm historiam texit, evolvitque præterita & olim facta, fallit quidem, sed observari nisi ab eruditis non potest, & quibus libri & otium est percurrendi antiqua. Cùm verò philosophari incipit, rationésque deponere ex suo contextas, adeò aberrat, ut nemo non notet, videátque, aut indoleat

(a) Maimb. cit. cap. 27. fol. 372. (b) c. sunt quidam 25. q. 1. c. litteras de restitut. Spoliat. c. super eo 4. de usur. S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. & quodl. 4. q. 8. a. 3. vide Reg. Sacerdot. f. 560.

leat tam malè in metam collimanti, appareátque, majorem illum eloquentiæ operam, quàm Theologiæ dedisse. Si obedientia Regibus debita juris divini est, quod solvi à nullo & nunquam potest, quis ergo Francos, Romanósque juramento exsolvit, quod Childerico, quod Constantino dixerant? idque vidente, approbante, imò acceptante Gallià? Quis in juramentis, quis in votis dispensat, quorum obligatio juris utique naturalis est, divinique? Sed & principium Maimburgus petit, supponit enim, quod probandum erat, videl. præcepta divina, præsertim positiva pro omni casu obligare, cùm contrarium constet, etiam in præceptis negativis; præceptum enim *non occidendi* in certis casibus & circumstantijs non obligat, præsertim in casu defensionis; ità nec præceptum *Principibus obediendi*, quando necessitas defendendæ Religionis, quæ multò fortior & antiquior est, urget. Declaratio verò, an ea necessitas urgeat, adsintque circumstantiæ, ob quas juramenti obligatio cessat, est una ex majoribus causis, & ideò Pontifici reservata, nec privatorum judicio permissa, alioquin nemo non causas fingeret, legitimos Magistratus respuendi, essentque omnia latrocinijs ac factionibus plena.

V. *Opponitur VII.* (a) Potestas hæc indirecta, quæ Pontifici Romano tribuitur, nullum habet à sacris litteris patrocinium, ne leve quidem, átque ex tot auctoritatibus, quæ illi opinioni sustinendæ producuntur, nulla à sacris Concilijs, sanctísque Patribus in eum sensum explicatur, qui illis à Bellarmino & Suarezio falsò attribuitur. Illæ verò Evangelicæ sententiæ: *Pasce agnos meos*, &, *quodcúnque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, intelligendæ sunt de sola potestate spirituali, non verò temporali, & sica Patribus intellectæ, explicatæque sunt.

Resp. Scripturas quod attinet, alibi ostensum est, hanc nostram sententiam apertè & Theologicè ex illis deduci, parique ratione, quâ olim SS. Patres per evidentem ac naturalem discursum suas Conclusiones contra hæreticos ex sacris literis inferebant. Nam 1. In veteri testamento Oziam Regem incensa in templo adolentem, & ideò leprâ statim percussum Summus Pontifex Azarias non solùm ut templo egrederetur rogavit, sed etiam invitum

(a) Maimb. cit. c. 27. f. 373.

ejecit: *Cúmque*, inquit Scriptura, (a) *respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes vidissent lepram in fronte ejus, festinatò expulerunt eum, & habitavit in domo separata plenus leprâ, & filius ejus rexit domum Regis, & judicabat populum terræ.* Ubi observa, Pontificum munus fuisse, de Principis lepra cognoscere, & ubi infestum reperissent, omni commercio ac hominum societate excludere, sicque inhabilem Regno pronuntiare, nam Levitici 13. ita statuitur: (b) *Quicúnque ergo maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra.* Sicut ergo Pontifices Aaronici de lepra Principis cognoscebant, eâque infectos templo arcebant, omníque humanâ societate, sicque inhabiles declarabant gubernandæ Reipublicæ: néque id obstabat reverentiæ Principi debitæ, omníque naturali ac divino jure sancitæ: ita Romani Pontifices de morali Principum lepra sententiam dicunt, id enim ad majores causas pertinet, soli Vicario Christi reservatas, nam & olim solus Pontifex lepram notabat, & hujus jussu Ozias templo excessit. Et sic leprâ correpti omni commercio, congressúque humano arcebantur, & ideò inepti, exclusíque Regno, adeò ut idem esset, pronuntiare leprosum aliquem, & Regno indignum: ita Princeps hæresi corruptus, corrumpénsque alios, & propterea à Sacris interdictus decreto Apostolico (c) hominum commercio & societate excluditur, adeò ut *nec cibum cum illo sumere, nec eum salutare permittatur.* Sic enim habes Epistolâ 2. B. Joannis Apostoli: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Quæ Apostolica prohibitio saltem tunc locum habet, cùm est periculum, ne tu vel tui ab hæretico pervertaris (quod perversionis periculum tunc maximè obversatur, cùm Princeps aliquis hæresin suam, aliósve errores exemplo, aut etiam armis propagat?) in quo casu non humano tantùm jure, sed etiam divino & naturali sociari hæretico, aut excommunicato non potes; & videri possunt Bedâ, Fabianus, Callixtus, & canones Apostolici à Gratiano (d) citati. Et quamvis necessitas Principibus obsequendi, quâ subditi stringuntur, eosdem excuset, permittátque, ut hæretico, aut excommunicato

(a) 2. Paralipom. c. 26. (b) Levit. 13. v. 44. (c) 1. ad Corinth. 5. & ep. 2. B. Joh. Apost. v. 10. (d) V. causam 11. q. 3. in decreto Gratiani, & can. omnis 24. q. 4.

cato convivant, quis tamen Pontificem prohibeat, ne ex Apostolorum præscripto, reguláque subditos omni consortio & societate cum hæretico Principe interdicat, à quo ipsi vi & exemplis corrumpuntur? si enim tanta pernicies ab hæreticis privatæ sortis, & ideò vetat Apostolus cum ijs communicare, quantò majus à Principe periculum, quantóque major necessitas eum devitandi? & si lepra Reges deposuit, quæ in corpora tantùm serpit, sævítque, quanto magis hæresis animabus ac Religioni funesta? Quòd si nihil Azarias contra reverentiam deliquit Principi suo debitam, quando leprosum abegit, permisítque alium Regem subjectis; cur Pontifex Romanus delinquat, si eodem jure in hæreticum agat? an forsan major hæretico reverentia, quàm leproso debetur? aut lepra majus hæresi delictum, majoríque pœnâ dignum? *At*, inquit, *præcepit DELIS, à leproso Principe, non hæretico secedere*: imò multò magis ab hæretico; quæ enim major separatio, quàm non communi eum mensâ aut domo, imò nec salutatione dignari? hæc enim omnia hæreticis & excommunicatione percussis Apostoli vetant, leprosis concessa, nam salutare licebat. Si ergo Pontifex Romanus, Gregorius videl: XIV aut Clemens VIII. Gallis præcipiat; nolite cum Henrico Navarræo adhuc hæresin spirante, & Galliam infecturo, *cibum sumere, aut recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis*; auderétne Maimburgus dicere, Pontifices præter, imò contra Scripturas agere, cùm tamen id ipsum agerent, diceréntque, quod Scriptura, quod Apostoli? Dices, *Apostolos non loqui de Principibus, sed de privatis tantùm*. *Resp.* Nec in libro Levitici expressè de Principibus à populo separandis, si leprâ tangantur, sermonem esse; & tamen Azarias Pontifex ob paritatem rationis etiam de Regibus intellexit, nec enim minùs periculi à Regis, quàm privati lepra; idem de hæresi dicas, alijsque contagiosis Principum morbis, quorum tantò potentius venenum, nam infinita illis media, attésque pestem dilatandi. Illud quóque circa factum & lepram Oziæ memoriâ dignum, quod ex SS. Hieronymo, Cyrillo, Origene, & Chrysostomo notat Cornelius & Tirinus, videl: *Privâsse Deum Judæos suis Oraculis, prophetiâ & spiritu usque ad mortem Oziæ, quòd ejus consortio & præsentiâ contaminarentur*, Tanti apud Deum fuit, Regi à Pontifice

ejecto, lepráque fœdato sociari. *II.* Id etiam efficaciter probat locus ille S. Pauli; *1. ad Corinth. 6.* præsertim junctâ Patrum interpretatione, sic enim Corinthios recens ad Christum conversos alloquitur: *Audet aliquis vestrûm habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? an nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? & si in vobis judicatur mundus, indigni estis, qui de minimis judiciis? nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Videbat Apostolus, periclitari Christianos, eorúmque Religionem ludibrio exponi, quando litium finiendarum causâ gentilium commercia, tribunalia, favorémque captabant; & ideò vult lites & judicia à Christianis agitari, componique, nec Tribunalia Paganorum quæri: & ne causarentur, se potestate judicandi destitutos, ostendit, ijs, quibus causæ spirituales committuntur, multò magis seculares committi: *Nescitis*, inquit, *quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Quasi dicat, interprete in eum locum D. Thomâ: *Qui idoneus est ad majora, multò magis idoneus erit ad minora.* Ex qua Apostoli doctrina hoc judicium causarum secularium postea commissum fuit Presbyteris & Episcopis, ut expresse testantur (a) Clemens PP. Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Synesius, Theodosius & Carolus M. Imperatores; Apostolus tamen non demandat hoc officium causas seculares cognoscendi Episcopo Corinthiorum: *Quia*, ut ait Ambrosius, *necdum Rector in eorum Ecclesia erat constitutus*; quippe recèns ad fidem conversi erant. Eodémque modo hunc locum intelligunt Anacletus, Gregorius M. Gregorius VII. & S. Bernhardus. Et ne quis dicat, in causis tantùm arbitrarijs, & ex partium consensu Episcopos judicâsse, audiat verba Theodosij, quæ in decreto habentur: *Etiamsi altera pars refragetur.* Quæ verba necessitatem, non arbitrium sonant. Multò minùs dici potest, hanc in causas secularium jurisdictionem ex privilegio Principum, Theodosij videl: & Caroli, non ex jure divino aut naturali Episcopis provenisse; nam nec Apostolus, nec Patres hujus privilegij meminêre, imò aliqui eorum ante Theodosij & Caroli

(a) Clem. PP. II. constit. 49. & seq. Nyssen. in vita Greg. Thaumat. Ambr. 2. Offic. c. 29. August. de op. Monach. c. 26. Synes. ep. 57. & 58. Greg. M. 2. P. Pastoral. c. 7. Greg. VII. l. 8. ep. 21. S. Bernhard. de consid. l. 1. c. 6. & l. 16. de Episc. jud. Cod. Theod. & in Capitular. Carol. 6. & c. quicúnque & seq. 11. q. 3.

soli tempora vixerunt: nec fundamentum ex concessione Principum, sed ex ipsa potestatis spiritualis natura sumunt, cui temporalis subordinatur; id enim ea verba Apostoli significant: *Si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? nescitis, quia Angelos judicabimus, quantò magis secularia?* Et illa S. Bernardi: (a) *Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus; si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimus judicetis?* Et S. Thomæ: *Qui idoneus est ad majora, multò magis idoneus erit ad minora.* Ubi vides hanc potestatem in secularia non in privilegium, & concessionem Principum, sed in ipsam naturam & prærogativam characteris spiritualis ab Apostolo, Sanctisque Patribus referri. Ergo ex hac & superiori Apostolorum sententia argumentari ità licet: quando perversionis, amittendæque Religionis periculum instat, quod evitari aliâ ratione non potest, Apostoli non contenti spiritualibus pœnis, etiam de rebus temporalibus disponunt, eásque de uno in alium transferunt; dant enim potestatem judiciariam ijs, qui non habent, prohibéntque jure hospitatis, humanæque societatis (quæ est Juris gentium, & hominibus ferè optatissima) ergo potestas spiritualis indirectè se extendit ex doctrina Apostolorum etiam ad dispositionem bonorum temporalium, quatenus ista conservandæ animæ ac Religioni deserviunt. Dices, *nihil Apostolus de Regibus exauctorandis dicit.* *Resp.* Tu qui negas omnem Pontifici in Regna potestatem, ex quo fundamento id negas, nisi quòd solam, unicámque in Pontifice agnoscas spiritualem potestatem, néque hanc ad temporalia extendi dicas? id enim omnibus ferè paginis Maimburgus sonat: contrarium ex doctrina Apostoli, Patrúmque ostendimus. Cadit ergo fundamentum, quo nitebaris, & cum illo opinio tua. Quòd si semel extendi ad temporalia potestatem spiritualem dicis, idque conservandæ Religionis causâ, cur non ad Regna, cùm nulla major, quàm ab hæreticis Regibus, aut Ecclesiam persequentibus pernicies? quod nimiùm exempla, fideíque ruinæ docent. Sed quia Reges Ecclesiâ, Regnóque interdicere ex causis non majoribus tantùm, sed maximis est, ac præsertim arduis, ex ijsque salus aut pernicies Regnorum ac Ecclesiæ pendet; ideò solis Summis Pontificibus id hodie permittitur, ut colli-

(a) S. Bernard. de consid. l. 1. c. 6.

colligitur *ex c. ne aliqui de privil. in 6.* docéntque communiter Doctores, (a) & ipse Maimburgus fatetur, causas majores ad tribunal Pontificis pertinere, exemplo Mosis, cui ex consilio Jethro Summæ lites submittebantur, reliquæ, minutæque inferioribus commissæ. Quia tamen occupatio circa negotia, causásque seculares vehementer animum implet, avocátque à cura animarum, ideò ordinariè ac extra necessitatem nec Christus (b) implicari ijs voluit, repulítque de hæreditate interpellantem; & Apostolus prohibuit *militantem DEO implicare se negotijs secularibus, ut placeat DEO*; quod eleganter D. Gregorius (c) in suo Pastorali, & Bernhardus in libris de consideratione (d) prosequuntur. *III.* Huc faciunt verba & promissio Christi ad Petrum: (e) *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcúnque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quod solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* In his verbis ex omnium Catholicorum sensu committitur Petro summa in causis spiritualibus, & animas ligandi, solvendíque potestas. Atqui causæ Juramentorum sunt spirituales, & quousque ac in quibus casibus obligent, pertinet ad Summum Sacerdotem definire; poterit ergo definire in certo casu non obligare, & si definiat, non obligare in casu, de quo agimus, hæc ejus definitio, utpote super causa spirituali, & à supremo Judice facta à nullo alio improbari poterit, evertíque. Rursus, si juramenta ac obedientia Regibus præstita in ipsorum subditorum, Regúmque perniciem, damnúmque animarum vergat, solvi utique ab eo poterunt, cui suprema cura animarum data, eorúmque omnium, quæ animabus noxia: alioquin quid proderit, animas solvendas, curandásque committere, non verò eas curandi, solvendíque modos, & finem imperare negatis medijs? id enim perinde fuerit, ac si navigare aliquem juberes subtractâ navi, aut Classicum canere subductis tubis. Imò contrarium in Imperijs, negotijsque humanis exerceri videmus, quantóque magis in divinis, quorum Ordo & efficacia major? Si enim Rex aliquis supremum exercitûs Ducem consti-

(a) V. Silv. v. excommunicatio 1. n. 10. Henriq. l. 13. c. 25. Sà v. excommunicatio n. 13. Laym. de Pœnit. c. 10. n. 3. Maimb. Tr. de l' Egl. de Rome fol. 60. (b) Luc. 12. 14. & 2. ad Timoth. 2. v. 4. (c) S. Gregor. in Pastor. p. 2. c. 7. (d) S. Bernh. de consid. l. 1. c. 6. & l. 4. c. 3. V. Reg. Sacerd. f. 102. (e) Matth. 16.

constituat, jubeátque Urbem terrâ marique ab hostibus cinctam obsidione solvere; quis neget hoc ipso summo illi Imperatori commissam potestatem, & fabris imperandi, ut arma expediant, & frumentarijs, ut commeatus comportent, & Classium Præfecto, ut vela faciat; qui si cessent, aut etiam ad hostes deficere parati sint, quis neget, posse illos (quamvis alioquin militiæ Duci non subsint) non imperio tantùm, sed etiam pœnis urgeri, imò officijs exui, aliósque imponi, qui victoriam juvent, paratámque defectionem morentur? Si ergo potestas solvendi obsidionem tantum auctoritatis tribuit Duci exercitûs, etiam in eos, qui subditi aliâs non sunt; quantò plus tribuet potestas solvendi peccata, animásque liberandi Vicario Christi ac capiti Ecclesiæ? *Dices*; illa Mathæi verba intelligenda tantùm sunt de potestate spirituali absolvendi peccata, non verò deponendi Reges, subditósque ab obedientia, quàm illis debent, liberandi. *Resp.* Verum id est, si de potestate ordinaria & principali loquamur, quæ Apostolis, eorúmque successoribus ad animas, non Regna disponenda commissa est: sed ex hac ipsa potestate regendi animas, solvendíque peccata, sequitur alia & indirecta potestas, ac pro raro casu, statuendi vid. etiam de temporalibus, quando id necessitas conservandæ Religionis requirit, nec aliter vitari peccata, delerique possunt, quemadmodum potestas gubernandi Urbem includit etiam, saltem pro casu necessitatis, repellendi hostes, comprimendíque ac exauctorandi tives perduelles, si domari aliter non possint. De hac tamen potestate non ità expressè primi Ecclesiæ Patres loquuntur, tum quia includitur in prima, tum quia minùs principalis, & prima Scripturæ ac Patribus cura fuit, animas instituere, tum denique quia rarò locum habet. Patet verò, leges non loqui de casibus, qui rarò, sed qui plerúnque contingunt. Et denique in hac controversia evenit, quod in alijs plerísque, ut videlicet tunc primùm Patres expressè, claréque loquerentur, cùm cœpit agitari, ac in dubium verti. Et planè quis non videt, sub Neronibus & Decijs, aut sub Constantinis & Theodosijs importunè hanc quæstionem motum & explicatum iri, quando aut nulla spes, aut nulla necessitas, aut nullæ vires exequendi: at verò ubi periclitari Religio à Regibus cœpit, virésque ac Principes oblari, qui casuram sustinerent, quod

præsertim à Pipini & Caroli M. temporibus evenit, non omisit Ecclesia potestate suâ uti, eámque Scripturæ testimonijs fulcire, non quidem in alienos à veritate sensus detorquendo (id enim Maimburgus non sine gravi injuria, parique imprudentia Concilijs Universalibus, Lugdunensi, Viennensi, duplici Lateranensi, Constantiensi, Tridentinóque affingit, & consequenter Ecclesiæ Gallicanæ, quæ magna pars istorum Conciliorum fuit) sed veritatem explicando, in Scripturis quidem, apertísque Scripturæ exemplis contentam, sed à primis Ecclesiæ Patribus non evolutam, tacitámque, quippe alieno tempore, & Principibus hoc remedio non egentibus, aut non sanandis. Idque ut dicebam in Ecclesia frequentissimum, tunc videl. scripturas explicari hactenus inobservatas, decidíque quæstiones, cùm occasio ferebat, quod multis quidem exemplis Patrúmque testimonijs illustrari posset, sed uno alteróque contentus rem totam absolvam. Primis Ecclesiæ temporibus, cùm aut delendis idolis, aut Filio, Sanctóque Spiritui asserendæ divinitati, à Macedonianis, Arrianísque impugnatæ, Patres laborabant, nulla ferè apud illos mentio, aut si aliqua, levis admodùm, incidénsque, quòd à Patre, Filióque Spiritus S. procederet; & ipse sacer textus adeò nihil de hac Processione expresse videtur statuere, ut potiùs solius à Patre processionis meminerit: & sanè antiqui Patres nullum Scripturæ testimonium producunt, quo hanc Processionem confirment, quippe alijs bellis intenti, nihil pro ea parte curabant, quæ hoste carebat; nec diffiterur Maimburgus, (a) non laborâsse Ecclesiam Orientalem huic Processioni examinandæ. At verò ubi impugnari ab hæreticis hæc veritas cœpit (qui maximè silentio Scripturæ nitebantur) præsertim à Theodoreto, (b) Priscillianistis, Joanne Monacho Hierosolymitano, Theophylacto, Photióque, tunc enim verò certatim ac velut signo dato Concilia, (c) Patrésque exciti, & veritati defendendæ calami exerti: in quàm plurimis Synodis Processio à Patre, Filióque decantata, præsertim Toletana prima, tertia, octava & duodecima, Gentilia-

censi,

(a) Maimb. de Schism. Orient. T. 1. l. 2. f. 213. (b) Theodoret. in confut. anathem. 9. Cyr. Priscillian. ap. S. Leonem Epist. 93. (c) Concil Tolet. 1. apud Baron. anno 447. Concil. Gentil. ap. Maimb. hist. des Iconocl. l. 3. Concil. Nicen. 2. act. 7. Concil. Forojul. T. 7. Concil. edit. Paris. V. Maimb. cit. de Schism. Orient.

censi, Nicena secunda, Foro-Julienſi, Aquisgranensi, Arelatensi sexta, Romana sub Benedicto VIII. Barensi in Apulia, Lateranensi sub Innocentio III. Lugdunensi sub Gregorio X. ac tandem Florentina sub Eugenio IV. Tunc etiam in favorem ejusdem Processionis sacrarum scripturarum sententiæ expositæ: quamvis antiqui Patres nunquam eas in hunc sensum explicaverint. Ex illis enim verbis: *Omnia quæcúnque habet Pater mea sunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet.* Et: *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*; ità argumentabantur: *Si omnia, quæ habet Pater, dedit filio, ergo etiam filio dedit vim spirativam; si Spiritus Sanctus aliquid de Filio accipit, vel aliquid accidentale, vel aliquid substantiale accipit? non accidentale, quia alioquin Deus non esset: si aliquid substantiale, ergo secundum substantiam à Filio procedit. Si Spiritus Sanctus mittitur à Filio, aut mittitur auctoritate & imperio, aut Origine, quomodo arbores dicuntur flores mittere; non auctoritate & imperio (hoc enim servitutem sonat & subjectionem, quæ in DEUM non cadit) ergo Origine.* Quæ explicationes veræ quidem sunt, sed apud Patres quatuor primorum seculorum inauditæ, quippe nondum armamentarium expanderant, silente hoste, quietóque. Et ideò cùm Græci in Florentino (a) Concilio sæpissimè silentium scripturæ & Ecclesiæ objicerent, responsum à Latinis est: *Eadem Ecclesia diversis temporibus, ac urgente necessitate accessionem facere potest, quæ quidem facultas nunquam poterit auferri, noster enim Salvator inquit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Nihil ergo est novi, si novis in Ecclesia quæstionibus exortis novæ sint explicationes scripturarum, novæ decisiones auditæ. Id quod etiam Patres observârunt: Tertullianus: (b) *Nihil,* inquit, *sine ætate est, & omnia tempus expectant. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri; granum est primò, & de grano frutex ortur, & de fructu arbuscula enititur, deinde rami & frondes invalescunt, & totum arboris nomen expanditur, indè germinis tumor, & flos de germine solvitur, de flore fructus aperitur. Is quóque rudis aliquando & informis paulatim ætatem suam digerens eruditur in mansuetudinem saporis. Sic & justitia (nam idem Deus justitiæ & creaturæ) primò fuit in rudimentis &c.* Et S. Augustinus: (c) *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine agitantur, ut adversus eos de-*

(a) Concil. Florent. sess. 6. (b) Tertul. de veland. Virg. c. 1. (c) S. August. l. 16. de civ. c. 2.

fendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio. Et Gregorius Nazianzenus : (a) *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæq; ordinem, quem nobis tenere præstiterit, ut nec repentè, nec confertim omnia in lucem efferamus, nec in finem usque occultemus.* Et Gregorius M. (b) *Hoc quóque nobis sciendum est, quia & per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum, plus námque Moyses, quàm Abraham, plus Prophetæ, quàm Moyses, plus Apostoli, quàm Prophetæ in Omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hæc ipsa scriptura non loquitur ; & mensus est, inquit, limen portæ calamo uno : mensura ergo calami, qui est sex cubitorum, & palmo ducatur ad cubitos tredecim, quia quantò mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ scientiæ adytum clariùs aperitur.* In quam sententiam exponit idem Gregorius illud (c) Danielis vaticinium : *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia* ; sive ut clariùs habent hebraici Codices : *Discurrent multi, & multiplicabitur scientia.* Et septuaginta : *Donec doceantur multi, & multiplicetur scientia.* Convincunt hæc omnia, frustrà Maimburgum excipere, illos Scripturæ textus, qui à nobis citantur, non fuisse à Patribus antiquis explicatos de potestate, quam in certis casibus habet Ecclesia, Reges in ordinem redigendi, solvendíque subditos à vinculo juramenti, quo illis devinciuntur : nondum enim hæc quæstio mota fuerat, & propterea nec eam scripturis illustrari oportebat ; quæ necessitas enim probationes, testesque cumulandi, lite necdum instructâ ? præsertim Patribus in tot bella, hostésque accinctis. Num ergo Concilijs, Lugdunensi, alijsque loqui non licuit, quia illi tacebant ? aut forsan plus habent auctoritatis, probandíque efficaciam, tacentes, quàm loquentes testes ? aut alligata est virtus ac potentia Spiritûs sancti, ut radius heri nube obseptus micare hodie non possit ? præsertim cùm in sacris literis tam multa testimonia & exempla extent, pro hac nostra sententia, quæ partim produximus, partim infrà producemus, ut non tam silentem Scripturam, quàm apertè loquentem habeamus. Nam *IV.* efficax argumentum sumitur ex illis Christi verbis ad Petrum : *Simon Joannis diligis me ? pasce oves meas* ; idque tertiò Christus repetijt. Agnoscunt hîc SS. Patres, estque in

(a) S. Naz. serm. 4. de Theol. (b) Greg. M. hom. 16. in Ezech. (c) Daniel. 12. v. 4.

in sacris Concilijs definitum, ac perpetuâ traditione, usúque in Ecclesia probatum, per hæc verba soli Beato Petro, ejúsque successoribus supremam, ac totius Ecclesiæ curam traditam esse, quod Sancti Leo (a) & Bernhardus eleganter expressérunt, nec Galli negant. Ex illis verbis argumentari ita licet. Cura universam Christi Ecclesiam, ejúsque oves pascendi Petro, & Successoribus commissa est. At verò cura Pastoralis non solùm id requirit, ut oves pascas, tondeas, mulgeas, ducas, reducásque, & morbidas cures, sed etiam ut si quæ ex illis sanari non possit, aliásque inficiat, Pastor eam ab alijs separet, lupúmque irruentem arceat, vinciátque, ne gregem irrumpat; hæc enim si omitteret, præstarétque alia omnia, meritò diceretur suo officio defuisse, nec Pastoris partes explêsse: non quòd Pastoris cura sit, medicum aut venatorem agere, sed quia curari oves non possunt, nisi illa exhibeantur, & commissis ovibus illa omnia commissa censentur. Quòd si Pastor invadente gregem latrone aut taceat, aut acquiescat, aut solis vocibus adversetur, nec cùm possit, eum vinciat, aut armis exuat, ne possit nocere, idque eâ ratione excusaret, quòd sola sibi in oves potestas tradita sit, nulla in prædones lupósque, quis rogo non timidum, ignavúmque, ac sui muneris oblitum diceret, & gregis vastati reum? Sic cum pontifice Romano res se habet. Pastor ille, Christiani omnes, etiam Principes, Regésque ad oves pertinent: fac ex ovibus unam non morbidam tantùm, sed lue correptam esse, alijsque funestam, aut quod pejus est, in lupum verti, & in oves juxtà Pastorémque grassari, volo dicere, Principem aliquem ex ovibus Christi hæreticâ labe contaminari, & Ecclesiæ ac Religioni bellum stragémque moliri, nec ullis rationibus, non minis, non precibus sanari, sistíque posse, num à Summo Ecclesiæ Pastore vinciri, exarmarique non possit, eâque potentiâ exui, quâ in sui, aliorúmque perniciem abutitur? licet hoc Pastori in prædonem lupúmque, cur non Pontifici in hæreticum, hostémque Ecclesiæ? aut forsan majus periculum, damnúmque ovibus à lupo, quàm Christianis ab hæretico Principe? aut Jura naturalis defensionis, quæ in Pastore locum habent, non habebunt in Romano Pontifice? Patet ergo ex cura Pastorali Petro & Successoribus commissa, sequi necessariò

(a) S. Leo serm. 3. de assumpt. sua. S. Bernh. l. 3. de consid. c. 7.

potestatem oves morbidas separandi ab ovibus sanis, arcendique lupos ovibus infestos. *Nec obstat*, quod infert (a) Maimburgus, videl: sequi, ut quemadmodum lupus, ita & Princeps, qui Ecclesiam persequitur, à quovis & quocúnque modo cohiberi, oppriméque possit, id verò parricidijs ac cædibus januam aperire, & unam esse ex Draconis legibus, sanguine, non atramento scriptam. *Resp.* Absit, ut hæc consequentia deduci ex nostris principijs possit, aut à nobis unquam concedatur; & Maimburgus artificio professione suâ ac fide historicâ nimis indigno, ut odium nostræ opinioni conciliaret, nobis id attribuit, ut doceamus, *quemadmodum lupum, ita & Principem hæresi infectum omni modo quo potest auferri è medio posse*: id enimverò detestamur, non docemus, imò toties repetimus, hanc ex majoribus causis esse soli Pontifici (b) permissis, nec quovis modo aut tempore, sed certis gradibus ac moderatione cohibendos esse; primò enim rationibus tentandos, tum precibus, deinde minis, posteà censuris, sacrisque pœnis; nec ultrà procedendum, nisi mala in extrema proruperint; nec ullo privato damno in Sceptra, & Coronas bellum cieri posse, sed publico tantùm fidei & Ecclesiæ malo: & tunc quóque sisti hîc vindictam, aut ociùs remedia oportere, nec Catholicæ Religioni sanguine litari, præsertim Regio: quippe balsami arbusculæ similem Ecclesiam esse, quæ cùm plagas ab ebore, vitróque sustineat, imò pretiosas lacrimas reddat, ferro tantùm abhorret, & contactu inarescit: nihil ergo ferro & Ecclesiæ; quod multi sacri Canones & apertè decernunt, docétque Gratianus (c) eleganter in Decreto. Quantum hæc doctrina à sævis illis & sanguinarijs vocibus distat: *Posse Principes omni modo quo potest è medio tolli*; id enim significant verba illa Gallica Maimburgi: *Dont il se peut defaire, omni modo quo potest*. Quamvis verò Jus naturalis defensionis, curæque ac custodiæ Pastoralis jus Pastoribus in lupos tribuat, & Pontifici in Reges, diverso tamen modo; semper enim sacri Canones, exempla Patrum, ac mansuetudo Ecclesiæ propria sanguini pepercére, præsertim Regio;

(a) Maimb. Tr. hist. f. 376. c. 27. (b) Causas maj. ad S. Pontif. pertinere habes ap. Innoc. I. ep. ad Vitric. Rhotomag. Pelag. ep. 8. Vigil. ep. 7. ad Auxan. Greg. M. ep. 52. l. 4. Concord. Leon. X. Marca l. 1. de concord. Sacerd. lib. 7. c. 10. 12. 13. (c) Decretum in c. his, à quibus. & c. si in morte. 23. q. 8. & Grat. post c. nos. q. 7. causa 2.

Regio : adeò ut, qui etiam justè sanguinem effudissent, altaribus arcerentur. Jus ergo Pontificum usque ad purpuram, sed citra sanguinem stetit. *V.* Præceptis ac sententijs Evangelicis exempla Christi accedunt, ejúsque Apostolorum multò verbis potiora. Ipse enim Christus, qui formam servi acceperat, qui venerat ministrare, non ministrari, qui tributum Principibus solverat, qui jusserat dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris, qui licet interpellatus noluerat dividendæ hæreditati se miscere, & tandem qui Regnum suum non esse de hoc mundo professus fuerat; nihilominùs tamen, ubi salus animarum, & Redemptio humani generis poscebat, de rebus hominum temporalibus absolutâ quâdam & Regiâ potestate disposuit, nam & ficum arefecit, & gregem porcorum mersit, & mulierem adulterij ream contra leges absolvit; Petrus verò & Paulus Christi discipuli alijs oculos (a) alijs vitam miraculo ademêre, multò Regnis chariora: nec spiritualia tantùm, sed etiam corporalia beneficia omnibus præstabant, quia hæc persuadendæ fidei, ac plantandæ Religioni erant necessaria. Ex quibus omnibus planè deducitur, Deum Apostolis, eorúmque successoribus potestatem tribuisse, non tantùm spiritualia, sed etiam temporalia bona largiendi, quatenus ista spiritualibus serviebant. Quòd si poterant visum, auditum, vitam ipsam largiri, quantò magis Regna, si hæc tantum Religioni conferrent, sintque bona temporalia multò illis inferiora? Cœterùm quia hæc potestas Regna transferendi, si omnibus passim Episcopis concedatur, multò magis Ecclesiæ nocet, quàm prosit; ideò uni Romano Pontifici est reservata. *VI.* Suffragatur etiam, præter verbum DEI scriptum, & exercitum; verbum DEI impressum, innatúmque, quod Jus naturale appellamus, hoc enim est quædam divinæ legis impressio, singulorum animis insculpta, quam nemo non audit, nemo non intelligit, nullóque tempore aut deleri potest, aut corrumpi, fucarique interpretationibus falsis, quâ ratione multùm antecellit verbum DEI scriptum, nec minùs impius fuerit, qui verbo & legi DEI naturali, quàm qui scriptæ repugnaverit, utriúsque enim idem Deus est auctor, & istam dictavit tantùm, illam verò scripsit, impressítque. Ex principijs ergo Juris naturalis sententiam hanc nostram multifariàm proba-

(a) V. Act. 5. & 13. V. Hieron. Chrysost. Greg. M. apud Gratian. causa 23. q. 5.

probamus. *Primò.* Nemo dubitat, defensionem esse Juris naturalis, adeò ut nullum ferè animal non instinctu tantùm, sed armis etiam natura instruxerit vi repellendæ necessarijs: (a)

Accepit mundus legem, dedit arma per omnes
Admonuitque sui, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, & caudæ sic scorpius ictu,
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem
Præsidiúmque datum sentire, & noscere telu
Vimque, modúmque sui.

Habet verò locum justa defensio, quoties injustè ab alio invaderis, sunt enim hæc correlativa, injusta invasio, ac justa defensio, & una ex altera resultat; nec refert, si, quite invadit, subditus non sit, aut quacúnque dignitate præfulgeat, alioquin si Regem Galliæ Rex Hispaniæ aut Persarum invaderet, repellere invasores non posset; & ipsa natura, quâ omnes pares sumus, delictúmque invasorem subjicit. Licet ergo, qui tibi, rebúsque tuis vim affert, repellere, armisque exuere, quibus te aggreditur, (quæ omnium modestissima est defensio) omnique modo eniti, ne damno immerentem afficiat. Si ergo Rex aliquis Ecclesiam, Religionem, fidémque invadat, aut invadere paratus sit, poterit is, qui Ecclesiæ præest, eámque gubernat, ubi aliâ ratione non possit, armis nudare, ac nocendi instrumenta adimere, Sceptra videl: Coronas, subditósque, quibus multò magis Principes, quàm ferro, ignique grassantur, quæque nisi furentibus eripias, nunquam desinent ferire; cùm illorum arbitrio sedeat, injuriâ abstinere, & pace frui. Si ergo aliqua defensio est justa, imò necessaria, quæ rogo justior, quàm quæ Religionis & fidei causâ suscipitur? licet domum defendere, non liceat Ecclesiam? licet gladium & facem latroni eripere, non liceat Sceptrum & Coronam? quæ nisi exeutias, nunquam gladij, facésque cessabunt? Demus, Regna & Imperia non subdi Pontifici; at subduntur naturæ, quæ defensionem imperat, aut permittit; nam nec Persæ Gallo subduntur, num ideò Gallus feret, si illi invadant? Aut quæ possit moderatior defensio esse, quàm quæ arma nocituro aufert? negari ergo non potest, jure naturalis Defensionis Regna & Imperia Pontifici Romano subdi. *Secundò*, Ex jure naturalis defensionis aliud &

(a) Ovid. in Halicy.

pat

par jus exsurgit, legitimi videlicet belli, quod æquè ad æquitatem naturalem pertinet, estque species naturalis Defensionis. Si quis ergo Princeps publica commercia turbet, Provincias tuas invadat, pacta infringat, subditos tuos vi, pecuniâ, malisque artibus corrumpat, certum est, hujusmodi Principem, quamvis alioquin nullo tibi jure subjectum, bello peti, & nisi absistat, acceptétque justas pacis conditiones, etiam Regno privari posse, quo modo videmus, tot Regna & Imperia aut eversa, aut translata. Ergo etiam Pontifex Romanus Principes Ecclesiæ infestos, eámque illatâ hæresi corrumpere molientes, poterit justo bello coërcere, & nisi absistant, coronis privare; cur enim totius Ecclesiæ defendendæ causâ non liceat, quod licet unius Castri aut Civitatis causâ? *Tertiò*; Si videas innocentem aliquem à latronibus impeti, & continuò trucidandum esse, nec alia ratio suppetat eum injustâ cæde liberandi nisi tela extorqueas, equósque quibus fugientem insequuntur, injectis vinculis moreris; quis neget, te facere id posse, idque naturam permittere, quæ omnibus innocentiam comendavit? adeò ut Sanctus Ambrosius, & ex illo Doctor Angelicus (a) pronuntiet: *Eum qui non repellit injuriam à socio, cùm possit, tam esse in vitio, quàm ille, qui facit.* Idémque S. Doctor alibi docet, Principibus etiam infidelibus, nullóque modo subjectis posse ab Ecclesia bellum indici, si fideles persequantur, eósque in suæ Religionis exercitio impediant: (b) quantò magis poterit Principi Christiano titulo baptismi ac specialis Juramenti Ecclesiæ subjecto? cui enim magis innocentium cura, præsertim in ijs, quæ ad animam pertinent, æternámque salutem, quàm Ecclesiæ committitur? Si ergo tu potes latronem vincire, quamvis non tibi, sed Magistratui suo subjectum, ne innocentem perimat, quantò magis poterit Ecclesia constringere Principes, ne animas perdant? *Quartò*: Est etiam jure naturali notum, in mutuis ac reciprocis pactis te nec pacto nec juramento teneri, altero fidem datam fallente, nec promissis stante, unde illud axioma manavit, omni jure receptum: (c) videlicet, *frangenti fidem impunè fidem non servari.* Cùm ergo Principes, quos

(a) S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 6 ad 2. (b) S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 8. (c) V. c. 3. de jurejur. c. 28. de Simon. c. frustra. de R. J. in 6. L. cùm proponas 21. C. de pactis. Et Clement. un. de jurejur.

tempore Imperium ineunt, solemni juramento, se Ecclesiæ, subditíque obstringant, de Catholica fide observanda, tuendáque: si id non præstent, aut quod pejus est, illi evertendæ accingantur, & promissis absistant, dubium non est, posse publicâ auctoritate coërceri, exsolvíque subditos juramento ac obsequio Principi promisso, quod etiam eleganter docuit S. Doctor (a) in libro de Regimine Principis. Poterit ergo Summus Pontifex in hoc aut simili casu declarare, juramentum non stringere, & pacta rescindi, Principe datam fidem violante; quâ verò in re gravius violari fides poterit, quàm in ijs, quæ animam, ac æternam felicitatem spectant? Videri possunt juramenta Caroli M. & Ottonis Imperatorum apud Spondan. (b) & Gratianum in Decreto. Et hæc quidem sunt prima naturæ principia, adeóque evidentia, & clara, ut negari possint à nemine, imò illis nemo non conformiter vivit. Constat ergo, quàm injusta fuerit Maimburgi censura negantis, nostram hanc sententiam divino testimonio fulciri; at verò ostendimus, eam verbo Dei scripto, exercito, innatóque subniti, quid ampliùs velit?

VI. *Objicitur VII.* (c) Negat S. Bernardus Pontifici ut tali ullum Dominatum competere, quantò ergo minùs auctoritas Reges destituendi? verba S. Bernardi (d) sunt: *Esto, ut aliâ quâcúnque ratione hæc tibi venduces, sed non Apostolico jure, nec enim Petrus tibi dare potuit, quod non habuit.* Nulla ergo ex Christi institutione & jure Apostolico Pontifici auctoritas, quàm sola spiritualis, ligandi videlicet, solvendíque animas.

Resp. Agit sculptorem, non historicum Maimburgus; cædit, truncat, versátque Bernardum, ut statuam mendacio fingat. Negat Bernardus: *Aurum & argentum Pontifices sibi Apostolico jure vendicare, sed aliunde.* Nemo id negat: alioquin Apostoli non essent, qui auro, argentóque caruêre. Docet idem Bernardus: *Non reliquisse Apostolos suis successoribus dominationem juxta sententiam Petri,* (e) *non dominantes in Clero, sed forma gregis facti;* & exemplum ac edictum Salvatoris: (f) *Qui major est vestrûm, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut qui ministrat, ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat;* & concludit: *Planum*

est

(a) S. Thom. l. 1. de Regim. Princ. c. 6. (b) Spond ad an. 800. Grat. c. tibi. d. 63. (c) Maimb. Tr. hist. de l'Eglise de Rome f. 391. (d) Bernh. l. 2. de consid. c. 2. (e) 1. Petri 5. (f) Lucæ. 22.

est, Apostolis interdicitur Dominatus. Hæc Bernardi sententia est, qui ut patet, non de Dominatu Pontificis in Principes, sed in Clerum loquitur; addítque in eundem (a) sensum sequentia: *Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis, pascendas utique, non premendas suscepisti.* Ubi planum est, Bernardum de Dominatu etiam in Clerum & Ecclesiasticos loqui. Si ergo eo modo Bernardum explices, quo Maimburgus, sequeretur, non tantùm Regibus & Principibus, sed etiam Clericis imperare Pontifices non posse, id verò absurdum est, & ne quidem à Maimburgo concessum. Vult ergo Bernardus, Pontificem nec secularium, nec Ecclesiasticarum personarum Dominum, sed Pastorem & Rectorem esse, sicque non posse de ovibus suis, earúmque rebus pro arbitrio disponere; id enim discriminis est inter Dominum & Rectorem, quòd huic ratio, illi arbitrium pro lege sit: & Domino, quid sibi, Pastori, quid ovibus prosit, curæ est. Tota ergo Pontificia & Episcopalis potestas *ministerialis est, non dominativa,* quia videl. Ecclesiæ servit, spectátque Ecclesiæ, non Pontificis & Episcoporum privata commoda: & ideò etiam cùm Principes judicat, abdicátque, non id agit Pontifex potestate Dominativâ, sed ministeriali, quia non suo, sed Ecclesiæ bono. Quemadmodum cùm Tutor pupillo imperat, irritátque ejus contractus, non sequitur, Tutorem esse pupilli Dominum; aut cùm morbidas oves Pastor sejungit, & medicus infestum membrum truncat, nemo propterea dixerit, Pastorem esse ovium Dominum, medicum membrorum; imò serviunt etiam cùm sæviunt, & ideò mercedem accipiunt crudelis obsequij. Cæterùm agnovisse Bernardum hanc indirectam & ministerialem potestatem, quâ Pontifices in temporalia funguntur, dubium non est, nec latuit, ut credo, Maimburgum; sed maluit celare veritatem, quàm fateri sevictum. Is enim *libro 1. de consider at:* cùm hæc præmisisset: *Non monstrabunt puto aliquando, ubi quispiam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum; stetisse lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego; ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: habent hæc infima & terrena judices suos, quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* mox subjungit, quæ ad propositum nostrum apprimè faciunt: *Denique ubi necessitas exigit, audi, quid dicat, non ego, sed Apostolus: si enim in vobis judicabitur hic mundus, indi-*

(a) Bernard. l. cit.

gni estis, qui de minimis judicetis? Sed aliud est, incidenter incurrere in istâ, causâ quidem urgente, aliud ultrò incumbere istis, tanquam magnis, dignisque tali & talium intentione rebus. Vides hîc, Bernardum duas, distinctásque rerum temporalium constituere potestates, unam *directam* & *Ordinariam*, quàm Regibus tribuit, aliam *indirectam* & *incidentem*, & *necessitate urgente*, quam Pontifici Romano. Vides ergo, quàm malâ fide Patres alleget Maimburgus; & quàm rogo imperita fuit illa consequentia: *Prohibentur Pontifices dominari; ergo prohibentur Regibus imperare, eósque si necessitas & periculum fidei urgeat, Regnis amovere?* Quasi verò imperare, prohibere, infesta membra secare, lupos arcere, latrones ne obsint vincire, ad solos Dominos, & non etiam ad ministros, tutores, Pastorésque pertineat? Rursus, quantum abest à veritate & candore sacri Scriptoris, Bernardum de dominatu in Clerum loquentem interpretari, quasi de Dominatu in Principes loqueretur? & sententiam truncam, detortámque in alienos sensus producere, illas verò tacere, in quibus se ipsum clarè, distinctéque Bernardus explicat? Quî excuses hunc hominem? nisi dicas, necessitate illum deliquisse, quippe non potuisse malam causam nisi pejoribus artificijs sustinere.

VII. *Opponitur VIII.* Sancti Patres, & antiqui Pontifices duas illas potestates, temporalem videl: & spiritualem distinguunt, & unam ab altera independentem constituunt, adeò ut sicut Imperatori nulla in Ecclesias, ita Pontifici nulla in Palatia & Regna sit potestas; ita enim Gelasius I. Nicolaus I. & Gregorius II. loquuntur: tantúmque abest, ut Sceptra & Coronas Imperatoribus raperent, ut potiùs eos colerent demississimis obsequijs, (a) adeò ut se *eorum vestigijs provolvi, cineres & vermes esse, eorúmque jussionibus subjectos dicerent*; quæ sunt verba Pelagij I. Stephani II. & Gregorij Magni. *Resp. I.* Duas esse potestates temporalem & spiritualem, nemo negat; sicut nec illud, jure ordinario & citra necessitatem nullam esse in Principes Regésque Pontifici Potestatem; id enim & ipsi Pontifices fatentur, & nos alibi ex istorum, Patrúmque testimonijs, (b) Nicolai videl: Stephani VI. Gregorij II. Alexan-

(a) Maimb. cit. c. 29. à f. 394. (b) Nicol. I. ep. 8. ad Mich. Steph. VI. epist. ad Basil. Imp. apud Baron. ad an. 885. Greg. II. ep. ad Leon. Isaur. ap. Bar. anno 726. Alex. III. in c. 7. de appell. & c. 7. qui filij sint legit. S. Bernad. l. 1. de consid. c. 6. & l. 4. c. 3. V. Reg. Sacerd. l. 1. f. 101. & f. 252.

Alexandri III. & Bernhardi probavimus. Id tamen non obstat, ut premente necessitate ac Religionis periculo leges Principibus dare, eósque cohibere non liceat Pontifici: id Jojadas, id Azarias Pontifices florente Synagoga fecêre, quantò magis id nostris Pontificibus liceat, quorum dignitas tantò major, sublimiórque? & ideò S. Bernhardus à fastu & adulatione alieniſſimus, quique Pontifices omni Dominatu, curáque temporalium arcet, nec vult, ut *falcem mittant in Principum messem*, hoc ipsum tamen concedit, sinecessitas urget: non ergo sequitur, ut, si Patres ordinariam in Reges potestatem negent, hanc ipsam etiam negent in casu urgentis necessitatis, & Religionis periculo laborantis. Quis enim nescit, quàm multa necessitas excuset? non licet alteri vitam, non domum adimere, licebit, si ratio publici boni, si defensio exigant: neque hoc est falcem in alienam messem proferre, aut limites egredi Ecclesiasticæ Potestatis; cùm enim omnis potestas & felicitas temporalis ordinentur ad Religionem, verámque fidem stabilendam, tanquam media ad finem; potestas Ecclesiastica, quæ Religioni & Fidei præest, etiam de medijs, hoc est, de potestate, rebúsque temporalibus disponet; neque hoc est limites egredi, cùm eadem sit finis & mediorum disciplina; quamvis enim ad navis gubernatorem id solùm pertineat, ut navim in portum agat, non verò, ut cœli cursum, stellarúmque metiatur; nemo propterea dixerit, cùm Ursam, cùm Arcturum & Plejadas examinat, cúmque in omnes Cœli plagas oculum defigit, & in ipso Magnete polum quærit, extra terminos ferri suæ artis, quia videl: quâ ratione hæc omnia media sunt & adjumenta felicis navigationis, ad artem nauticam pertinent, súntque Gubernatori necessaria. At non minùs Regia potestas veræ Religioni, quis enim nescit, quantum interſit veræ Religionis, quis imperet? Testes Anglia, Germania, Suecia & Dania, suorum Principum exempla, & casus secuti: ut ergo Regia potestas veræ Religioni aut noxia, aut proficua, sic Pontifici subdita; & sicut nimia & assidua Cœlorum contemplatio navarcho inutilis, quippe alias curas moraretur huic arti proprias; & illa tantùm salubris, quæ navi gubernandæ servit: ita & Pontifici nulla de Regnis cura, nisi cùm Religio poscit, naufragium factura alioquin, si assiduus & velut ex propo-

sito in has stellas intendat, navis interim curam, cursumque omittet, & dum Regna quærit, animas perdet. Hoc solùm Patres, nec aliud in Pontifice damnant. *II.* Unde jam patet, quàm incautè Maimburgus dixerit, potestatem temporalem nullo modo à spirituali pendere; quî enim fieri hoc potest? cùm bona temporalia sint media & instrumenta Religionis, fidei, æternæque felicitatis: an media à fine, instrumenta à causa principali non pendent? Id perindè esset, ac si diceres, animam omninò à corpore non pendere, cùm tamen nemo nesciat, jacere animam inertem, desidémque, nec posse in actiones micare, languido & ægro corpore; multò magis corpus ab anima pendet, & ideò ab ista sustentatur, alioquin fato cessurum. Sic ergo temporalia à Spiritualibus pendent, & ista illis imperant; sic virtutes, quæ animam exornant, etiam in corpus exundant, & huic moderantur: & ideò Religio, fides, charitas non solùm animam ad actus internos, sed etiam corpus ad externos impellunt. Malè ergo supponit Maimburgus, potestatem Regiam & temporalem à spirituali non pendere, id enim perindè est, ac si dicat, nec terram à cœlo, nec corpus ab anima, nec media pendere à fine, imò si experientiam examinet, cursúmque annorum, fatebitur, Regnorum felicitatem à Religione fluxisse, & cum ista aut crevisse, aut declinâsse, quod pronum esset omnium ferè Imperiorum exemplis ostendere, nisi id alij præstitissent. Cicero Romanum Imperium solâ Religionis curâ ad tantum fastigium pertigisse scribit, cujus verba memoratu digna hîc adscribam: *Quàm volumus*, inquit, *P. C. nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec validitate Pœnos, nec artibus Græcos, sed pietate ac Religione, átque hâc unâ sapientiâ, quòd Deorum immortalium munere omnia regi, gubernaríque prospexímus, omnes gentes, nationesque superavimus.* (a) Quòd si tantum Imperijs contulit æstimata Religio, DEO etiam umbras virtutum adamante, quantum conferet vera, nec mendacijs fucata? Si ergo spiritualia sunt meta & causa bonorum temporalium, idque etiam Pagani agnovêre, quî potuit Maimburgus dicere, potestatem temporalem à spirituali haud pendere? *III.* Quòd verò addit, Pontifices humillimis formis supplicâsse Imperatoribus, verum quidem est, idque ad Pontificum modestiam pertinet; & nihil

(a) Cicero Orat. de Arusp. Resp.

nihil obstat, quin tempus & necessitas poscerent, non eâdem majestate, quâ nuper modestiâ, uterentur, vicésque obsequendi, imperandique miscerent, nunc abjecti, nunc sublimes, nunc rogantibus, nunc jubentibus similes, utcúnque DEI gloria postulâsset; cùm enim Episcopi, ac olim etiam Pontifices Imperatoribus quoad temporalia subjicerentur, quoad Spiritualia verò Patres Imperatorum essent, rogabant ut subditi, imperabant ut Patres; idque tum sacræ litteræ, tum etiam sancti Parres egregiè adverterunt, nam Ecclesiasticus: (a) *Noli*, inquit, *esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* Et S. Paulinus: (b) *Illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, sed ignaviâ mentis hominibus adducitur, & humanam gratiam magis, quàm suam salutem curat, mendacij famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia.* Et S. Bernardus: (c) *Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratiæ prærogativa divina, ut eos nec humilitas pusillanimes reddat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem cooperentur sibi, ut non solùm nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maximè provehatur humilitas: ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat, sed quò minùs de sua quisque vel in minimis præsumere consuevit, eò amplius etiam in magnis quibúsque de divina virtute confidat.* Quæ Sanctorum monita egregiè ab illis ipsis Pontificibus observata sunt, quos Maimburgus adducit, nec enim eodem semper tono ce inére, sed jam blandi, jam minaces, jam tubâ, jam cheli personabant, ut Principum mores deposcerent, quod etiam suprà à me notatum, & videri possunt epistolæ (d) Gelasij I. ad Anastasium, Gregorij M. ad Mauritium, & Gregorij II. ad Leonem Imperatores; quæ revera non tam litteris scriptæ, quàm flammis videntur, adeò libertatem spirant, & animum tanto fastigio dignum, & alibi exempla dedimus. Quid enim fortius illis Gregorij vocibus (e) ad Mauritium Imperatorem: *Ecce per me ultimum servum suum & vestrum respondebit Christus; ego te de notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solùm hoc, sed Patrem Imperatorum feci. Ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo servitio*

(a) Ecclesiast. c. 13. (b) S. Paulin. epist. 21. ad Amand. (c) S. Bernard serm. 1. de Virg. Deip. n. 13. (d) Gelas. ep. ad Anast. T. 2. Conc. ap. Bin. Greg. M. ad Maurit. l. 2. ep. 62. Greg. II. ep. 2. ad Leon. T. 3. Conc. V. Regale Sacerd. f. 37. (e) Greg. epist. 62. l. 2.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vitio milites tuos subtrahis? responde rogo pijssime Domine servo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo? Et Symmachi ad Anastasium Imperatorem: *Precor Imperator, pace tuâ dixerim, memento te hominem, ut possis uti concessâ tibi divinitùs potestate. Defer DEO in nobis, & nos deferemus DEO in te. Cæterùm si tu DEO non defers, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.* Et Gregorij Papæ ad Leonem Isauricum: *Obsecutus es pervicaci animo tuo, & dixisti: Imperator sum & Sacerdos. Audi humilitatem nostram Imperator, & cessa, sanctámque Ecclesiam sequere, prout accepisti, non Imperatorum dogmata, sed Pontificum. In administrationibus seculi militarem & ineptum quem habes sensum, ac crassum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non putes &c.* Taceo invectivas Ambrosij in Theodosium, quas cum pervolvo, ac perpetuis illis blanditijs confero, quibus Principes nostros Maimburgus demulcet, cœlisque exæquat, vehementer fateor, antiquis me Patribus indignari, isti enim semper aliquid in Principibus notabant, quod reprehenderent. Stephanus IV. amores cum Longobarda Carolo M. exprobrat, Athanasius Constantino festinata judicia, Innocentius Arcadio Joannis Chrysostomi exilia, Ambrosius Valentiniano impietatem, aut potiùs conniventiam, Theodosio sævitiam, denique semper in Solibus nostris aliquas Ecclypses observant. Hîc verò nostrâ tempestate omnia Principum laudantur, credas, illos priscis Paradisi rosis simillimos, quæ spinarum expertes nascebantur. Si amant, elegantes appellantur, placidique, ac vitium instar semper gratiores alieno amplexu. Si aliena bello invadunt, Heroës ac bellatores, vastíque animis, ac metas spernentibus: si Pontifices non audiunt, multéntque recta monentes, & aras transiliant Religionis, jurium suorum tenaces; denique nullum Principis vitium elogio vacat. Ergo aut antiqui illi, sanctique Patres in censendis Principum vitijs nimij erant, errabántque, aut Principes nostri multò Constantinis, Carolis, Theodosijs perfectiores, nec ex eadem massa peccatrice compacti, aut denique adulatores omnes illi, qui omnes paginas implent ijs elogijs, quæ ipsi Principes erubescant, tacitis intereà maculis, & ideò perpetuis. Quòd si Theodosius & Constantinus viverent, fallor, nisi Maimburgus utriúsque vitijs litaret, solitísque adulandi artibus unius voluptati, &

ti, & alterius sævitiæ incensum adoleret, & quod olim Nero, ardentem incendio Romam cantu fallere, quàm aquis juvare mallet.

§ IV.

Solvuntur aliæ objectiones, quæ à Maimburgo ex Actis & Auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ adducuntur.

SUMMARIA.

1. Pontificis indirectæ in Reges potestati non obesse Acta inter Gregorium, & Ludovicum Imperatorem.

2. Neque Acta inter Bonifacium, & Philippum Regem Galliæ, quæ fusiùs percurruntur.

3. Nec denique alia ex Actis & Auctoritate Ecclesiæ Gallicana à Maimburgo adducta.

I.

Opponitur IX. (a) Cùm Ludovicus, Pipinus & Lotharius in Ludovicum Patrem & Imperatorem arma sumpsissent, séque eorum partibus Gregorius Papa adjunxisset, útque eorum causam promoveret, Româ in castra profectus esset; Imperator missis ad eum legatis primò conqueri, quòd in hostium castris contra majorum exempla hæreret, deinde cùm intellectum esset, eum anathemata, diráque parare, nisi filiorum voluntati & postulatis acquiesceret, cordatè ab Episcopis responsum: *Si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat auctoritas antiquorum Canonum.* Liquet ergo

(a) Maimb. Tr. hist. de l'Egl. de Rome c. 30. f. 415.

vel hoc uno exemplo, Episcopis Galliæ eam opinionem animo sedisse, ut crederent, non esse Pontifici permittendum, ut se rebus causísque Principum immiscеat.

Resp. Fallit Maimburgus, rémque multò aliter narrat, quàm se habeat, idque odio Pontificis; cui enim alteri causæ adscribas falsam narrationem? quamvis dedecore in solum auctorem recidente. Audi Aimoinum (a) Floriacensem in sua historia Francica: *Tandem ad id ventum est, ut filios Imperatoris in unum cum copijs, quibus poterant, coire facerent, Gregoriúmque Papam advocarent sub ornatu quasi, qui Patri solus filios reconciliare deberet, aut posset; rei tamen veritas post claruit. Cùm verò rumor usquequáque diffusus fereret de cæteris, quod verum erat, de Papa verò Romano, quòd ideò adesset, ut tam Imperatorem, quàm Episcopos excommunicationis irretire vellet vinculis, si qui inobedientes essent suæ, filiorúmque Imperatoris voluntati, parùm quid surripuit Episcopis præsumptio audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle ejus succumbere voluntati, sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret. Ductus autem Papa in habitationem Castrensem multis assertionibus perdocuit, se tantum iter non ob aliud suscepisse, nisi quòd dicebatur, quòd inexorabili contra filios discordiâ laborarat, ideóque pacem inter utrámque partem ferere velle. Remissus autem ab Imperatore ad filios, ut pacem mutuam necteret, cùm penè omnis populus ad eos torrentis more deflecteret, nequaquam ut fuerat jussus, redire est permissus.* Et post pauca: *Ipsum verò Ludovicum Lotharius ad sua cum Carolo admodùm puero deduxit, & Imperium inter fratres ternâ sectione partitur. Gregorius Papa talia cernens cum maximo mœrore Romam regreditur.* Paulus verò Æmilius (b) in vita Ludovici: *Gregorio in Italiam regresso Lugduni Concilium Episcoporum, quos filij Reges contraxerant, habitum, Imperiúmque Patri abdicatum; quod decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis multata.* Vides, quantum differant Aimoini & Maimburgi narratio. Aimoinus dicit: *Gregorium in castra à filijs Ludovici evocatum, prætextu pacis concilianda.* Non ergo Gregorius ideò profectus ad illos est, quòd eis magis, quàm Patri faveret, sed quia illexerant spe pacis ineundæ. Falsum ergo, quod ait Maimburgus, *eum ut perduellibus faveret, in castra venisse.* Rursùs scribit Aimoinus: *Rumore jactatum esse, Pontificem ut anathemate Imperatorem feriret, advenisse;* addit-que: *Cùm verò rumor fereret de cæteris, quod verum esset, de Rom. verò Pontifice, quòd*

(a) Aimoin. in gest. Franc. l. 5. c. 14. (b) Æmil. in Ludov. Pio.

quòd ideò adesset, ut Imperatorem excommunicaret. Quibus verbis apertè ostendit, rumores de alijs fuisse veros, non verò de Romano Pontifice sparsos. Cur rogo Maimburgus rumores accipit pro veritate? an nescit, nihil esse incertius rumore vulgi, & præsertim ab hostibus sparso? nam intererat Principum, ut Pontificem à suis partibus esse crederetur. Et quæ rogo integritas scribentis, veritatem & historiam facere, quod Aimoinus rumorem? nec lectorem monere, ne falleretur. Si Maimburgus *jactatum* id diceret, ferri poterat, sed quòd ipse tanquam certam veritatem producat, asserátque, quod rumor tantùm fuit, isque, ut innuit Aimoinus, subornatus; nulla ætas Maimburgo ignoscet, quippe se ipsum dedecore, & lectorem erroribus implicanti. Adjungit Aimoinus: *Surripuit Episcopis præsumpto audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle ejus succumbere voluntati.* Vocat Aimoinus *audaciam*, quam Maimburgus pro exemplo adducit: miseram causam tam caducis argumentis nixam! quæ enim vitia excusari non possint, si audacia, & libido, & homicidia pro exemplis adducantur? Sed rem totam absolvit, quod Aimoinus & Æmilius addunt, videl. *Gregorium Papam talia cernentem cum maximo mœrore Romam esse regressum.* Non ergo Gregorius Ludovico adversabatur, alioquin nec ejus vices tanto mœrore prosequeretur, nec decretum, quo Imperio exuebatur, rescinderet, quin potiùs confirmaret. Quis ergo non videat, miretúrque, maluisse Maimburgum rumori credere, quàm innocentiæ tot argumentis probatæ? Pro qua & illud facit, quòd Gregorium tribus posteà annis Lotharius bello invasit, nec revocari potuit, nisi Ludovici imperio, minisque, & festinatâ ad filium Legatione. Audi illius temporis scriptorem Anonymum in vita Ludovici: *Nuntiatum est Imperatori, quòd Lotharius Ecclesiam S. Petri, & homines ejus crudelissimâ clade vexaret; quæ res animum Imperatoris mitissimum adeò exasperavit, ut quodammodo extraordinariè missos dirigeret, nullum penè ad tantum iter conficiendum spatium tribuens.* Tantum ergo abest, Gregorium Ludovici filijs faviſse, ipsi verò Ludovico adversatum esse, ut hunc amicum & protectorem, illos hostes haberet. *Sed*, inquit Maimburgus, *cur in hostium castris hærebat Gregorius, Ludovico contempto, & per Legatos exprobrante, ut si more antecessorum suorum aderat, cur tantas necteret moras, non sibi occurrendo?* Respondeo, non hanc Gregorij, sed Prin-

tipum culpam fuisse, Pontificem vanâ spe pacis lactantium, & ne castris excederet prohibentium, quod etiam Aimoinus citatus illis verbis notavit: *Nequaquam, ut fuerat jussus, redire est permissus. At saltem apparet*, inquit, *noluisse Galliæ Episcopos, Pontificem Romanum negotijs Regum implicari, hoc enim ea verba significant; nullo modo se velle ejus voluntati succumbere, si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret. Resp.* Mirum esse, ut paucorum Antistitum verba, qui ab armato ad armatos veniebant, vicinâque pugnâ feroces, quósque Aimoinus ipse *præsumptionis & audaciæ notat*; toti Ecclesiæ Gallicanæ adscribantur. Cœterùm si removeas verborum intemperantiam, falsâmque opinionem, quâ Gregorium credebant Ludovici hostibus favere; verum erat, nihil Pontificis anathemata, si illis justam Ludovici causam morari vellet, & perduellium tueri, valitura. Quippe injusto bello Ludovicus petebatur, ejus verò defensio non justa tantùm, sed necessaria; quis verò nescit, non posse justam defensionem anathemate prohiberi? aut quis unquam docuit, Pontifici parendum esse æqua prohibenti, aut flagitia imperanti? Hocergo exemplum, etiamsi daremus sincerum esse, incorruptúmque, nihil prorsùs ad rem facit, sed intexi debuit inopiâ meliorum, & Maimburgo, cùm virtute non possit, numero pugnante.

II. *Opponitur X.* (a) Bonifacio VIII. jura Coronæ Gallicæ palàm aggresso, præsertim verò in Bulla, cujus initium: *Unam Sanctam* (ea enim Pontificem Romanum etiam quoad temporalia omnibus Regnantibus præficit) nemo ignorat, Philippum Pulchrum Galliæ Regem, omnémque Ecclesiam Gallicanam omnes vires intendisse, & ad futurum Concilium provocâsse, nec unquam subjacere huic potestati voluisse; patet ergo, quænam Ecclesiæ Gallicanæ sententia tunc fuerit.

Resp. Quæ Bonifacio VIII. & Philippo Regi contigêre, utinam pateretur Maimburgus silentio involvi, delerique ex Galliæ monumentis; eorum sanè adeò Philippum puduit, quippe à suis delusum, ut in Concilio Viennensi, teste Nauclero (b) Doctore Sorbonico, eorum memoriam aboleri, nec filijs imputari petierit, obtinuítque publico Diplomate; & planè nulli funestior ea tragedia

(a) Maimb. cit. c. 30. f. 415. (b) Naucler. de Monarch. p. 4. l. 7. c. 18. Joan. Rub. in Bonif. f. 235. Villan. l. 9. c. 22. Clem. V. in Regest. epist. 32.

gedia fuit, quàm Regiæ domui paulò pòst exciſæ, ut notat (a) S. Antoninus. Nam Bonifacium quod attinet, nullius innocentia glorioſiùs probata, quod poſtea dicemus. Quæ ergo Maimburgo delectatio, cineres Regios turbare, & olim obliterata, ac Regno fatalia proferre? ego ea tantùm expromam, quæ innocentiam Bonifacij oſtendant. Is Anagniæ in Patria ſua operâ præſertim Columnenſium, quorum duos purpurâ exuerat, & Nogareti captus tenebatur. Triduum jam fluxerat. Anagnienſes & pudore tanti flagitij, & quadringentis equis, quos Urſini adduxerant, freti Pontificem liberant; hoſtes aut capti, aut cæſi, fugatique; Pontifex advocatâ Concione omnes veniâ donat, tum Romam petit, exceptus infinitâ omnium gratulatione, & in modum triumphantis. Conſilium agitantem, in quo tanti ſceleris vindictam, & delicto parem repeteret, mors occupavit; placidè ſolutum eſſe, ſacríſque omnibus procuratum, ac ratione ad extremum conſtante Proceſſus (b) Bonifacij, Jacobus Stephaneſius, (c) Nauclerus, alijque teſtantur, nec furenti ſimilem, arrosiſque digitis & illiſo capite extinctum, ſi alia omnia deſint, ſatis ex illius cadavere conſtat, ſano integróque, quod trecentis pòst annis effoſſum eſt, & videri authentica Inſtrumenta poſſunt apud Bzovium (d) & Rubeum. Obijt 7. Octobris Anno 1303. trigeſimo quinto die à captivitate. Miſſi in Galliam nuntij, qui Philippo mortem referrent. Eâ in Galliam perlatâ Epiſcopus Maurianenſis fertur in hoc vaticinium prorupiſſe, teſte D. Antonino: (e) *Hoc novum magnum dabit Regno Franciæ gaudium, ſed extrema gaudij luctus occupabit, nam propter tantum exceſſum notabile DEI judicium irruet ſuper eum & progeniem ejus.* Succeſſit Bonifacio Benedictus XI. & huic veneno inter ficus floréſque propinato Clemens V. operâ Pratenſis Cardinalis, & beficio Philippi Regis, in cujus gratiam ſedes in Galliam translata, immenſo Italiæ luctu, damnóque. Inter alios articulos Regi à Clemente promiſſos quartus fuit, (f) *ut Bonifacij memoriam damnaret.* Quis non crederet conclamatum eſſe? Rege videlicet accuſante, Pontifice obſtricto, & Reo non ſilente tantùm, ſed etiam extincto?

(a) S. Antoninus. p. 3. Tit. 21. c. 3. Bzovius. T. 14. (b) Proceſſ. Bonif. pag. 36. & p. 151. (c) Naucl. p. 4. l. 7. c. 18. Jacob. Stephan. teſt. oculatus. (d) Bzov. cit. Rub. f. 347. (e) V. S. Antonin. 3. p. T. 20. c. 8. (f) Maſſon. in V. Philippi Pulchri, & Ciaccon. in V. Clem. V.

Clemens ad Concilium retulit: illic à trecentis Patribus absolutus: accusatores repulsi, fraudes detectæ Philippus Rex ingenti pœnitudine tactus, séque deceptum ingemuit. Audi Nauclerum (a) Doctorem Sorbonicum: *Bonifacium post novem annos Clemens V. annuentibus trecentis Patribus in Concilio Viennensi, ubi præsens aderat Rex Franciæ Philippus, verum Catholicum, nullâque labe pollutum fuisse pronuntiavit. Omnium malevolorum calumnias, impostluras, mendaciáque in illius Pontificis famam contorta, ut Regi placerent, placendo illuderent, illusum deciperent, ipse Pontifex cum toto Concilio detestatus execrationi subjecit. Ipsi verò Regi Philippo agnoscenti dissidiorum crimina contra Bonifacium perpetrata, eáque per ignorantiam se commisisse, proditoriè Sycophantarum illusionibus illusum deceptúmque profitenti Clemens V. ignovit. Qui cùm valde metueret, ne illa criminum falsorum accusatio, quæ deceptus Bonifacio affinxerat, sibi ac posteris dedecori verterentur, propterea Clemens Pontifex cum universa Synodo sancivit, nunquam Philippo Regi, tanquam innocenti, aut saltem nescienti, proditorum decepto fraudibus ea exprobratum iri.* Sed non ideò placatum Numen, nam Civitas Anagnina fame, (b) peste, civilibus bellis, ruinisque penè deleta, nec priùs à malis cessatum, quàm à Clemente VII. impetrato Episcopo, qui eos noxâ à majoribus contractâ liberaret. Alij proditorum immaturâ aut morte, aut clade sublati. Philippus (c) Rex dum aprum insequitur, equo lapsus, extinctúsque tres filios reliquit, infelices omnes Uxorum adulterijs, teste Divo Antonino & Æmilio: illis breve Regnum, nullique mares, & ita familiâ Pulchri extinctâ Valesia successit. Observavit Genebrardus, & ex illo Spondanus, Philippo nihil prosperi evenisse post captum Bonifacium. Si quæras, unde Philippi odia fluxerint; respondet Maimburgus: (d) *Bonifacium in Jura Gallici Sceptri falcem misisse, seque per celebrem illam Bullam, Unam Sanctam, velut sublatâ in altum face jurgiorum, Regnantibus omnibus præferre aggressum; hinc orta dissidia.* Sic Maimburgus, aut ignarus, aut quod magis crediderim, dissimulans rerum. Quicúnque enim prætextus fuerint funesti dissidij, certum est, causas multò alias fuisse, & quàm decoras Bonifacio, tam indignas Philippo à suis circumvento. Quod ut clarè sub oculos ponam, singula suis annis distinguam.

Anno

(a) Naucl. de Monarch. p. 4. l. 7. c. 18. (b) Alex. Bonon. in descript. Lat. (c) Joan. Villan. l. 9. c. 65. S. Anton. p. 3. T. 21. c. 3. § 4. Massón. in V. Phil. Raynald. anno 1314. n. 26. Spond. ad ann. 1314. (d) Maimb. cit. c. 30. f. 415.

Anno MCCXCIV. Cœlestinus V. Pontificatu abit, eique in Cardinalium Senatu liberè renuntiat; succedit omnium votis Cardinalis Cajetanus, séque Bonifacium VIII. appellat. Multos ea electio gaudio, quàm plures mærore affecit; Cœlestinus enim sanctitate & miraculis populum devinxerat, Principes verò ingenti liberalitate, regendique dulcedine. Bonifacius ergo velut affectatæ Tiaræ ac dolo obtentæ incusatus. Sed immeritò, quamvis enim Cælestinum rerum humanarum, gubernandique rudem, & in largitiones, Principúmque postulata nimis facilem multi illius temporis auctores (a) tradant, præsertim verò Clemens V. in Bulla Canonizationis; Bonifacium tamen dissuasisse, ne Pontificatu cederet, multi & oculati testantur; inter quos Ægidius Columna: (b) *Comprobari potuit ex pluribus tunc viventibus, Bonifacium, cùm in minoribus ageret, persuasisse Domino Cœlestino, quòd non renuntiaret, quia sufficiebat Collegio, quòd nomen suæ Sanctitatis invocaretur super eo.* Eadem habet Cardinalis Stephanesius. Obluctata est præsertim Universitas Parisiensis, de qua in Actis coram (c) Clemente V. hæc habentur: *Cùm verò hæc Parisijs inaudirentur, quæri & examinari cœptum est super ingressu illegitimo dicti Bonifacij, videl: an teneret dicti Cœlestini renuntiatio, vel non? consuluntur plures Doctores, & in Theologia Magistri, qui viderunt in materia diligenter, & determinârunt eorum plurimi & magni, Cœlestinum renuntiare non potuisse, Constitutionémque suam in contrarium priùs editam non tenuisse, nec eum id, quia contra DEUM esset, & ejus Evangelium & omnem rationem, statuere potuisse.* Cœterùm errâsse Universitatem patuit ex Concilij Viennensis, & Ecclesiæ assensu, Bonifacium pro vero Pontifice agnoscentis. Et ipse (d) Maimburgus in historia Schismatis Occidentis fatetur, posse, imò debere in aliquo casu Pontificem etiam legitimum, & pro tali habitum Pontificatu cedere, confirmátque Archi-Episcopi Parisiensis auctoritate, cum quo præcipua historiæ sua puncta contulisse se ait.

Anno MCCCXV. Bonifacius Adolfum Imperatorem societate ac fœdere cum Eduardo Angliæ Rege contra Philippum prohibet: utrúmque verò Regem societate componit. Eodem anno Constitutio-

(a) Lucens. in Bonif. Petrarch. l. 2. de vita solit. Villan. l. 8. & Clem. V. in Bulla Canoniz. (b) Ægid. Columna l. de renunt. Papæ. Stephanes. de renunt. Cœlest. (c) Acta inter Bonif. & Phil. coram Clem. V. (d) Maimb. hist. du. grand. Schism. d'Occid. l. 5.

stitutionem edit, quâ libertatem Ecclesiarum contra omnes Principum conatus tuetur, vindicátque. Carolum II. Galliæ Principem, & S. Ludovici ex fratre nepotem Siciliæ throno imponit, omníque studio contra Friderici & Siculorum conatus fovet. Constantia Siciliæ Regina Henrico VI. Imperatori nupserat, dato Siciliæ Regno dotis loco. Henricus Friderico II. filio reliquerat, hic Conrado, Conradus verò veneno extinctus Conradino filio, quem Innocentij IV. tutelæ bimulum commisit. At Manfredus Friderici nothus armis, donísque Siciliam obtinebat, Tyranni nomine in Tutorem mutato. Sed Innocentius IV. Urbanus IV. Clemens IV. Rom. Pontifices sibi asserverant, quippe Ecclesiæ feudum, amissúmque Friderici & filiorum perfidiâ; erántque majestatis rei. Urbanus in Carolum I. Andegavensium Comitem transtulit, S. Ludovici Galliæ Regis fratrem: hujus filius Conradino extincto, pacatísque Siculis, Sceptro succedit. Sed turbatis iterum rebus Friderico Regis Arragoniæ fratri Sicilia se dedit; at Bonifacius VIII. Gallum, uti dicebam, potenter sustinebat.

Anno MCCXCVI. Guido Flandriæ princeps filiam Philippam Eduardo Walliæ Principi, Angliæque hæredi despondet. Philippus Galliæ Rex, cui suspecta cum hoste affinitas Flandri, Guidonem, Uxorémque Corbolium invitat, retinétque, nec priùs libertas reddita, quàm sponsa infidem data. Intercessit pro virgine Bonifacius, sed neglectæ à Gallo preces; hinc bellum ab Anglo, nisi Bonifacius inducias imperâsset, quippe dum Christiani Principes intestinis bellis consumuntur, Christianum nomen in Syria deletur. Replendis interim ærarijs, quæ domesticis bellis exsugebantur, in Anglia, Galliáque gravissima tributa indicta: in Gallijs centesima mercatoribus imposita, tum quinquagesima, nullo secularium, Cleríque discrimine. In Anglia, obnitente tributis Clero, bona Ecclesiastica occupata, cujus posteà sceleris adeò Eduardum Regem pœnitúit, ut largè fluentibus lacrymis veniam ab Episcopis posceret. Cùm ergo Immunitas Ecclesiastica tot modis ab illis everteretur, qui tueri debebant, nec ferre Bonifacius id posset, editâ Sanctione Principibus prohibet: *Ne quidquam à personis Ecclesiasticis quovis doni, mutui aut subsidij nomine recipiant, nisi Pontifice*

Pontifice consulto, & nisi parcant, anathemate percellit. Exarsêre Politici, quorum manibus sacri æris semper aliquid hærebat; & ne titulus abesset honestæ iræ, Bonifacium incusant, quasi necessarios sumptus avertat tuendæ Galliæ, bellóque à Gallo, Anglo, Germanóque impendente. Utque Bonifacium ferirent simili plagâ, edictum à Rege extorquent, quo ne aurum argentúmque Galliâ efferretur, prohibebatur. Sed Bonifacius lædi hoc edicto pietatem Gallicam, & majorum exempla ostendens, nec Gallo opportunum, eo tempore, quo ab Hispano, Germano, Anglóque bellum instaret, Pontificem provocari; effecit apud Regem, ut edictum revocaretur, molli videlicet adhuc Philippi animo, ac remedia admittente.

Anno MCCXCVII. Fridericus Arragonius Siciliæ Tyrannus Cardinales Columnenses sibi devincit, trahítque in societatem belli & proditionis: eos Bonifacius, cùm molliri, avertíque haud possent, arcibus, purpurâ, sacrísque exuit; hinc implacatum ab illis odium, & Bonifacium, Regémque inter perpetuæ discordiarum faces, ac tandem incendium, nescias Ecclesiæ magis, an Regno funestum? Eodem hoc anno Bonifacius dato ad Philippum Diplomate profitetur, nunquam sibi mentem fuisse, ut Galliæ Præsules non possent voluntarijs subsidijs Regem adjuvare, modò vis abesset, noménque tributi: imò necessitate urgente, aut illos, qui feudum accepissent à Rege, (a) cogi etiam posse. Divus Ludovicus Galliarum Rex hoc ipso anno inter Sanctos relatus.

Anno MCCC. Annum Jubilæum Bonifacius celebrat, ad quem supra ducenties mille peregrinos convenisse ajunt. Carolum Valesium Regis fratrem comprimendis Italiæ, & Siciliæ motibus Imperatorem deligit, oblatis in necessarios sumptus Galliæ decimis, & utriúsque Imperij spe.

Anno MCCCI. Philippus ministrorum consilijs actus, Rhemensis, Carnutensis, Laudunensis & Pictavensis Ecclesiarum bona ac jura occupat, præsertim verò Lugdunensis, Narbonensis & Apamiensis, quarum Præsules earum Urbium dominatu gaudebant. Ipsum verò Episcopum Apamiensem violatâ Immunitate Ecclesiasticâ, immissâ satellitum manu ad se vocat, traditque custodiendum

(a) V. c. Clericis de Immunit. Eccles.

Archiepiscopo Narbonensi. Bonifacius Episcopum solvi, Romámque mitti ad dicendam causam, ablatâ Ecclesiâ Apamiensi, jubet, & Episcopos Galliæ ad Concilium dimitti; nam ut ait S. Antoninus: (a) *Philippus Episcopatus vacantes, cùm essent bona Episcoporum, diripiebat, & investituras eorum facere volebat. Quamobrem Bonifacius ut magnanimus & audax neminem timens cœpit contra ipsum agere, tanquam inimicum Ecclesiæ, & Prælatos Franciæ ad Urbem ad celebrandum Concilium vocavit.* Sed Philippo hæc contra Galliæ Privilegia fieri contendente, Bonifacius, ne obtentu Privilegij Ecclesiæ everterentur, exhiberi ea jubet, & interim viribus carere.

Anno MCCCII. Tandem Gallicæ nubes tempestatem effundunt, tanto tempore collectam. Philippus Ariminensem & Apamiensem Episcopos, quamvis Apostolicam Sedem appellantes, carceribus detinet. Prælatos ad Concilium evocatos Galliâ exire prohibet; & quis crederet? isti Philippo potiùs, quamvis persequenti, quàm Bonifacio, qui illorum causam agebat, detulêre; adeò illos aura, quæ ex Aula spirabat, corruperat, ut præ libertate servitutem amarent. Idem Philippus Legatos Pontificios exire Regno jubet, calumniarum copias (b) pronuntiari è Cathedra Parisijs in æde D. Virginis facit, & à Comminatorijs Bonifacij ad futurum Concilium provocat. Quo tempore Bonifacius Cathedræ suæ juribus vindicandis celebrem eam Decretalem vulgat, cujus initium: *Unam Sanctam Ecclesiam.* Tota hujus Constitutionis summa ea est, ut ostendat, *duplicem in Ecclesia gladium esse, materialem videlicet & spiritualem, & gladium materialem sub spirituali esse. Quòd si gladius & potestas materialis exerraverit, corrigendam & judicandam esse à potestate spirituali.* Hæc Bonifacij doctrina totidem ferè verbis ex Divi Pauli, & Bernardi desumpta est; nam temporalem potestatem à spirituali judicandam esse illis verbis Apostolus expressit: *Si angelos judicabimus, quanto magis temporalia?* Duplicem verò in Ecclesia gladium esse, temporalem & spiritualem, S. Bernhardus *in l. 1. de consider. c. 6. ad Eugen.* tradit. Non ergo novæ doctrinæ auctor Bonifacius; nec aliud scripsit, quàm quod calamo exemplísque antiquitas expresserat. Sed cùm Philippi animus jam irâ caleret, adderéntque faces Regij Ministri, facilo

(a) Antonin. 3. p. T. 20. c. 8. § 20. Joan. Villan. l. 8. c. 62. Æmil. in Phil. Pulchro. (b) V. Masson. in vita Bonif.

facile fuit Bonifacij verba in aliena sensa torquere; dicebant enim, Pontificem sibi in Francicam Coronam jus vendicare, quasi illa Ecclesiæ Beneficium esset, quàm tamen tantùm Cœlo deberet; idque in publicis Comitijs jactatum, quò major in Bonifacium invidia conflaretur. Prohibiti etiam Præsules, ne Concilium, quò à Pontifice vocabantur, adirent. Bonifacius eos omnes censuris afficit, qui Romanum iter morarentur, nec tamen Regem expressit: imò Joannem Cardinalem Parisios mittit, qui Regis animum molliat, exsolvátque censuris.

Anno MCCCIII. Cùm nihil efficeret Legatus Cardinalis, (a) Bonifacius Albertum Imperatorem in Philippum concitat; hic in publicis Comitijs Bonifacium hæresis, usurpati Papatûs, & Simoniæ postulat, totóque Regno vulgari jubet, & ad Concilium provocat, quique Regijs edictis & voluntati obniterentur, exilio pulsi, & ipse Bonifacius, ut suprà indicavi, Anagniæ captus. Hic ordo & series Tragœdiæ, ex qua Maimburgum facilè convincas; nec enim dissidia Philippi cum Bonifacio ex eo fluxêre, quòd hic aut coronam aufferre minaretur, aut Constitutionem illam, *Unam Sanctam*, ediderit; hæc enim contigerunt natis jam jurgijs, adultísque, ut suprà vidimus; imò quàm plurimis beneficijs Philippum Bonifacius affecerat: sed veræ causæ sunt illæ ipsæ, quas Maimburgus tegit, videlicet: *quòd* ægrè haberet Gallos, Cœlestinum Pontificatu cessisse; is enim cùm omnes suâ virtute metiretur, facilimus erat in Principum postulata, Gallorum præsertim; successerat Bonifacius, si minori Sanctitate, at majori prudentiâ, nec dolis obviâ: hinc primi Sorbonæ impetus, negantis potuisse Cœlestinum renuntiare, ideóque nec Bonifacium Papam esse: *quòd* Ordinem Clericalem tributis, vectigalibus, decimis gravari vetuerit inconsulto Pontifice; cùm enim bello inter se Gallus, Anglúsque sævirent, Regijs ærarijs exhaustis, bello sustentando Ecclesiæ prendebantur: *quòd* Columnenses purpurâ exuissent, & isti perpetuis querelis aulam, Regémque incitarent: *quòd* Ecclesiarum jura, Lugdunensis præsertim, Narbonensis & Apamiensis occupâsset Philippus, quarum Urbium dominatu hactenus Episcopi gavisi erant: *quòd* Episcopum Apamiensem violatâ immunitate inclu-

(a) Auctor V. Bonif.

sisset; & tandem, Episcopos Galliæ, ut corruenti Immunitati subveniret, ad Concilium evocâsset. Hæ inquam veræ causæ persequendi Bonifacium, sed pudebat istas, quippe Gallo indecoras, nec ejus causæ profuturas, proferre. Quis enim Philippo accederet, ejúsque studia probaret, si fateretur, se Pontifici, quòd Ecclesias, quòd Canones, quòd immunitatem tueretur, bellum dixisse? alia ergo quæsita, si minùs vera, at fallendis incautis aptiora, & quæ colore saltem placerent, si pretio non possent. Quòd verò multi Galliarum Præsules contra Bonifacium, & cum Rege sentirent, nihil Maimburgum juvat; quis enim nescit, Episcopi in Aula frequentes quot vinculis Regi adstringantur? nam & chamæleontes ex flore, herbísque, quibus adhærent, colores sumunt. Quæ causa unquam justior fuit, quàm Chrysostomi, Athanasij, Thomæque Cantuarienſis? & tamen nemo his magis, ut Episcopi adversabantur, quippe qui ex Principum nutu pendebant, eósque sequebantur, quos duci oportebat. Nec mirum ergo, nec novum esse debet, pleróque Galliæ Antistitum Philippo Regi adhæsisse, id enim potentiæ, non causæ dabatur; præsertim cùm metus & pœnæ jungerentur; constat enim, quàm plurimos, qui Bonifacio studebant, exilio & carceribus multatos esse, ut Massonius (a) in vita Philippi, & acta coram Clemente testantur; nihil ergo subsidij à votis Episcoporum, quos metus, & carceres, & exilia urgebant: absint minæ & proscriptiones, liberæque sint voces Episcoporum, nec strepitu catenarum, minisque expressæ, & tunc demum pondus & momentum habebunt, alioquin nihil fidei extortis.

Dices; quæ Bonifacius in Philippum scripsit, fecítque, à Clemente V. abolita & deleta sunt; ergo id signum est, Regem innocentem fuisse. *Resp.* Clementem Gallorum operâ, Regis præsertim, Pontificatu potitum esse, & multa priùs Regi promisisse, ac etiam juramento confirmâsse, præsertim de Bonifacij memoria abolenda, notius est, quàm ut repeti à me debeat. Quid ergo mirum, si Pontifex Gallus, quíque in Gallijs morabatur, imò sacram Sedem eò transtulerat, Regi tot beneficijs, promissísque ac jurejurando devinctus erat, multum Philippi gratiæ & potentiæ detulerit, ac præsertim paci Ecclesiæ? nec disputaverim, quanto id jure: illud certum

(a) Masson. in V. Phil. Processus f. 230.

certum, Clementem propterea apud multos malè audivisse, & Bonifacij memoriam, quam Philippus persequebatur, cœlesti prodigio assertam esse. Sanè quod Pontificis potestatem in Reges spectat, Bonifacij vestigijs Clementem inhæsisse patet tum ex Hungariæ Regno, quod contra Ottonis Bavariæ Ducis studia Carolo Martello asseruit, tum etiam ex celebri (a) Constitutione, quam in Concilio Viennensi edidit, & suprà produximus; ut si pugnare velimus Clementis exemplo, plus id Maimburgo, quàm nobis noceat.

III. Addit alia Maimburgus Ecclesiæ Gallicanæ testimonia, ad quæ cùm superiori §. responderimus, nolumus hîc repetere. Illud tantùm observa, Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem, & à Maimburgo, & à me proferri, sed longo discrimine; Maimburgus enim non habet antiquiora Gallicani Cleri testimonia & Decreta, quàm à decimo quarto seculo, & tunc quidem temporis, cùm dissidia inter Pontifices, Regésque ardebant, & Clerus, ut fieri solet, spe, metúque ac etiam adulatione in Regias partes trahebatur, multique pietate ac doctrinâ præcipui Pontifici adhærebant: erántque Conventus illi Gallicani particulares tantùm; nec Maimburgus ex Sanctis Ecclesiæ Gallicanæ Patribus aut Doctoribus proferre aliquem potuit, cui sententiam suam cum decoro committeret: nec enim moror sententias aliquas generales, & quæ nullam penitùs rei, de qua loquimur, mentionem faciunt; multò minùs Concilia aliqua Generalia, quæ sententiæ ejus faveant, produci possunt: planè nullum Maimburgus produxit, quamvis suæ causæ adornandæ omnia concusserit. At verò Ecclesia Gallicana, quam nostræ sententiæ apertè consentientem vidimus, non nova, recénsque, sed antiqua, & septimi jam seculi est, abundátque Patribus, Sanctísque Ecclesiæ Doctoribus, quínque Concilijs Generalibus prævalida, nec in genere tantùm, sed de casu, quem præ manibus habemus, in particulari & individuo loquitur, & tunc temporis sententiam suam de Pontificia supra Reges potestate dixit, quando Summa Pontificum, Regúmque concordia, omníque procul affectuum, iræque tempestate, ac placidis annis veritas promebatur. Jam lectoris arbitrium esto, utri sententiæ auctoritas Ecclesiæ Gallicanæ magis suffragetur. Quòd si

(a) V. Raynald. ad ann. 1307.

si palma antiquitati danda, nostra multò antiquior, utquæ novem jam secula in Ecclesia duravit, tot exemplis, tot Patrum oraculis, tot Concilijs suffulta, florénsque. Valeant ergo, vincántque illæ à Sanctis Patribus toties repetitæ & inculcatæ voces, videl: (a) *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quò quisque religiosior foret, eò promptius novellis opinionibus contrairet. Christianus ergo Catholicus providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorsùs jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.* Sed, inquit Maimburgus, (b) *potestas in Reges Pontificia nunquam magis, fortiúsque, ut in ultimo Conventu Parisiensi, repressa, constrictáque est. Rex verò utpote Conciliorum, Canonúmque defensor doctrinam ejus Conventûs quatuor propositionibus comprehensam toto Regno acceptari, colíque jussit, eo ferè modo, quo apud Superiores Religionum fieri solet, ut certa aliqua doctrina, Thomæ videlicet aut Scoti teneri jubeatur, concordiæ causâ. Resp.* At ego in nullo Conventu magis, graviúsque, ut in illo Parisiensi, peccatum esse crediderim, nec simplici, sed cumulato errore, quod pace & reverentiâ Sacri illius Senatûs dixerim, nunquam dicturus, nisi cogeret majestas offensi. *Primò* enim, quis nescit, iram, metúmque huic Choro (c) præsedisse? quos verò fructus exspectes radice infectâ? Repetantur memoriâ Antiochense, Ariminense, & Ephesinum II. Concilia, videbis semper periclitatam esse veritatem, animis irâ, metúque agitatis. Elisæus quamvis adversùs Joram idolis addictum sacro, justóque Zelo inardesceret, non priùs tamen Sancto Spiritu afflari potuit, quàm turbatum, flagrantémque animum poneret mulcente tibicinis manu: (d) *Adducite*, inquit, *mihi Psaltem, cúmque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini.* Si ergo cœlesti etiam flammæ tantum fumi est, ut radium veritatis obumbret, quantum erit terrestri illi, densæque, & quam odium ac vindicta incendit? Quæ ergo auctoritas ei Conventui esse potuit, in quo ira præsedit, terror suffragium inijt, metus decidit, & adulatio subscripsit? quæ si quis neget, Apamiensis tragœdiæ tantùm recordetur, & fatebitur, nihil à me supra verum, sed multum infra memorari. *Secundò.* Negari haud potest, majores causas ad Romani Pontificis cognitionem pertinere, idque inter hujus Privilegia Maimburgus (e) reposuit: at verò causæ, quas Conventus Parisiensis

(a) Vincent. Lirin. commonit. l. 1. c. 3. & 9. (b) Maimb. Tr. hist. de l'Egl. de Rome ch. 30. f. 425. (c) V. Reg. Sacerd. f. 73. (d) 4. Reg. c. 3. (e) Maimb. cit. c. 5. f. 62.

risiensis decidendas sibi sumpsit, non majores tantùm sunt, sed omnium maximæ, versantur enim inter prima Ecclesiæ & Reipublicæ capita, Pontifices videl: Reges, & Concilia universalia. Si enim quæstio verteretur, an Gallici Regni Status sint supra Regem, possintque istum judicare, punire, ac etiam Regnis exuere? an à Rege ad Comitia Regni appellari possit? an Sententiæ ac edicta Regia tanquam errori ac injustitiæ obnoxia recusari impunè possint, & ab illis tanquam ab abusu ad futuros Reges, aut futura Comitia provocari? Si inquam hujusmodi quæstiones agitari Parisijs contingeret, quis non illas maximi momenti esse diceret, quippe ad Regni aut quietem, aut turbas pertinentes, & plurimorum bellorum ac seditionum faces? & qui hujusmodi quæstiones aut hactenus inauditas, aut saltem dudum sopitas excitaret, imò in privatis Conventibus jactari, palámque affigi vellet, quo rogo is alio nomine dignus esset, quàm factiosi ac perduellis? at verò similes omninò in Conventu Parisiensi non propositæ tantùm & auditæ, sed etiam decisæ sunt, imò imperatæ, armatæque supplicijs, si non jussu, at rogatu, nutúque Patrum. Non dico, factiosos illic, aut perduelles sedisse; absit, me reverentiæ oblivisci, tot magnatibus, sacrísque Infulis debitæ; illic dico non potuisse tanti, imò maximi momenti causas ab eo Conventu agnosci, multóque minùs decidi, quippe soli Pontifici reservatas, etiam Gallorum, & Maimburgi judicio. Quo ergo jure tribunalia miscent, & sepem utriúsque potestatis perrumpunt, sibíque causas vendicant Pontifici tantùm sepositas? & qui hæc faciunt, magnæ auctoritatis Maimburgo, invictæque videntur; at nullius mihi, quantæ videl: si de causis Regni Gallici Hispanus pronuntiaret, aut Anglus de jure margaritas piscandi in Sinu Persico. *Tertiò.* Omni Jure, naturali videl: divino, humanóque statutum est, ut non priùs in aliquem sententia dicatur, quàm vocatus is fuerit, auditúsque, & copia data suas rationes deducendi. Jam verò Conventus Parisiensis Tiaræ Pontificiæ duos, quos habuit, pretiosissimos uniones subduxit, supremum videl: in rebus fidei judicium, & potestatem Reges abdicandi, quoties necessitas tutandæ Religionis exegerit: quæ duo si negent Galli ad Pontificem certò pertinere, negare saltem non possunt, dubium esse, an ad Pontifices pertineant,

neant; id enim saltem evincunt tot Patrum, tot Doctorum, Conciliorúmque testimonia, & præsertim possessio tot exemplis à Romano Pontifice in Gallis exercita. Quo ergo jure potuit Conventus Parisiensis Romanum Pontificem tam egregijs prærogativis exuere, non auditum, non defensum, nec saltem litis admonitum? Cur possessione abdicatus tot annis obtentâ? si vel unum ex opulentis illis Sacerdotijs Archi-Episcopo Parisiensi adimeres, quibus fruitur; nec is priùs causam in senatu dixisset, quantæ rogo de injuria, violatísque legibus querelæ? & tamen quantum inter Pontificem & Archi-Episcopum, inter Sacerdotium, supremámque potestatem discriminis? *Dices*, sententiam & declarationem Conventûs Parisiensis ad solam Galliam pertinere. Esto: at potestas Pontificia non Gallias minùs, quàm alias mundi partes complectitur, nec minùs in ijs, quæ fidem, moréque spectant, Gallia quam Italia Pontifici subjicitur, quod nec Galli ipsi negant; quo ergo jure, non auditum, non defensum Pontificem eo jure privant, quod in Gallijs habuit, possedítque tot annos, quóque privari nisi auditus non debuit? Demus enim, non habuisse, at saltem habere se credidit, contenditque ingentibus rationibus nixus; non ergo condemnari debuit, nisi præsens, auditúsque. Quòd si dicant, nihil novi Parisienses statuisse, sed tantùm antiqua, & jam olim à Patribus statuta, declarâsse. Respondeo, hoc ipsum in dubium vocari, imò gravissimis rationibus ostendi, Patres & Concilia contrarium statuisse: non ergo tam grave, & controversum dubium decidi à Parisiensibus debuit, nec præsentibus, nec auditis partibus, quarum intererat; alioquin si is litem lucretur, vincátque, qui stare pro se Jura & scripturas dicit, séque nihil aliud expetere, quàm olim Jure & scripturis decisa, & ideò nec judice, nec sententiâ opus esse; quis tam reus, quem non continuò absolvas? nec enim tam malam causam quis habeat, qui non Canones, non Leges, & scripturas appellet: imò ij maximè, qui suæ causæ minùs confidunt, tympanorum more, fortiùs ex vacuo sonantium. *Quartò*. Certum est, non posse superiorem ab inferioribus judicari, multóque minùs juribus, quæ habere se contendit, privari. Quis verò Conventum Parisiensem Pontifici & Concilijs præposuit, ut ab istis sancita ille refigeret? ergo Conventus Parisiensis

siensis Concilijs Viennensi, Lateranensi, Lugdunensi ac Constantiensi major, ut quæ hæc comprobârunt, ille damnaret? & doctrinam in ijs Concilijs non prolatam solùm, sed etiam ac toties exercitam aboleri juberet, imò seditiosam, sacrisque scripturis adversam appellaret? huc ergo tendunt tot illa encomia, ac prærogativæ Conciliorum à Gallis invidiosè jactata, ut videlicet Pontifici quidem præferantur, Galliæ tamen Episcopis subjaceant, ab istis, ut libuerit, obliteranda. Concilia Ecclesiam universalem repræsentent, Concilia errorum expertia, Concilia omni Pontifice superiora, Conventui tamen Parisiensi ad pedes jaceant, corrigenda, improbanda, imò & damnanda, utcúnque aulæ placuerit, & Infulis ab aula pendentibus. Quòd si Conventus Parisiensis ingenuè fateatur, ut planè fateri debet, se multò infra Concilium esse, & Pontificum decreta; quærimus, quâ ergo auctoritate ausus fuerit sententiam proferre, imò imperare, ac minacibus decretis obtrudere, adeò Conciliorum doctrinæ, exemplisque adversam? Num ergo Archi-Episcopus Parisiensis pateretur, aliquem è Decanis suis Ruralibus collectis clericorum comitijs Archi-Episcopi decreta contrarijs evertere, & suas opiniones Archi-Episcopi præferre, imò imperare? atqui non minùs Archi-Episcopus, Conventúsque Parisiensis Pontifici & Concilijs subest, quàm Decani Antistiti suo; non ergo contra Pontificum, Conciliorúmque decreta statuere quidquam poterant; & quæ statuerunt, nullius ponderis ac momenti sunt. Si enim corrigi, judicarique Pontifices & Concilia oportebat, ab alijs Pontificibus & Concilijs decuit, non à Conventu Parisiensi, cui nulla in majores potestas; alioquin quanta Hierarchiæ Ecclesiasticæ confusio, si liceat contra superiorum statuta non tantùm docere, sed etiam imperare? Id quoque egregiè observavit Cardinalis Richelius (quo vix alius doctior, certè nemo Regi suo addictior, magisque de Regno Galliæ meritus) in libro, (a) quem Episcopus scripsit, & necdum Romanâ Purpurâ insignis; sic enim cap. 8. gallicè scribit, quæ ego latinè reddam: *Ipse Clerus Ecclesiæ alicujus particularis, qualis est Ecclesia Gallicana, non posset hanc quæstionem decidere,*

(a) Cardinal. de Richel. livre intitulè: *Les Principaux points de la Foy de l'Eglise. ch. 8.*

dere, cùm ad solam Ecclesiam pertineat fidei articulos definire; imò cùm in hâc re jus & causa vertatur omnium Regnorum statuúmque Orbis Christiani, uni & particulari Regno, sine auctoritate assensúque aliorum Regnorum permissum non est de hac re sententiam ferre; imò quod plus est, ex hujusmodi decisione (quod videlicet Pontifici Romano nullo casu liceat de Regnis disponere) *necesse est certissimum schisma in Ecclesia consequi; cùm videlicet articulus Fidei singularis, & pro una tantùm Ecclesia Gallicana statuitur, non pro tota Ecclesia Catholica, unde schismatis & divisionis in rebus Fidei occasio dabitur. Adde eam sententiam* (quæ videlicet Pontifici Romano potestatem indirectam adimit) *bono & securitati Regnantium non solùm inutilem, verùm etiam noxiam esse, ut ex ijs videre est, quæ super hoc argumento magnus ille Perronius Cardinalis scripsit, sæculi sui ornamentum, quique materiam hanc ea eloquentiâ & doctrinâ, quam omnes in hoc Purpurato demirantur, prolixè discussit.* Vides hîc à Richelio necdum Purpurato, Romæque obstricto, sententiam Perronij Cardinalis (qui Pontificis Romani potestatem indirectam tam ardenter eruditéque defenderat) approbari: quâ igitur facie audet Maimburgus dicere, nunquam id Galliam sensisse? num igitur Perronius & Richelius Cardinales Galli non erant? num in sinu Sorbonicæ scholæ non enutriti? num doctrinâ & charitate in Principem, supra omnes, qui unquam Galliam insederint, non eximij? num in nupero Conventu Parisiensi aliquis fuit, qui Perronio & Richelio, non dicam præponi, sed ne quidem æquari potuerit? num uni Perronio aut Richelio mille Maimburgi sufficiant? Et iste sciverit, quod illi ignoraverint? negat Perronius, negat Richelius hanc esse Galliæ sententiam, affirmat Maimburgus; utri major fides? utri plus credas?

Nec obstat, pietatem & Religionem obtendi; id enim commune jam omnibus fallere volentibus, ut videlicet honesta prætexant, & quod de Panthera memorat Plinius, *odore invitant perituros.* Estq; præferendæ Religionis artificium tam vetus, ut S. Leo jam olim illud observaverit in epistola (b) ad Theodosium Imperat. *Privatæ causæ pietatis aguntur obtentu, & cupiditatum quisque suarum Religionem habet velut pedissequam.* Patet ergo ex dictis, auctoritatem Conventûs Parisiensis, quam inter præcipuas Maimburgus ponit, planè nullius ponderis esse, nullámque habere vim probandi. Sed nec minùs inane illud,

(a) S. Leo ep. 25. ad Theod.

illud, quod addit: *Regem videlicet, utpote Sacrorum Canonum Protectorem, Conventûs Parisiensis Declarationem recipi toto Regno jussisse, idque exemplo superiorum Regularium, suos Clientes unius Doctoris sententiæ adstringentium concordiæ studio.* Jussisse Regem, Declarationem Parisiensem toto Regno vulgari, recipique nemo inficiatur. At verò id fecisse tanquam Canonum Protectorem, unum est ex solemnibus Maimburgo paradoxis; persecutoris enim Canonum, non protectoris est, doctrinas Canonibus adversas munire, suámque illis auctoritatem præstare; néque Rex id suo, sed aliorum instinctu fecit, tegentium videlicet privatas vindictas alienâ & deceptâ Majestate. Et verò in qua Religione receptum vidit Maimburgus, doctrinas imperari Canonibus, Concilijs, Pontificibus, Sanctisque Patribus ac moribus adversas, qualis est illa, quam buccinantur Politici? Scio, multis in scholis receptum esse, ut à sententijs Augustini, Thomæ, Scotique abscedere non liceat; sed ut non liceat à Declaratione Parisiensi, nec ratio, nec conscientia permittet: spésque omninò est, ubi primi impetus deferbuerint, cesserintque voces aulæ adulantium, Regem tandem, Galliámque æquitati cessurum; & quod semper evenit, brevis ævi futuras fraudes, perpetuâ veritate.

FINIS
Primæ & secundæ Dissertationis.

INDEX PRIMÆ DISSERTATIONIS.

§. I. Quid Regalia, quæ ejus initia, quomodo extensa, & quibus titulis, ac rationibus innixa. fol. 1

SUMMARIA.

1. Malè Catholicos, sacrósque Doctores domesticis prælijs concurrere, cùm externa abundent; sed adulationis privatísque cupiditatibus hoc deberi, &c. 1
2. Quid Regalia, & per quos gradus provecta? De Custodia, Infeudatione, Spolijs & collationibus beneficiorum. Hæc omnia contra Canones fieri. 5
3. Regaliam úsque ad tertiam Regum Galliæ stirpem aut ignotam, aut pro abusu habitam esse. Libertas Cleri Gallicani olim Reges admonentis. 11
4. Regaliam sub finem sæculi XI. inductam. Error Maimburgi illam ex Concilio Lateranensi, & privilegio Calixti II. deducentis. 17
5. Ante Concilium Lugdunense solâ consuetudine jus Regaliæ stetisse, non ideò tamen aut licitum, aut concessum, quia toleratum. 21
6. Concilium Lugdunense Regaliam intra consuetudinem coërcet, precibus præsertim Gallicanæ Ecclesiæ; an eo Concilio ususfructus vacantium bonorum, & Collatio Beneficiorum concessa? 26
7. Regaliam toto Regno extendere aliquoties à Regijs ministris tentatum est, adversante semper, & vincente Clero. Edicta Henrici III. & Henrici IV. & Ludovici XIII. & tandem Ludovici XIV. quo ultimo jus Regaliæ ad omnes Gallici Imperij Provincias extensum est. 30

§. II. Jus Regaliæ, quod hactenus in aliquibus tantùm Galliæ Ecclesijs locum habuit, non posse ad omnes extendi. fol. 33

SUMMARIA.

1. Regalia, omnium retrò Conciliorum, ipsiúsque Galliæ testimonijs damnata, consuetudine sustineri vix poterat: saltem ubi consuetudo non erat, etiam ante Concilium Lugdunense exerceri non potuisse, duorum Galliæ Regum exemplis, & Parlamentorum sententijs evidenter ostenditur. 33
2. Concilij Lugd. decreto Regaliæ extensio prohibetur, idq; Gallis petentibus. 36
3. Idem ex varijs Regum, & Parlamentorum Galliæ Constitutionibus, Arrestisque, & omnium ferè Gallorum testimonijs probatur. 37
4. Non eas solùm Ecclesias eximi, quæ titulo oneroso libertatem redemêre, sed omnes, quæ in possessione suæ libertatis fuêre, idque Gallos ipsos fateri. 40
5. Parva Regum Galliæ ex Regalijs emolumenta; maxima ipsorum, & Ecclesiarum damna: Ludovici VII. & IX. egregia in hanc rem exempla. 41

§. III. Certamen contra Regaliam à S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo susceptum, alijsque in simili causa laborantibus propositum. 44

SUMMARIA.

1. Regibus suis & reverentiam, & libertatem Pastores debent. 45
2. S. Thomas Archiepisc. Regaliæ abusus impugnat, & hæc ei necis causa &c. 46
3. Regem offendit, & quas ob causas? 48
4. Subscribit Clarendunæ Regijs consuetudinibus, & quare? pœnitétque. 49
5. Northantoniæ cum Regijs confligit. 53

6. Fuga, exilium, pericula, & epistolæ ad Alexandrum Papam. 57
7. Alexander Henrici Legatos Senonis audit, & paulò pòst S. Archiepiscopum, qui causam in sacro Consistorio dicit, posteà resignat. 59
8. Pontiniaci Monachum agit, & ab Henrico pellitur: Schisma Henrici, & ab Alexandro Legati. 64
9 Regem convenit, orátque, nec tamen placat, & quam ob causam? Cum Galliæ Rege in gratiam redit. Et quas ob causas assentiri Regi non potuit? 67
10. Alij ab Alexandro in Angliam Legati, sed nullo effectu. Sanctus Henricum convenit, nec tamen flectit: tandem Alexandri Legatis Rex cedit. 73
11. Pax cum Archiepiscopo inita. Redit in Angliam. Novæ ab Archiepiscopo Eboracensi turbæ: Regis querelæ, & secuta S. Archiepiscopi cædes. 76
12. Regis pœnitentia, ac tandē mors. D. Thomæ, & Alexandri PP. constantia. 77

§. IV. Innocentij XI. Pontificis Maximi, contra Regaliæ abusus Decreta, & curæ; quàm immeritò ab aliquibus notata. fol. 83

SUMMARIA.

1 Multæ in Gallijs Ecclesiæ Decreto Concilij Lugdunensis, & quatuor sæculorum beneficio à Regalia liberæ, idque Episcopi Galli agnoscunt, & tamen Edicto Regio subscribunt, & quas ob causas? 84
2. Soli Episcopi Alectensis, & Apamiensis causam sustentant ab alijs metu desertam, quod ipsorum testimonijs ostenditur. Apamiens. exilium, & mors. 86
3. Vicarijs ab Apamiensi Capitulo electis alij à Tholosano Archiepiscopo oppositi, sed nullo jure. Nova, & sæva persecutio. 89
4. Aliæ in Monasterio Carronensi turbæ. 92
5. Romani Pontificis in tot malis curæ, & quas ob causas, &c. 94

§. V. Rationes in Regaliæ patrocinium à Gallis productæ, & refutatæ. fol. 101

SUMMARIA.

1. Jus Regaliæ non est Coronæ Gallicæ ingenitum, ut Politici volunt. 101
2. Falsòq; supponi ad ea jura, quæ nec præscribi, nec alienari possint, pertinere. 105
3. Nihil Regaliæ suffragari Galliæ Concordata. 107
4. Nihil jura feudi. 110
5. Nec etiam jus Patronatûs. 113
6. Multóq; minùs Beneficia à Regibus Galliæ in Episcopos collata, &c. 115

§. VI. Aliæ Rationes in patrocinium Regaliæ à Gallis productæ. fol. 117

SUMMARIA.

1. An Reges inter sacras Personas & Regaliæ capaces reputari debeant, &c. 118
2. Causam Regaliæ in Parlamentis sæpius agitatam fuisse, quo jure, &c. 119
3. Episcoporū consensum, aut spe, aut metu expressum nihil Regijs favere. 126
4. Multóque minus eorundem Episcoporum subscriptionem. 152

§. VII. Respondetur ad ea, quæ à P. Alexandro Natali ad sæculum XIII. & XIV. in favorem Regaliæ producta sunt. fol. 162

SUMMARIA.

1. Patris Alexandri Natalis pro Regalia Dissertatio istius causæ imbecillitatem demonstrat. 162
2. Exempla à P. Alexandro producta, ex illis, quos citat, falsi convicta. 163

3. Totam ferè Dissertationem suam extra orbitam quæstionis perducit. 167
4. Principia ab hoc Auctore posita contra Regaliam militant. 167
5. Quàm sint inania, quæ ad Patrum, Canonumque testimonia respondet. 168
6. Nihil exemplis probari, ex antiquo Testamento petitis. 170
7. Ad alia objecta respondetur. 171
8. Arresta, Senatûs-Consulta, ultimam Regiam Declarationem, Consensumque Patrum Parisiensis Conventûs nihil pro Regalia facere. 174

§. VII. Documenta ad argumentum Regaliæ spectantia. 180
1. Prima Epistola Alectensis Episcopi ad Regem Christianissimum. 180
2. Mandatum Ejusdem contra eos, qui vi Regaliæ beneficia obtinebant. 190
3. Mandatum Ejusdem Alectensis Episcopi contra D. de Foix. 193
4. Secunda Epistola Alectensis ad Regem. 195
5. Mandatum Episcopi Apamiensis. 198
6. Prima Epistola Episcopi Apamiensis ad Regem. 200
7. Epistola Encyclica Episcopi Alectensis. 203
8. Actus Capitularis contra D. Paucet Regalistam. 204
9. Actus Episcopi Apamiensis contra Archiepisc. Tholosanum. 206
10. Mandatum Episcopi Apamiensis contra Regalistas. 221
11. Tertia Epistola Alectensis Episcopi ad Regem. 224
12. Primum Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Regem. 226.
13. Secundum Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Regem. 231
14. Tertium Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Regem. 234
15. Quartum Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Regem. 240
16. Epistola Episcopi Alectensis ad Conventum Cleri Gallicani. 244
17. Epistola Ejusdem ad Archiepiscopum Parisiensem. 247
18. Epistola Ejusdem ad Cardinalem Bonzium Archiep. Narbon. 248
19. Epistola Ejusdem ad Innocentium Papam super Theologiæ Moralis & Regaliæ corruptelis. 249
20. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Episcopum Alectensem. 255
21. Epistola Episcopi Alectensis ad D. Bezons Consiliarium Status. 256
22. Secunda Epistola Alectensis ad Cardinalem Bonzium. 261
23. Actus Appellationis Alectensis ad S. Pontif. contra Cardin. Bonzium. 269
24. Projectum Appellationis contra Mandatum Cardinalis de Bonzy. 271
25. Alia Epistola Episcopi Alectensis ad S. D. N. Innocentium Papam. 282
26. Epistola Cardinalis Cibo ad Episcopum Apamiensem. 284
27. Secunda Epistola Episcopi Apamiensis ad Regem. 284
28. Epistola Ejusdem Apamiensis ad Magnum Galliæ Cancellarium. 292
29. Prima Epistola Episcopi Apamiensis ad S. D. N. Innocentium Papam. 298
30. Secunda Epistola Ejusdem Apamiensis ad S. D. N. Innocentium Papam. 300
31. Primum Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Episcopum Apamiensem. 309
32. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Archiepiscopum Tholosanum. 311
33. Tertia Epistola Episcopi Apamiensis ad Regem. 313
34. Epistola D. Foucault Aquitaniæ Præfecti ad Epis. Apamiensem. 318
35. Responsio Reverendissimi Episcopi Apamiensis. 319
36. Epistola Episcopi Apamiensis ad Archiepiscopum Parisiensem. 320
37. Epistola Epis. Apamiensis ad R. P. de la Chaise Regis Confessarium. 323

38. Secun-

38. Secundum Breve S.D.N. Innocentij Papæ ad Episcopum Apamiensem. 326
39. Epistola Epis. Apamiensis ad Procuratorem Parlamenti Parisiensis. 329
40. Tertium Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Episcopum Apamiensem. 335
41. Constitutio Episcopi Apamiensis. 336
42. Constit. Ejusdem, quâ Diœcesanos suos ad Preces publicas exhortatur. 338
43. Sententia Excomunicationis ab Eodem contra Regalistam pronunciata. 341
44. Constitutio alia Ejusdem ad impediendam Regaliæ introductionem. 344
45. Actus, quo Epis. Apam. confirmat constitutiones suas contra Regalist. 351
46. Quartum Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Episcopum Apamiensem. 366
47. Epistola D. Dorat Archipresbyteri Aquensis ad D. la Borde. 368
48. Epistola P. Mariana Socini ad Episcopum Apamiensem. 376
49. Epistola Ejusdem P. Mariana ad quandam Personam Devotam. 378
50. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Canonicos Apamienses. 379
51. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Archiepiscopum Tholosanum. 381
52. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Capitulum Apamiense. 382
53. Prima Epistola D. Ioannis Cerle Vicarij Apamiensis ad Innocentium PP. 384
54. Breve S. D. N. Innocentij PP. ad P. Cerle, & Capitulum Apamiense. 392
55. Secunda Epistola D. Cerle ad S. D. N. Innocentium PP. 395
56. Tertia Epistola ejusdem D. Cerle ad S. D. N Innocentium PP. 407
57. Epistola quarta P. Cerle ad S. D. N. Innocentium PP. 421
58. Epistola Cleri Gallicani ad S. D. N. Innocentium PP. 433
59. Responsio Innocentij Papæ ad Clerum Gallicanum. 448
60. Alia Cleri Gallicani Epistola ad Innocentium PP. 455
61. Epistola Pastorum Apamiensium ad Innocentium PP. 461
62. Quinta Epistola P. Cerle ad Innocentium PP. 466
63. Epistola P. Cerle ad P. Rectorem Collegij Apamiensis S. I. 479

INDEX SECUNDÆ DISSERTATIONIS.

§. I. Refutantur, quæ Maimburgus in Dedicatoria producit. Falli eos, qui putant; hæreticos ad veram Religionem faciliùs redituros, Pontificis Romani Auctoritate minutâ. 493

SUMMARIA.

1. Refutantur, quæ Maimburgus in Dedicatoria ad Regem præfatur. 494
2. Pontificis potestatem non fuisse veram Græci Schismatis causam. 495
3. Idem ostenditur exemplo Schismatis Anglicani, Germaníque. 500
4. Et Sueci, Danici, iterúmque Anglicani, Gallíque. Quæ ergo causa? 501
5. Regiam potestatem, Sacramenta, Cœlibatum, & ipsa Concilia abolenda esse, si argumentatio Maimburgi valeat; &c. 504
6. Transactiones cum hæreticis semper infeliciter cecidisse, quod exemplis ostenditur Concilij Ariminensis. 506
7. Et Zenonis Imperatoris. 506
8. Et Honorij Pontificis ac Heraclij. 508
9. Et Caroli Imperatoris. 510
10. Et Eliæ Patriarchæ Babylonici. 514

§. II. Agitur de Prima Conventûs Parisiensis Propositione. Ecclesiæ Gallicanæ consensus pro Pontificis indirecta potestate in Reges & Principes, eorúmque Bona & Dignitates temporales. 516

Eccle-

INDEX.

SUMMARIA.

1. Ecclesiæ Gallicanæ authoritas Parisiensibus propositionibus prætexta exemplo omnium ferè Hæreticorum, & quam ob causam? 518
2. Authoritas Pontificia in Reges exercita exemplis Galliam spectantibus probatur, & primò Gregorij II. in Leonem Isauricum. 519
3. Et Zachariæ in Childericum Regem. 525
4. Et Stephani Pontificis. 533
5. Et Hadriani in Desiderium Regem. 535
6. Ejusdem Hadriani in gratiam Caroli M. 536
7. Et Leonis III. Imperium Romanum in Carolum M. transferentis. 536
8. Et S. Gregorij M. 551
9. Aliud ejusdem Gregorij exemplum. 556
10. Episcoporum Galliæ in Ludovicum I. Imperatorem. 557
11. Iterum Galliæ Episcoporum in Lotharium Imperatorem. 559
12. Et Nicolai Papæ. 559
13. Et Hadriani II. in Carolum Calvum. 562
14. Et Fulconis Archiepiscopi Rhemensis in Carolum Simplicem. 562
15. Et Concilij Lateranensis sub Alexandro III. 563
16. Et alterius Concilij Lateranensis sub Innocentio III. 563
17. Innocentij IV. in Fridericum Imperatorem. 564
18. Et Clementis V. 565
19. Et Concilij Constantiensis. 566
20. Et Concilij Viennensis. 570
21. Et Concilij Basileensis. 571
22. Et Concilij Tridentini. 571
23. Et Universitatis Sorbonicæ. 572
24. Et totius Cleri Gallicani. 573
25. Et Testimonijs celeberrimorum in Gallia Doctorum. 575
26. Multa in rem nostram contra Maimburgum ex dictis colliguntur. 576

§. III. Solvuntur, quæ contra Pontificis indirectam in Regna potestatem Maimburgus, alijque objectant. 581

SUMMARIA.

1. Indirectam Pontificis in Reges potestatem, publico bono non obesse. 581
2. Nec exemplo Christi adversari. 588
3. Nec SS. Scripturæ. Matth. 20. Marci 10. Luc. 22. Roman. 13. 1. Petri 2. 592
4. Subditos ab Obedientia Principibus debita exsolvi posse. 596
5. Eandem potestatem Theologicè ex SS. Litteris deduci. 597
6. Neque improbari à S. Bernardo. 611
7. Neque ab alijs SS. Patribus, aut antiquis Pontificibus. 614

§. IV. Solvuntur aliæ objectiones, quæ à Maimburgo ex Actis & Auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ adducuntur. 619

SUMMARIA.

1. Pontificis indirectæ in Reges potestati non obesse Acta inter Gregorium, & Ludovicum Imperatorem. 619
2. Neque Acta inter Bonifacium, & Philippum Regem Galliæ, &c. 622
3. Nec denique alia ex Actis & Auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ adducta. 63

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISSERTATIO III.

In

Qua refutantur, quæ Maimburgus in favorem secundæ Propositionis Parisiensis producit, conatúrque Romanum Pontificem Concilio Generali submittere.

§. I.

Refelluntur Maimburgi argumenta ab exemplis Leonis, Vigilij, Honorij, Siricij, Silvestri Pontificum, & Concilij Arelatensis petita.

SUMMARIA.

1. Concilia si Acephala sint, aut Pontifici opposita, aut ab eo non confirmata; non esse certa Spiritûs Sancti organa, nec erroris expertia, ídque testimonio Patrum, ipsiúsque Maimburgi, & rationibus probatur.

2. Majorem esse Pontificis, quàm Concilij auctoritatem, verbis exemplísque probatur Leonis Magni, frustra Maimburgo circa unum, alterúmve Leonis verbum rixante.

3. Pertexitur Vigilij historia. Nestorij mores, promotio, hæreses, damnatio, extrema.

4. Nestorij libri edicto Theodosij flammis tremati, eorum loco à Nestorij Clientibus Theodori Mopsvvesteni scripta varijs linguis evulgantur.

5. Eutychetis error, & Concilium Chalcedonense, in quo Theodorus Cyri, & Ibas Edessæ Episcopi absoluti, & quas ob causas?

6. Bellum tribus Capitulis indictum odio Eutychianorum Concilio Chalcedonensi adversantium. Vigilius consilij anceps in omnem se partem versat, fugitque Thessalonicam.

7. Concilium Constantinopolitanum. Vigilij pro tribus Capitulis constitutum, & rationes. Tria capitula in Concilio Constantinopolitano damnata, cui & Vigilius subscripsisse fertur concordiæ studio.

8. Causam trium Capitulorum nihil ad fidem spectâsse, Gregorij, & Pelagij Pontificum, & totius ferè Occidentis testimonio, exemplóque probatur, qui in causa trium capitulorum oblucłari Concilio Constantinopolitano non prius destitit, quàm Pontificum auctoritate vinceretur. Nec Vigilium mutatis toties sententijs errâsse.

9. Honorij PP. innocentia multis modis ostenditur: at etiam si admittas hæreticum fuisse, nihil contra Pontificum auctoritatem concludi.

10. Ex Concilio Arelatensi nihil contra Pontificis auctoritatem colligi, sed multa pro illa, ubi etiam Maimburgi errores notati; & luculentissimum Zosimi Pontificis testimonium.

11. Siricij quóque Exemplum nihil contra Pontificis authoritatem, sed pro illa potiùs militare.

12. Ex Gerberti Historia stabiliri potiùs Pontificis auctoritatem, quàm everti; & quàm malâ fide eam recitet Maimburgus.

I.

MOre suo Maimburgus prælium initurus ingenti buccinatu pugnæ præludit, videlicet: (a) *Nunquam elapsis retrò annis in Ecclesia dubitatum esse, quin Concilio universali Pontifex subderetur: hanc unicam & veram causam esse, cur elapsis temporibus de hac quæstione altum silentium fuerit; id se verò factis exemplisque*

(a) Maimb. Traittè Histor. fol. 197.

plisque probaturum, quibus opponere nihil possis. Sic ille ingenti pompâ verborum aures auditorum animósque captans. Cæterùm quàm malè hujus Auctoris promissa rebus ipsis respondeant, floréque Autumni æmulentur colore tantùm nobiles, & fructuum steriles; jam Lector didicerit quàm plurimis experimentis, & quæ mox dicam, adhuc clariùs aperient.

Subesse Concilia Romano Pontifici in Regali Sacerdotio (a) copiosè probatum est, idque scripturæ & Conciliorum tam claris testimonijs, ut planè responderi ad ea nihil possit: nec ipse Maimburgus aliquid reperit, quòd opponeret tam evidentibus argumentis, & ideò illa omnia silentio transmisit, fugam quàm prælium malens desperatâ victoriâ; nihil eorum, quæ illic dicta sunt, repetendum duxi, sed solùm quæ Maimburgus scripsit, examinabo, temporis ac verborum parcus, & unicæ veritati intentus; ergò rem ipsam aggredior.

Opponit 1. (b) Spiritus Sanctus est, qui in Concilijs Oecumenicis loquitur, & cui soli infallibilitatem Concilij debemus; quemadmodùm plurium ac discordium vocum concentus, & harmonia, non organis, non fistulis, sed artifici, ac Musico debetur instrumenta moderanti, & ideò in decisione ac Decretis primi Hierosolymitani Concilij hæc verba leguntur: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Anima ergò Concilij est Spiritus Sanctus, atqui Pontifex Romanus subest Spiritui Sancto, ergò etiam subest Concilio, cujus voces & Decreta, sunt voces & decreta Spiritûs Sancti.

℟. Verum est Spiritum S. per Concilia loqui, & voces Concilij Universalis voces esse Spiritûs Sancti juxta illud Christi Domini: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis.* Cæterùm non omne Concilium est aptum organum Spiritûs Sancti, nec omnes Concilij voces sunt Spiritûs Sancti; quis enim dicat Decreta Conciliorum Ariminensis, cui 400. Patres assederunt, Ephesini secundi, cui 128. Antiocheni, Basileensis, aliorúmque, in in quibus toties, tàm graviter erratum est, à Spiritu Sancto fluxisse? & de quibus Gregorius Nazianzenus (c) conquestus est: *Nunquam sine periculo & offensione Sacerdotum haberi Conventus, & nullius Concilij finem*

(a) Regal. Sacerdot. l. 2. à f. 275. (b) Maimb. cit. cap. 17. fol. 201. (c) Gregor. Nazianz ep. 55. ad Procop.

lætum, faustúmque visum à se esse. Sicut ergò non omnis fistula canenti apta, ita nec omne Concilium est aptum organum loquentis Spiritûs Sancti: sed illud tantùm, quod Oecumenicum est, quod legitimè convocatum, approbatúmque à Romano Pontifice, ut alibi probatum est. Quomodo enim erit Concilium Universale, quod integrum non est? quomodo autem integrum, cui Caput deest? integrum Templum fundamento destitutum? Integra Familia Oeconomi aut Vicarij expers? Cùm ergò Pontifex Romanus sit Caput, fundamentum, & Paterfamilias Ecclesiæ; tàm non potest sine illo, ejúsque assensu Concilium dici Universale, legitimum, integrúmque, quàm non potest exercitus sine Duce, domus sine fundamento, familia sine Oeconomo integra dici. Apparuítque id ipsum in prima Ila Synodo Hierosolymitana, quam merito exemplar omnium aliarum dicas; in qua licèt omnes Spiritu Sancto abundarent, non priùs tamen vox Spiritûs Sancti audita, aut contentiones pacatæ, quæ Sanctos Antistites agitabant, quàm Petro sententiam præloquente, ac viam Spiritui Sancto parante.

Audi sacrum textum. (a) *Convenerúntque Apostoli & seniores videre de hoc verbo:* (b) *Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: quid tentatis DEUM imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Tacuit autem omnis multitudo.* Ubi vides priùs Concilium varijs opinionibus agitatum esse, quàm Petrus loqueretur: posteà eo sententiam proferente, lite jam velut finitâ, omnium silentium esse consecutum. Hæc etiam causa fuit, utsæpè à Patribus dictum sit, nullum valere Concilium, nullósque Canones præter Romani Pontificis auctoritatem sanciri posse; quia videlicet credebant Patres, ut animam in corpore capitis experte mutam esse; ita nec Spiritum Sanctum in Concilijs loqui, nisi per caput Ecclesiæ, quod est Romanus Pontifex. Audi eorum verba. Patres Concilij Romani sub Damaso PP. (c) *Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicij vim habere non debet, præsertim cùm formula illa composita sit, néque Episcopo Romano, cujus sententia ante omnia expectanda erat, nec Vincentio, néque alijs consentientibus.* Et Gelasius I. *Cognoscant igitur illud secundùm scripturas sanctas, traditionémque Majorum, secundùm Ca-*

(a) Actorum 15. (b) Patres Concil. Roman. Anno 359. (c) S. Gelasius Tom. de Anath. Vinc. ab init. T. 2. Concil. Obijt Anno 496.

Canones regulásque Ecclesiæ, pro fide communi & veritate Catholica & Apostolica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegavit, factámque firmavit, à tota Ecclesia indubitanter recipi (loquitur de Synodo Chalcedonensi) *alia autem, quæ illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegavit, mox à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est. &c.* Ubi vides illa tantùm ab Ecclesia recipi Concilia, quæ & quatenùs à Sede Romana sunt approbata, quæ verò & quatenùs approbata & confirmata non sunt, nec in Ecclesia recipi oportere.

Nicolaus I. (a) *Denique in Universalibus Synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit, ut ipsi scitis: sicut econtrariò, quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodò constat hactenùs reprobatum.* Et S. Leo IX. (b) *Non lateat vos, non debere præter sententiam Romani Pontificis Universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi; quia etsi licet examinare, definitivam tamen dare sententiam absque consultu Romani Pontificis non licet dare, quod in sacris Canonibus statutum potestis invenire. Scilicet, quia omnium Ecclesiarum Majores & difficiliores causæ per sanctam Sedem definiendæ sunt.* Socrates (c) de Concilio Antiocheno loquens: *Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat, nec quemquam, qui ejus locum suppleret, eò misit, cùm Canon Ecclesiasticus habeat, non oportere absque sententia Romani Pontificis Decreta Ecclesijs sanciri.* Et infra: (d) *Julius Episcopus, ijs qui Antiochiæ convenerant, per litteras respondit, eos contra Ecclesiæ canones egisse, cum Canon Ecclesiasticus vetet, ne Decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesijs sanciantur.* Et Sozomenus: (e) *Lex est ad Sacerdotij dignitatem spectans, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.* Si ergo ex Sanctorum Patrum, Canonúmque sententia, quæ in Concilijs statuuntur, nisi à Romano Pontifice approbentur, irrita & nulla sunt, nec recipi ab Ecclesia debent; necessariò sequitur, ut Concilium Pontifice destitutum, aut quod pejus est, Pontifici oppositum, non esse Spiritûs Sancti organum, sed falli & errare posse; quî enim sint voces & organa Spiritûs Sancti, quæ *irrita*, quæ *nulla sunt*, quæ *Sacris Canonibus adversa & prohibita*, quæ *recipi in Ecclesia non debent*, quæ *improbari possunt*, quæque *ultimam & definitivam sententiam expectant Romani Pontificis?* Sic enim Patres loquuntur. Non ergo loquitur Spiritus Sanctus per

(a) Nicolaus I. PP. epist. 7. (b) S. Leo IX. ep. 4. Obijt Anno 1054. (c) Socrates lib. 2. hist. Eccles. c. 5. (d) Idem c. 13. (e) Sozom. lib. 2. c. 9.

Concilium Acephalum, & capite truncatum, quale est, quod Pontifici aut opponitur, aut auctoritate illius & assensu caret. Errat ergo Maimburgus, cùm scribit: (a) *Romanos Pontifices, cùm Decreta Conciliorum confirmant; nihil aliud agere, quàm ut votum suum & suffragium apponant, eâdem omninò ratione, quâ alij Episcopi qui Concilijs intersunt, quique Concilio superiores utique non sunt; dicuntur tamen acta Concilij confirmare, cum illis subscribunt, suúmque calculum addunt.* Sed ex productis supra testimonijs, quis non videt, quantum intersit inter confirmationem Romani Pontificis, aliorúmque Episcoporum? si enim Romani Pontificis assensus & confirmatio æquè ac unius ex alijs Episcopis, non est absolutè necessaria, cur ergo Patres, ipsíque Canones toties repetunt, irrita, cassa esse Concilia, sacrísque Canonibus adversa, & prohibita, quæ néque recipi in Ecclesia debeant, nisi accesserit Pontificis confirmatio? quomodo irrita? quomodo cassa, si nihil necessarium illis desit? quod si confirmatio Pontificis nihil habet supra aliorum Episcoporum confirmationem, ergo dicentur cassa, irrita, prohibita, improbata Concilia, quibus votum unius aut alterius Episcopi, Tholosani v. g. aut Salisburgensis, aut Viennensis, aut Antiocheni non accesserit; quæ omnia & absurdissima sunt, & in Patribus, sacrísque Canonibus nunquam lecta, nunquam audita. Vides in quæ absurda animus ruat semel alienis affectibus tinctus, occupatúsque, & veritati occlusus. Ergo antè Pontificis assensum imperfecta Concilia, nec satis certa, quæ in illis decreta sunt: idque ex principijs à Gallis & Maimburgo admissis omninò consequitur. Fatetur enim in Tractatu historico de prærogativis Ecclesiæ Romanæ: (b) *Pontificis partes & munus esse, ut judicium & sententiam ferat in causis majoribus, & fidem ac mores spectantibus;* quod his verbis Gallicè expressit: *C'est à lui de juger des causes majeures, comme sont celles, qui regardent la foy, & qui sont ambigues, le coustumes Universales, &c. dont le jugement lui apartient, & lui doit estre rapportè, &c.* Si ita est, & toties à Patribus inculcatur, ergo Summi Pontifices, cùm Concilia confirmant, in quibus maximæ tantùm causæ fidei morúmque agitantur; non solùm id agunt, quod reliqui Episcopi, hoc est, nudum suffragium & votum ferunt; (id enim non esset ulla prærogativa Pontificis Romani, cùm ad singulos Episcopos pertineat) sed insuper

(a) Maimb. Traittè histor. ch. 27. f. 209. (b) Maimb. Traittè histor. ch. 5. f. 61

ſuper ultimum judicium & ſententiam dicunt, adeò ut *probare* aut *improbare poſſint* à Concilijs Univerſalibus decreta, ut Nicolaus primus loquitur. Nec tamen fruſtra ſunt Concilia: cùm enim ad fidem ſtabiliendam, hæreſéſque debellandas, non ſufficiat decernere, quid credendum ſit, ſed oporteat inſuper rationes credendi in medium proferre, ſcripturas explicare, quæ ab hæreticis opponuntur, revincere, & manifeſtæ falſitatis arguere, quódque præcipuum eſt, de remedijs cogitare, quibus & infecti ſanentur, & ad ſanos peſtis haud perveniat; quis non videt hæc omnia longè copioſius, rutiúſque à Concilio obtineri, ubi ex toto Catholico orbe Patres doctrinâ, pietate, ac experientiâ præcipui conveniunt, quàm à ſolo Romano Pontifice? nam & duo oculi plùs uno vident; & ſtellæ, quamvis à ſole radientur, & hic ſolus etiam ſine illis diem efficiat; habent tamen ſuos ac proprios influxus, quibus adjuvant ſolem, reddúntque potentiorem Orbi gubernando: hoc ergò Patres Pontifici, quod ſtellæ ſoli; lucent, juvantque, ſed diem non reddunt.

Dices, Concilio Conſtantinopolitano primo nec per ſe, nec per Legatos Damaſus Pontifex præſedit, & tamen pro Oecumenico & legitimo habitum eſt; ergò approbatio Pontificis non eſt Concilio neceſſaria.

Reſp. Non interfuit quidem Damaſus illi Concilio, quippe qui eodem tempore Synodum Romæ collegerat, ad quam & Orientales Epiſcopos evocavit; ſed tamen certum eſt approbâſſe, & confirmâſſe, quæ in hac Synodo contra Arianos decreta ſunt, id enim expreſſè Photius teſtatur libello de ſeptem Synodis, & S. Gregorius *M. l. 6. epiſt. 125.* ubi ſcribit: *Non omnes ejus Concilij canones receptos à Romana Eccleſia eſſe: Canones, inquit, Conſtantinopolitani Concilij Eudokianos damnant; ſed quis fuerit eorum auctor Eudoxis, minimè oſtendunt. Romana autem Eccleſia eoſdem canones, vel geſta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit, in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonianos definitum.* Hìc Gregorius apertè teſtatur, non omnes illius Concilij canones à Romana Eccleſia receptos eſſe; ſupponítque penes Romanam Eccleſiam eſſe, quos Conciliorum Canones probet, improbétque: quomodo ergò major Concilij, quàm Pontificis auctoritas, ſi penès iſtum eſt Conciliorum canones alios falſi damnare, & rurſum omnes

omnes examini subdere, an vero, an falso consentiant? planè non est hoc Concilio subdi, sed præesse, nec obsequi, sed imperare.

At, inquit Maimburgus: (a) *Si Decreta in Concilijs sancita nec certa sunt, nec vires habent, nisi post Romani Pontificis sententiam? ergò hujus arbitrio steterit, utrùm ad fidem aliquid pertineat: & si decretis Nicæni Concilij Silvester Papa abnuisset, ergò & Ariani hæretici non essent, & eorum errores æquè ac alias opiniones amplecti impunè ac sine culpa licuisset, quæ omnia absurdissima sunt, & à nemine concessa.*

Resp. Si aliquid roboris huic argumento insit, non minùs Concilij auctoritatem, quàm Pontificis evertit. Quæro enim si Concilium Nicænum decrevisset, filium non esse æqualem Patri; an ideò pro vero haberi id debuisset? aut ante Concilij decreta liberum erat Divinitatem filio adimere? aut Arius nisi post Concilij sententiam hæreticus non fuit? quòd si dicas: hypothesim illam esse impossibilem, & ut in scholis loquimur, de subjecto non supponente; neque enim Concilium errare posse, aut aliquid contra veritatem in scripturis revelatam definire; & Arium quidem, aliósque hæreticos etiam ante Concilij sententiam fuisse, quippe qui veritati in scripturis expressæ, agnitæque obluctarentur, nec judicio Ecclesiæ submitti vellent. Alios verò & pleróque errâsse quidem, non tamen ante Concilij sententiam hæreticos dici potuisse, cùm parati essent veritatem admittere, si docerentur. Hæc igitur si tu dicas in favorem Concilij, ego multò magis, majorique jure in favorem dicam Pontificis, ejúsque Confirmationis; Pontifici enim, non Concilio dictum: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Pontifici: *Tibi dabo claves regni Cœlorum.* Pontifici: *Ego pro te rogabo, ut non deficiat fides tua.* Pontifici denique, non Concilio: *Pasce oves meas.* Cùm ergò toties in scripturis habeamus Ecclesiam Pontifici regendam, docendámq; commissam esse: nunquam verò Pontificem Concilio aut Ecclesiæ regendum, pascendúmque: cur non malis id dicere, quod scriptura dicit; quàm dicere, quod nunquam & nullibi dicit? Præsertim quia si Pontificis confirmationem removeas, unde constabit Concilium aliquod Universale & legitimum fuisse? unde vota libera non metu, non fraude, non pretio extorta, non ambitione aut contra æquitatem corrupta, ut in Concilijs Ariminensi, Ephesino, Con-

(a) Maimb. Traittè hist. ch. 17. fol. 209.

Constantinopolitano, ac etiam Chalcedonensi, & Basileensi evenit? Quis me certum firmúmque reddet, non æquè alia concilia errâsse, aut erratura, si errârunt illa tot, támque egregijs Patribus florentia? an credam historicis Concilium aliquod Universale & legitimum fuisse scribentibus? quasi verò errantibus Concilijs, & tot Patrum cohortibus unus altérque historicus errorum sit expers: aut fides mea, quæ Divina & certa esse debet, ac etiam, si oporteat, morte sancienda, ex unius aut alterius historici narratione pendeat. *At Ecclesia Concilium recipit, & ideò legitimum ac Universale esse constat.* Imò ut Ecclesia recipere teneretur, oportuit priùs constare legitimum & Universale fuisse, unde autem id constabit, si Pontificis Romani auctoritatem & confirmationem submoveas? Deinde Ecclesia non solùm recipit decreta, canonésque Conciliorum Universalium, sed etiam particularium, imò privatorum subinde Doctorum, non ergò sequitur Concilium legitimum & universale fuisse, quia ab Ecclesia receptum est. Patet ergò ex hactenus dictis, cùm Pontifex confirmat, eam confirmationem non honorariam esse, aut aliorum Episcoporum Confirmationi parem, sed omninò & absolutè necessariam.

II. *Opponitur 2.* S. Leo Magnus, quamvis opinionem Eutychetis hæresis damnâsset, & duas in Christo naturas litteris ad Flavianum Patriarcham datis egregiè asseruisset, permisit tamen eandem Eutychetis causam in Concilio Episcoporum examinari tanquàm *in pleniore judicio*; imò ad Theodoretum scribens, sibi gratulatur, suam de duabus naturis sententiam â Concilio confirmatam, totóque Orbe receptam esse: sic enim in litteris ad Flavianum scribit: *Quia piè ac religiosè Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore judicio error aboleri possit.* Agnoscit ergo Leo Papa judicium Concilij esse plenius & superius judicio & sententiâ Concilij, sicque majorem hujus auctoritatem, quàm illius esse. Idem S. Pontifex epistolâ ad Flavianum: (b) *Gloriamur*, inquit, *in Domino, qui nullum nos in nostris fratribus desiderium sentire permisit, sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis firmavit assensu, ut verè â se prodijsse ostenderet, quod priùs ab omnium sede firmatum totius orbis judicium recepisset.* Supponit ergò S. Leo definitiones Pontificum confirmari, & rursum

(a) Maimb. Traittè hist. ch. 18. fol. 213. (b) S. Leo epist. ad Flavian. 16.

sum examinari à Concilio posse; nec priùs constare an à DEO prodierint, quàm *si totius Orbis recipiantur judicio:* quæ omnia ostendunt Concilia supra Pontifices esse.

Resp. Auctoritatem Romani Pontificis multò Concilijs superiorem esse, nemo clariùs ut Leo Magnus doctrinâ exemplóque professus est; nec finem mirandi facio, Maimburgum in urbe Regia, & sub oculis tot eruditorum, tantâ fiduciâ res compertissimas negare, cavillarique circa apices verborum, cùm mens & sententia Leonis sit apertissima, perinde ac si aliquis lucere solem negaret nubeculâ tantùm circa illum exortâ, quamvis aliàs mille radijs se prodat. Audi Leonem & judica. Primò in illa ipsa epistola ad Synodum Ephesinam data, quam Maimburgus citat, circa finem hæc Leo (a) scribit: *Fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarium Diaconum misi, qui vice meâ sanctoConventui nostræ fraternitatis interssint, & communi nobiscum sententiâ, quæ Domino sint placitura, constituant; hoc est, ut primitùs errore pestifero damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen sensus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plenè apertéque propriâ voce damnaverit.* Et Epistola ad Concilium Chalcedonense: (b) in quo ejusdem Eutychetis causa discussa est. *Fraternitas Vestra,* inquit, *me Synodo existimet præsidere, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & jam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possit ignorare quid cupiamus. Unde fratres Charissimi rejectâ penitus audaciâ disputandi contra fidem divinitus inspiratam, non liceat defendi, quod non licet credi, cùm secundùm Evangelicas authoritates, Apostolicámque doctrinam plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis Domini Nostri pia & sincera confessio.* Et Epistolâ 33. ad Pulcheriam Augustam: *Remoto longarum disputationum labore Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolæ acquiescat, & epistolæ meæ ad Flavianum, quia & mea & SS. Patrum de Incarnatione concors per omnia & una Confessio est, quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se á compage Catholicæ Unitatis abscindit.* Similia habet epist: 40 & 41. ad Martianum Imperatorem. Et 49. ad Pulcheriam Augustam. In quibus imitatus est Leo Cœlestinum Antecessorem suum, qui in commonitorio Lega-

(a) Epist. Leonis ad Synod: 2. Tom. 2. Concil. (b) Leo in epist. 45. Concil. Chalced.

Legatis ſuis ad Concilium Epheſinum dato, hæc clariſſima & digna memoratu habet. (a) *Auctoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodite; ſiquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquantur, ut intereſſe Conventui debeatis: ad diſceptationem ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententijs judicare debeatis, non ſubire Examen.* Conſtat ex his omnibus Cœleſtinum & Leonem præſcripſiſſe, quid credi, quid decerni oporteret, ut videlicet primò hæreſis Eutychetis damnaretur, ut à doctrina litteris Cyrilli & Leonis comprehenſa ne latum unguem diſcederent Patres, idque ſubpœna anathematis: ut diſputationibus abſtineretur: ut Eutyches verbo ſcriptóque hæreſin recantaret, ſicque cathedræ reſtitueretur: ut denique Legati de Patrum Concilijque ſententijs judicium ferrent; ipſi verò Pontificis Romani doctrinam minimè examini, judicióque Concilij ſubderent: potéſtne aliquid dici imò cogitari, quod ampliùs Pontificis ſupra Concilium auctoritatem exprimat? aut qui ſunt characteres ſuperioris, ſi iſti non ſunt? aut quod unquàm Concilium tales Pontificiæ auctoritati & Decretis Leges præſcripſit, quales Leo Concilijs? tantúmque abeſt, ut Concilium quereretur dolerétque Leonem aliena uſurpare, & auctoritatem Concilijs debitam in ſe transferre, ut potiùs ſummis laudibus Leoni acclamaret, ejúſque epiſtolas velut Cœlo lapſas amplecteretur, ut videre eſt in actis Concilij *actione 2.* circa finem. Nec Leonis poteſtas intra verba ſtetit, ſed proceſſit in exempla. Cùm enim Patres fidei profeſſionem concepiſſent, eſſétque omnium votis comprobata, ſoli Leonis Legati eam, quòd minùs perfecta, rejecerunt, Patréſque quamvis obluctantes, ut aliam ederent, coëgére, idque imperio & auctoritate, manifeſtóque poteſtatis, quam in Concilium exercebant, argumento. Audi acta Concilij, *actione 5.* Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi præter Romanos & aliquot Orientales clamaverunt: *Definitio omnibus placet; hæc fides Patrum: qui aliter credit, anathema ſit. Paſchaſinus & Lucentius Vicarij Sedis Apoſtolicæ dixerunt: ſi non conſentiunt epiſtolæ Apoſtolicæ Beatiſſimi Papæ Leonis, jubete nobis reſcriptum dare, ut revertamur.* Vides hic iterùm tantum abeſſe, ut Leo doctrinam & epiſtolam ſuam examini Patrum Concilijque ſubdat, ut potiùs velit, apertéque & in pleno conſeſſu profiteatur,

(a) Commonitorium Cœleſtini nuper editum per Steph. Baluz. ex M. S. Colbertino.

oportere, ut Patres ad normam, mentémque Leonis decernant; éstne rogo discipulum hoc agere, an Magistrum? obsequi, an imperare? Si Pontifex Concilio subest, cur imperat? cur à toto Concilio probata improbat reijcítque? cur compellit Concilium oblitterare jam ab omnibus decreta & nova proferre? cur suam Epistolam pro norma præscribítque, eíque Concilium alligat, nec patitur ab ea recedi? paruítque Concilium, & aliam edidit fidei Professionem, quæ habetur *action. 6.* Eâdem auctoritate Pontificis Legati canonem 28. Synodi Chalcedonensis irritum, cassúmque voluerunt, quo videlicet primus locus post Romanum Pontificem Alexandrino debitus Archiepiscopo Constantinopolitano cedebatur, quo iterum ostendére, Pontificem non subdi, sed imperare Concilio, & rescindere ab isto perperam facta. *Vide Actionem 15. Con. Chal: circa finem.* Jam Lectoris judicium esto, quàm verè Maimburgus dixerit, Leonem doctrinam suam Concilio examinandam permisisse, cùm potiùs eam pro norma & amussi Concilio præscripserit, vetuerítque ab ea recedi: quis dicat Lydium lapidem ab auro, perpendiculum à pariete examinari, & non potiùs contrarium?

Cur ergò dixit Leo, Concilij judicium plenius esse, ab eóque aboleri errores oportere?

Resp. Quia licèt Concilium oppositum Papæ, aut ab ipso non confirmatum, sit infra Papam; conjunctum tamen, & approbatum à Papa, multò perfectius, utiliúsque est, quàm solùm Papæ judicium, ut etiam suprà monuimus: nec verò quæstio est, an Concilium confirmatum à Papa sit infra aut supra Papam (hæc enim quæstio est meri nominis, & theoretica, ac ferè illi similis, quam speculativi in scholis agitant, an videlicet Deus solus sit majus bonum, quàm DEUS & creaturæ) sed an Concilium à Papa non confirmatum, imò Papæ oppositum sit supra Papam, eíque imperare possit; unde patet, ne stat ũ quidem quæstionis Maimburgum intellexisse, quî ergo scopum tangeret nunquam visum? Quemadmodum ergò licet Rex sit supra Senatum, nec aliqua sit contra Regiam voluntatem auctoritas Senatûs: si tamen Rex in senatu & cum senatu agat, nemo dubitat, multò ejus diplomata meliora & perfectiora fore (utpote tot aliorum consilijs & instructionibus acuta) quàm si à solo prodeant. Idem de Pontifice dicas, præsertim in causa Eutychetis: in qua cùm non solùm ageretur de Decretis fidei scribendis

bendis: sed etiam de modo hæreticos convincendi, exarmandi, Eutycheten restituendi, Imperatorem ne perverteretur (nam pestis jam aulam penetraverat) edocendi, quis non videt hæc omnia multò securiùs perfectiúsque à Concilio Græcorum Patrum, quàm Romæ à Leone tot rerum ignaro peractum iri? præsertim cùm Dioscorus, alijque, qui Eutycheti studebant, ausi essent in Leonem sententiam proferre; non ergo eum judicem paterentur, quem ipsi reum damnatúmque peregerant: prudentis ergo fuit celare potiùs, quàm exponere Majestatem. Quòd verò Leo Pontifex sibi gratuletur, sententiam suam de duplici Christi natura à Concilio receptam esse, ideò est, *tum* quòd multi, qui discordias quàm pacem malebant, Leonem non eadem cum Concilio sentire jactarent, quod ipse Leo in epistola (a) ad Martianum Augustum testatur: *tum* quia ut idem Leo in epistola ad Theodoricum se explicat; etiam quæ fidei sunt, quæque omne dubium excludunt, examinari possunt, non eâ quidem ratione, ut eis subesse falsum suspicemur; sed ut clarè intellecta, & cum ratione & scripturis collata tantò meliùs firmiúsque animo hæreant. Quàm multa in scripturis examinamus? nec ideò dubij, sed avidi veritatis; audi ipsum Leonem (b) in eadem epistola ad Theodoricum: *Ipsa quoque veritas, & clariùs enitescit, & fortiùs retinetur, dum, quæ fides priùs docuerat, hæc posteà examinatio confirmaret.* Cæterùm persuasum fuisse Leoni, non Pontifices Concilio, sed Concilium Pontificibus subdi, manifestum est ex superiùs dictis, & ex auctoritate, quam in concilium Chalcedonense Leo exercuit, expressitque clarissimè in epistola ad Theodoricum, quam citat Maimburgus: cùm enim Leo gratulatus sibi esset, Concilium in eandem secum sententiam conspirâsse, hæc subjungit: *Ut in hoc quoque capite membra concordent, in quo ampliùs nobis crescit gaudendi materia.* Et post pauca: *Multùm denique Sacerdotalis officij meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* En hîc iterùm apertè Leo profitetur Pontificem in Concilio Universali partes *Capitis* agere; reliquos Episcopos *membra* esse; si Pontifex illius sacri corporis Caput est, ergo ad eum pertinet dirigere, gubernare, movere; ad Patres verò dirigi, gubernari, moverique. Rursus per ea verba: *Sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferio-*

(a) Epist. Leon. ad Mart. Aug. 63. inter ep. SS. PP. (b) Leo ep. 67. ad Theodoric.

rum putetur iminuta Libertas. Clarissimè ostendit supremam in Concilijs potestatem penes Pontificem esse, Patres verò inferiores, subditósque; & tamen Maimburgus, cùm superioritatem Pontificis tàm luculenter in epistolis Leonis expressam videat, & quod majus est, clarissimis exemplis in conspectu Chalcedonensis Concilij exercitam probatámque: hæc omnia silentio tegit, cum duobus aut tribus verbis rixatur, aquam in pumice & victoriam in syllabis quærens; quæ tamen ut vidimus, & ipsa nihil ad rem faciunt.

III. *Opponitur 3.* (a) Exemplum Vigilij Pontificis: hic enim cùm constitutionem edidisset, quâ tria Capitula comprobabat, vetabátque, ne à quoquam mortalium damnarentur; Concilium Constantinopolitanum quintum & Vigilij Constitutionem, & doctrinam trium capitulorum examinandam suscepit, damnavitque obluctante primùm Vigilio, ac tandem Concilio cedente. Si ergò Concilium examinat damnátque, quæ tanto studio, tantáque animi contentione ac solemni diplomate Vigilius decreverat; oportet utique majorem esse Concilij, quàm Pontificis auctoritatem, & hunc illius judicio subjacere. Vigilij verba in Constituto ad Imperatorem Justinianum inter alia hæc sunt: (b) *Apertissimâ lucet veritate ex verbis epistolæ venerabilis Ibæ rectissimo ac pijssimo intellectu perspectis, Patres nostros in Chalcedone residentes rectissimè orthodoxam ejusdem viri fidem pronuntiâsse, & ideò præsentis sententiæ vestræ auctoritate statuimus atque decernimus, cum in omnibus, tum etiam in memorata venerabilis Ibæ epistola intemeratum Patrum Chalcedone residentium manere judicium.* His verbis Vigilius non solùm Personam Ibæ, sed etiam ejus epistolam, quamvis mille blasphemijs plenam hæresi absolvit, & in mitiorem partem explicat, idque obtentâ Concilij Chalcedonensis auctoritate. Addítque in fine Constituti: *Si quid verò de ijsdem tribus Capitulis contra hæc, quæ hîc asserimus vel statuimus, factum, dictum atque conscriptum fuerit, hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis Apostolicæ refutamus.* En Vigilium ex Cathedra decidentem! & tamen Concilium œcumenicum Constantinopolitanum à tota Ecclesia receptum, cultúmque contrarium omninò decidit, sic enim loquitur: (c) *Si quis defen-*

(a) Maimb. Traitté Hist. ch. 18. fol. 216. & ch. 17. fol. 89. & ch. 11. fol. 148. & hist. du Pontific. de S. Gregor. l. 1. f. 31. (b) Constitutum Vigilij non procul à fine apud Baron. ad Annum 553. n. 196. (c) Concil. Oecum. 5. collat. 3. cap. 14.

Defendit epistolam Ibæ, quam ad Marim Persam hæreticum dicitur Ibas scripsisse, quæ abnegat DEUM Verbum ex Virgine Maria incarnatum, & eam non anathematizat, & qui præsumit eam defendere, vel insertam ei impietatem, nomine sanctorum Patrum, vel Concilij Chalcedonensis, anathema sit. Concilium ergò non damnat solùm, sed etiam anathemate punit Vigilium ejúsque constitutum. (a) Et Pelagius II. ac Gregorius Magnus apertè Vigilium ignorantiâ errâsse profitentur, ac postmodùm meliora edoctum Concilij sententiam amplexum esse, Constituto, quod prius ediderat, enixè damnato. Patet ergò tot Pontificum, qui post Vigilium sedere, imò totiùs Ecclesiæ consensu, quæ tria capitula damnavit; & Pontificem errâsse, & à Concilio correctum, imò perculsum esse anathemate, & rursus Pontifices infra Concilium esse, & ab isto judicari posse, punirique.

Resp. Multum spei collocat Maimburgus in Constituto causáque Vigilij: ea verò qualis fuerit, altiùs repetemus, atque ut clariùs veritas appareat, omnia per annos distinguuntur. Anno CCCCXXVIII. Sisinio Episcopo Constantinopolitano morte sublato, Theodosius imperator ex Populi voto Nestorium sufficit Presbyterum & Monachum Antiochenum. Pietas illum Zelúsque adversùm hæreticos, & vis eloquentiæ omnibus commendaverant: sed ut notat Theodoretus, ingentem ambitionem, quâ infulas captabat, his dotibus texerat simulatâ virtute. Nata ex ambitione se ostentandi cupido, veterúmque contemptus: & novorum, quæ magis animos stringunt, ingens prurigo, ac tandem hæresis. Dicebat in Christo ut duas naturas, ita duas Personas esse, Divinam, humanámque, & ita DEUM nec conceptum, nec natum ex Virgine, nec passum, mortuúmque, sed hominem solùm. Latuit aliquandiu venenum tum dulcedine orationis, quâ errores condiebat, tum opinione virtutis, quâ populum occupaverat externa spectantem, ignarúmque occulti. Anno CCCCXXIX. Nestorius hæreses suas palàm expromit, biníque litteris à Cyrillo Alexandriæ Episcopo errroris monetur. Sequenti proximè anno collectâ Romæ synodo Cœlestinus Pontifex Nestorium infulis privat; Cyrillo prosecutionem causæ, suásque vices delegat. Hauserat

(a) Pelagius II. ep. 7. quæ est 3. ad Episc. Istr. Gregor. M. lib. 3. ep. 2. 3. 4. 37. & lib. 7. ep. 10. 53.

ferat virus à Theodoro Mopsvvesteno Nestorius Chrysostomi quondam in Monasticis collega. Anno CCCCXXXI. Nestorij causa in Ephesina Synodo agitatur, & ipse cùm ne quidem adesse dignaretur quamvis vocatus, hæresis damnatus, ac Episcopatu exutus est: libri flammis addicti. Supervenit post quintum diem Joannes Episcopus Antiochenus jam olim Nestorio amicus, iráque in Cyrillum fremens, antiquâ quippe æmulatione Alexandrinæ & Antiochenæ Sedis, ac recenti odio ob amici casum, præsertim quòd à Patribus expectatus non esset, pugnam instaurat, sublevátque Nestorium varijs in Cyrillum Patrésque conjectis calumnijs; sed momentaneum solatium; quippe fraudes detectæ, & Nestorius primò in Monasterium, tum in exilium ejectus, ubi linguâ vermibus exesâ, solutóq; putredine corpore vitam absolvit. Joannes & ipse à Patribus damnatus, dejectúsque, semper tamen ei mora pœnitendi data: nam & spes erat clementiâ flecti posse; metus verò, ne si duriùs haberetur, totam Syriam desperatâ veniâ perverteret: respondítque eventus, nam sequenti anno Joannes Nestorio, hæresique abjuratâ, cùm Romano Pontifice primùm, mox cum Cyrillo in gratiam redijt, junctísq; dextris in Nestorium duxit.

IV. Anno CCCCXXXV. Theodosius lege latâ Nestorij libros, quibus hæresin propagabat, cremari jubet: at qui Nestorio studebant, Theodori Mopsvvesteni libros evulgant, Syriacâ, Persicâ, Armenicáque linguâ conscriptos, quò à pluribus legerentur. Theodorum pietatis & doctrinæ species, & ex istis veneratio celebrem reddiderant; at eodem, quo Nestorius veneno turgebat, imò à Theodoro Nestorius acceperat; ergò mutato solum nomine eadem pestis serpebat. Accensa, ut fieri amat partium studia, alijs Theodorum laudantibus, detestantibus alijs, quippe qui eosdem in Theodoro errores agnoscerent, aliâ quidem larvâ, sed eodem vultu parique fœditate. Fuerat inter præcipuos Theodori, Nestorijque cultores Theodoretus (a) Cyri Episcopus, vir pietate & doctrinâ insigni, sed pari in Cyrillum odio, & cujus capitula instinctu Joannis Antiocheni confutaverat; sed tandem veritati cedens, & Nestorium, cujus amicitiam coluerat, detestatus est, & Cyrillo placatur, ut ex ejus scriptis apparet.

V. Anno

(a) Theodoret. ep. 1. ad Sperad. & 83. ad Dioscor. & l. 4. adu. Nestor.

V. Anno CCCCXLVIII. Eutyches Archimandrita dum nimio inconsultóque ardore Nestorium persequitur, in aliam hæresim impingit, docétque, ut unam in Christo Personam, sic unam naturam esse; nec abstitit monitus quamvis à Flaviano Episcopo Constantinopolitano, damnatúsque repetitâ Synodo: sed obstinaverat animum, aut pretio sui, aut aulæ patrocinio, Chrysaphij præsertim, multorúmque Episcoporum nova præ antiquis amplexantium. Delendo igitur tàm pernitioso errori Synodus Chalcedonensis indicta, ubi omnium votis hæresis Eutychiana conclamata est. In hac Synodo, quod maximè ad rem nostram facit, duo Episcopi Theodoretus Cypri, & Ibas Edessæ Episcopi Nestorianæ hæresis suspecti â Patribus absoluti sunt. De Theodoreto jam dixi, de Iba hæc accipe; is cum alijs Syriæ Episcopis Joanni Antiocheno adhæserat, Cyrillo infensus, & Nestorio amicus, pro cujus erroribus ad Maryn Persam epistolam scripsit, in qua & Theodorum laudibus effert, Cyrillum verò perstringit, tanquam is odio in Theodorum anathematismos scripsisset; & hæresi Apollinaris infectus esset: cùm enim Cyrillus unam Christi Personam assereret, Ibas unam naturam intelligebat, videtúrque totum hoc certamen cum Cyrillo inde proveniisse, quòd Ibas socijque Personam & naturam confunderent, & cùm à Cyrillo unam Personam audirent, ipsi unam naturam intelligerent; & ideò, (ut in eadem Ibæ epistola legitur) nec Joannes Antiochenus priùs Cyrillo reconciliari voluit, quàm istas propositiones damnaret, videlicet: *Divinitas passa est*: &, *Una est natura Divinitatis & Humanitatis*. Cùm ergò, ut dixi, Joannes Antiochenus, & Cyrillus Alexandrinus dextras junxissent, unáque Nestorium damnâssent; Ibas, qui erranti Patriarchæ comes fuerat, pœnitentem quóque secutus est, pacatúsque Cyrillo vires & calamum in Nestorium vertit, & ideò ad calcem epistolæ, quam ad Maryn dedit, gratulatur reductam pacem, extincta odia, sedatam Ecclesiæ tempestatem, duósque Patriarchas belli quondam ductores, nunc mutuâ charitate, eâdémque fide compositos. Quibus verbis se quóque Ibas significabat cum Cyrillo communicare, eandémque fidem complecti, nec aliud in Cyrillo aliquando damnâsse, quàm quòd videretur unicam in Christo natu-

ram profiteri; nota enim epistolam (a) Ibæ hæc capita complecti. 1. Criminatur Cyrillum, quòd diceret, *Unam esse naturam Divinitatis & Humanitatis, nec esse differentiam inter Templum & inhabitantem in eo*, quòdq; odio, malisque artibus effecerit, ut Nestorius deponeretur. 2. Multis laudibus Theodorum Mopsvvestenum effert, ejúsque Zelum in profligandis hæreticis commemorat, vocátque beatum, & veritatis Prædicatorem. 3. Denique Pacem inter Joannem Antiochenum & Cyrillum commemorat, sibique redditâ Ecclesijs pace, sublatisque dissidijs gratulatur, innuítque eandem sibi & Cyrillo, ac Joanni Antiocheno fidem esse, sicque Catholicum se ostendit, & Nestorio adversum, quod etiam illis verbis apertissimè declarat: *Ecclesia*, inquiens, *sic dicit, sicut tua Religiositas novit, & à principio est edocta, atque firmata ex liberis Beatissimorum Patrum, duæ naturæ, una virtus, una Persona, quòd est unus Filius Dominus noster, &c.* Græcè: (b) Δύο φύσις, μία δύναμις, ἓν πρόσωπον. Quæ doctrina, ut palàm est, Nestorianæ omninò est opposita, & hæc causa fuit, ut Ibas bis hæresis Nestorianæ postulatus, bis in solemnibus Episcoporum Conventibus culpæ expers, innocénsque declaratus sit, Beryti videlicet & Tyri: (c) nec Mireris Theodori libros ab Iba laudari; eo enim tempore necdum satis de Theodori scriptis constabat, alijs eos execrantibus, alijs verò laudantibus, & blasphemias, quæ in ijs legebantur, non Theodoro adscribentibus, sed alijs, qui ejus scripta corruperunt: eâdem ferè ratione, quâ olim multi Patrum Origenem defenderunt, & nostrâ quoque ætate multi Jansenium. Quæ causa fuit, ut non à solo Iba, sed etiam ab alijs laudatus sit Theodorus, ejúsque scripta, tanquam veritati ac fidei Catholicæ consentanea, videlicet à Joanne Patriarcha Antiocheno (d) postquam in sinum Ecclesiæ redierat; & Theodereto in Dialogis adversùs Eutychetem. Mirum ergo non est, Ibam Tyri & Beryti omnium Episcoporum judicio Nestorianismi, cujus postulabatur, absolutum esse, quod anno Christi 448. contigit: cúmque in ijsdem Tyrio & Berytensi Conventibus maximè epistolam Ibæ ad Marim urgerent adversarij, tantum abest eum hæresis convictum esse, ut potiùs Patres

(a) Epistola Ibæ habetur in actis Conc. Chalced. act. 10. (b) V. Baron. & Spondan. ad Annum 458. (c) Joann. Antioch. epist. ad Theodos. & ad Cyrill. & ad Procl. Constantinopolit. Theodoret. in dialog. Eranistæ; & epist. 16. ad Ire-

Patres ejusdem epistolæ argumento Ibam Orthodoxum & innocentem pronuntiârint; ut habetur in Actis & subscriptionibus Concilij Chalcedonensis *actione decimâ:* imò quod majus, idem Concilium Chalcedonense lectâ, auditáque Ibæ epistolâ ad Marim pronuntiavit, apparere ex eadem epistola, Ibam Orthodoxum esse, verba Patrum & sententiæ hæc sunt: *Paschasinus & Lucentius tenentes locum Sedis Apostolicæ dixerunt: Relectis chartis agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum* (qui videlicet Tyri & Berithi convenerunt) *Ibam Reverendissimum innocentem approbari; relectâ enim ejus epistolâ agnovimus eum esse Orthodoxum: & ob hoc decernimus, & honorem Episcopatûs, & Ecclesiam ei esse restituendam.* Hæc Patrum Chalcedonensium sententia fuit de Ibæ epistola; ubi tamen observa, non dicere Patres, epistolam Ibæ orthodoxam esse (nam ob immodicas Theodori laudes, damnatúmque hæresis Cyrillum in suspicionem vocari poterat) sed ex illa Ibam orthodoxum probari; cùm enim ad calcem epistolæ Cyrilli fidem comprobaret, gauderétque Joannem Antiochenum cum illo communicâsse, pacémque inijsse, sibíque propterea ac toti Ecclesiæ gratularetur; apertè ostendebat, se quóque cum Cyrillo consentire, sicque Orthodoxum esse, & Nestorio adversum; sicut enim cùm Ariana hæresis Ecclesiam in duas partes scinderet, séque occultissimis artificijs abderet, nec satis hæretici à Catholicis distingui possent, quippe laruatâ fictáque facie; certissimum veritatis indicium erat, cum Athanasio communicare; ita peste Nestorianâ grassante, nullum certius argumentum sanæ intactæque Religionis, quàm Cyrillo adhærere, quod, cùm in sua epistola Ibas profiteretur, mirum non est, à Concilio Chalcedonensi pro Catholico receptum esse. Hanc rationem Eunomius Episcopus Nicomediæ attigit, quandò *actione 10.* Concilij Chalcedonensis Ibam absolvit: *Jam*, inquiens, *ex ijs, quæ relecta sunt, innoxius approbatus est Ibas Reverendissimus, in quibus enim dicendo malè culpare visus est Beatissimum Cyrillum, in postremis rectè confessus, illa, in quibus culpavit, refutavit.* Manifestum ergo est, quamvis epistola Ibæ hæresin redoleret, quia tamen circa finem epistolæ cum Cyrillo communicare se profitebatur, & Nestorium damnabat, ideò à Patribus Concilij Chalcedonensis pronuntiatum est: *Ibam ex epistola ad Marim data Orthodoxum apparere.* Et sic quidem habuit causa Ibæ Episcopi Edesseni in Concilio Chalcedonensi

agitata; non omittam tamen, etiam illud dicere, sanctos Gregorium M. (a) & Epiphanium conari, ut ostendant, eam epistolam Ibæ non fuisse; sed obstant acta Tyrij, Berithensis, & Chalcedonensis Conciliorum, ex quibus liquidò patet, Ibam eam epistolam pro sua agnovisse. In eadem quóque Chalcedonensi Synodo Theodoretus Episcopus Cyri *actione 8.* absolutus est, ac sedi suæ, cùm Nestorium detestatus esset, restitutus. Hic monasticam vitam amplexus Cyri Episcopus renuntiatus est, immensósque labores pro fide Catholica, contra Gentiles, & hæreticos suscepit; sed postea Theodori Mopsvesteni & Nestorij amicitiâ (quorum immensis laudibus omnes libros implebat) adeò fœdatus est, ut eodem morbo infectus videretur, præsertim ubi contra Cyrillum, quem Catholici omnes ut arcem veræ Religionis venerabantur, calamum strinxit; eadem quippe fidei & Cyrilli causa videbatur, ut qui hunc impeteret, illam quóque aggressus putaretur: sed tandem detectâ veritate, observatisque Nestorij & Theodori erroribus, præsertim cùm obstinatos eos vidit, pedem à præcipitio, cui impendebat, retraxit, subscripsítque Leonis epistolæ, quæ pro tessera colebatur sacræ militiæ; & ab eo vicissim in communionem & amicitiam receptus est; nam tanti Doctoris accessu partes Catholicorum augeri lætabatur, & ob has quóque causas Concilio Chalcedonensi Theodoretus pro Catholico habitus est. Audi acta Chalcedonensia, *actione 8. Residentibus omnibus ante cancellos sanctissimi altaris, Reverendissimi Episcopi dixerunt: Theodoretus modò anathematizet Nestorium. Theodoretus dixit: Ego per DEI gratiam ab Orthodoxis sum enutritus, & Orthodoxè sum edoctus, & Orthodoxè prædicavi, & non solùm Nestorium & Eutychen, sed omnem hominem, qui rectè non sapit, aversor, & alienum existimo: & dum diceret hæc, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: clarè dic anathema Nestorio & dogmatibus ejus: anathema Nestorio & amantibus eum. Theodoretus dixit: verè non dico, nisi quomodo novi DEO placere; neque de Civitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adveni. Nestorium & Eutychen, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, anathematizo; & cùm diceret, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: dic apertè anathema Nestorio, & qui ea, quæ ejus sunt, sapiunt. Theodoretus dixit: Anathema Nestorio, & ei, qui non dicit DEI genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium DEI unigenitum. Omnes Episcopi clama-*

(a) S. Gregor. l. 7. epist. 53. & Epiphan. Act. 6. Concil. Nic. II.

clamaverunt: Theodoretus dignus est sede: Ecclesia Orthodoxum, Ecclesia Pastorem recipiat. Paschasinus & Lucentius habentes locum Apostolicæ Sedis dixerunt: Sanctissimum & venerabilem Episcopum Theodoretum Sanctissimus & Beatissimus Universæ Ecclesiæ Episcopus Urbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit. Quoniam igitur Nestorium & Eutychen anathematizavit, Sanctissima & Venerandissima Synodus, insuper verò & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam propriam definivit. Vides ergo in hoc Concilio Oecumenico Theodoretum & pro Orthodoxo acclamatum esse, & pro digno, cui sedes redderetur. Hæc sunt ergo tria Concilij Chalcedonensis decantata Capitula, & ex quibus invidiâ Eutychianorum Concilio Chalcedonensi adversantium tot posteà discordiæ & malorum series deductæ sunt. Absolutio videlicet Ibæ, Theodoreti & Theodori Mopswesteni, quamvis enim de hoc ultimo nihil Concilium deciderit; hoc ipsum tamen silentium, & quòd Ibam ac Theodoretum perpetuos ac indefessos Theodori laudatores Concilium recepisset, vitio vertebatur, quasi Nestorio faveret, quamvis ut vidimus, & Nestorium Patres execrarentur, ejúsque causam redderent debiliorem, præcipuis ejusdem defensoribus in veraReligionis castra translatis: nec enim favere hosti dicendus est, qui eum ducibus ac militibus privat, suisque eos partibus clementiâ & præmijs adstrinxit: id fecit Concilium.

VI. Anno DXXXVIII. Hoc est octoginta septem annis post Concilium Chalcedonense de tribus capitulis mota contentio, priùs ne cogitatum quidem, ut aliquid turbaretur. Res ita evenit. Missus fuerat in Orientem ab Agapito Pontifice Pelagius, ut Romanæ sedis legatione fungeretur; is è Palæstina reversus (ubi Episcopum Alexandrinum patratæ cædis reum gradu dejecerat.) Monachorum agmen secum duxerat Origeni infensum: ingentem texuerant errorum catalogum, quibus suos libros insperserat, urgebántque istos simul cum Auctore damnari: *Quandiu enim Origenis nomen in Ecclesia vigeret, istius errores deleri ex animis non posse Auctoris reverentiâ; nec persuaderi hominibus, ut cùm coli arborem, amarique videant, fructus tamen aversentur; istos verò sponte collapsuros arbore truncatâ.* Hæc Monachi nec sine assensu in aula repetebant, Pelagij præsertim, & Justiniani Imperatoris; Pelagij quidem, quòd liti tanto tempore, tantóque animorum æstu inter Catholicos agitatæ finem

imponi cuperet. Imperatoris verò, quòd innato quodam fatalíque impetu rebus sacris se implicaret, amarétque inter Infulas spectari: ergò unius ardor, & alterius ostentatio bellum in Originem accendit. Indictum Constantinopoli Concilium, in eóque damnatus cum erroribus Origenes: & quamvis Paschasius & Mennas Episcopus Constantinopolitanus judices sedissent, diploma tamen, quod sententiam & errores complectebatur, Imperatoris nomine expeditum, sive id genio Imperatoris datum, sive ut adversarios percellerent, sceptrum magis quàm pedũ vereri solitos. Agebat in aula Theodorus Cæsareæ Archiepiscopus, florebátque Principis gratiâ; sed Origeni & Eutychianis planè addictus, occulto tamen celatóque veneno, & in occasiones prompto. Is damnatum Origenem acerbè indoluit, credebátque à Pelagio non tàm cineribus Origenis, quàm sibi illusum, hinc ardor vindicandi; útque securior esset certiórque vindicta, pressus intra animum dolor, nec vultu proditus. Ubi opportunitas fuit, Principi ostendit, perire Ecclesiam Eutychianorum & Acephalorum discordijs: & tamen finiri contentiones posse facili obvióque remedio: si Concilium Chalcedonense omnes recipiant, nihil amplius dissidij fore: ut verò recipiant, illud unum obstare, quòd Theodorum Mopsvvestenum, & Theodoretum, præcipuè verò Ibæ epistolam Patres comprobássent: istos vetò Nestorio apertè favere, sicque Nestorium quóque ejúsque sententias visas à Concilio comprobari, cùm illos admisissent: hoc Catholicos Nestorio ut par erat adversos offendi, hoc unum morari, ne Concilium pacémque admittant: si ergò tria illa Capitula damnentur, & Concilium admissum, & pacem redditum iri, nullo impendio: litandum esse omnium paci bonóque, paucis mortuorum cineribus, idque ipsum Ibam, sociósque si viverent optaturos, gloriam verò redditæ pacis penes Imperatorem fore. Hæc Theodorus obtentu Religionis: sed vindicta quærebatur: prævidebat enim Pelagium sociósque, ut termini monerentur à Concilio & Patribus fixi, nunquam assensuros; hinc illis cum Principe bellum, & ex bello offensam; aut si assentirent, semel Concilij Chalcedonensis eversâ deletâque aliquâ parte, facilè totum impugnari, aut in dubium vocari posse, id verò Eutychianis saluti fore. Hæc Theodori sensa, sed Principi abstrusa. Is

oratione

oratione permotus, & Theodoræ Conjugis, quàm deperibat, blanditijs edictum proponit, quo tria Capitula damnabantur. Ingens inter Catholicos accensum certamen, quòd negarent convelli posse à Concilio statuta; eadémque Vigilij Romani Pontificis sententia erat: cúmque adverteret Imperator, in hujus exemplum omnium oculos defigi, & eò inclinaturam victoriam, ubi Vigilius esset, Constantinopolim eum accersit, excipítque obviàm progressus. Omni ergò arte laboratum, ut hanc arcem everterent: præmia minis conjuncta: spes metúsque temperati: & quod omnia vincebat, Imperatricis preces lachrymæque ac promissorum exactio: promiserat enim Vigilius, si Pontificatum ab Imperatrice obtineret, se tribus Capitulis abnuntiaturum; quid ergò negaret & fæminæ, & Augustæ, & Benefactrici? maximè cùm preces, ut dixi, lacrymis, minísque armarentur. Nec minùs se Vigilius in omnem partem vertebat suspensus pendénsque animi, cui inter tot contrarios ventos vela laxaret; quippe damnatis tribus Capitulis Concilium quoque Chalcedonense damnari videbatur, immensâ eorum indignatione, præsertim Occidentalium, qui nihil demi Concilio permittebant. Obsisteret verò Imperatoribus? plenum hoc discriminis, damníque: decrevit ergò mediâ incedere, quod plerúmque in ambiguis solet. Primò liberum cuique edixit, ut in hac re pro arbitrio sentirent, scriberéntque, donec Concilium definiret; nec enim de rebus fidei quæstionem: nec Ibas Catholicus aut hæreticus sit, ad fidei articulos pertinere, libertatem ergò opinandi esse. Deinde in gratiam Imperatoris, à quo continuò pulsabatur, libellum concipit, quem tamen occultum voluit, secretúmque, quo tria Capitula arguebat. Sed Libello vulgato, offensísque Occidentalibus apertè se Orientalium sententijs adjungit, ut istos saltem lucraretur, quippe numero & potentiâ majores. Adversati indignatíque Occidentales, quòd crederent unam eandémque esse Capitulorum & Concilij causam; & Vigilius Schisma veritus, indicto Episcoporum, qui aderant, Concilio silentium partibus indicit, exorátque Imperatorem, ut in proximum ac universale Concilium suspendi edictum velit: annuítq; Augustus. Interim Vigilius Theodorum hæresis compertum, & Episcopum Cæsareæ Augusto prædilectum, sed Shismatis auctorem Ecclesiâ sacrísq; interdicit;

cit; quo uno ostendit in negotio trium Capitulorum non animum sibi, nec constantiam, sed causam defuisse: quódq; jam in hanc jam in aliam partem flecteret, non timori aut gratiæ, sed concordiæ datum, nec parcum se ferri, cùm morbus & necessitas poscerent. Augustus interim moræ impatiens, & præsertim agitante Theodorâ, contra quàm pactus esset, & frustra obluctante Vigilio, Edictum palàm proponit, jubétque Episcopos, qui subscribere morarentur, in carceres & exilia rapi: ipse Vigilius, cùm micantes jam gladios & catenas videret, Thessalonicam & ad aras confugit, vulneribus in faciem acceptis. Sed cùm terræ motibus, hiatibus, marísque inundatione ac incursibus Barbarorum Imperium concideret, Imperator & Menna Patriarcha malis fessi, devictíque, veniam sacrilegij petere, & Edicta aufferri jussa. Hæc ab anno 547. usque in annum 552. peracta.

VII. Tandem Anno DLIII. Concilium Oecumenicum Constantinopoli habitum, in quo de Origenis, Nestorij, & Eutychetis erroribus actum, quos variè obtegebant, præsertim verò de tribus Capitulis: causabantur enim Eutychiani, se propter tria Capitula Synodum Chalcedonensem amplecti non posse, quòd Nestorio faverent, & isti *Hæsitantij* appellabantur, aut etiam Acephali. Missa ad Vigilium ornatissima Legatio 20. videlicet Metropolitanorum Antistitum, inter quos tres Patriarchæ: ubi vides, quanti etiam ab hostibus Romanum fastigium æstimaretur, nam cùm Patriarcha aliquis evocandus, tres solùm mittebantur. Repetita dein Legatio additíque præcipui Magistratus, & ipse Bellisarius armorum Dux, rogabántque Vigilium, ut Synodo adesse vellet. Ille primùm inducias petere, tum morbum causari, & absentiam Occidentalium Episcoporum, qui præcipuè edicto Imperatoris turbabantur: ac tandem, quid de tribus Capitulis sentiret, scripta editurum. Et planè nolebat Vigilius Synodum in Græcia, sed in Sicilia convenire, ut videlicet Occidentales Episcopi adesse possent, & vota liberè conferri; sed id ipsum Augustus verebatur, prævidebátque se numero victum iri, si Occidens conflueret: ergò nec alijs, nec Pontifice expectatis initium Synodo fieri voluit. Illyrici Antistites adesse recusârunt: Primasius Adrumeti in Africa Metropolitanus, cùm ad Synodum vocaretur, intre-

intrepidè respondit: *Papâ non præsente non venio.* Alij qui ex Africa & Italia aderant, paucique Orientis Episcopi Vigilio adhæsêre, ut ex eorum subscriptionibus patet. Tres primæ collationes mittendis Legationibus, legendæque fidei professioni insumptæ. In quarta recitatæ sunt Theodori Mopswesteni blasphemiæ, & in illas à Patribus conclamatum. In quinta, quæ Patres adversus Theodorum scripserant, quæque Theodoretus in Cyrillum, producta: addita Patrum exempla & sententiæ, quibus etiam defunctos damnari posse probatum est. Acceptum etiam auditúmque Vigilij Constitutum, quo fortiter prolixéque pro tribus Capitulis desudabat. Rationes Vigilij ad hæc capita reducebantur: *Quæ Concilium Chalcedonense statuisset, nullâ ratione, nullóque obtentu subverti debere; alioquin unâ Concilij parte oppugnatâ, totum infringi, ac dubium reddi; nec enim ostendi posse, cur in uno potiùs, quàm in alio errare potuerint Patres: Triumphaturum Eutychen, sociósque, Concilio semel impulso eversóque, nec majorem illis evenire posse victoriam, quàm ut suspectum videant damnatúmque tribunal, in quo ipsi causâ cecíderint. Jam ferè sæculum fluxisse, quo tribus Capitulis nemo litem intenderit, quid ergo causæ esse, ut novo nec necessario bello Ecclesia collidatur? cur modò improbentur tot jam annis probata? Nestorianam hæresin tàm clarè enixéque in Concilio Chalcedonensi damnatam esse, támque repetitis vicibus, ut venire in mentem nemini possit, eam tribus illis Capitulis aut assertam, aut admissam esse, nec Chalcedonensibus Patribus tàm parùm lucis adfuisse, nec Ecclesiam tam vecordem, inertémque, ut tot annorum cursu aut statueret, aut permitteret, quæ Religionem fidémque minuerent. Ut Theodoretus & Ibas damnentur, nihil ad fidem pertinere; hanc enim de rebus, non Personis esse; quid ergò interfit Theodoreto Ibæq; parci, si modò quæ illi docuerunt, constet & ab illis revocata, & ab Ecclesia Concilióque proscripta? id semper in Ecclesia receptum esse, ut pœnitentes in sinum reciperet; apertísque amoris & Clementiæ ostijs aditum ostenderet reverti volentibus; alioquin nullum errori remedium & finem fore, si crederetur, ignosci non posse. Ignovisse Ecclesiam vivis, nec culpæ securis; cur in mortuos sæviretur, nec amplius offensuros? Quod si leges Canonésque prohibeant, absentem aliquem indefensúmque damnari; quantò magis emortuum, & in publica Synodo absolutum? falli Patres si crederent, hâc in mortuos sententiâ pacem redituram; imò novum bellum incendi, novúmque hæresi triumphum parari; Occidentis Antistites nunquàm Chalcedonensibus illudi passuros; istos ergò pernitioso Schismate involvi, reddíq; Patribus, qui Constantinopolim pervenerint, infensos,*

aversósque, & quam isti sententiam in tria Capitula protulerint, illos planè rejecturos; quanto hoc Synodi dedecore, quantóque damno? Hæreticis id lucri accedere, ut cùm duas Synodos adversis Decretis pugnantes videant, utrámque pari ludibrio habeant; hunc ergò fructum Concilio fore, ut nulla Concilijs reverentia, fidésque habeatur. Hoc Hæreticos cupere. Hæc Vigilij sensa & rationes erant in Constituto expressa; sed cohiberi torrens non potuit, quin Ibas ejúsque epistola ad Marin damnaretur, quod factum Actione sextâ, repetito in Nestorium & Mopsvvestenum anathemate. Septimâ collatione plures Vigilij litteræ in Synodo lectæ, quibus tria Capitula damnâsse videbatur. Octavâ tandem in tria Capitula pronuntiatum: sic habuit Synodus Constantinopolitana; secutæ persecutiones, proscriptiones, exilia Episcoporum, qui nollent tria Capitula damnare: nec Vigilio pepercêre, ad carceres & exilium rapto cum Clericorum manu, qui ei adhærebant. Inter ipsos Catholicos ingens discordia, quàm plurimis tria Capitula damnare recusantibus, quod posteà dicemus. Redijt tandem ab Exilio Vigilius, ac in Sicilia morbis, ærumnísque consumptus vitam finivit. Testantur quàm plurimi, Vigilium (a) tandem Concilio subscripsisse, idque ne videretur Nestorio & præsertim Origeni favere, cujus errores paulatim Orientem occupabant; maluit ergò majori morbo occurrere, & impendens naufragium breui, vilíque jacturâ redimere: quæ causa fuit Pelagio & Gregorio Magno Pontificibus, ut hoc quóque Concilium curarent recipi, quod tandem magnis laboribus effecêre, cùm palàm ostendissent, in rebus ad fidem spectantibus nihil à quinta Synodo definitum, quod Decretis Chalcedonensibus adversaretur, id enim præcipuè omnium ferè animis insederat, quod ubi docti sunt, manus tandem communi paci dedêre; hoc enim sancti illi Pontifices observârunt, ut cùm certamen de fide non esset, aliquid darent optatæ Concordiæ, cederéntque Græcis genti superbæ, ac vinci dedignantibus, & flecti nescijs.

VIII. Ex hac historica narratione multa deducere licet memoratu digna, & quæ facilè nubes discutiant ex narratione Maimburgi offusas. *Primò* certum est causam trium Capitulorum nihil ad fidem spectâsse: errores enim Theodori, Theodoreti Ibæque omnes Catho-

(a) Vigilium quintæ Synodo subscripsisse testes sunt Evagr. lib. 4. c. 38. Niceph. lib. 17. c. 27. & 28. alijque. V. Reg. Sacerd. fol. 320.

Catholici æquè deteſtabantur: lis tantùm de Perſonis erat: hæc quæſtio facti erat; nec enim ſequitur, ut qui hæreſin docuit, continuò ſit hæreticus, mens enim & pertinacia hæreticum, non calamus facit; & ſæpè ignorantiâ delinquitur, præſertim cùm illi errores abjurâſſent, & in Leonis ſententiam ac ſcripta flexiſſent, idque S. Gregorius (a) multis locis teſtatur, ſalvâ videlicet fide de tribus Capitulis certatum eſſe: *De illa*, inquit, *Synodo, quæ Conſtantinopoli facta eſt, quæ à multis quinta vocatur, ſcire vos volo, quòd in ea de Perſonis tantummodò, non autem de fide aliquid geſtum eſt, & de Perſonis, de quibus in Chalcedonenſi Concilio nihil continetur. Et l. 3. epiſt. 2. Poſtquàm talis ſciſſura pro nulla re facta eſt, juſtum fuit, ut Sedes Apoſtolica curam gerat.* Et Pelagius II. *epiſt. 2. ad Eliam*, vocat *quæſtionem ſuperfluam.* Docuitque idipſum experientia; quamvis enim abſoluto Concilio ejuſdem canones ab omnibus recepti ſint, cùm nihil aliud repeterent, quàm Epheſini & Chalcedonenſis Conciliorum Decreta; in ijs tamen, quæ ad tria Capitula ſpectant, totus ferè Occidens obluctatus eſt, collectíſque Concilijs defenſio trium Capitulorum ſuſcepta, nec propterea quiſquam hæreſis accuſatus eſt: quippe perſuaſum habebant, majorem eſſe Vigilij quàm Concilij auctoritatem; quamvis enim Vigilius, cùm adhuc animi penderet, in privatis quibuſdam Epiſtolis adversùs tria Capitula ſcripſiſſet, nunquam tamen rem definivit tulitque ſententiam, niſi eo diplomate, quod Conſtitutum appellavit, Synodóque exhibuit, & hoc ſolo tanquàm Pontificiâ auctoritate edito Occidentales contra Synodi Decreta nitebantur. Victor ergò & Facundus Hermianenſis poſt Concilium Conſtantinopolitanum Africani Epiſcopi pro tribus Capitulis diſſertiſſimè ſcripſerunt, & ideò ad pœnas (b) quæſiti. Africa, Illyrium, Hybernia, & totus ferè Occidens fatente etiam Maimburgo cauſam trium Capitulorum contra quintam Synodum amplexus, idémque in Concilio Aquilejenſi definitum: nec aliâ iſti ratione ducebantur, quàm quòd crederent, doctrinam quintæ Synodi, quâ parte de tribus Capitulis agit, ſententiæ Pontificis Romani adverſari, ſicque hujus potiùs auctoritati, quàm Synodo deferendum eſſe; nec ullis artibus aut pœnis, nec millies objectâ Concilij auctoritate priùs moveri potuerunt,

(a) S. Gregorius lib. 3. epiſt. 37. (b) Maimb. Hiſtor. du Pontif. de S. Greg. lib. 1. fol. 37. & fol. 34.

tuerunt, ut tria Capitula damnarent, quàm edocti à summis Pontificibus, hanc ipsam esse Romanæ Sedis sententiam tempori ac concordiæ cedentis, præsertim cùm quæstio de fide non esset; palàm ergo est, Omnes Episcopos Occidentis, ac etiam Gallicanam Ecclesiam ejus sententiæ tum temporis fuisse, ut crederent nullam esse Synodo auctoritatem à Romanis Pontificibus improbatæ, & istorum Decreta omni Synodo potiora esse: alioquin si id non crederent, cur Pontifici potiùs quàm Synodo adhærerent? cur improbarent, repellerentque Synodi Decreta, collectisque Episcoporum Concilijs, ac libris dissertissimè scriptis ea impugnarent, nec pœnis, nec exilijs, nec aliâ quâvis ratione ad ea recipienda moveri prius possent, nisi à Romanis Pontificibus jussi? jubet Synodus, non audiunt: jubet Pontifex, obtemperant; cujus ergo auctoritatem majoris ducunt? illius, quem respuunt, an cujus admittunt? sed ne quid ex nostro præter verum finxisse videamur, audiendus Gregorius in epistola, quam adhuc Diaconus nomine Pelagij Pontificis ad Universos Istriæ Episcopos scripsit, & habetur tomo 2. Conciliorum p. 2. inter fragmenta Concilij Constantinopolitani. *Rursum*, inquit, *per epistolam vestram dicitur à sede Apostolica vos doctos, atque à scrinio sanctæ Ecclesiæ, cui DEO auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei consentire debeatis. Atque hanc opitulationem excusationi Vestræ adjungitis, quòd in causa principio & Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum Provinciarum Principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt.* Et Beda l. de 6. ætatib. *Synodum Aquilejæ factam ob imperitiam fidei quintum Universale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus B. Papæ Sergij monitis instructa & ipsa huic cum cæteris Ecclesijs annuere consentit.* Et Platina in vita Sergij: *Ecclesiam Aquilejensem quintam Synodum non omninò approbantem ad sanitatem doctrinâ & auctoritate suâ tandem perduxit.* Plus ergo Patres & Ecclesia Aquilejensis Sergio Pontifici, quàm quintæ Synodo deferendum censuit. Quòd si Pelagius, Gregorius, Sergius, alijque Pontifices perrexissent quintæ Synodo obniti, eámque improbâssent, certissimum est, eam toto Occidente nunquam acceptam fore, cùm vix tandem, & post longum certamen Pontificum auctoritate victum sit, ut reciperetur: plus ergo istis reverentiæ & submissionis quàm Concilio datum; hoc enim quamvis centum septuaginta quinque Episcoporum votis, ac Principis Majestate, ac præterea sævissimis legibus

legibus, ac longâ perſecutione armatum, nunquam tamen evicit, ut ei Occidentales ſubſcriberent; ſoli ergo Vaticano gloria confectæ pacis impetratíque obſequij ſervabatur. Poſtquam verò reliquæ Eccleſiæ Occidentis causâ vitandi ſchiſmatis, exemplóque Pontificum ceſſerant; meritò S. Gregorius & Pelagius querebantur paucas illas reliquias, in re, ut loquitur idem Gregorius, *nullius momenti, meréque ſuperflua, nec fidei connexa,* opinionem ſuam paci & charitati præferre, & ab aliarum Eccleſiarum ſocietate disjungi: quis enim Ibas & Theodoretus, ut iſtorum causâ perire Unitatem, pacémque vellent? præſertim cùm ex ſenſu verbíſque quintæ Synodi conditionata ſolùm eſſet eorum damnatio, *ſi videlicet erroribus immortui eſſent*; conſtabat verò immortuos non eſſe, imò errores execratos: quid ergo damni ſi Græcorum pertinaciæ communíque concordiæ mortuos damnarent, innoxiâ ſententiâ nec obfuturâ? tàm magna victoria tam parvi ſtabat!

Dices ex illa ipſa alijſque Gregorij Epiſtolis apparet, creditum à pleríſque fuiſſe, Pelagium & Gregorium alióſque Romanos Pontifices contra Concilij Chalcedonenſis decreta ſentire, & ideò tanto tempore morati ſunt, obluctatíque, ut tria Capitula damnarent: credebant ergo Pontifices errare poſſe, ſicut planè errâſſe Vigilium oportuit, qui non privatis tantùm Epiſtolis, ſed ſolemni ac Pontificio diplomate, quod *Judicatum* vocabant, in tria Capitula pronuntiavit: poſteà alio, parique auctoritate, quod *Conſtitutum* dicebant, eadem Capitula prolixè ſuſtinuit, vetuítque damnari. Ac tandem ſexto, poſtquam exulavit, menſe Pontificiâ Decretali tria iterùm Capitula obliterata voluit, addidítque hæc verba: *Quæ verò aut à me, aut ab alijs ad defenſionem prædictorum trium Capitulorum facta ſunt, præſentis hujus ſcripti noſtri definitione evacuamus.* Oportet ergo inter tot ſibíque adverſas Vigilij ſententias aliquam falſo laborare; falli ergo Pontifices poſſunt.

Reſp. Jam ſuprà monui, quæſtionem de tribus Capitulis citra fidem ſtetiſſe, imò à S. Gregorio & Pelagio *nullius momenti & ſuperfluam* vocatam eſſe; inhujuſmodi autem falli Pontifices poſſe ultro fatemur: quamquam nec Vigilius, aut alij errabant, cùm pro varijs temporum hominúmque circumſtantijs nunc damnari tria Capitula, nunc ſuſtineri volebant. Cùm timor erat, ne illis damnatis

natis Capitulis damnari quóque Synodus Chalcedonensis videretur (id quod optabant Eutychiani) aut saltem in dubium vocari, frementibus Occidentis Episcopis, ac Schisma minantibus, nisi absisteretur: credidit Vigilius abstinendum novis esse, antiquísque vestigijs inhærendum, quod in suo Constituto prolixè demonstravit. Ubi verò exadversò prævidit multò plus periculi ab Orientalibus, nisi Capitula damnarentur, instare; omnibus videlicet in eam sententiam ruentibus, ipsóque Imperatore tanto ardore agmen ducente; præsertim cùm Nestoriani ea Capitula suis erroribus prætexerent, multísque Theodoreti & Ibæ auctoritate imponerent, videréntque sub istorum nominibus à Concilio admissis venena quóque animis illabi, majórque multò spes alluceret Occidentalium animos placandi, permovendíque, quàm Græcorum, qui innatam pertinaciam duplici auctoritate Principis videlicet Synodíque obfirmabant. Ex his, inquam, alijsque rationibus, utque glisceuti Schismati, & ingens incendium promittenti fomenta subducerentur, permotus est Vigilius, alijque post eum Pontifices, consilia sæpiùs, non finem mutare: neque hoc inconstantis, aut errantis fuit, quippe eâdem semper navigatione, & eundem portum spectante, quamvis contrarijs ventis, & ex adverso flantibus; & Medici remedia vertunt mutantibus morbis; nec alternatio errori, sed arti adscribitur; imò is error esset, nolle consilia temporibus aptare, eodémque vestitu gaudij, luctûsque diebus incedere. Prudentis ergò fuit consilijs non obstinari, affigíque, sed ut res ferret, in diversa transire, & locum necessitati dare: alioquin si error is fuisset, sequeretur etiam Concilia Oecumenica errori esse obnoxia; nam & Synodus Chalcedonensis sententiam pro tribus Capitulis tulit, quam posteà Synodus Constantinopolitana mutatis causis correxit; sic B. Paulus, qui in circumcisionem tàm acriter invectus aliquandò fuit, eam posteà Timotheo adhibuit, ne Judæos offenderet; quam cùm videret Gentilibus fastidio & scandalo esse, obliterari iterùm voluit, Petro vehementer objurgato: hoc ergò Vigilius fecit alijque Pontifices; nam quòd timiditas Vigilio opponebatur perinde ac si in Augusti sententiam metu, non ratione flexisset, res ipsa Vigilium & eventus purgârunt; eodem enim tempore, quo inter Papam

pam & Augustum Iis ista fervebat, Theodorum Episcopum Cæsareæ, Mennámque Patriarcham Imperatori prædilectos, ipsámque Augustam hæresis compertam Vigilius Ecclesiâ sacrísque exclusit; non hæc timentis erant, sed intrepidi, invictíque, & ipsum Imperatorem in chariſſimis Capitibus provocantis: quis ergò dubitet non eadem ausurum in causa Capitulorum, si eadem necessitas foret severitatem exerendi? sed aptior clementia videbatur, & hæc tandem finem certamini dedit. *Secundò* Illud quoque diligenter observandum, Concilium hoc quintum non potuisse priùs pro Oecumenico haberi, quàm confirmatum â Vigilio, aut alijs Pontificibus fuerit: & ideò cùm Vigilius, quod tria Capitula spectat, confirmare illud renuerit; sequitur nihil momenti aut virium fuisse: hinc Patres tanto conatu egerunt, ut ei Vigilius interesset; audi istius epistolam ad Synodum: (a) *Popoſcit Vestra Fraternitas, ut nobis præsidentibus de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, conferatur, & finis quæstioni ipsi DEO placitus, & convenienter ijs, quæ à quatuor sanctis Concilijs definita sunt, imponatur: quibus ita dictis postulationibus annuimus, ut de tribus Capitulis facto Regulari Conventu, servatâ æquitate, & medijs SS. Evangelijs Collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus DEO.* Collatione quoque VII. ejusdem quintæ Synodi multæ Vigilij epistolæ recitatæ sunt, quibus ostendere conabantur, Vigilium tribus Capitulis adversatum esse, nec aliud eâ sessione actum, & tandem collatione 8. ante sententiam definitivam præfati hæc sunt: *Quia contigit Vigilium Religiosissimum omnibus interesse, quæ in tribus Capitulis annotata sunt, & tàm in scriptis, quàm sine scriptis in Concilio convenire &c.* Imò ipse Mennas Patriarcha Constantinopolitanus, teste Facundo (b) Africæ Episcopo, nunquàm Justiniani edicto contra tria Capitula assentiri voluit, nisi juramento accepto, nullam fore subscriptionem, si Pontifex reclamâsset: agnoscebant ergò Patres Concilij necessariam esse Pontificis confirmationem & assensum, pro quo ostentando tàm enixè laborabant; quæ Confirmatio, dum abfuit, persuaderi Occidentalibus non potuit, ut Concilium reciperent; sed nemo luculentiùs hujus necessitatem, ut B. Gregorius Magnus in suis epistolis ad Episcopos Istriæ Illyricíq; in causa Capitulorum scriptis ostendit; citat enim laudátque multa Leonis Magni testimonia,

(a) Epistola Vigilij 8. inter epist. PP. (b) Facund. pro Defens. c. 2. & 4.

monia, qui canonem 28. Concilij Chalcedonensis Patriarchæ Constantinopolitano secundas deferentis aboleri voluit, nulliúsque momenti esse, quippe invitâ Romanâ sede conceptum, editúmque; Romanam enim sedem tantùm ea confirmâsse, quæ sunt fidei, non verò, quæ pertinent ad Personas, & ideò quæ à Romana sede confirmata non fuerant, nullius quóque ponderis fuisse. Audi Leonem epistolâ ad Pulcheriam Augustam: *Consensiones verò Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes unitâ nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Oportet ergò magnam esse Confirmationis Pontificiæ auctoritatem & necessitatem, quando ejus defectu aut dissensu decreta Synodi Oecumenicæ *irritantur & cassantur.* Et in Epistola ad Martianum Augustum. *Nam & vestræ pietatis apices, & ipsius Anatolij scripta declamant, Legatos Sedis Apostolicæ sicut oportuit contradictione justissimâ eiresistitisse, ut inexcusabilis esset præsumptio, quo se nec increpata cohiberet.* Si *inexcusabilis est*, & *præsumptione* laborat, qui licèt auctoritate Concilij muniatur, contradicentem tamen habet Pontificem, sequitur nullam esse Concilij auctoritatem, cùm Pontificem adversantem habet: & tamen nota, quòd sedis prærogativa, quam Patriarcha Constantinopolitanus expetebat, quamvis Nicænæ Synodo adversaretur, eámque Pontifices Romani tanto ardore impugnâssent; nihilominùs tamen mutatâ rerum temporúmque conditione ab ijsdem Pontificibus Romanis communis concordiæ causâ Patriarchis Bizantinis in Concilio Lateranensi quarto permissa est. Unde argumentari sic licet: si à Concilio Chalcedonensi statuta, Leo, Simplicius, Gelasius, (a) Gregorius, Nicolaus alijque Pontifices evertunt, idque jure meritò factum esse Martianus Imperator & Anatolius Patriarcha confitentur; rursum mutatâ temporum conditione, pacísque causâ eundem illum Chalcedonensem Canonem toties damnatum, Pontifices ratum volunt, nec errorem hunc esse, sed prudentiam omnes dicunt, tempori se aptantem; quid mirum aut novum esse potest in causa trium Capitulorum, variatis rebus variatum toties à Concilijs & Vigilio, alijsque Pontificibus esse? aut cur potius in hoc Pontifices, quàm in illo erroris arguas? Quamvis si erroris fuit, prius

(a) Vide Gelasium I. epist. 13. ad Episcop. Dard.

priùs Concilium Chalcedonenſe, quàm Vigilius erravit, & ideò aut utrúmque, aut neutrum damnas, paris videlicet utriúſque aut culpâ, aut innocentiâ. Elucet etiam, quanti ſit Pontificis Romani confirmatio; hoc enim abnuente, quod duo Concilia Oecumenica ſtatuerunt, pro ſede videlicet Conſtantinopolitana, próque cauſa trium Capitulorum, acceptum non eſt, ſed à quàm plurimis impugnatum: ubi verò Romanus Pontifex annuit, ſublatæ lites & contentiones, & omnium votis conſpiratum, adeò ut ab hujus auctoritate præcipuè penderet, recipi Concilia, an reſpui deberent; quod Patres ſeptimi Concilij apertè profeſſi ſunt: ſic enim loquuntur: (a) *Hoc autem ſubtiliùs*, inquiunt, *eſt conſiderandum in ipſa ſacra & venerabili ſeptima Synodo, in qua nullus eorum, qui in his partibus Epiſcopi erant, conveniſſe repertus eſt. Sed nullum ex hoc ſanctæ adhæſit Synodo præjudicium, néque prohibitio vires habuit aliqua ſtatuendi, & manifeſta faciendi recta dogmata, præcipuè cùm ſanctiſſimus & Apoſtolicus Papa concordaverit, & in eâ inventus ſit per ſuos Apocryſarios. Tertiò.* Ex his omnibus, quæ in cauſa trium Capitulorum dicta ſunt, facilè colligis, quàm multa Maimburgus involvat tegendæ veritati, quæ ſi apertè & ſigillatim edidiſſet, ſe ipſam veritas proferebat, ſed maluit obſcura & inſidijs apta. Dicit: *Vigilium erraſſe cùm ſententiam tulit pro tribus Capitulis.* At non erravit Vigilius, ſed neceſſitati, & tempori ceſſit, mutavitque opportunè conſilia, idque exemplo Pauli Apoſtoli, aliorúmque Pontificum & Patrum, imò omnium ferè mortalium, conſilia & media, non finem mutantium; aut ſi error is fuit, non ad fidem, ſed perſonas ſpectabat: de quo nulla nobis nec quæſtio, nec cura eſt. Dicit: *Sententiam Vigilij à Concilio examinatam & abolitam eſſe, & ita palàm omnibus fieri, Eccleſiæ perſuaſum fuiſſe, Pontifices Concilio ſubjacere.* Sed quàm hoc imperitè & extra lineam? nobis enim quæſtio eſt de auctoritate Pontificum in cauſis fidei decidendis; at verò jam ſupra oſtendimus, cauſam trium Capitulorum ad fidem non pertinuiſſe; quæ ergo conſequentia eſt à rebus heterogeneis & diſparatis? deinde ſi Vigilius erravit, ſequitur etiam Concilium Oecumenicum Chalcedonenſe æquè & priùs errâſſe, quod eadem, quæ Vigilius de tribus Capitulis definivit; ſequitur ergo, non Pontifices ſolùm, ſed etiam Concilia errori obnoxia eſſe, quod maximè refugit Maimburgus; denique

(a) Synod. 7. Act. 3. in epiſt. Epiſc. Orient.

si ideò Concilium supra Pontificem, quia hujus sententiam examini subjecit, correxitque: sequitur eâdem ratione Pontificem esse supra Concilium: nam Concilij Chalcedonensis decretum de primatu Patriarchæ Constantinopolitani à Romanis Pontificibus discussum, rejectúmque est, ut suprà ostensum. Quòd si dicas illud ad fidem non spectâsse, & ideò nihil in fidei rebus Concilijs derogatum; idem ego de causa trium Capitulorum dicam, quæ cum fide connexa non est, nec quidquam Pontificum auctoritati detrahit, quâ pollent in rebus fidei decidendis. Vides quàm seipsum Maimburgus involvat, felicior semper inchoandis, quàm finiendis bellis.

IX. Objicitur 4. (a) Honorius I. in sexta Oecumenica Synodo hæresis Monothelitarum accusatus, damnatúsque est: potest ergo Pontifex errare, judicarique à Concilio. Quòd si dicas corruptam esse à Græcis Synodum sextam, (b) & Honorium culpæ quidem expertem esse, malè verò à Patribus intellectum, explicatúmque; quid rogo dices ad septimæ & octavæ Synodorum, ad Hadriani, Leonis, Agathonis, Nicephori, Tharasij, Theodori, Bedæ, & aliorum Patrum testimonia idipsum asserentium? *At malè Patres Honorium sunt interpretati.* Esto; saltem ergo crediderunt posse Pontifices errare; nisi enim id crederent, nunquam errâsse eos dicerent; fuit ergo omnium eorum Patrum sententia, & Pontifices errori esse obnoxios, & Concilij judicio subjacere; & qui contrarium docent, sententiæ doctrinæque Conciliorum adversantur.

Resp. Utcúnque Honorij res se habeant; certum est, nihil causæ nostræ ejus exemplum aut errorem obstare, si quis fuit: quis enim nescit epistolas Honorij ad Pyrrhum & Sergium, & ob quas hæresis accusatus dicitur, privatas fuisse, non publicas, nec dogmaticas, & in quibus nihil Honorius definivit, sed mentem tantùm suam, privatámque sententiam aperuit? in hujusmodi verò epistolis errare Pontifices posse, corrigíque, non inficior, néque hoc in quæstionem venit; néque enim omnia, quæ agunt, aut dicunt Pontifices, continuò oracula sunt, & humanæ conditionis expertia, sed solùm cùm Pontifices agunt, vel ut scholæ loquuntur, cùm *ex cathedra*

(a) Maimb. Tract. histor. cap. 18. primæ Edit. fol. 155. & cap. 12. fol. 118. (b) Synod. 6. Act. 4. & Act. 13. Synod. 8. Act. 7. Leo II. epist. 2. ad Episc. Hisp. & epist. 4 Nicephor. epist. 3. ad Leonem III. Tharas. epist. ad summ. Sacerdot. Antioch. Synod. 7. Act. 3. Beda de nat. rer. c. 67. V. Regal. Sacerd. f. 546.

thedra docent; quemadmodum non omnia, quæ Reges dicunt, scribúntque, continuò sunt edicta & sententiæ, nec vim edicti aut sententiæ habent. Errat ergò Maimburgus, & ne statum quidem quæstionis intelligit: jacitque tela incerto scopo, ignotóque, sed de hoc posteà. Nunc verò hæresin Honorij, quod spectat, fateor in nulla re magis ambiguum me animi, incertúmque fuisse; ex una enim parte tam multi sunt, gravésque in Honorium testes, ut vix audeam absolvere tot testibus impetitum: ex altera verò tam clarum est in ijs epistolis, quæ unicè arguuntur, nullam hæresin esse, ut non ausim damnare delicti immunem: quid enim? si quis è regio diademate sublatum à me dicat consumptúmque pretiosum adamantem, idque centum confirment; & tamen nec vestigium furti in diademate ostendi, nec gemmarum defectus possit, integro videlicet numero, illibatóque, num furti damnari potero plectíque? num major vocibus fides, quàm oculis dabitur? Eadem omnino Honorij causa: furti illum & graviſſimi postulant, testes magni, multíque: dicunt unam è duabus in Christo voluntatibus eum subduxisse: si locum patrati furti interroges, litteras ad Pirrhum, Sergiúmque ostentant. Si litteras inspicias, omnésque illarum sinus excutias, tantùm abest unam voluntatem desiderari, ut potiùs utrámque clarissimè Honorius asserat, utrámque Lector inveniat. Innocens ergo Honorius, si veritatem spectes; Reus, si testes: veritas ergo testibus cedet, an testes veritati? & quæ accusatio tam valida, *si non constet de corpore delicti?* Imò si constet nullum esse delictum? & quæ tu ablata & absumpta dicas, ego ostendam eodem semper loco fuisse, & adhuc esse? Ergo persuasum omnino habeo, errorem aliquem Græcorum fraude in sextam Synodum irrepsisse, & ut fieri amat, in alios posteà derivatum esse, qui auctoritate Concilij decepti fuerint, nullâ indagandæ veritatis, aut curâ aut studio; cùm superfluum id crederent, sententia à Patribus dictâ. Fateor arduum esse, originem, causámque erroris detegere, sed quàm multa, quorum causam ignoramus? nemo dubitat Ægyptum Nilo rigari, quamvis origine occultâ. Certum igitur est *primo* Acta sextæ Synodi à Græcis corrupta esse, nec id novum apud Græcos, nam & Acta quintæ Synodi infecerant testibus Patribus *action. 12. Et 14.* sextæ Synodi; & Sessione 8. gloriatur Macharius Archiepiscopus

Antiochenus Patrum scripta, ut suis opinionibus opportunum videbatur, aptata à se esse. Beatus etiam Gregorius. *lib. 5. epist. 15. ad Narsem*, Concilia Chalcedonense & Ephesinum fatetur eâdem fraude fœdata, idémque B. Leo (a) & Anastasius testantur. Eadem Nicolai primi querela epistolâ ad Michaëlem Imperatorem. Quid ergo novum est, Græcos hâc arte non imbutos tantùm, sed etiam superbos, quique tertiam, quartam, quintam & septimam Synodos aggressi fuerant, pari audaciâ in sextam grassatos esse, nullo pudore, imò etiam fastu, quippe ingenio adscribebant. *Secundò* ipse Agatho Papa in epistola Synodali (quam Patres sextæ Synodi (b) summis laudibus extulerunt) cùm de hæresi Monothelitarum disputaret, negat, *Romanam Ecclesiam juxta Christi promissionem à vera fide unquam deflexisse, sed suos Prædecessores semper hæresibus restitisse, & fratres in fide confirmâsse.* Quî rogo id Agatho & in consessu totius orbis ediceret, recenti adhuc Honorij exemplo, & Patribus tam noto? Quis non Salomonem rideret, si in publicis regni Comitijs pronuntiaret; nullum è sua Judæque familia homicidio & adulterio obstrictum fuisse, cùm vestigia fœdati Thalami, calentisque Uriæ sanguinis omnium oculos adhuc implerent? Mendax ergo Agatho impudénsque, qui Patribus tam aperto mendacio illuderet; sed multò isti nocentiores, qui non ferrent tantum Agathonis mendacium, sed etiam applauderent, clamarentque: *Petrum in Agathone locutum esse:* Hoc dicerent mentienti? *Tertiò* si verum est, Honorium à Concilio Hæresis damnatum esse, pace dixerim tantorum Patrum, nec majus delictum imputari, nec iniquior sententia esse potuit. Honorius hæreticus, Honorio anathema: interim verò nulli tanti delicti testes, nulla judicia, nullum causæ examen, nullus, qui jam dudum defuncti innocentiam sustineret, sed uno eodémque temporis momento Honorius Pontifex Romanus, reus & victus, damnatúsque; crederes de papavere in hortis demetendo, non de Pontifice Romano causam agitari: & quando vel vilissimum caput tantâ injuriâ, rerúmque neglectu judicatum est? cùm Arius & Nestorius, cùm Theodorus & Mopsweſtenus, Theodoretus, alijque postulati sunt, quorum tamen hæreses notæ vulgatæque, & tot libris ac spectа-

(a) S. Leo epist. 81. ad Palæstinos. Anastas. præfat. in 8. Synod. (b) Sextæ Synod. act. 12. & 14. V. act. 8. & 18.

ſpectatoribus ſparſæ; quantâ nihilominùs curâ ſtudióque, & probationum morâ ſententiæ dilatæ ſunt, invitis velut extortæ? adeò ut cùm in Neſtorium pronuntiarent, gemitus ſententiam ſequerentur: in ſolos Honorij & indefenſos cineres nullo examine, nullóque apparatu, vibrata curſim anathemata: quis hoc de tanto Concilio? præſertim cùm in promptu Honorij epiſtolæ eſſent, in quibus expreſſis diſſertíſque verbis duas naturas, duáſque operationes fatebatur, Monothelitarum hæreſi confixâ potiùs quàm probatâ. Si ergo verum eſſet, Honorium in hac Synodo hæreſis damnatum eſſe, oporteret Synodum in judicio tanti momenti ſummæ iniquitatis & ſocordiæ pulſari, imò ignorantiæ: nemo enim, qui rem ipſam confitetur, ſi nomen reticeri juſtas ob cauſas velit, ut Honorius reticeri volebat, hæreticus appellari debet, præſertim re nondum definitâ; alioquin & Hieronymus hæreticus fuerit, (a) qui cenſuit non eſſe tres hypoſtaſes in DEO dicendas: & Auguſtinus, qui Paſcentio Ariano vocem homouſij omitti permittebat, modò fateretur filium ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ & naturæ. Hæreſis ergo non vocum, ſed rerum eſt: quæ ergò Patrum ignorantia, Honorium hæreſis damnare, qui hæreſin ipſe damnabat, & quibuſdam tantùm vocibus abſtinendum ſcribebat concordiæ causâ, quódque vocibus duarum naturarum quàm plures abuterentur, quaſi in Chriſto duæ & contrariæ fuiſſent, quales videlicet in nobis ſunt, adverſæ ſibi, rebelléſque? hæc tota Honorij culpa, ob quam an hæretici nomen & pœnas meruerit, clarius eſt, quàm ut Synodus potuerit ignorare, & alibi (b) oſtenſum eſt.

Dices: Honorius cum Sergio communicabat, imò eidem ſcripſerat, ſe cum eo ſentire, ſibíque probari, quæ Sergius propoſuerat, ergo ex hoc capite meritò pro hæretico habitus eſt.

Reſp. Latebat adhuc hæreſis Sergij, aut quòd recens, aut quòd pietate fucata, & necdum perſtrinxerat Occidentem, quæ cauſa ut non Honorius ſolùm, ſed alij quàm plures doctrinâ & virtute præſtantes cum Sergio communicarent, quippe necdum comperto: ſic Baſilius vir alioquin ſeverâ pietate cum Euſtachio Epiſcopo Ariano communicare viſus, & tot calumnijs præſertim in Occidente petitus, ſic Chryſoſtomus cum Origeniſtis, Innocentius cum

(a) Hieron. epiſt. ad Damaſ. S. Auguſtin. epiſt. 174. (b) V. Regale Sacerdot. f. 546.

Pelagio, quòd videlicet pietate & religione, quas simulabant, capti, eorum societatem non respuerent, aut quòd ægros ignorarent, aut quòd sperarent curari posse: quando mederentur, si fugerent laborantes? non sequitur ergò Honorium quóque febribus æstuâsse, quia decumbentibus assedit.

At Honorius Sergio Monothelitæ hæretico assentiri se dicit, ergò & ipse Hæreticus Monothelita est.

Resp. Videndum priùs, qua in re Honorius Sergio assentitur: sicut enim non omnia, quæ hæreticus dicit, hæreses sunt, ita non omnis, qui hæretico aliqua in re assentitur, continuò hæreticus est. Concedit Lutherus tres esse Personas in una natura Divina: num ideò hæreticus & Lutheranus erit, qui hac in re sentire cum Luthero se dicat? Honorius ergò una in re cum Sergio hæretico sentit; abstinendum videlicet illis vocibus: *Duæ Voluntates in Christo, duæ operationes*; id enim novum esse, nec necessarium veritati, & potiùs ad Philosophorum & Grammaticorum scholas pertinere; imò abuti aliquos ijs vocibus, ut ostendant, populóque persuadeant, duas in Christo voluntates discordes fuisse: ergò voces quod attinet, premendas eas esse concordiæ causâ, & nec unam voluntatem, nec duas dicendas esse, sed potiùs duas naturas propria operantes in una Persona: in hoc ergò eadem Honorij opinio & Sergij fuit, neque id hæresis, sed prudens cautela, ne fomes daretur glisscenti discordiæ. Multa dissimulari possunt malo adhuc modico, & remedium patiente, quæ posteà obfirmata ferri non debent. Rem verò ipsam quòd attinet, an videlicet duæ in Christo naturæ, duæque operationes essent, dissentit omninò à Sergio Honorius; Sergius enim omnésque Monothelitæ negabant esse duas in Christo voluntates, duásque operationes; sed unam tantùm voluntatem, unámque operationem admitti volebant; at Honorius clarissimè dicit: *Non esse dicendum unam voluntatem unámque operationem, sed tamen unum Operatorem Christum propter unitatem suppositi*: monétque Sergium, ut deinceps omittat dicere, unam esse in Christo voluntatem: *Utráque*, inquit, *naturas in uno Christo cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, & Divinam quidem, quæ DEI sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* En tibi duas naturas, duásque operatrices Potentias, & duas quóque operationes

rationes, humanam videlicet & Divinam: quid poterat contra Monothelitas expressiùs dici? si enim, ut dicit Honorius, natura humana in Christo operatur, ergò operationem aliquam humanam habet (Divinam enim habere non potest.) ergò in Christo duæ sunt operationes, humana & Divina. Rursus Monothelitæ nullam propriam & humanam operationem in Christo admittebant, sed solam Divinam; humanâ naturâ patiente tantùm & recipiente, eo ferè modo, quo tabula aut marmor recipit tantùm, non format imagines, actio verò Pictoris, sculptorisque à solo Pictore aut sculptore est: id observat S. Thomas, (a) claréque Sergius ad Honorium scribit: *Quemadmodum*, inquit, *corpus nostrum regitur & disponitur ab intellectuali & rationali anima nostra; ita & in Domino natura tota humana, ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, ut sit carnis quidem passio, DEI autem operatio.* Idémque Pyrrhus fatetur in Dialogo, quem cum Maximo habuit. At Honorius: *Unum quidem Operatorem esse dicit, at duas operatrices naturas. Ita ut Divina, quæ DEI sunt, operetur, humana, quæ hominis: sícque humanam naturam non pati tantùm, sed etiam operari.* Quî ergò Monothelita Honorius, si Monothelitis è diametro adversatur, negátque quæ illi asserunt, asserit, quæ negant? *At Monotheltæ Honorij societate, & communione gloriabantur.* Sed nos quærimus, qualis Honorius fuerit, non qualem finxerint Monothelitæ; quis enim nescit hoc Hæreticis semper solemne fuisse, ut Patrum auctoritatem suis erroribus prætexerent? alioquin hæreticus Basilius fuerit, hæreticus Hieronymus, Chrysostomus, & præsertim Augustinus, quorum Societatem & olim & nunc quóque Hæretici passim vanéque ostentant. Palàm est ergò, si epistolas Honorij examines, quarum causâ hæresis postulatus est, innocentem illum esse, & culpæ immunem, & ideò nec credi posse in Concilio damnatum, præsertim jam prædefunctum, & de quo dubitari meritò debuit, essétne hæresi immortuus, si quam contraxisset. *Quartò* denique summi momenti est S. Maximi Monachi & Martyris testimonium, quo Honorium Papam omni culpâ & hæresis suspicione absolvit. Is præcipuâ Sanctitate florebat, cui tandem Martyrij palmam adjunxit; Monothelitarum perpetuus malleus, eorúmque errorum adeò gnarus, ut Pyrrhum Monothe-

(a) S. Thomas 3. p. q. 18. a. 1. Sergius, epist. ad Honor. act. 12. sextæ Synodi.

nothelitarum Principem & Constantinopolitanum Patriarcham publico congressu & disputatione vicerit, converteritque; non ergò aut adulationis, aut ignorantiæ notari potest: & præsertim cùm ejus disputatio publicè audita, publicè excepta fuerit, nec quidquam à Maximo narratum, non planè compertum, certúmque veritatis. Cùm ergò Pyrrhus Honorij auctoritatem Maximo in hæc verba objiceret: *Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte Antecessori meo unam voluntatem Domini Christi esse tradidit?* Respondit Maximus: *Quis fuerit fide & auctoritate dignus epistolæ hujus interpres, qui eam ex persona Honorij scripsit adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum virtutibus, tum dogmatibus fidei illustravit? an ij qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Pyrrhus: *Cui hanc composuit.* Maximus: *Is igitur ipse cùm ad Divum Constantinum Imperatorem ex Persona rursus sancti Papa Joannis de hac epistola scriberet, dixit: unam diximus voluntatem in Domino, non Divinitatis & Humanitatis, sed Humanitatis solius; cùm enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates contrarias ponerent; diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis videlicet & Spiritûs, sicut nos habemus post peccatum* (a) *&c.* Hæc Maximus, cui Pyrrhus acquievit, nec habuit, quod reponeret. Contigit verò hæc disputatio Anno Christi DCXLV. hoc est annos triginta sex, antequam Concilium Constantinopolitanum convenerit. Considera, an Maximus hæc dicere auderet, an Pyrrhus reciperet, nisi utérque vera esse & extra dubium credidissent. Reperitur etiam in Collectaneis Anastasij à doctissimo Sirmondo editis Apologia Joannis Papæ IV. ad Constantinum Imperatorem Heraclij Filium, epistolas Honorij Catholicas esse, nec ullâ hæresi inquinatas, & fraude Monothelitarum in alienos, perversósque sensus expositas. Hoc scriberet Joannes Constantinopolim & Imperatori, nisi certus veritatis? alioquin convinci poterat falsitatis, & palàm argui epistolis, quas Honorius scripserat, in lucem depromptis. Sic in Synodo Lateranensi (b) sub Martino Papa & Martyre, & in Romana sub Agathone, ubi accuratè de hæresi Monothelitarum à Patribus actum, damnatíque nominatim Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus, nullâ Honorij mentione; at quî potuit præteriri, si eâdem tinctus labe,

(a) V. Dialogum Græcolatinum S. Max. apud Baron. in App. Tom 8. (b) Concil. Lateran. sub Martino. PP. Anno 649. Concil. Rom. sub Agath. Anno 680.

labe, & in ſexta Synodo eodem faſce cum alijs hæreticis implicitus? ſic etiam Photius, (a) Zonaras, & Paulus Diaconus, ubi enumerant in ſexta Synodo damnatos, nullam habent Honorij mentionem. Ex quibus omnibus deducas, meritò, & à quamplurimis aſſeri, Honorij nomen aut fraude, aut errore in acta Concilij deveniſſe, & poſteà in alios quàm plures; quamvis ut ſuprà monui, difficile ſit cauſam & originem erroris aut fraudis evolvere; latente videlicet radice, & ramos tantùm oſtentante; non enim ſequitur non eſſe, quæ ſunt occulta. *Quintò.* Sed quidquid ſit de Honorij lapſu, illud certum eſt, nihil obeſſe infallibilitati Pontificum, & auctoritati, quam illis in Concilio tribuimus. Epiſtolæ, quas Honorius ad Sergium dedit, privatæ ſunt, nec fideles alloquuntur, nec quidquam decidunt; quamvis enim ex lege contradictoriarum oporteat duas voluntates & operationes in Chriſto eſſe, vel non eſſe; Honorius tamen neutrum vult dici, ſed tantùm duas cum proprijs operationibus; quod planè non eſt decidere, ſed rem in medio, & ſuſpenſam relinquere. At verò non in omni caſu, nec in quovis ſcripto nos Pontificem infallibilem eſſe dicimus, ac erroris ſecurum; ſed tunc ſolùm, cùm Pontificem agit, & Magiſtrum Eccleſiæ, hoc eſt, cùm actum aliquem exercet, qui ad ſolum Pontificem pertinet, qualis non eſt epiſtolas ſcribere, aut ſcriptis reſpondere, & quid conſultum credas, aperire; id enim non ſoli Pontifici Romano, ſed cuivis, non Epiſcopo ſolùm, ſed etiam privato permiſſum eſt; cùm enim hoc privilegium infallibilitatis in publicum Eccleſiæ bonum vergat, noluit DEUS illud Perſonæ, ſed officio annecti, & tunc ſolùm præſtò eſſe, cùm Pontificali officio fungeretur, eo ferè modo, quo in veteri Teſtamento non ſemper, nec quovis tempore oracula Pontifici dabantur; ſed tunc ſolùm, cùm Pontificio apparatu cultúque Templo & arcæ ſe ſiſteret, quæ cùm alibi fusè ſint (a) demonſtrata, repeti non debent. Nec verò, ut inquit Maimburgus, (b) *ſunt hæc ænigmata, & reſponſa ambigua, ac plena obſcuritatis, & quæ nec illi ſatis intelligunt, qui ea proferunt;* enimverò oportet Maimburgum in alio orbe natum, & nunquam, non dicam in ſcholis, ſed nec in foro aut palatio viſum, qui ea pro obſcuris & impervijs habeat, quæ nemo non videt; quis enim tam ſimplex, rudiſque

(a) V. Reg. Sacerdot. fol. 467. (b) Maimb. Tract. Hiſtor. c. 12. f. 121.

rudísque, & humanæ societatis ignarus, qui nesciat, non omnes Regum actiones Regias esse, & privilegio Majestatis gaudere? nec omnia Judicum verba & epistolas ad leges & edicta pertinere? quæ si clara & obvia sunt, & omnibus comperta; quæ tandem sunt illa arcana vocésque impenetrabiles, nec ipsis loquentibus notæ, cùm nos dicimus, non omnia Pontificum scripta ad oracula & dogmata pertinere, sed ea sólùm, quæ ut Pontifices & Ecclesiæ Magistri, átque è Cathedra pronuntiant? hoc est, cùm rebus maturè discussis causam aliquam definiunt, jubéntque definita pro fidei veritatibus haberi, eósque, qui secus credunt, haberi pro hæreticis volunt? hic est actus Pontificiæ auctoritatis, & in hoc falli aut errare Pontifices posse negamus: nec unquam Maimburgus contrarium ostendet: in alijs verò actibus, qui Pontificiæ potestati non sunt proprij, falli eos posse, communíque mortalium conditioni erroribus obnoxiæ subjacere ultrò concedimus. Denique ut brevi argumento omnia concludam: aut Honorius hæreticus fuit, aut non fuit? si non fuit, falsa ergo accusatio, nullóque fundamento nixa, quæ ex illo consequuntur: si hæreticus fuit, concedimus Papam hæreticum judicari à Concilio posse, neque hoc in quæstione vertitur; cùm enim fides sit vita Corporis Mystici, adeò ut ex mente S. Pauli, Justus ex fide vivat: qui fidem non habet, non est membrum vivum Ecclesiæ; quî ergo erit Caput Ecclesiæ, qui ne membrum quidem est? & ideò sacris Canonibus (a) toties definitum est, Pontificem Romanum in sola hæresis causa judicari à Concilio posse, quia videlicet sola hæresis facit, ut desinat esse membrum, & consequenter caput Ecclesiæ. Vides ergo Exempla à Maimburgo adducta tot partibus laborare, ut non tantùm evidentibus demonstrationibus accenseri non possint, quales ipse promisit, sed vix levibus conjecturis; quippe aut ex dubijs principijs, aut ex falsis procedunt, aut extra statum quæstionis vagantur: capiunt tamen, elidúntque ignaros, Tartarorum excursionibus similes, imbelli tantùm plebi, minutæque infestos, sed armatis impares.

X. *Objicitur.*

(a) C. audivimus 24 q. 1. c. Novatianus q. 1. c. didicimus. c. Achatius 24. q. 1. c. oves 2. q. 7. c. si Papa. d. 40. Cajet. Tr. de auct. Conc. & Pap. c. 20. S. Anton. in summa, tert. p. T. 23 c. 3. §. 4. Suar. de fide. p. 10. s. 6. Bellarm. de Rom. Pontif. l. 2. c. 30. V. Reg. Sacerd. f. 415.

X. *Objicitur. 5.* Donatiſtæ in cauſa ſchiſmatis Carthaginenſis, cùm Cœcilianum ejus Eccleſiæ Epiſcopum Romæ multis querelis onerâſſent; is verò ſententiâ Melchiadis Papæ abſolutus eſſet, ad Concilium appellârunt, idque Conſtantini Imperatoris Arelate ijs datum, magno Epiſcoporum numero frequens. In eo ſententia in Donatum dicta, innocentia Cœciliani probata. De hoc Concilio ita Auguſtinus: *Putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicârunt, non bonos judices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Univerſalis Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicâſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* Fatetur ergo Auguſtinus minorem Pontifici auctoritatem quàm Concilio eſſe: ab hoc enim judicari Pontificum ſententias poſſe, ſolvíque. Exclamátque hîc Maimburgus, perinde acſi bellum confectum, nec alia cura, quàm elevandi trophæi eſſet: (a) *Ingenuè*, inquit, *liberéque fateor, nullo magis exemplo conſtare Pontificum ſententias tribunali Conciliorum ſubmitti; in hoc enim examinari poſſunt, corrigíque, ſi injuſtæ appareant.*

Reſp. Hiſtoria Concilij Arelatenſis ſic habet: Anno Chriſti CCCVI. Ceſſatum eſt in Africa à fidelium perſecutionibus, Maxentij Imperatoris ſeu indulgentiâ, ſeu metu: quippe Chriſtianos lucrari properabat Conſtantino Imperij æmulo palàm addictos. Contigit eodem tempore Menſurium Carthagine Epiſcopum morte defungi: ſucceſſit omnium votis Cæcilianus Menſurij quondam Diaconus, conſecravitque Felix Aptungitanus Epiſcopus. Vehementer hâc electione Botrus & Cæleſtius offenſi, quibus & ſpes fuerat, & par ambitio, eas infulas occupandi, nunc ſpe dejectos cupido inceſſerat vindicandi; auctúſque æmulorum numerus ſeniorum factione, à quibus ſacra vaſa auro, argentóque inſignia novus Epiſcopus repetierat: ſed quod peius omni malo, fœmina præpotens, iráque & opibus ferox tempeſtatem ciebat. Lucilla ea fuit, quam cùm Epiſcopus objurgâſſet, quòd indignâ ſuperſtitione priùs cineres cujuſdam cadaveris libaret, (quod Martyris fuiſſe necdum ſatis conſtabat) quàm ſacro epulo accumberet, immenſo objurgantis odio flagravit, effudítque, ut licuit. Quæſitæ criminationes, quæ odium obtegerent; videlicet: *Quòd alienâ manu conſecratus eſſet, Secundo Tegiſitano Epiſcopo & Numidiæ Primate*

(a) Maimb. cit. cap. 18. f. 159.

præterito, neglectóque. Quòd Martyres, qui carcere tenebantur, fame necâsset; quódque à Traditoribus sacris initiatus. Paratis ergò calumnijs Cæcilianum in jus vocant, causam dicturum: is negat se adesse posse, Judicibus jam odio corruptis, & palàm adversis. Absentem ergò in Conventu 70. ferè Episcoporum damnant, eique Majoranum sufficiunt Lucillæ præcharum; hinc natum schisma pertinax, funestúmque, Duce præsertim Donato Episcopo, qui nomen factioni dedit, auxítque eloquentiâ populari, ac rebus turbandis aptâ. Nihil movebat Cæcilianus, innocentiâ, & Pontificis Romani tutus auctoritate: audi Augustinum: (a) *Conspirantem multitudinem inimicorum non curabat, cùm videret se & Romanæ, in qua Apostolicæ Cathedræ semper viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere.* Donatistæ, cùm causæ suæ ac Romæ diffiderent, à Constantino Imperatore, qui tunc in Gallijs morabatur, Gallos judices petunt. (b) Constantinus Romam, cùm litteris ad Melchiadem Pontificem mittit, illic enim causas majores agitari oportere; additi tamen tres è Gallia Antistites, Maternus Colonienſis, Rheticius Augustodunensis, & Marinus Arelatensis Episcopi, quibus Itali quindecim adjecti: Cæcilianus omnium votis absolutus, sed præsertim Melchiadis sententiâ, de qua ita (c) Optatus: *Etiam Melchiadis sententiâ, quâ judicium clausum est his verbis &c.* Et Augustinus: (d) *Qualis ipsius Melchiadis prolata est sententia, quàm integra, provida atque pacifica &c.* & post pauca: *O Virum optimum, O filium Christianæ pacis, & partem Christianæ plebis!* Provocatum à Donatistis ad aliud & plenius Concilium, ut apertè testantur DD. Augustinus (e) & Optatus: & quamvis Constantinus provocationi cesserit pacis studio, eam tamen provocationem, & ipse & alij Patres detestati sunt, & impiam crediderunt. Audi S. Optatum, qui cùm Melchiadis sententiam retulisset, continuò hæc subdit: (f) *Sufficit ergò etiam Donatum tot sententijs esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum, & tamen Donatus ab Episcopis appellandum esse credit, ad quam Appellationem Constantinus*

(a) S. August. epist. 162. (b) V. S. Optat. l. 3. contra Parmenian. (c) Optatus loco cit. (d) Aug. epist. 162. (e) August. in psal. contra part. Donati. Optatus lib. cit. (f) Optatus l. 1. contra Parmenian. Idem fatetur Maimb. Tract. hist. cap. 18. fol. 157.

ſtantinus ſic reſpondit: O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt. Tantum ergò abeſt, Conſtantinum hanc provocationem pro legitima habuiſſe, ut eam furoris & audaciæ plenam dixerit, & Chriſtianis indignam: nota tamen hæc verba à Conſtantino repetita videri, cùm poſteà ijdem Donatiſtæ à Concilio Arelatenſi ad Auguſti tribunal provocârunt, ut animadvertit Sirmondus, & eruditiſſimus Schelſtrate. (a) Invehitur in eandem provocationem Conſtantinus epiſt: ad Chreſtum Epiſcopum Syracuſanum apud Euſebium, (b) & præſertim Auguſtinus: (c) *Tantæ*, inquit, *auctoritatis Epiſcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt; non apud alios collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quòd malè judicârint. Dedit ille Arelatenſe Concilium, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omnimodò cupiens eorum impudentiam cohibere.* Et iterùm: *Néque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret.* Ubi vides hanc provocationem ab Auguſtino *impudentiæ & perverſitatis* notari, *& fallacibus ac tumultuoſis* querelis accenſeri; quod etiam de Marca Archi-Epiſcopus Pariſienſis fatetur: (d) *Alienum*, inquit, *putabat Conſtantinus, à diſciplina, res à Pontifice Romano judicatas refricari.* Sed tamen ut dixi concordiæ datum, ut cauſa Cæciliani iterum cognoſceretur. Id factum in Concilio Arelatenſi. Convenerunt Patres ex toto ferè Occidente, Gallia videlicet, Hiſpania, Italia, Africa ac etiam Britannia, quæ cauſa eſt, ut Auguſtinus hoc Concilium *plenarium* vocet, (e) & *ex Univerſa Eccleſia collectum.* Numerus Epiſcoporum ex communi ſententia non minor ducentis; id enim expreſsè teſtatur S. Auguſtinus: (f) quamvis Ado (g) ſexcentos numeret. Cæterùm non videtur hoc Concilium verè & in rigore Oecumenicum appellari poſſe, ſed ſolùm Patriarchale, cùm ad illud nemo ex Oriente convenerit, ſed illi tantùm Epiſcopi, qui Patriarchatui Romano parebant, is verò totam Europam complectebatur, & provincias Africæ Occidentales; & hujusmodi Concilia, imò etiam Nationalia ſæpè à ſanctis Patribus uni-

(a) Schelſtr. Antiq. illuſtr. p. 2. diſſert. 1. c. 7. a. 3. §. 1. n. 122. (b) Euſeb. lib. 10. cap. 5. (c) S. Auguſt. epiſt. 162. (d) Marca lib. 4. de Concord. cap. 17. n. 2. (e) S. Auguſt. l. 2. de Bapt. contra Donat. (f) S. Auguſt. lib. 1. contra epiſt. Parmen. cap. 5. (g) Ado in chron. ætat. &c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

versalia appellantur, ut patet ex Concilijs Romanis sub Symmacho, Toletano III. c. 18. & Carthaginensi IV. quæ omnia universalia dicuntur, quamvis ex una tantùm Provincia collecta; quantò ergo magis Arelatense gaudere hoc titulo potuit, cui Episcopi ex tot Provincijs, Regnísque aderant? Et sanè omnium ferè sententia est, Concilium Nicænum fuisse primum Oecumenicum. Adfuisse huic Concilio Legatos Silvestri Pontificis dubium non est; ij enim nominantur initio Concilij Arelatensis primi, videlicet Claudius & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diaconus. Sed dubium est, an præsederint, cùm in epistola Synodali Marinus cæterique Episcoporum nominentur nullâ mentione Legatorum factâ: Et in Synodo Arelatensi II. can 18. dicatur: *ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandam.* Sciendum ergo est, non omnes Pontificum Legatos semper Concilijs præsedisse, præsertim Provincialibus; nec semper primo loco potitos, nisi cum mandato præsidendi mitterentur, quod exemplo Constantinopolitanæ Synodi abundè probatur, in qua Anthimus damnatus est præsidente Menna Patriarcha, alijs verò Legatis Apostolicæ Sedis post Mennam aliósque Episcopos subscribentibus, ut habetur in sententia contra Anthimum *sess. 4.* Sic etiam summus Pontifex alicui ex Græcis Episcopis suas partes munúsque præsidendi imponebat, quo casu Romani Legati primo loco abstinebant: sic Cyrillus Concilio Ephesino nomine Cœlestini, Mennas nomine Agapethi Pontificum præfuêre: sic denique S. Leo Anastasium Thessalonicæ Episcopum suum per Illyricum constituit Vicarium, Gregorius Augustinum per Angliam, Leandrum per Hispaniam, Zosimus (a) Archi-Episcopum Arelatensem per Galliam: qui Vicarij Primates appellabantur, omnésque Metropolitanos & Archi-Episcopos dignitate & loco anteibant: eísque inter alia, quæ nomine Pontificis peragebant, illud etiam concessum, ut nomine Pontificis Concilia Nationalia convocarent. Hæc ergò causa fuit, ut Marinus Arelatensis Episcopus ante alios Legatos Concilio præsideret: idque sequentibus annis frequenter evenit, ut videlicet Arelatenses Episcopi Vicarij Apostolici & Primates essent; apertèque etiam colligitur ex canone 12. Concilij Are-

(a) V. epist. 5. Zosimi Papæ ad Episc. Galliæ. & libellum Episcoporum Provinc. ad Arelat. Leon. I.

Arelatensis secundi: *Ad Arelatenſis*, inquit, *Episcopi arbitrium Synodus congreganda.* Sed quo jure Arelatensi hoc competat, nisi quia Vicarius Romani Pontificis, & ideò Primus? Cæterùm missa fuisse acta Concilij Romam, & illic confirmata, dubium non est ex Epist: Synodali, quam Patres ad Silvestrum dedère, & habetur post acta Concilij, quod etiam Bail Doctor Parisiensis ingenuè professus est Tom. 2. ad hoc Concilium: *Ipsa*, inquit, *Synodus Arelatenſis subditam se agnovit Pontificis jurisdictioni, ut testata est per Epistolam Synodicam ad Silvestrum Melchiadis Successorem, missam eo fine, ut quæ statuisset, auctoritate Pontificiâ confirmaret.* Sed & illud egregium reverentiæ in Pontificem argumentum, quòd licèt inter duas partes judicium verteretur, Cæcilianum videlicet Donatúmque; istum accusatorem, illum accusatum; noluit tamen Concilium, ut partes Rei Cæcilianus sustineret, quippe jam à Melchiade absolutus, sed eum, ejúsque socios Episcopos inter Patres Judicésque Concilij admisit, & ideò tàm in Epistola Synodica, quàm etiam in sententia contra Donatum lata Cæcilianus subscribit. Quæ verò ratio, ut Cæcilianus Romano Tribunali reus assisteret; Arelatensis verò Collega & Judex, nisi quia Patribus indignum videbatur, ut pro Reo haberent, multóque minùs ut damnarent, quem Roma absolvisset? non ergo id agebant Patres Arelatenses, ut corrigerent, aut in dubium vocarent à Pontifice judicata; sed ut convincerent Donati impudentiam, alios semper, aliósque judices fatigantis: nam ab hoc etiam Conventu ad Augustum provocavit; at iste in hæc verba rescripsit cedro & æternitate digna: (a) *Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto; dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet; nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi Magisterio sunt edocti.* Hæc est series & historia Concilij Arelatensis, non meâ, sed scriptorum omni exceptione majorum fide, & ex ipsis authenticis actis, quæ ad marginem notavi, exposita. Promptum jam erit quàm plurima ex ijs deducere, quæ objecta Maimburgi non refellant tantùm, sed etiam malæ fidei convincant. Nam *primò* Argumentum ex Concilio Arelatensi sumptum Maimburgus à Calvino didicit, exscripsítque, quod in hoc homine ferè perpetuum,

(a) Rescript. Constant. apud. Optat. l. 1. contra Parmenian.

tuum, nihil enim novi affert, præter stili condimenta; alia ex Illyrico, Centuriatoribus & Calvino collecta, dissimulatis Catholicorum responsis, quæ cùm vinci non possent, celata maluit, quàm producta. Verba Calvini sunt: *Constantinus appellationis judicium demandat Episcopo Arelatensi, sedet ille judex, ut post Romanum Pontificem, quod visum fuit, pronuntiet. Si Romana Sedes Summum habet judicium sine provocatione, cur sibi tam insignem calumniam irrogari permittit Melchiades, ut sibi Episcopus Arelatensis præferatur?* En tibi Calvini voces, & sensa Maimburgi simillima! enimverò miserrimam causam, quæ juvari non potest, nisi pudendis auxilijs. *Secundò* ostendit Maimburgus, se ne quidem intelligere, qui sit status Controversiæ, & qui sensus quæstionis, quam tanto studio sed cæco versat, ut cogar de illo dicere, quæ olim S. Gregorius: (a) *Non intelligentes neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant.* Quærimus enim an in rebus ad fidem spectantibus major sit Concilij, an Pontificis auctoritas? Maimburgus Concilium præfert, allegátque Cæciliani exemplum; at in eo non de fide, sed de facto & delicto agebatur, an videlicet Cæcilianus sacros Codices prodidisset, & Martyres inediâ confecisset: quid rogo facit judicium delicti ad judicium fidei? aut quæ consequentia à tam disjunctis? fieri enim potest, ut in factis, quæ sub oculos hominum & testes cadunt; major sit penès Patres notitia, qui factum conspexêre; quàm penès Pontifices procul remotos, quíque ob hanc ipsam causam cognitionem facti alijs, vicinísque committunt. Nam & Columbo ex novo, nobísque oppositio orbe redeunti, ac posteà tot alijs testibus major fides habita, quàm Zachariæ Pontifici, (b) alios sub terra homines, hoc est, Antipodas neganti, & propterea sanctum Virgilium graviter reprehendenti. Deinde constat Concilium Arelatense à Silvestro Pontifice approbatum, confirmatúmque fuisse: atqui nulla quæstio est de Concilijs à Pontifice confirmatis: cùm enim quærimus, an Pontifex sit supra Concilium, non quærimus de eo Concilio, cujus pars Pontifex fuit, & quod ipse confirmavit; sed de Concilio Papæ oppositio, cùm videlicet aliud Pontifex, aliud Concilium definit, & diversa utriúsque sententia est, quemadmodùm cùm quærimus, an tectum sit altius domo? quæstio non est de tecto, ut est pars domûs (si enim nec

(a) Greg. lib. 4. epist. 14. (b) V. Baron. ann. 748.

nec tectum nec domus altior, cùm sint una tantùm res, & tectum pars domûs) sed de tecto, ut res à domo reliqua distincta, & de domo ut separatâ à tecto & non conjunctâ. Quæ cùm planè sint nota, & in primis Logicæ rudimentis exponi soleant, mirum est à Maimburgo ignorata, & ita nec statum quæstionis intellectum. An fortè non tam illi studium fuit apta, quàm multa congerere? quippe tegendis falsis multitudo opportuna. *Tertiò.* Supponit Maimburgus Concilium Arelatense Oecumenicum fuisse (constat enim alia, quæ Oecumenica non sunt, Pontificibus haud præferri) at contrarium ostendimus, videturque omnium ferè sententia, qui Nicænum pro primo Oecumenico statuunt; ergo nec hoc quidem ad rem & propositum facit. *Quartò.* Certum est, ut suprà observatum, in hoc Concilio non de fide, sed de facto, & delicto disputatum esse. Quæro igitur ex Maimburgo, extra fidei causas, & ubi de facto, aut delicto Episcoporum agitur, an Concilium supra Pontificem esse credat, aut non credat? si non credit, cur ergo exemplo utitur, suo etiam judicio ac sententiâ inutili, vanóque? si credit, manifesti erroris tenetur; constat enim exemplis, doctrinâque SS. Patrum extra fidei causas, & ubi de Episcoporum juribus & delictis agitur, errare Concilia posse, corrigique à Summis Pontificibus debere: sic canon quintus Synodi Constantinopolitanæ, & canon vigesimus octavus Synodi Chalcedonensis, qui in præjudicium Patriarchæ Alexandrini vergebant, à Leone I. & Gregorio M. aliisq; intermedijs Pontificibus improbati sunt, abrogatique. Audi S. Leonem ep. 6. ad Synodum Chalcedonensem: (a) *Ut & fraterna Universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum inisse sententiam, in sola videlicet fidei causa, quod sæpè videlicet dicendum est.* Et Gelasium Papam in Tomo de Anathematis Vinculo: (b) *Ne fortè quod solent dicant, quòd si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quæ illinc videantur esse deprompta. Cognoscant illud secundùm scripturas sanctas, traditionémque Majorum, secundùm Canones, regulásque Ecclesiæ, pro fide communi & veritate Catholica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegavit,*

(a) S. Leo epist. 53. ad Pulcher. & 59. ad Synod. Chalc. & ad Martian. Imp. & ad Anatoli. Patriarch. & S. Greg lib. 6. epist. 31. (b) Gelasius I. PP. Tom. de Anath. vinc. Tom. 2. Concil. inter opusc. Gelas.

factámque firmavit, à tota Ecclesia indubitanter admitti: alia autem, quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenùs delegavit, mox à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradictum manifestum est, quæ Sedes Apostolica etiam petente Martiano Principe nullatenùs approbavit. Similia habet S. Gregorius M. in epistola (a) Pelagij II. nomine ad Episcopos Istriæ scripta. Imò ipse Maimburgus, hoc ipso Tractatu, quem refutamus, & alibi apertè docet, causas Episcoporum, præsertim, cùm de illis deponendis agitur, ad Summum Pontificem pertinere; sic enim loquitur cap. 5. *De plus come Pape est sans contredit par dessus chaque evesque de qualque dignitè qu' il soit; & par dessus toutes les eglises, & tous le sinods particuliers, on peut appeller de tous ces evesques, & de tous ces sinods à son tribunal. C'est à luy de juger des causes majores, come sont celles, qui regardent la foy, la deposition des Evesques, &c.* Hoc est: *Cùm dubitari non possit, Majorem esse Pontificis Romani, quàm singulorum Episcoporum, quantacúmque dignitate ij sint, aut Synodorum particularium auctoritatem; sequitur, ut ab Episcopis quibuslibet, Synodísque ad Tribunal Pontificis appellari possit: hujus officij est, de majoribus causis judicare, quales sunt quæ fidem aut Episcoporum depositionem spectant.* Si ergo Conciliorum exemplis, sanctorúmque Patrum assertione, & ipsâ confessione Maimburgi certum est, à Synodis particularibus (qualis fuit Arelatensis) ad Summum Pontificem appellari, præsertim in causis Episcoporum; adeò ut etiam in Concilijs Oecumenicis contra Episcopos statuta, fuerint posteà à Romano Pontifice revocata, neque hoc negari possit: quâ rogo fiduciâ Maimburgus dicere potuit: *Majorem Concilij Arelatensis auctoritatem, quàm Pontificis fuisse? & hujus tribunal, illius tribunali subjectum, atque à Pontifice pronuntiatam sententiam potuisse ab eo Concilio examinari, delerique?* Num ergo Maimburgus ignorabat causas Episcoporum, qualis erat, quæ Arelate agitabatur, maximè cùm de eorum depositione agitur, ad Pontificem pertinere? Num eum latebat, non solùm quæ in Synodis particularibus, sed etiam, quæ in Oecumenicis contra Episcopos decreta fuerant, à Pontificibus sublata esse, ac penitùs rescissa, idque toto Orbe comprobante? aut forsan major Arelatensi, quàm Chalcedonensi, & Constantinopolitano Concilijs auctoritas & dignitas fuit? & hæc tamen

(a) Epistola Pelagij II. quæ habetur in fragmentis Synodi quintæ Tom. 2. Conc. p. 2.

tamen, cùm de Episcopis statuissent, Roma correxit, abolevítque: ídque jure factum & Imperator Martianus, & Patriarcha Anatolius, quamvis hostis, agnovit; Leo quóque, Gelasius, Gregorius, aliíque testati sunt: quî ergo dici potuit Arelatense Tribunal Romano præfuisse, si corrigi, si judicari, damnarique ab isto potuit, idque exemplo tot aliorum? *Cur ergo*, inquies, *permisit Melchiadis Romanam sententiam inferiori, externóq; sisti Tribunali?* R. Quia pacem & concordiam amabat, sperabátque, quod etiam evenit, eorum pertinaciam fatigari hâc conniventiâ, vincique posse; nec verò alienum, externúmque Tribunal fuit, cui Legati aderant, quódque ipse confirmabat, Concilium ergo Arelatense non eâ conditione aut petitum, aut admissum est, ut de Melchiadis sententia judicaret; sed ut instrueret, frangerétque obstinatos, non majori quidem, sed repetitâ auctoritate. Alioquin si ideò Pontifices Concilio subduntur, quia causa semel à Pontifice decisa in Concilijs iterum examinata est, sequeretur Concilia etiam Imperatoribus subdi; cùm enim Donatistæ in Concilio Arelatensi damnati essent, illi ipsi ad Constantinum Imperatorem provocârunt, auditique sunt, ne aliquis esset excusationis locus: audi Augustinum: (a) *Atq; utinam saltem ipsius Constantini judicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, átque ut eis ipse cessit, ut de illa causa | post Episcopos judicaret, à sanctis Antistitibus posteà veniam petiturus, dum tamen alij, quod ulteriùs dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt; jussit enim ille, ut ei partes occurrerent Romam ad agendam causam, quò cùm Cæcilianus nescio qua de causa non occurrisset, præcepit, ut Mediolanum sequerentur, quò cùm etiam Cæcilianus perveniisset, ipsum quóque sicut scripsit, exhibuit, cognitáque causa, qua diligentia, qua cautela, qua provisione, sicut ejus indicant litteræ.* Vides hîc Cæcilianum jam à Synodo examinatum, auditum, absolutúmque: ab Imperatore citari iterum, examinari, absolvique; an ergo Imperator supra Concilium? quòd si non ideò Imperator supra Concilium, quia à Concilio ad Imperatorem provocatum est; quare Concilium supra Pontificem, quia à Pontifice ad Concilium Donatistæ provocârunt? si enim provocatio sit signum subjectionis, sequitur non solum Pontificem infra Concilium esse, sed etiam | Concilium infra Imperatorem: quippe & à Pontifice, & à Con-

(a) S. August. epist. 62.

à Concilio provocatum est; quòd si dicas temerariam fuisse à Concilio provocationem; dicam & ego temerariam fuisse à Pontifice Romano, & quid dico temerariam? (a) imò *perversam, impudentem, rabidam, furiosam, audacémque* Constantinus & Augustinus appellant.

At, *inquit*, Maimburgus, S. Augustinus eâdem epistolâ hæc habet: *Putemus illos Episcopos, qui Romæ judicârunt, non bonos judices fuisse; restabat adhuc Ecclesiæ Universalis Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si malè judicâsse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* Supponit ergo Augustinus, errare Romanum Pontificem, ejúsque sententias à Concilio corrigi, solvique posse, quæ omnia sunt argumenta superioritatis.

Resp. Si hæc sint argumenta superioritatis, sequitur omninò multò supra Concilium Pontifices esse, palàm enim est, ab istis Concilia Oecumenica non solùm correcta, sed etiam temeritatis damnata esse, cùm perperam de Episcopis eorúmque causis statuissent, quod suprà de Constantinopolitano & Chalcedonensi Concilijs, & testimonijs Leonis, Gelasij, & Gregorij ostendimus; nobis ergò pugnat Maimburgus, quamvis invitus. Sciendum igitur est sententias Romani Pontificis immotas quidem ratásque esse, nec ullius subjectas Tribunali, imò ab illis velut à quibusdam Lineis regulísque Concilia pendere, quod alibi fusè (b) ostensum est, fatetúrque & confirmat auctoritate S. Augustini Maimburgus ipse libro (c) de vera Ecclesia, quando videlicet tranquillo placidóque animo, & affectibus libero veritatem admittebat, adulandi adhuc rudis; sic enim scribit: *Apres que ceux de Cartage & de Numidie l' eurent jugé contraire alla Doctrine de la foy, on attendit la decision du Pape Innocent. Durant cette intervalle saint Augustin ecrivant à Hilaire d' Arles de cette Nouelle heresie de Pelagius, dit qu' elle non est pas encore ouuertement reconnüe par telle de toute l' eglise. Mais aussitost, que le Pape Innocent eut fait contre elle la Constitution, qui fut receuë auec tant d' applaudisement de toute le Chrestienté; alors le dogme de Pelagius fut tenù universelement par tout pour heretique, & ce saint Docteur declarant ce, que le souvrain Pontife avoit definì, auquel on auoit envoïé le deux Conciles d' Afrique, ajousta ces belles paroles: De hac causa jam duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam Rescripta venerant, causa finita est, utinam aliquando error finiatur. Je scays bien,*

(a) Constantin. epist. ad Chrestum Epis. Syrac. apud Eusch. lib. 10. August. epist. 162. (b) Regal. Sacerdot. l. 2. (c) Maimb. l. de la Uray Egl. sect. 7. fol. 304.

bien, que cette hæresie fut condamnée encore quelque temps apres au Concile d' Epheſe ; (a) *Mais ce fut ſans en faire une plus exacte diſcuſſion, & comme un erreur deja reprouvè par un jugement legitime, come les Peres le declarent dans la lettre ſinodale au Pape Celeſtin.* Hoc eſt: *Poſtquàm à Carthaginis, Numidiáq; Patribus declaratum eſt, hæresim nuper à Pelagio conceptam editámque fidei adverſari, adhuc tamen quid de illa Innocentius Papa definiret, expectabatur. Interim verò deciſione illius necdum vulgatâ, ſcribit Auguſtinus* (b) *Hilario Arelatenſi, errores Pelagij nondum à tota Eccleſia hæreſis damnatas; nondum,* inquit, *evidenter ab Eccleſia ſeparata eſt. Ubi verò Innocentij conſtitutio eam hæreſim damnantis ſummâ omnium gratulatione fidelibus innotuit; enimverò dogma Pelagianum à tota Eccleſia pro hæretico habitum creditúmque. Et ipſe S. Doctor, cum Populo explicaret, quæ in hac cauſa Romanus Pontifex, cui duo Africæ Concilia transmiſſa fuerant, decreviſſet, in hæc verba prorumpit digna memoratu: de hac cauſa jam duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam &c. Non me equidem latet, paucis poſt annis hanc ipſam hæreſim in Concilio Epheſino confixam eſſe; ſed id obiter curſúmque factum; quippe cauſâ per legitimum ac ſolemne judicium jam finitâ, quod Patres Epheſini in epiſtola Synodali ad Cœleſtinum Pontificem aperte profeſſi ſunt.* Hæc Maimburgus, cùm animo adhuc integro ſcriberet, intactóque affectibus aulæ, quibus fatetur, in rebus fidei dictâ ſemel à Pontifice Romano ſententiâ cauſam finiri, nec amplius aliquid ſupereſſe, quod oporteat à Concilijs agnoſci, decidique, eámque Auguſtini mentem, & Synodi Epheſinæ fuiſſe, quod & elegantibus verſibus S. Proſper inſinuat:

- - Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput Mundo, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Ergò ut oſtendi Papæ ſententia etiam ante vota Concilij firma & erroris tuta; ſæpè tamen eam Pontifices ad Concilium referebant, non quòd huic ſubeſſent, ſed quia in rebus factum ſpectantibus major penès plures, quàm unum notitia, & ut omnem tergiverſandi occaſionem adverſarijs adimerent; nec aliud Pontificis & Concilij Tribunal erat, ſed unum, idémque; quippe nihil valiturum, niſi Roma ſubſcriberet, & quod illi ſtatuiſſent, ipſa firmâſſet: Patres ergo numerum, ſed pondus Pontifices dabant;

(a) Concil. Epheſin. act. 5. (b) Auguſt. epiſt. 94.

id quod S. Zosimus eleganter expressit litteris ad Concilium Carthaginense datis: (a) *Quamvis*, inquit, *Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet: idque per Canones semper, regulásque servaverit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomine, à quo ipsa quóque descendit, reverentiam quam debet exolvat. Tamen cùm tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil edimus, quod non ad vestram notitiam nostrù ultrò litteris referremus, dantes hæc fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri, nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra Ecclesiæ utilitatem veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo &c. &c.* En tibi sententiæ nostræ, & confutati Maimburgi luculentum testimonium! Asserit Zosimus, tantam esse Apostolicæ Sedis auctoritatem, ut *de ejus judicio disceptare nullus audeat, nec ejus sententiam retractari posse, idque Patrum traditione acceptum, & firmatum esse.* Quid possit contra Maimburgum clarius dici? & observa non hæc in angulis, latebrisque Zosimum scribere, sed plena in luce, súbque oculis Carthaginensis Concilij, à quo facilè argui poterat, convincíque, nisi vera & comperta scripsisset vel dixisset. Quia verò Zosimo objici poterat, quod nobis objecit Maimburgus: *Cur videlicet summi Pontifices sententias suas Conciliorum examini submittant, si judicari à nullo possunt? Cur Innocentius Pontifex causas à se finitas ad Concilium Arelatense referri est passus?* Respondet Zosimus: *Non ideò factum, quòd aut nescirent Pontifices, quid fieri deberet, aut facere aliquid possent, quod Ecclesiæ utilitati adversaretur, sed ut fraternitati deferrent &c.* Ubi vides jam ante mille & ducentos ac supra annos, hoc est, florente Ecclesiâ, & ubi nulla fastûs suspicio, aut cupiditas aliena usurpandi, sententiam hanc nostram pro vera, certáque habitam, & Patrum traditione subnixam, videlicet sententias Romani Pontificis nullius judicio subjectas, & erroris expertes esse, id enim apertè sonant ea verba: *De ejus judicio disceptare nullus audet: nullus de nostra potest retractare sententia: non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra Ecclesiæ utilitatem displiceret &c.* Ergò cùm Pontifices præsertim in quæstionibus facti ad Concilia referunt; non id agitur, ut Concilium judicet, rescindátque Romæ judicata; id enim potestatis majoris esset, quam Zosimus Concilio negat, sed ut solùm meliùs Pontificem

(a) Zosim. epist. ad Episc. African. Anno 418. apud Baron. ad eund. Annum.

ſcem doceant, an factum ità ſe habeat, ſuggerántque, quid fieri oporteat; nam & Regio ſenatui nulla poteſtas reſcindendi à Rege decreta, ſed ſolùm oſtendendi, deprecandíque. Ita Concilij Arelatenſis res & cauſa ſe habuit.

XI. *Objcitur 6.* (a) Siricius Papa, qui Damaſo ſucceſſerat, apertè confitetur, ſe Concilio ſubjectum eſſe, cujus tam ingenua, & in re propria teſtantis Confeſſio maximi utique momenti eſſe debet. Durabat adhuc Antiochenum Schiſma, extinctis Paulino & Meletio Epiſcopis, quibus utriúſque fautores duos ſuffecerant, Flavianum videlicet Meletio, & Evagrium Paulino. Huic tam pernicioſo diſſidio componendo Concilium Capuanum indictum fuerat, Flaviano, Evagrióque citatis. Abfuit Flavianus, rogavítque Theodoſium Imperatorem, ut hæc cauſa alteri in Oriente Synodo committeretur; at Epiſcopi, qui Capuam convenerant, Theophilo Epiſcopo Alexandrino, alijſque Ægypti Epiſcopis hanc ipſam Flaviani Evagrijque cauſam delegant; Bonoſi verò (blaſphemiæ in Deiparam Virginem accuſati) Anyſio Epiſcopo Theſſalonicenſi, ſubjectíſque illi Epiſcopis: hi ad Siricium Pontificem deferunt. Siricius abnuit, negavítque facultatem ſibi eſſe eam cauſam cognoſcendi, quam Patres Capuani, Theophilo alijſque detulerant. Verba Siricij ſunt in epiſtola ad Anyſium Theſſalonicenſem: *Cùm hujuſmodi fuerit Concilij Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo atque ejus accuſatoribus Judices admitterentur, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non poſſit &c.* Et infrà: *Primum eſt, ut ij judicent, quibus judicandi facultas eſt data, vos enim totius Synodi vice decernitis, nos quaſi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* En Siricium Concilio ſubmiſſum! ſi enim major Siricij poteſtas, quàm Concilij eſſet, cur non poſſet Concilij decretum factámque delegationem reſcindere, & cauſam alijs Judicibus creditam, ad ſuum, hoc eſt, altius, præſtantiúſque Tribunal avocare?

Reſp. Hoc Maimburgi argumentum more ſolito multis partibus laborat. Nam *Primò* Concilium Capuanum non Oecumenicum fuit, ſed particulare; ſequeretur ergò etiam Concilio particulari Pontificem ſubijci, quod tamen etiam ipſe Maimburgus non admittit, ſic enim in hoc ipſo tractatu, quem refutamus, loqui-

(a) Maimb. Traittè de l'Egl. de Rom. ch. 19. f. 161.

loquitur: (a) *De plus come le Pape est en cette qualitè sans contredit par dessus chaque Evesque de qualque dignitè qu'il soit, & par dessus toutes les Eglises, & tous les sinods particuliers; on peut appeller de tous ces Eveques, & de tous ces sinods à son Tribunal.* Si ergo, ut hîc loquitur Maimburgus, *Pontificis Romani Potestas omnibus Ecclesijs, Synodisque particularibus præstat, ideóque ab omnibus particularibus Synodis ad Tribunal Romanum appellari potest;* si inquam ita res se habet; quâ fiduciâ Maimburgus dicere potuit, Siricium Capuensi judicio subjectum, & hujus Decreto alligatum fuisse? *Secundò.* Sed etiam ipsi Patres Capuensis Synodi inter quos præcipuus Ambrosius, quamvis hujus causæ cognitionem Theophilo, aliisque detulissent; semper tamen quidquid illi judicâssent, Pontificis Romani judicio & approbationi subjecerunt. Verba Ambrosij ad Theophilum Alexandrinum hæc sunt: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant; ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod Communioni nostræ dissensum non asseret; ut nos quóque acceptâ nostrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.* Vides tantum abfuisse, ut Patres Capuenses, & inter illos Ambrosius crediderint Romanum Pontificem Concilij Delegatis subesse, aut rescindere non posse ab istis judicata, ut potiùs eam regulam Delegatis præscriberent; ne videlicet, quidquam judicarent, quod *Romano Pontifici displicere, aut comprobari ab eo non posset.* Agnovit ergo Concilium, esse altius aliquod Tribunal, cui placere oporteret, & cujus censuræ Concilij acta subjacerent. *Tertiò.* Sed illud quóque mirum, voluisse Maimburgum ad confirmandam tanti momenti causam, epistolam adhibere dubiæ omnino incertæque fidei; illam Maimburgus Siricio adscribit; at illa nec inter Siricij epistolas reperitur, nec Siricij nomen, sed Ambrosij præfert, habetúrque libro 10. epistolarum Ambrosij epistolâ 79. cum hac inscriptione: *Divi Ambrosij ad Theophilum & Anysium, excusantis se de Judicio ferendo inter Bonosum Episcopum, &c.* Et quamvis negent aliqui eam epistolam Ambrosij esse; non continuò sequitur esse Siricij, quæ enim hæc consequentia, ut ideò eam Siricius scripserit, quia non scripsit Ambrosius?

Quartò.

(a) Maimb. Traittè. de l'Egl. de Rom. ch 5. f. 43.

Quartò. Sed demus ſcripſiſſe Siricium, non tamen ſequitur aliquid ab eo derogari Pontificiæ poteſtati: nec enim paſſim & ſine magna, urgentéque ratione Pontifici licet ordinem, gradúſque judiciorum, & Conciliorum ac Sacerdotum judicia, ſententias & privilegia turbare, & cauſas alijs commiſſas ſuo tribunali vindicare; imò nulli æquè ut Romano Pontifici incumbit, Conciliorum & Epiſcoporum jura & prærogativas cuſtodire, quod eleganter Gregorius Magnus hiſce verbis expreſſit: (a) *De Eccleſiaſticis Privilegijs, quod veſtra fraternitas ſcribit, hoc poſtpoſitâ dubitatione tenent; quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quóque Eccleſijs ſua jura ſervamus, nec cuilibet favente gratiâ ultra quàm meretur impertiar, nec ulli hoc, quod ſui juris eſt, ambitu ſtimulante derogabo: ſed fratres meos per omnia honorare cupio, &c.* Extátque ejuſdem Divi Gregorij exemplum memoriâ dignum: cùm enim Trajanus quidam Melitam Inſulam, ubi Epiſcopus deſignatus erat, proficiſceretur, quatuor ex Monaſterio Syracuſano Monachos petijt, viæ & curarum ſolatio futuros; conceſſit Gregorius, eâ tamen lege, ut Epiſcopi Syracuſani, cui Monaſterium illud ſubjectum erat, licentia & facultas accederet. *Petijt*, inquit Gregorius, *à nobis Trajanus, ut de Monaſterio, quod in civitate Syracuſana ſitum eſt, ei quatuor, vel quinque dari Monachi debuiſſent; quia ad Locum proficiſcens incognitum, ſi proprios, quorum conſolatione utatur, non habeat mens affecta triſtitiâ, minùs ſe ad ea, quæ ſunt utilitatis erigit, & antè incipit ſuccumbere, quàm laboret. In qua re, ne Reverendiſſimi fratris & Coëpiſcopi noſtri Joannis privilegiorum videremur prærogativam minuere, ita hoc illi noveris eſſe conceſſum, ut tamen fratris noſtri Joannis ſit arbitrio per omnia ſervatum.* Siricius ergo cùm noluit cauſæ Bonoſi Epiſcopi ſe immiſcere, non id fuit, quòd crederet ſententiam & Decretum Concilij non ſubjacere Tribunali Romano, imò & Patres Concilij, & ipſe Maimburgus, ut vidimus, ſubjacere profeſſi ſunt; ſed quòd non appareret publica urgénſque ratio eam cauſam avocandi; nihil ergo Pontificiæ poteſtati, quam defendimus, obſtat exemplum Siricij: & cùm Maimburgus dixit: *Exemplo Siricij nihil clarius, ſinceriúſque contra Pontificiam auctoritatem afferri poſſe*; conſtat unum eſſe ex ſolitis Maimburgi ſtrategematis, ingentibus promiſſis Lectorem fallentis, & cui meritò applicare poſſis illud Divi Auguſtini

(a) S. Gregor. M. epiſt. ad Domin. Carthag. Epiſc. l. 2. ep. 39. V. cauſam 25. q. 2.

stini Symbolum de utre inflato: (a) *Utres*, inquit, *duos si videas, unum plenum, alterum inflatum; in utróque eadem est magnitudo, sed non in utróque eadem plenitudo: si attendas, falleris, si appendas invenies.* Sic ergo se habent Maimburgi argumenta, ut videlicet magna appareant videnti, sed inania ponderanti.

Objicitur 7. Innocentius Primus, cùm à Johanne Chrysostomo (qui æmulorum factionibus, Theophili præsertim, damnatus pulsúsque fuerat) appellaretur? Chrysostomum ad Oecumenicum Concilium remisit, jussitque ab hoc solo remedium expectare, sibi enim nec vires, nec aliud consilium suppetere; verba Innocentij sunt: (b) *Quodnam remedium hisce malis afferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio; ea sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retardare potest.* Et infrà: *Ac nos quidem multum deliberamus, quonam modo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam turbulenti isti motus consopiri possint. Expectemus auxilio DEI cuncta nobis esse restituenda.* Agnoscit ergò Innocentius (c) plus auxilij & auctoritatis in Concilio, quàm Pontifice Romano esse; alioquin cur Chrysostomum ad Concilium remittit? cur remedia in tam longum tempus, & tam lentum Senatum differt? cur nullum aliud remedium præter Concilium supereſse profitetur? imò multò promptius superarat, multóque validius, sententia videlicet Pontificis Romani, si major hujus, quàm Concilij auctoritas fuit. Hoc Innocentij exemplum adeò Maimburgo placuit, ut postquàm illud recitâsset, suásque ex illo consequentias deduxisset, in hæc verba prorumperet. *Potuissetne*, inquit, *clarioribus verbis exprimere Innocentius auctoritatem Concilij ad multò plura extendi, majoremque quàm Pontificis Romani esse, sicq; Pontificem Concilio subesse?*

Resp. Adeò hoc argumentum nihil probat, ut potiùs in antiquum lapidem Maimburgus impingat, semperque magis ac magis ostendat, se ne statum quidem ejus quæstionis intelligere, quam tanto labore agitandam suscepit, perinde ac si jaculum mitteret scopi metæque ignarus. Nec enim à nobis quæritur, an Concilium à Pontifice coactum, directum, approbatúmque sit supra Pontificem? id enim parum ad praxim usúmque pertinet: sed

(a) Augustinus serm. 112. de Temp. (b) Innoc. epist. ad Cler. Constantinopolitan. Anno 404. (c) Maimburgus cit. fol. 163.

sed tota quæstio in eo vertitur, an Concilium Papæ oppositum, & ab isto non approbatum, quale Basileense fuit, præponi Pontifici debeat, adeò ut Concilio magis, quàm Pontifici deferri oporteat contraria decernenti, & Concilium improbanti. Patet ergò nihil probare Innocentij exemplum; cùm enim dicit, afflictis Chrysostomi rebus *solum Concilium posse subvenire*, de Concilio loquitur non acephalo, non improbato, non Pontifici adverso, sed cum isto consentiente, nulla ergò consequentia ab uno ad alium, & tam disparatum casum. Et meritò tunc temporis credidit Innocentius adjuvando Chrysostomo non sufficere solius Pontificis manum, sed expectandum Concilium; quippe si solus Pontifex Theophili sententiam & judicium rescinderet, cui tot alij Orientis Episcopi subscripserant; timendum omnino erat, ne Schisma conflaretur; Græcis ingenitâ levitate fastúque ad omnia promptis, & præsertim Augustis Chrysostomo adversantibus, quæ posteà Photiano Schismati causæ fuerunt. Prudenter ergò Innocentius vitando civili bello Concilium indici voluit, quo Chrysostomi causa majori non tantùm auctoritate, sed etiam numero fulciretur, nec ulla Græcis tergiversandi causa superesset, si pleno totius Ecclesiæ senatu vincerentur. Innocentius ergò ut necessitati consuleret, potestatem sepositi. Idem responderi debet ad exemplum Innocentij III. qui urgenti Philippo Augusto divortium Ingelburgæ Reginæ, respondit: *Non posse à se aliquid ex suo sensu pro Rege definiri, nec debere absque deliberatione Concilij aliquid determinari.* Loquitur enim Innocentius de Concilio, cui Pontifex præest, approbátque; non verò de Concilio Papæ adverso, de quo solùm est quæstio: & meritò Pontifex in re tanti momenti, & publico omnium scandalo juncta, támque ambigua, varijsque & contrarijs opinionibus agitata (constat enim in Concilio Suessionensi quindecim totos dies in utrámque partem disputatum esse) & eo tempore, quo Innocentius Philippi Regis operâ armísque præcipuè utebatur; prudenter rem ad Concilium retulisse, sive ut longis dilationibus amantem Regem fatigaret, sive ut odium repulsæ in alios conferret. Verba Innocentij hæc sunt: *Si super hoc absque generali deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter Divinam offensam, & mundanam infamiam, forsan Ordinis & officij nostri*

periculum immineret, cùm contra veritatis sententiam (quod DEUS conjunxit, homo non separet) nostra non possit auctoritas dispensare. Vides Innocentium non de *sententia* Concilij, sed *deliberatione* loqui, quæ nullam infert superioritatem: deliberationem verò prætexit ob allatas causas; alioquin palàm erat, non magis posse Concilium dispensare in præcepto Divino de non dissolvendo Matrimonium ratum & consummatum, quàm Papam; qui si contra tam clarè in Evangelio expressam veritatem dispensaret; meritò hæresis suspectus esset, sicque *ordinis & Officij sui periculum* adiret.

Objicitur 2. (a) In Concilio Romano sub Symmacho Pontifice Decreto Patrum sub gravi pœna veritum est, ne bona Ecclesiæ Romanæ quovis necessitatis obtentu in perpetuum alienentur. Cùm verò sex & triginta post annos Agapetus (b) Pontifex rogaretur, ut hujusmodi prædium alienari permitteret sublevandæ pauperum necessitati; respondit, non posse se ullâ ratione in hanc alienationem consentire: *Divini enim*, inquit, *consideratione judicij, necesse nobis est, quidquid sancta Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire.* Si ergo Concilium aliqua prohibere Pontificibus potest, & si facultas non est Pontificibus rescindendi à Concilijs statuta, constat ergo majorem Concilijs auctoritatem, quàm Pontificibus esse, & istos subdi illorum Decretis.

Resp. Errat iterum Maimburgus, recedítque à statu quæstionis; alia enim quæstio est, an quando Pontifex & Concilium contraria sibi sentiunt, major sit Pontificis, quàm Concilij auctoritas? Alia: an Pontifex Decretis Concilij à Papa comprobatis teneatur? fieri enim potest, ut Pontifex aut alius Princeps, ejus legibus teneatur, cui subjectus non est: quis enim nescit, nec sibi Pontificem, nec Antecessoribus subjectum esse, cum quibus pari fungitur potestate? & tamen communis cum Sacrorum, tum prophanorum Doctorum sententia est, Principem quemlibet, præsertim verò Summum Pontificem tam suis, quàm Antecessorum legibus quoad vim directivam obstringi: idque à Sanctis Patribus, (c) sacrisque

(a) Maimb. cit. ch. 19. f. 167. Concil. Rom. sub Symm. PP. de non alien. reb. Eccles. c. 4. Anno D. (b) Agapetus epist. ad Cæsar. Arelat. (c) V. Gelas. epist. ad Episc. Dard. in c. confidimus 25. q. 1. Ivon. ep. ad Hug. Arch. Lugdun. c. contra statuta 25. q 1. Greg. PP. l. 5. ep. 12. in c. justitiæ 25. q. 1. Leo PP. Pelagius, Isidorus in causa. 25. q. 2. & c. justum d. 9. & S. Th. 1. 2. q. 96. ar. 5.

crísque Canonibus sæpè repetitum est, docétque S. Thomas Theologorum Princeps; non ergo sequitur Pontificem Concilio subdi, quia Concilij à se approbati Decretis tenetur, nam & suis legibus & Antecessorum tenetur; nec ideò tamen aut sibi, aut Antecessoribus suis subjectus est, minorique potestate. Sciendum ergo est, postquam semel Decretum aliquod statutum in Concilijs fuit, resultare hoc ipso obligationem naturalem, quæ Legislatorem etiam obstringat ad legum suarum observantiam, quantum videlicet ejus status & conditio patitur; cùm enim proximus legum finis sit earundem observatio, ac promotio boni publici, nihil verò magis legis observantiam, & communem utilitatem ex legum observantia redundantem impediat, quàm si Legislator ipse in legem offendat, eámque suo exemplo contemptui ac ludibrio exponat, (imitantur enim subditi vitia Principum, quibus auctoritas delinquentis venerationem & speciem, imò impunitatem conciliat; quâ enim fiduciâ sua scelera in alijs puniant?) inde fit, ut ex natura legis, & Justitiæ, officiique, quo Principes fungantur, ac subditos ad legum observantiam urgere tenentur, ac transgressores pœnis afficere, ut ipsi quóque Principes suis & Antecessorum legibus obstringantur: non quòd Principes aut sibi, aut Antecessoribus subdantur, sed quia legum natura, ac ratio officij id à Principe postulant; hanc obligationem agnovit etiam Christus, quando Pharisæis exprobravit: (a) *Quòd gravia hominibus onera imponerent, quæ ipsi nollent digito tangere.* Agnoverunt etiam Prophani, ac Gentiles scriptores, apud quos toties hæc axiomata reperies, videlicet: *Quod quisque juris in alium statuit, ipse eodem jure uti debet.* Et: *Patere legem, quam ipse tuleris, &c.* Et S. Ambrosius (b) epistolâ ad Valentinianum Imperatorem: *Quod cùm præscripsisti alijs, præscripsisti etiam tibi; Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Aliud ergo Maimburgus probavit, quàm probare oportuit; probavit enim Pontifices Decretis Conciliorum à se probatorum obligari; at hoc probandum non erat, quippè à nobis concessum. Illud ergo probandum erat: *Pontificem Decretis Conciliorum teneri, quæ ipse improbavit.* Hoc tacuit Maimburgus; falsi enim convinci poterat, patuitque in Constantinopolitano, & Chalcedonensi, quorum Decreta, quamvis Oecume-

(a) Matth. 23. (b) Ambros. l. 5. epist. 32. ad Valentin. Imperat.

nica essent, non sunt tamen omnia à Pontificibus accepta, imò rejecta, tantum abest, ut se illis subjectos crederent. Imò si à Decretis Conciliorum etiam Generalium argumentari licet, fortissimum pro Pontifice habemus argumentum; certum enim est, Dispensationem esse actum superioris: at verò quis nescit in Decretis Conciliorum sæpissimè dispensâsse Pontifices? quod alibi (a) demonstratum est.

XII. *Objicitur 9.* (b) Silvester II. Romanus Pontifex, & eruditione celeberrimus, in epistola, quam ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum scripsit, hæc habet inter alia: (c) *Constanter dico, quòd si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, sæpiúsque admonitus Ecclesiam non audierit; hic inquam Romanus Episcopus præcepto DEI est habendus sicut Ethnicus & Publicanus.* His Silvestri verbis, hæc Maimburgus ex suo addit commentarij loco: *Potuissetne*, inquit, *clarioribus verbis hic Papa profiteri; Pontifices Romanos, quantumvis Ecclesiæ capita, non ideò tamen Legibus Conciliorum, quæ Universalem Ecclesiam repræsentant, exemptos esse?*

Resp. Gerberti testimonium, qui posteà Silvester II. dictus est, pudori potiùs Maimburgo esse debuit, quàm argumento: ego, ut veritatem intelligas, rem totam à principiis suis evolvam. *Anno DCCCCLXXXVII.* Ludovico V. Francorum Rege extincto, in thronum evectus est Hugo Capetus, Parisiensium Comes; is è Regio quidem Francorum sanguine ortum duxerat, quod alibi ostendimus, sed dubium non erat, deberi Regnum Carolo Lotharingiæ Duci, quippe Ludovici Patruo, proximóque sanguinis Regij; sed quòd Imperatori, Germaníque nimiùm adhæreret, Gallos offenderat, averterátque. Natum Civile bellum, Hugone Carolóque pro Corona certantibus, & initia quidem Carolo fausta, Lauduno tunc Regiâ Civitate Rhemísque captis, idque ut ferebatur operâ & proditione Principis Arnulphi, posteà Rhemensis Archi-Episcopi: quas Insulas cùm acciperet, juramento se Hugoni Regi devinxerat, sed Patrui amor juramento & fidei præpotuit, Rhemósque hosti aperuit. Hugo collectis iterum copijs Lauduni languentem Carolum obsidet, capítque, & Aurelianis custodiæ mandat: secuta Rhemorum deditio, & Arnulphus proditionis ac Majestatis reus Concilio Rhemensi sistitur, cui inter alios Seguinus

(a) Vide Regal. Sacerdot. fol. 581. (b) Maimb. cit. ch. 29. fol. 169. (c) Epist. 2. Gerberti ad Seguinum Ep Senon.

nus aderat Archi-Episcopus Senonensis & Apostolicæ Sedis Legatus. In hac Synodo certamen primò fuit de Patrum potestate, an vid: exauctorare illis Episcopum liceret sine Romani Pontificis assensu ? negabant qui Arnulphum tuebantur, inter quos Abbo Floriacensis Abbas præcipuâ doctrinâ ac sanctitate, & posteà Martyr : *Quippe ex sacrorum Canonum sententia majores causas & Episcoporum depositiones Romano Pontifici reservari.* Sed vicit opinio adversantium Arnulpho: *Missos Romam Legatos octodecim mensium spatio, ad limen palatij præstolatos esse ; non admissos, non auditos redijsse ; ergò tam longum silentium pro assensu esse, impletúmque quidquid Pontifici deberetur tam prolixo obsequio.* Stabilitâ Concilij auctoritate damnatus Arnulphus, cùm priùs delictum confessus esset, sacrísque infulis exutus, & Gerbertus depósito suffectus. Seguinus recusavit sententiæ subscribere ; reliqui Episcopi quamvis inviti, metu tamen & reverentiâ Regis Arnulpho infensi vinci se passi sunt : (a) *Venerabilis autem Seguinus Archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti ; jussio autem Regis urgebat : alij verò Episcopi licèt inviti, tamen propter timorem Regis degradaverunt Arnulphum, & ordinaverunt Gerbertum.* Maimburgus, (b) *decipi hunc auctorem* dicit, *& apertè falsa narrare, nullámque speciem veritatis habentia ; se verò hanc Gerberti historiam ex monumentis fide dignissimis, quæque in dubium vocari haud possint, recensere.* Si verò ab eo quæras ; quæ nam ea sint monumenta fide dignissima? nulla alia profert, quàm epistolas Gerberti, & acta Synodi Rhemensis ab eodem Gerberto conscripta ; quæ Sectarij nostrorum temporum, perinde ac si Thesaurum reperissent, duplici editione (c) in lucem protulêre. Gerbertum verò constat amarissimo in Pontificem animo fuisse, quippe hujus auctoritate sede Rhemensi ejectum, & ipse fatetur Maimburgus (d) *Gerberti scripta, præsertim epistolas ad Seguinum datas plus fellis, quàm rationis habere.* Ipse Gerbertus, ut habetur in appendice Aimoini, (e) *intelligens, quòd injustè Pontificalem susceptisset dignitatem, pœnitentiâ ductus est ;* quando videlicet misso Leone Apostolicæ Sedis Legato, novâque Synodo Rhemis coactâ, Arnulphus sedi restitutus

(a) Aimoin. l. 5. (b) Maimb. de la decad. l. 1. fol. 95. (c) Magdeburg. Centur. 10. cap. 9. & seorsum Francofur. Anno 1600. (d) Maimb. de la decad. l. 1. f. 94. (e) Aimoin. l. 5. c. 45.

tus est Gerberto pulso; qui Gallis offensus, à quibus desertum se viderat, in Germaniam ad Ottonem III. confugit, & hujus patrocinio Pontificatum adeptus est; damnavitque, quæ tantâ olim contentione contra Arnulphum, Romanúmque Pontificem declamaverat, sic enim scribit in epistola ad Arnulphum, quam Balluzius recitat: (a) *Quapropter tibi Arnulpho quibusdam excessibus pontificiali honore privato subvenire dignum duximus, ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari.* Vides hîc fatentem Gerbertum, non debuisse sine Romano consensu Archi-Episcopatu exui Arnulfum; & ipse de Marca ac Glossa Pragmaticæ Sanctionis Depositiones Episcoporum soli Pontifici reservatas esse agnoscunt: (b) *Idque in Gallia, reliquisque Orbis Christiani Provincijs receptum esse, & in mores versum.* Ex quibus jam videas, quàm falsò dixerit Maimburgus: *Gerberti scripta esse omni fide dignissima, & quibus cedere debeant, quæ Continuator Aimoini posteritati reliquit.* Ergò ex calculo Maimburgi, quæ ab irato, ab offenso, ab hoste scripta sunt, quæque revocata, correcta, & in publica Synodo deleta, ac ab hæreticis evulgata in odium sedis Romanæ, *monumenta sunt fide dignissima, omníque dubio majora.* Quæ ergo erunt indigna fide? Planè vel hoc uno exemplo patet, quantum excæcandis hominum mentibus, delendísque communis vitæ, ac rationis humanæ principijs animi passiones valeant. Quòd verò ad Aimoini Continuatorem pertinet, & quem Maimburgus suspectæ fidei reddit; Lectoris omniúmque prudentum judicio relinquimus, illi magis fidem habere velint res ferè suorum temporum, sed tamen aliena non sua, & quorum nullâ curâ aut lucro, damnóque tangebatur, narranti; an Gerberto tot titulis offenso, iratóque, & quem ipse Maimburgus (c) fatetur *plus iræ, quàm rationi & veritati indulsisse.* Jam ergo ex hac Gerberti historia facilè intelligas, quàm nihil ad rem faciat Maimburgi argumentum, quámque multis partibus erret; illa enim Gerberti verba, quibus dicit: *Pontificem admonitum, nec Ecclesiam audientem tanquam Ethnicum & Publicanum habendum esse:* perinde recenset, ac si à Gerberto jam Pontifice dicta essent (ut videlicet tantò sit fortius argumentum ex confessone ipsius Pontificis pe-

(a) Balluz. ad lib. 7. de Marca c. 25. (b) De Marca l. 7. c. 25. n. 9. Guim. in Gl. Pragm. tit. de Concub. (c) Maimb. de la Decad. l. 1. fol. 95.

petitum) sic enim scribit: (a) *Sur quoy ce Pape ecrivant à Seguin, non à point fait de difficultè de s'esprimer en ces termes extremement forts, &c.* Et infrà: *Ce Pape peut il faire entendre plus clairement, che les Papes sont soumis au Concile General?* Quibus verbis apertè Lectorem fallit; nec enim Pontificis hoc est testimonium, nec ea Gerbertus scripsit, cùm jam Pontifex esset, sed adhuc Monachus, & iratus, offensúsque Pontifici, qui unus obstabat, ne infulis Rhemensibus potiretur; imò Pontifex factus se ipsum correxit, revocavitque tam imprudenter olim effusa, ut ex epistola ad Arnulphum ostendi: hæc omnia Maimburgus aut mutavit, aut tacuit, ut ita argumento planè inani inutilíque speciem aliquam veritatis afferret artificio planè indigno, & quod non dicam in historico & Sacerdote, sed ne in plebejo quidem feras.

Postquam Maimburgus capite 19. ex Pontificum testimonijs, quæ modò refutavimus, conatus fuisset ostendere Pontifices subjacere Concilio; caput 20. subjungit, in quo testimonia Pontificum recenset, qui sacris Canonibus, sacrorúmque Conciliorum Decretis teneri se profitentur; ex quo concludit, infrà Concilium Pontifices esse: sed hoc jam suprà ad objectionem octavam refutavimus, & ita repetere nolumus jam semel dicta. Illud discussione indiget, quod circa finem ejus capitis de Appellatione ab abusu commemorat, quódque in sequenti Paragrapho explicandum suscipimus.



(a) Maimb. Traittè de l'Egl. ch. 19. fol. 169.

§. II.

De Appellationibus tanquam ab abusu.

SUMMARIA.

1. Quinque Parisienses propositiones eò pertinere, ut omnes causæ spirituales Parlamento prophanisque Tribunalibus subdantur, idque testimonio Maimburgi palàm fieri. Appellationes ab abusu Concilio Oecumenico substituentis.

2. Appellationes ab abusu recentes esse, & præteritis retrò annis ignotas, idque testimonijs Constantini & Theodorici ostenditur.

3. Earum Appellationum injustitia tum ex ipso Appellationis nomine, tum ex gradibus, quibus provectæ sunt, probatur.

4. Et ex querelis Cleri Gallicani, eas Appellationes improbantis.

5. Et ex varijs rationibus.

6. Respondetur ad Regiorum argumenta.

I.

MAimburgus finem capitis vigesimi his verbis concludit: (a) *Cùm Romani Pontifices limites à sacris Canonibus præscriptos transgressi suâ potestate abuterentur; ad futura Concilia appellari cœptum est. Id in causa Bonifacij VIII. factum, in omnium Regum coronas dominatum usurpantis. Iterúmque ab Universitate Parisiensi, ubi contra Canonum præscripta, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, Decimis se onerari, alijsque exactionibus sensit. Sed præsertim & frequentius id agitatum in Germania. Verùm cùm illæ ad futurum Concilium appellationes, aut nemis*

(a) Maimb. Traittè de l' Eglise. ch. 20. fol. 181.

nimis lentum remedium afferrent grassantibus malis, aut Pontificiæ auctoritati, sententiisque eludendis adhiberentur, unius ferè sæculi morâ, quæ convocandis Concilijs necessaria est, & ideò à Pio II. Julióque II. hujusmodi provocationes jure merito damnatæ sunt. Aliud remedium in Gallijs successit, Appellationes videlicet tanquam ab abusu, à Summis Pontificibus ad Parlamentum factæ, id quippe Majestatem, Justitiámque Regis repræsentat; & ad hunc velut ad Canonum protectorem spectat, providere, ne quid attentetur illis contrarium; imò & Bullas, sententias, legésque Ecclesiasticas ad examen, judiciúmque suum revocare, arbitrarique, an aliquid Canonibus, ac Gallicæ libertatibus adversum complectantur. Hactenus Maimburgus, ubi planè faciem nudavit, seque ipsum agnoscendum proposuit, & quò tenderent propositiones Parisienses ostendit, toties & tam quæsitis coloribus pietatem professæ: ut nimirum tota de rebus causisque Ecclesiasticis potestas, ad Reges & Parlamenta, forúmque sæculare transferatur: & hanc vocant Gallicanæ Ecclesiæ libertatem, Regi & senatoribus Regijs servire. Errant, *inquiunt*, falluntur Pontifices, ergo Concilijs subdantur; sed quia longum est, molestúmque Concilia expectare; subdantur Regi & Parlamentis, profanisque tribunalibus; & ne velum desit tam pudendo facinori, abusus Pontificiæ potestatis vocetur, quidquid non placet. Possit error, possit fraus, possit ignorantia in Pontifices cadere; non possit in Regem & Parlamenta: & ea infallibilitas, quæ Pontifici debebatur, Regibus & Parlamentis donetur: isti sedeant, judicéntque, Reo interim Pontifice, & ad pedes prophani Tribunalis sententiam præstolante, & hoc ipsum appelletur *libertas Gallicana.* Potéstne à Maimburgo dici, imò cogitari aliquid indignius Christianâ pietate? sed rem ipsam aggrediamur.

II. *Primò.* Constat hujusmodi appellationes tanquam ab abusu novas esse recentésque, & ultimis sæculis natas, quando videlicet & disciplinæ Ecclesiasticæ fastidium, & libido opinandi nova, glisscénsque adulatio, ac etiam aliquorum Pontificum prædura imperia medicinas quærere coegerunt morbis pejores. Feuretus putat anno 1404 primùm emersisse. Auctor (a) liberratum Ecclesiæ Gallicanæ ad Annum 1489. refert. Acta Cleri Gallicani non

(a) Carolus Feuretus l. 1. c. 2. Auctor libert. Gallic. Tom. 1. pag. 96. Acta Cleri Gallic. Tom. 1. Tit. 2 c. 19. Stephan. Pasquier. l. 3. c. 38. V. Tract. de liberr. Eccles. Gallic. lib. 12.

ante annum 1533. cœpisse. Eadem ferè sententia Petri de Marca, aliorúmque Galliæ scriptorum, ex quibus jam facilè intelligas hujusmodi provocationes vel ex hoc capite improbandas esse, quòd novæ sint; semper enim novitas in ijs, quæ ad fidem, ac disciplinam Ecclesiasticam pertinent, suspecta fuit, præsertim cùm Canonibus, praxíque Ecclesiæ adversabatur. Audi S. Vincentium Lerinensem (a) in præclaro suo Commonitorio: *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque Religiosior foret, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.* Et alibi: *Christianus ergo Catholicus providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.* Et planè si totam percurras antiquitatem, nunquam reperies appellationes ab Ecclesiastico ad prophanum tribunal sine horrore & execratione auditas esse, cujus in Donatistis egregium exemplum; cùm enim isti à sententia Melchiadis, Romanæque Synodi, aut ut alij volunt, à Synodo Arelatensi ad Constantinum provocâssent; is teste Optato Milevitano, rei indignitate commotus in hæc verba prorupit: (b) *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Quibus verbis non id tantùm objurgat Constantinus, quòd Donatistæ ex levibus causis appellâssent (hujusmodi enim appellationes, ne quidem à Gentilibus admittebantur) sed quòd ab Ecclesiastico tribunali, & in causa Ecclesiastica ad Imperatorem provocâssent. Quid jam diceret Constantinus, si has ipsas provocationes, & suscipi in Gallia, & defendi ut legitimas videret? Memoratu quóque digna est illa Theodorici, quamvis Ariani, sententia, qui cùm à Patribus, quid in causa Symmachi Pontificis agi vellet, consultus esset? Respondit modestiâ Rege dignâ: (c) *In Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere.*

III. *Secundò.* Sed & ipsum nomen appellationis injustitiam istarum provocationum ostendit: Appellatio enim *est à minori Judice ad majorem facta provocatio*: atqui potestas sæcularis etiam Regia multò est minor omni potestate Ecclesiasticâ; quâ ergo ratione à majori potestate ad minorem appellatur? Demus injustas esse Episcoporum & Pontificum sententias; num ideò, quia injustæ sunt,

(a) Vincent. Lerin. lib. 1. Commonit. c. 3. & 9. (b) Optatus lib. 1. contra Parm. (c) V. acta Synod. Palmar. Anno 502. & ibi Baron. ad eund. Annum n. 14.

ſunt, debent majori injuſtitiâ propulſari ? quæ verò major injuſtitia, quàm privatam injuriam publico Eccleſiæ dedecore ac damno vindicare, eámque non alieno tantùm tribunali, ſed etiam minori ſubijcere ? ſi ergo Reges ſuâ poteſtate abuti contingat ; an ideò privatis Civibus à Regia ſententia obtentu abusûs ad Parlamentum appellare licebit? & ſi quis id audeat, non in illum tanquam læſæ Majeſtatis reum vindicabunt? ſi ergo nullo abusûs prætextu appellari à Rege ad Parlamentum non licet, quantò minùs licebit à Pontifice ad Regem, aut Parlamentum ?

Tertiò. Nihil verò iſtarum Appellationum indignitatem æquè prodit, ut illi gradus, quibus ad ſummum licentiæ & inverecundiæ pervenerunt. Primò enim exortu modeſtè, timidéque ac intra neceſſitatem procedebant, quæ cauſa fuit, ut Eccleſiæ irreperent conniventibus, nec invitis Epiſcopis, aut inobſervatæ videlicet, aut contemptæ, & præſertim quòd ſoli Pontifici objectarentur, cujus poteſtatem arctari, non ingratum Epiſcopis amore libertatis. Initio igitur eò ſolùm pertinebant hujuſmodi appellationes, ut executio ſuſpenderetur, nec ultra temporalia aut beneficia proferebantur. Deinde coacti Epiſcopi, ut Decreta, quæ accuſabantur, revocarent. Poſteà ab ipſomet ſenatu irrita & nulla declarata ; tandem in omni cauſa ſpirituali, Matrimoniali, ac Sacramentali appellari cæptum eſt ; ut enim nulla cauſa, in qua aut committi abuſus, aut fingi, & prætexi non poſſit, ita etiam nulla hujuſmodi appellationibus non obnoxia, ſic enim loquitur Jacobus Duhamel in ſua Politica Regia, quam exhibet Compilator Libertatum Gallicarum Tomo 1. fol. 590. *Si contra has regulas,* inquit, *edicta, Conſtitutiones, & placita Curiarum ſupremarum, ſi contra libertates & Immunitates Regni, ſi contra Juriſdictiones Regias, aliquid à Judicibus Eccleſiaſticis fieri, vel attentari contigerit ; remedium eſt Appellatio, quaſi ab abuſu : idque intelligo non ſolum de cauſis Criminalibus Regijs & privilegiatis, ſed etiam de rebus Civilibus ſæcularibus, & profanis ; imò etiam ſpiritualibus & ſacramentalibus : eſt enim Appellatio quaſi ab abuſu, via ad tribuendum Curijs Parlamentorum rerum ſpiritualium cognitionem, quæ aliàs ipſis non competeret.* Nulla ergo eſt cauſa tam ſancta, quæ juriſdictionem Parlamenti, iſtarúmque Appellationum laqueos effugere poſſit. Rurſus appellari etiam ſolet, quando abuſus non eſt notorius, unde facilè fuerit abuſum

fingere, & causari, quando & ubi nullus abusus est, sicque omnes sententias Ecclesiasticas ludificari abusuum prætextu. Accedit quòd hujusmodi Appellatio nullo tempore finiatur, ac etiam post centum annos proponi possit, etiam post tertiam conformémque sententiam, etiam non servato Tribunalium ordine; & Judex Ecclesiasticus interpositâ eâ Appellatione ad Magistratus sæculares, supersedere interim executione debet: ut tandem, qui hujusmodi Appelllationibus repugnaverit, litémque indixerit, reus habeatur contemptæ Majestatis, quæ omnia constant ex Feureto l. 1. quem de hoc argumento conscripsit. Vides ergo Appellationum tanquam ab abusu, conservandorúmque canonum prætextu omnium maximum abusum induci, & canonicam disciplinam maximè ac in suis fundamentis everti; quis enim abusus major, quàm qui sacram, prophanámque potestatem confundit; imò sacræ potestati omnem nervum incîdit, eámque penitùs inutilem reddit appellationum objectu? aut quid sacris Canonibus magis adversum, quàm quod Immunitatem Ecclesiasticam tot Canonibus, tot Martyrum pugnis sancitam penitùs evertit?

IV. *Quartò.* Et ideò Clerus Gallicanus de hisce Appellationibus tanquam ab abusu, frequenter & gravissimè conquestus est, quippe cùm totam Ecclesiæ libertatem aboleri jis videret. Extant inter acta Cleri Gallicani Tom. 5. Orationes, & alia innumera ferè documenta, ex quibus apparet Antistites Galliæ omnibus viribus connisos esse, ut hujusmodi Appellationes sacræ libertati fatales submoverentur; sed cùm sustinere torrentem non possent, illud saltem conatos, ut earum abusus quibusdam limitibus ac terminis cohiberent, sed vix aliquo operæ pretio, aulâ & adulatione prævalente. Videri etiam potest Tom: 1. eorundem Cleri Gallicani Actorum, ubi in Tractatu de libertate Ecclesiastica cap. 9. hæc leguntur, quæ Cleri Gallicani sensa plus satis explicant. *Omnium malorum vulnerúmque, quibus Ecclesiastica potestas & disciplina aliquando afflicta est; illud maximum, quod ab Appellationibus tanquam ab abusu recepit. Artificium à Regijs Officialibus excogitatum, ut omnes causas Ecclesiasticas, quarum nulla eis cognitio aut judicium competit, suis Tribunalibus addicerent. Cùm enim nihil in mundo sit, cui non abusus aliquis objectari possit, ita nulla jam erit Persona Ecclesiastica cujuscunque ea gradûs aut digni-*

dignitatis sit, quæ colore, obtentúque exerciti abusûs non ad pedes sisti possit prophani tribunalis, prostratâ interim captiváque eâ libertate, quæ & Gallis ornamento, & toti terrarum Orbi olim exemplo fuit. Id est, quod ultimo hoc sæculo Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem juxtà & venerationem subtrahit, ac sacrani morum disciplinam planè subvertit; atque utinam post hanc Ecclesiæ desolationem, quàm oculis usurpamus; non etiam Imperij ruina subsequatur. Quid possit contra hujusmodi Appellationes graviùs dici à Clero Gallicano? Nec minùs patheticè nomine ejusdem Cleri Episcopus Ambianensis: (a) *Sed Appellationes,* inquit, *ab abusu multò plus confusionis damnique Ecclesijs attulêre. Hæ sunt novæ fabulæ naniæq; prioribus retrò sæculis in Gallijs nunquam auditæ, & quarum veneno aliæ Christiani Orbis Nationes hactenus intactæ sunt.* Hæc sunt de Appellationibus tanquam ab abusu Cleri Gallicani sensa, à quibus quantum Maimburgi de ijsdem Appellationibus sententia abhorreat, nemo non intelligit; ut mirum videri debeat, hominem, qui singulis ferè paginis auctoritatem jactat Cleri Gallicani, eámque cœlis exæquat; quoties videlicet inumbrandæ Pontificum Majestati servire Maimburgo videtur: nunc verò ubi de viribus & libertate Ecclesiarum agitur, palàm à Clero Gallicano deficere, & quod rem ipsam spectat, totam de causis spiritualibus judicandi potestatem Parlamentis adscribere: adeò videlicet se Aulæ devinxit, ut hanc unam respiceret, nullo æqui aut iniqui discrimine, & solâ Principem demerendi cupidine.

V. *Quintò.* Sed & nihil magis, ut istæ Appellationes, rectæ Rationi adversum. Quidquid enim tot Canonum & Conciliorum apparatu, ac etiam Principum edictis circa Immunitatem Ecclesiasticam, ac etiam tot Episcoporum ac Martyrum pugnis sancitum est, totum illud evertitur istarum Appellationum ludibrio. Quidquid enim aut Pontifices, aut Episcopi decernent, quod Principi non placeat, *abusus potestatis* vocabitur; nec deerunt venales animi, calamique, quibus Palatia semper abundârunt; qui inductis coloribus in abusum transforment, quidquid aulæ displicuit. Quid ergo tam rectum fuerit, quod vocari abusus non possit? & consequenter quæ causa tam sancta & Ecclesiastica,

(a) Episcop. Ambian. in Orat. nomine Cleri Gallican. Anno 1666. Tom. 1. Actor. Cler. Gallic.

stica, quæ prophanis judicijs non subdatur? quò ergo tot Concilia, tot Canones, tot Principum edicta, Patrúmque labores, ne sæculares de causis Ecclesiasticis judicent prohibentium? quoties enim aut sacerdoti obtemperare noluero, aut libido vel quæstus fuerit res sacras contrectandi, abusum vocabo: frustra ergo canones, frustra reliquæ Tabernaculi fores clausæ, hâc unâ patente; quid enim interest, quâ januâ irrumpas? Ex quo aliud incommodum sequitur, & præcipui quidem momenti, videlicet, inutilem fore omnem potestatis Ecclesiasticæ monendi vim, puniendique, ac Principes sæculares dirigendi. Nemo planè Pontificis & Ecclesiasticorum directione magis, quàm Principes, indiget; in summo quippe fastigio constitutis, cùm nec potestas desit, nec cupiditas pro arbitrio imperandi; & nemo sit, qui cupiditates Principum aut metu, aut imperio moretur: imò perpetuæ sint voces, omnia in Principe comprobantium; quis rogo aut errantes, aut præcipitio imminentes moneat teneátque, aut objectis sacrarum legum & canonum repagulis, periculo arceat, si Pontifici communi omnium Patri, & Majestate ac Religione etiam Regibus verendi id non permittas? At verò quid Pontifices & Episcopi ampliùs possint, si ab eorum legibus, Decretísq; appellare liceat, sícque inutilia ea reddere abusuum obtentu? an verò Principibus colores deerunt, omnia in abusum fingendi? aut erit aliquid tam sanctum, tam justum, quod appellari abusus non possit, si Principi non placeat? Prohibent canones, & ad istorum normam prohibent Pontifices turbare liberas electiones, proventus Ecclesiasticos invadere, Episcoporum causas prophanis Tribunalibus subdere, Beneficia in unam, eandémque Personam confertim deponere, & alia mille Canonibus adversa: obtemperare Principes renuunt, & tam justa imperia abusum vocant potestatis. Quid ergo proderit in Pontifice, alijsque Episcopis potestas imperandi, si nulla in subditis necessitas obsequendi? Deinde quàm illud absurdum, quòd velint Parlamentum, Senatores, Regem aliásque potestates sæculares de Pontifice & Episcopis judicare, an, cùm imperant, cùm prohibent, puniúntque, suâ potestate contra Canones abutantur? quomodo enim de canonum, rerúmque Ecclesiasticarum abusu judicabunt, Canonum ipsi rerúmque Ecclesiasticarum aut rudes, aut negligentes?

gentes? & qui negant Pontifici de rebus Politicis judicandi potestatem, sibi potestatem usurpabunt de rebus Ecclesiasticis decernendi? quod ergo eorum sententiâ Pontifici in Reges non licet, Regibus in Pontifices licebit? aut fortè de rebus ad aras Deúmque spectantibus, déque sacrorum Canonum intellectu, eorúmque abusu meliùs Reges, Regiique Parisijs Ministri, quàm Pontifices ipsi & Episcopi judicabunt? id perinde fuerit, ac si judicium de rebus militaribus nautæ, aut de rebus nauticis Cantori permittas, & sententiam ab Astrologo expectes, quando & ubi in pingenda imagine suis pictor coloribus ac penicillo abusus sit; quòd si artifici in sua arte credendum est, quidni rebus Ecclesiam aràsque spectantibus Pontifici potiùs & Episcopis credas, quàm Regi, Parlamento, Aulæque Ministris? Idque tantò æquius est, quòd Rex quóque aliique Principes sæculares in rebus merè temporalibus nunquam permissuri sunt, ut ab eorum sententijs, ad Episcoporum Tribunalia provocetur obtentu abusûs; idque si quis attentet, velut offensæ Majestatis reus gravissimas pœnas daturus est: & tamen quis neget abuti illos posse Regiâ potestate? Si ergo quia Reges, quia Parlamenta errare possunt, suáque potestate abuti, non ideò tamen ab eorum sententijs ad Episcopos licet appellare, quanto minùs licebit à Pontifice ad Reges?

VI. Unde facilè respondeas ad ea, quæ objectari solent, quæque ad hoc unum reducuntur, videlicet, Reges Canonum Custodes esse, legúmque præsertim naturalium defensores, si ergo aliquid Pontifices contra Canones (a) moliantur, aut privatis, Regijsque juribus officiant; poterunt Reges eorum conatus coërcere, & Decreta compescere; quo verò titulo & colore honestiore, quàm si objiciant abusos esse potestate? & in hunc finem accumulantur canones, quibus rerum Ecclesiasticarum custodia Principibus defertur.

Resp. Multis modis refelli potest hæc objectio. Nam *Primò*, si à Pontificum, Episcoporúmque Decretis Ecclesiasticis appellari potest ad Magistratum sæcularem prætextu abusûs & jure naturalis defensionis; sequetur pari imò eâdem ratione, à Ma-

(a) Can. filijs 16. q. 7. can. boni Principis d. 96. can. Tributum 23. q. 8. can. Principes 23. q. 5. can. Maximianus 23. q. 3. & q. 5. & can. Regum. can. Imperatoribus. can. qui potest.

gistratu sæculari ad Ecclesiasticum provocari posse, & hâc provocatione suspendi Decreta & sententias sæcularium Magistratuum, quippe qui potestate suâ abuti possunt, imò sæpè abutuntur; nec minùs jus naturalis Defensionis Pontifici, quàm Regi tribuendum est; imò illi multò magis, quantò videlicet Ecclesiastica dignitas multò sæculari major; & innocentium cura, legúmque naturalium custodia multò magis Pontifici, quàm Regibus commendata; omnes ergo causæ abusuum prætextu ad forum Ecclesiasticum trahi poterunt; quòd si hoc non permittunt Principes, nec æquum arbitrantur, quæ æquitas fuerit, ut quam ipsi ferre renuunt, servitutem, Ecclesijs imponant? *Secundò.* Si Reges, aliíque Principes sæculares Canonum custodes sunt, oportet ergo ut Canones non destruant, sed tueantur, conservéntque; neque enim custodem arborum, vinearúmque appellaveris, qui eas fuerit deprædatus, omnésque earum fructus pro arbitrio suis usibus addixerit, ita Canonum custos non qui evertit, sed qui observat. At verò quid magis & sæpiùs Canones inculcant, quàm Personarum & causarum Ecclesiasticarum exemptionem, & ne causæ cœlestes prophanis Tribunalibus sistantur? qui ergo istos Canones violat, tam sæpè tam enixè Ecclesiæ commendatos, & non atramento tantùm, sed etiam sanguine & vulneribus scriptos; istos, inquam, Canonum custodes, an hostes dixeris? *Tertiò.* Dubium non est, posse non Principes solùm, Regésque, sed quemlibet etiam privatæ conditionis hominem impedire, ne Pontifices manifestam alteri injuriam inferant, eúmq; aut vitâ, aut bonis, aut ijs, quæ utróq; chariora sunt, privent; si enim Pontificum aliquis capite aut exilio puniri vellet innocentem; quis neget posse me aut carceribus apertis, aut monstratâ fuga, aut alio quovis modo periclitanti & afflictæ innocentiæ remedium quærere? siquidem Pontificum potestas ad ædificandum, non destruendum data; si ergo contingat veritatem & justitiam eos destruere, non tam Pontifici, quàm Vastatori obsistas, ac ultra potestatem suam grassanti; cœterùm hæc locum habent, cùm abusus, & injustitia manifesta, & notoria sunt, ac omnium oculis exposita, non verò cùm Parlamentis solùm, Regiisque Ministris, & Principum Adulatoribus talia apparent, aut ijs, qui Pontificum Decretis aut sententijs cohibentur, ne cupitis fruantur;

tur ; quid enim erit tam rectum, & juſtum, quod iſtorum judicio non iniquum, injuſtúmque credatur? ſi Rei ac damnati judicia & querelas attendas, nulla unquam fuit juſta ſententia, nec placuit perituris. *At*, inquies, *judicabit Parlamentum, æqua an iniqua fuerit à Pontifice Appellatio*; ſed hoc ipſum querimur, & negamus fieri poſſe; néque enim pronuntiari poteſt juſta Appellatio, niſi ſententiam injuſtam dicas: at quæ Parlamento in ſententias Pontificum poteſtas & juriſdictio? aut qui Canones, & quæ ratio permittat, ut plus deferas Parlamento abſolventi, quàm Pontifici damnanti? num verò Parlamentum permitteret, in ſententijs à ſe datis, cauſiſque temporalibus ad Pontificem appellari, & hunc de juſtitia Appellationis cognoſcere? cur ergo in cauſis ſpiritualibus ſibi tribuant, uſurpéntque, quod in merè temporalibus, quæ multò minoris momenti ſunt, Pontifici non permittunt? Quacúnque ergo ex parte hujuſmodi Appellationes inſpicias, injuſtæ ſunt, & Gallorum pietate prorſus indignæ.

§. III.

Reſpondetur ad auctoritatem Concilij Piſani.

SUMMARIA.

1. *Auctoritas Concilij Piſani à Maimburgo adducta.*

2. *Hujus Concilij auctoritatem multis ex capitibus dubiam eſſe & incertam, evidentibus argumentis oſtenditur, & auctoritate ipſius Concilij Conſtantienſis, ac etiam Maimburgi teſtimonio.*

3. *Nec tamen aliquid in Concilio Piſano aut deciſum, aut factum, quod Pontificum in Concilia auctoritati derogare poſſit; & quæſtionem in Concilio agitatam toto Cœlo ab ea diſtinctam eſſe, quæ modò inter nos vertitur.*

4. *Mala fides Maimburgi ſententiam Pariſienſis Univerſitatis pervertentis.*

I.

Objicitur 10. (a) In Concilio Pisano, quod Anno MCCCCIX. congregatum & peractum est, multis cum scriptis tum exemplis ostensum est, Pontifices Concilio subdi, & ab isto judicari, puniri, damnarique posse. Nam primò cùm quidam in sacro illo Senatu sustinuissent, nullam Concilijs esse in Pontifices Romanos potestatem; Patres eam protestationem derisui habuêre, utpote nullo Antiquitatis exemplo fultam. Deinde quidam Petrus Plaust doctrinâ celebris, & unus ex Universitatis Parisiensis deputatis, quæ tunc temporis ad supremum gloriæ pervenerat, egregiè multisque rationibus ostendit, multum Ecclesiam supra Pontifices esse, & consequenter etiam Concilium, quo Ecclesia repræsentatur, addiditque hanc esse Parisiensis, omniúmque Galliæ Universitatum sententiam. Ut primùm peroravit, exscenditque cathedrâ, secutus est Novariensis Episcopus, séque ex suggestu ostentans, & voce, quâ omnibus intelligi posset, protestatus est, centum & tres Doctores ac Theologiæ Licentiatos, qui ex varijs Universitatibus confluxerant, jussúque Cardinalium hanc causam diligenter examinaverant, cum Parisiensi schola in eandem sententiam convenire; imò & Bononiensem ac Florentinam famâ doctrináque celebres; & Florentinam quidem scripto libello, quem viginti Doctores subsignaverant, mentem suam expressisse. Tandem re in Concilio maturè, lentéque discussâ, Benedictum XIII. & Gregorium XII. quamquam eorum alter verus Pontifex esset, Papali dignitate abdicârunt, initisque suffragijs novum Ecclesiæ Pontificem dedêre, Alexandrum videlicet V. quem pro vero Legitimóque Pontifice, & tota ferè Ecclesia, si paucos excipias Benedicto, Gregorióque addictos, agnovit; & ipse Alexander, quamvis notæ sanctitatis, mortíque vicinus, ubi finiri ambitio solet, se verum Pontificem pro-

(a) Maimb. Traittè Histor. ch. 21. f. 184. & du Grand. Schism. d' Occident lib. 4. à fol. 63.

professus est. Patet ergo Auctoritatem Concilij supra Pontificem in Concilio Pisano multis modis ostensam esse. Et verò fuisse hoc Concilium Oecumenicum, & unum ex majoribus conventibus, qui unquam in Ecclesia peracti sint, patet ex numero & dignitate Prælatorum, qui illi adfuerunt: quippe Cardinales quinque supra viginti, Patriarchæ quatuor, Episcopi 182. Abbates 290. inter quos Capita & Generales omnium Ordinum, Magni Ordinum S. Sepulchri, Theutonici, Rhodiorúmque Magistri, Universitatum Parisiensis, Tholosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Cracoviensis, Viennensis, Pragensis, Colonensis, Oxfordiensis, Cantabrigiensis, Bononiensis, Florentinæ aliarúmque Deputati: Legati quóque Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum supra centum: Theologiæ, sacrorúmque Canonum supra trecentos Doctores. Oratores denique Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Cypri, Siciliæque Regum: Ducum quoque Bavariæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantij, Brandenburgi, omniúmque ferè Germaniæ Principum; præter alios Hispaniæ, Arragoniæ, Hungariæ, Sueciæ, Norwegiæ, Daniæque Reges, qui tandem Concilio Pisano adhæsêre. Ergo quo primùm tempore conferri inter se Conciliorum potestas & Pontificum cæpit, tot Regnorum, Provinciarum, Universitatum, Ordinum, Doctorum, Episcoporum, hoc est, totius ferè Christiani Orbis vox una & sententia fuit, Pontifices Concilio subesse, ab eóque judicari, puniri, deponíque posse. Hactenus ferè verba Maimburgi ex Gallico translata.

II. *Resp.* Hæc Maimburgi narratio partim & argumentatio, eodem filo, quo reliquæ hujus Auctoris, contexta est: videlicet ex principijs aut dubijs, aut falsis, semper tamen specie veri coloratis, ut eodem tempore placeant, fallántque incautos? Nam *Primò* certum quidem est in Concilio Pisano fuisse Gregorium XII. & Benedictum XIII. Pontificatu ejectos, electúmque Alexandrum, sed non æquè certum jure id factum, & ex legitima potestate; nec propterea novi Pontificis electione cessavit dubitatio, quis pro vero Pontifice habendus esset: nec sublatum Schisma, imò quod plerique eorum temporum Auctores notant, auctum potiùs, diffusúmque novi Pontificis accessione, adeò, ut cùm priùs Ecclesia in duas, postea in tres factiones scinderetur, augente incertitudinem

Pontificum numero, eâ ferè ratione, quâ in Labyrintho, non ideò certiùs eas, quia pluribus vijs: & qui Gregorio ac Benedicto adhærebant, nec pro hæreticis aut Schismaticis habiti sunt, quòd videlicet multis nec inanibus rationibus niterentur, ut Concilio Pisano non subscriberent, nec satis de vero Pastore constaret; imò etiam sanctos reperias, qui Concilio Pisano obluctati sunt, inter quos S. Antoninus: (a) *Pisanum Concilium*, inquit, *vel Conciliabulum, cùm non esset alicuius eorum, qui se pro Pontifice gerebant, auctoritate congregatum, non erat ablatum ipsum Schisma, sed augmentatum ex duobus, tribusve se pro Papa gerentibus.* Et alibi testatur: *Gregorium à multis DEUM timentibus & peritis creditum fuisse verum Pontificem tempore ejusdem Concilij.* Si ergo à Pisano conventu electo Alexandro, depositisque Benedicto & Gregorio, multi nihilominus sanctitate & doctrinâ conspicui, nec Alexandrum agnovêre, nec à Gregorio separati, nec tamen pro Schismaticis, sed pro veris pijsque catholicis habiti sunt, sequitur omnino, Concilium Pisanum non fuisse pro certo & Oecumenico, nec novam electionem Alexandri, & Gregorij abdicationem pro legitima habitam; alioquin Schismatici impijque, qui aut legitimo Concilio, aut vero Pontifici obsisterent, & abdicato, falsóque adhærerent. Planè post Concilium Pisanum, Neapolitanum & Siciliæ Regna, Romandiola, Ducésque Bavariæ, ac plurimi Germaniæ Episcopi Gregorio adhæsêre, néque is alligari se voto credebat, quod de Pontificatu abdicando emiserat; quippe cùm id votum conditionatum esset, si videlicet Petrus de Luna idipsum præstaret; hoc quippe dignitatem retinente, nec pax Ecclesiæ obtineri poterat, nec Schisma extingui, cùm Regna, Provinciæque non paucæ Benedicto parerent, Arragonia videlicet, Navarra, Castellæ, Scotia, Baleares, Corsica, Sardinia, aliæque, & Eugenius IV. in apologia (b) fatetur Obedientias Gregorij & Benedicti *fuisse non modicam Christianitatis partem.* Idque apertè Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis professus est, qui sedente Constantiensi Concilio librum scripsit de Ecclesiæ & Cardinalium potestate; is enim primam conclusionem his verbis expressit:

(a) *Licet*

(a) S. Antonin. 3. p. Tit. 22. c. 5. §. 2. & c. 6. §. 2. (b) V. epist. Archiepisc. Narb. in M. S. Regesto Concil. Schelstratte in Actis Concil. Const. fol. 51. Eugen. IV. in Apolog. contra Basileenses. Turrecr. lib. de Eccles.

(a) *Licet Concilium Pisanum fuerit legitimè ac canonicè celebratum, & duo olim contendentes de Papatu justè & canonicè condemnati, & electio Alexandri V. fuerit ritè ac canonicè facta, prout hæc omnia tenet Obedientia Domini nostri Papæ Johannis XXIII. tamen duæ Obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diversa & adversa veritate non sunt minores difficultates Juris & facti, quàm ante Concilium Pisanum erat de Justitia duorum contendentium.* Hæc Alliaci confessio doctrinâ clarissimi, quique eodem tempore scribebat, rerum, quæ in Concilio fiebant scientissimus, tantò pluris esse debet, quòd ipse à Joanne XXIII. purpuram accepisset, ejúsque partes teneret; sicque non tam odio aut partium studijs, quàm rei veritate ad hæc scribenda permotus credi debeat. Et re ipsâ Concilium Constantiense hanc Alliaci sententiam amplexum est, approbavitque. Cùm enim Anno 1415. die 4. Januarij Joannes Dominicus Cardinalis & Nuntius Gregorij XII. in Concilio comparuisset, cæptum est à Patribus disceptari, an cum purpura & insignibus Cardinalis admittendus esset? multis abnuentibus, censebant alij admitti eum debere, inter quos Alliacensis Cardinalis præcipuus, cujus etiam sententia prævaluit, & Gregorij Legatus galero purpureo insignis magnóque apparatu in Constantiam invectus est. Audi Acta Concilij ex duobus MM. SS. Codicibus Bibliothecæ (b) Victorinæ, Maimburgo sæpe & vehementer laudatis. *Alij asseruerunt, Licentiam fratri Joanni Dominici concedendam cum capello rubeo ingrediendi: & hujus sententiæ fuit R. D. Petrus Cardinalis Cameracensis, & quidam alij, die námque 22. Januarij, D. Frater Joannes Dominici Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Ragusinus, ut Cardinalis & cum Capello rubeo medius inter Dominos Ducem Bavariæ & Ducem Briegæ sequentibus Dominis VVormatiensi, Spirensi, & VVerdensi Episcopis in Obedientia dicti Gregorij persistentibus, qui omnes prædictis Legatis Gregorij extra Constantiam obviavêre, & Civitatem Constantiæ sunt ingressi &c.* Nota Episcopum Ragusinum à Concilio Pisano, & ab Alexandro V. & Joanne XXIII. nunquam pro Cardinali agnitum esse, sed Patres Constantienses rationibus Petri Alliacensis permoti eum pro tali recepêre, sicque ipso facto professi sunt, jura Gregorij non adeò projecta esse & conclamata, ut sustineri

(a) Petrus Alliac. in Conclusionib. à Philippo Labbeo editis, & in Appendicem Concil. Constant. rejectis. (b) Regest. Concil. Constant. ex duobus MM. SS. Bibliothecæ S. Victoris.

stineri pro vero Pontifice non posset; si enim certum erat Gregorium Pontificem non esse: ergo æquè certum, non esse veros Cardinales, quos ipse purpurâ induisset, cur ergo pro talibus habiti, admissique? Idem Episcopus Ragusinus, cùm Gregorij XII. insignia Pontificia ædibus suis appendisset, & propterea ingens inter Patres certamen accensum esset, eorum præsertim, qui Joannis partes sequebantur; die 20. Novembris collectis in Concilio Patribus certatum diu est, pugnantibus Antistitum votis, tandem prævaluit sententia negantium tolerari insignia Pontificia deberi, nisi ipse Gregorius coram præsensque adesset; in hoc ergo omnium vota convenêre, ipsi Gregorio permitti posse, si adesset, ut insignibus uteretur Pontificiæ dignitatis: non ergo certum erat Pontificem non esse; quomodo enim in tam sacro senatu permitterent Gregorium Mimum agere, & in ludibrium supremæ potestatis, ipsoque Joanne Pontifice coram tiaram ostentare alteri raptam? Audi ipsius Concilij tabulas: (b) *Alij verò asserebant supradicta arma in locis prædictis in Obedientia Domini Nostri Joannis XXIII. constitutis affigi non potuisse, & per consequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & hujus sententiæ fuit D. Patriarcha Gradensis, & alij, qui plures, quàm alteri sententiæ adhæserunt dicentes, nisi Angelus Corrario personaliter veniret, ipsius arma ibidem non debere depingi.* Sed nihil æquè ostendit, Patres Concilij Constantiensis Decreta Pisani Concilij, & Gregorij abdicationem, ac electionem Alexandri, & Joannis, pro dubijs, incertisque habuisse, quàm quæ sessione 14. peracta sunt, in qua cùm Gregorius non priùs Papatu cedere vellet, quàm ut Joannis XXIII. tanquam Pontificis mentio nulla fieret, ut Sigismundus Imperator auctoritate & delegatione Gregorij Concilio præsideret, ut ipsum Concilium tanquam priùs non ritè congregatum, iterum suâ auctoritate convocaretur, & confirmaretur, quòd etiam à Cardinali Ragusino nomine Gregorij factum est, & sic tandem ipse Gregorius Pontificatu cessit. Tantum verò abest, Gregorium à Concilio pro pseudo-Pontifice habitum esse, aut pro Schismaticis, qui eum venerabantur; ut semper, quoties Gregorij

(a) Regest. Actorum Constant. ex 2. MM SS. codd. Biblioth. S. Victoris apud doctiss. Schelstratt. in Tract. de sensu & auctoritate Decretor. Concilij Constant. fol. 153.

gorij mentio incidebat, tanquam de dubio Pontifice loqueretur, & hanc formulam adhiberet, cautam quidem, sed tamen venerationi mixtam, videlicet: *Ille Dominus, qui in sua Obedientia dicitur Gregorius XII.* Et cùm Resignationem, & alia Gregorij postulata admisit, his verbis usum est: (a) *Dictam Convocationem, Auctorizationem, & Confirmationem, in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet, eis admiserunt.* Quibus verbis omnino Patres significant Gregorium pro dubio saltem Pontifice sustineri potuisse; alioquin si illum pro certo & notorio Pseudopontifice, & temerario Invasore sacræ Sedis haberent, quâ ratione, imò quâ conscientiâ permitterent, ut Concilium indiceret, confirmaret, novum Præsidem deligeret, & denique abdicaret se potestate, quam non habebat? Planè fuisset hæc indulgentia & simulatio, tam sacro, amplóque senatu plusquàm indigna. Maimburgus quidem in libro (b) de Magno Schismate Occidentis hæc omnia pro lusu & scena habet, Patribus id Gregorio indulgentibus: *Ut Synagogam suam cum apparatu pompáque funeraret, inani quidem solatio, sed tamen innoxio.* Cæterùm alias oportet esse Maimburgi curas, & cogitationes hominis privati imbutíque politicorum principijs, ac utilia tantùm, non honesta, aut decora spectantis: alias Concilij Oecumenici tot Purpuratorum, Antistitum, Principúmque affluxu insignis, & nihil indignum quovis obtentu admissuri. Ac deinde prudentum judicio reliquerim, majorem Maimburgo fidem habere velint, post duo sæcula & ex suo scribenti, quàm Petro Alliacensi Cardinali & Archi-Episcopo Cameracensi, quíque Concilio aderat, & omnia coram spectabat, Joanni XXIII. à quo Purpuram induerat, alioquin addictissimus; is verò in Conclusionibus Anno 1415. post primam Sessionem mense Februario Patribus Concilij oblatis, honores Gregorio oblatos non vanæ ostentationi, inaníque fabulæ tribuit, sed quòd *duæ Obedientiæ Gregorij & Benedicti istos probabiliter pro Pontificibus tenerent, in qua opinionum diversa & adversa veritate non essent minores difficultates Juris & facti, quàm ante Concilium Pisanum erant.* (c) Honores ergo à Patribus Gregorio exhibiti non vanæ fabulæ dati,

(a) Session. 14. (b) Maimb. histor. du grand. Schis. d' Occid. l. 5. f. 309.
(c) Ex Gestis Constant. Concil. in 4. MM. SS. & Append. ejusdem Synodi Edit. Paris. apud Labb. Tom. XI. Concil.

ut Maimburgo visum, sed Gregorij rationibus suum Pontificatum *multis facti & Juris* fundamentis, ac asseclarum auctoritate fulcientis. Nec dubium est, eâdem ratione, ijsdem honoribus Benedictum XIII. à Concilio afficiendum fuisse, si modò æquè animum paci adjecisset; nam & ejus Pontificatum probabilem reddebant, cum tot Regnorum, Principúmque auctoritas, qui ejus partes sequebantur: tum etiam quamplures juris factique rationes, quas ipse septem horarum spatio, quibus peroravit in Conventu Perpiniani habito, tantâ eloquentiâ persecutus est, ut attonitos, defixósque redderet Auditores: nec minimum pondus ejus causæ addebat duorum fratrum sanctitas, Vincentij videlicet, & Bonifacij Ferrerij, Benedicto etiam post Pisanum Concilium addicti. Et denique Johannes Gerson, (a) cujus auctoritatem tantopere & ubique contra Pontifices Maimburgus deprædicat, in tractatu de modo se habendi tempore Schismatis hæc habet: *In Schismate præsenti tam dubio, temerarium, injuriosum & scandalosum est asserere, omnes tenentes istam partem vel alteram esse extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de schismate suspectos.* Et infrà: *Tota ratio fundatur in hoc, quòd nunquam fuit tam rationabilis & vehemens causa dubitationis in aliquo Schismate, sicut in isto, cujus signum evidens est varietas opinionum Doctorum, & inter doctissimos & probatissimos ex utraque parte &c. Potest ergo illud dici rationabiliter dubitabile, quod plurimi & maximè sapientes dubitabile reputant & prædicant &c.* Quæ doctrina & ratiocinatio Gersonis etiam post Concilium Pisanum locum habuit; nam etiam post illud *fuit varietas opinionum Doctorum inter doctissimos & probatissimos*, ut enim de solo Benedicto XIII. loquar, cujus Obedientia multò alijs inferior minórque, etiam post Pisanum Concilium, à quo depositus est, ei Regna Scotiæ, Navarræ, Castellæ, Arragoniæ, Sardiniæque adhæserunt, inter quos S. Vincentius Ferrerius, qui novem post Pisanum Concilium annis constanter Benedicto adhæsit, nullo Sanctitatis suæ damno, quod etiam fatetur Maimburgus. (b) Non ergo constabat Concilium Pisanum Oecumenicum esse, & Alexandrum in Concilio electum, ejúsque successores veros Pontifices; alioquin non sanctus, sed Ethnicus & Publicanus, qui nollet Ecclesiam

(a) Joann. Gerson. 1. part. operum. (b) Maimb. du Grand. Schism. d'Occident lib. 5. fol. 453.

siam audire, veróque ac legitimo Pontifici parere. Utque irrefragabili testimonio omnia concludam, id ipsum tres nationes, Gallica, Hispanica & Italica cum Collegio Cardinalium professæ sunt, hoc est, major saniórque Concilij pars, quando in protestatione contra Germanicam Nationem edita, & in qua petebatur, ut omisso interim Reformationis articulo ad electionem procederetur indubitati Pontificis, ita loquuntur: (a) *Ecclesia in periculo remaneret, quia vix aut nunquam Summus Pontifex indubitatus posset haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente Capite, ad quod pertinet convocare.* En! fatentur Patres Constantienses, nec Pisanum, nec aliud Concilium certum esse posse sub incerto Pontifice. Hæc omnia eò pertinent, ut ostendam auctoritatem Concilij Pisani tot Principum, Regum, Antistitum, Sanctorum, ipsiúsque Concilij Constantiensis opinione nullo modo certam, & indubiam fuisse, ideóque à quamplurimis mortalium sine Schismatis nota Benedictum & Gregorium pro veris Pontificibus agnitos, quod etiam Maimburgus nunquam sibi constans profiteri compulsus est, quando in libro de magno Schismate Occidentis scribit: (b) *Eorum sententiam, qui Benedictum pro vero Pontifice agnoscebant, probabilem fuisse (quamvis contraria magis probabilis esset) & ideò viros sanctitate, doctrinâ, & dignitate præcipuos potuisse illam securâ conscientiâ amplecti.* Si ergo teste Maimburgo hæc propositio: *Benedictus est verus Papa*; erat probabilis, ergo ejus opposita, videlicet, *Benedictus non est verus Papa*, non erat certa, quod enim est certum, excludit contrariæ sententiæ omnem probabilitatem; quemadmodùm quia hæc propositio, *nix est alba*, est certa; ejus opposita videlicet, *nix non est alba*, omnino non est probabilis: sequitur ergo Benedictum & Gregorium fuisse probabiliter veros Pontifices, & consequenter auctoritatem Concilij Pisani, quod utrúmque deposuerat, ex Principijs Maimburgi, nullo modo certam, sed dubiam fuisse, quod probare susceperam. Erravit ergo Maimburgus, quando indubias & evidentes veritates Lectori pollicitus, dubias, incertásque suppositit.

III. *Secundò.* Demus tamen Concilio Pisano omnem auctoritatem

(a) Protestatio trium Nationum in Concilio Constantiensi post sessionem 38. ex Gestis Concilij in 4. MM. SS. codd. apud Schelstratt. fol. 6. (b) Maimb. hist. du Grand. Schism. d' Occident lib. 6. fol. 379. ad Annum 1415.

quam Maimburgus optat, etiam quam non habuit, adhuc tamen certum est, nihil pro Maimburgo, ejúsque sententia facere. Duo enim quæri possunt, *Primò*, an Concilij Oecumenici auctoritas sit major auctoritate Pontificis Schismatici, Hæretici, dubiíque, adeò ut talis Pontifex à Concilio judicari possit, deponíque? *Secundò*, an Concilij Oecumenici auctoritas sit major auctoritate Pontificis Catholici legitimi & certi? De hoc secundo tota quæstio & controversia inter nos est, de hoc Propositiones Parisienses loquuntur, hoc Maimburgus probandum susceperat, hoc probandum ergo erat. At Concilium Pisanum nihil penitùs loquitur de hoc secundo, sed de primo tantùm, de quo nulla dubitatio, nulla controversia est; quæ ergo nova hæc disputandi, demonstrandíque methodus, probare jam aliàs certa & concessa, non probare negata? quærimus de Pontifice certo, Maimburgus probat de Pontifice dubio: quærimus de Pontifice Catholico, probat de hæretico: perinde, ac si iter Romam quærenti, alter Constantinopolim monstraret. Nihil ergo ad rem faciunt, quæ disputat, & ut dici solet, toto ostio aberrat. Id autem quàm verum sit, hoc est, Concilium Pisanum loqui solùm de Pontifice dubio, Schismatico & Hæretico, ex jam dicendis intellige, ubi etiam notabis, quàm malâ fide idem Maimburgus acta Concilij Pisani alleget, invertátque, ut videlicet quod veritate non potuit, evincat pudendis artificijs.

Certum igitur est, quo tempore Concilium Pisanum celebratum est, in eóque Gregorius & Benedictus depositi, nullum certum Pontificem extitisse, sed ob infinitas & contrarias juris & facti rationes vehementer dubitatum esse, utri Pontificum parendum esset, toto Christiano Orbe in duas factiones divíso; nam Italia cum suis Insúlis, Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Angliáque Gregorio parebant, Gallia verò, Hispania, Scotia cum subjectis Insulis Benedicto. Hæc verò incertitudo, uter ex duobus Pontifex esset, tanta fuit, ut Universitates Parisienses & Bononienses eam inextricabilem vocaverint, sic enim in Conclusionibus Concilio porrectis loquuntur: (a) *Quinta conclusio stante dubio inextricabilis Papatûs propter*

(a) Conclusiones Universit. Paris. & Bonon. ex Gobel. Paderb. Offi. & habentur inter acta Conc. Pisan. apud Binn. T. 3. Conc. p. 2. & Lucam d'Acher, Tom. 6. Spicil.

propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic maneat perpetuò divisa cum tanto scandalo & animarum perditione; provisio spectat ad Concilium, ut utrúmque eis non cedentibus possit à Papatu ejicere. In quibus verbis duo observa: unum, fateri Parisiensem Universitatem inextricabile dubium fuisse, quis ex duobus verus esset & legitimus Pontifex, sicque casum & quæstionem, quæ tunc temporis in Universitate Concilióque vertebatur, non eam fuisse, de qua modò disputamus, videlicet de vero & indubitato, sed de dubio Pontifice; ut proinde, quæ de uno casu decisa in Concilio & Universitate sunt, malè ad alium casum adeò diversum applicentur. Alterum verò, quod in ijs verbis observari oportet, est, utrámque Universitatem, Bononiensem videlicet & Parisiensem, potestatem Concilij de Pontifice exauctorando expresè ad solum casum dubij Pontificis restringere; sic enim loquitur: *Stante dubio Papatûs inextricabili, provisio spectat ad Concilium.* Si ergo nullum sit dubium, provisio non pertinebit ad Concilium; si enim absolutè, ac etiam omni dubio remoto posset de Pontifice Concilium providere, cur restringeret ad solum casum Pontificis dubij? Certum igitur & indubitatum est, Concilium Pisanum agere, & decidere de alio omnino casu, quàm ille sit, de quo nos disputamus; illud enim de dubio Pontifice, nos de indubitato, certóque loquimur. Imò quod majus est, Patres Concilij Pisani velut trepidarent etiam in dubios, incertósque Pontifices sententiam dicere, illud omni studio conati sunt, ut aliam causam, magísque certam inquirerent Pontificem deponendi, hæresin videlicet, quæ unica causa est, ob quam Pontifices dignitate suâ excidunt; & ideò in omnibus sessionibus, citationibus & sententijs in duos Pontifices latis, hanc causam eos deponendi obtendunt: *Quòd videlicet essent notorij Schismatici, necnon notorij hæretici, & à fide devij*; credebant enim remotâ hæresi, ne quidem judicari illos à Concilio, multò minùs deponi posse. Id ita esse ex singulis sessionibus hujus Concilij patet, quas breviter percurram. Nam sess. 3. hæc habentur: *Declaratio ad Decretum latum contra duos contendentes de Papatu ob contumaciam ipsorum in causa fidei, & schismatis contumaciæ.* Et infrà. *Sancta Synodus Dominos Petrum de Luna, & Angelum Corario de Papatu contendentes, & quantum in eis est. Ecclesiam DEI in notorio schismate tenentes, & proclamatos in causa Schismatis*

& fidei ad hoc præsens & sacrum Concilium. Et sess. 9. *Insuper sacra Synodus ex causis, quibus suprà pronuntiavit, statuit, & decrevit, præfatos contendentes de Papatu in præsenti causa Schismatis & fidei contumaces fore &c.* Et infrà. *Item eadem sacrosancta Synodus in favorem fidei, & Schismatis extirpandi &c.* Et sess. 13. in oratione Magistri Petri Plaust: *Et postmodùm posuit opinionem Universitatis Parisiensis, videlicet, quòd Petrus de Luna est Schismaticus, pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæresim propriè & strictè, & præcisus ab Ecclesia DEI &c.* Idem habetur sess. 14. & sess. 15. ubi recitatur sententia in Benedictum & Gregorium à Concilio dicta: *Christi nomine invocato sancta & Universalis Synodus declarat &c. Utrúmq; fuisse, & esse notorios Schismaticos, & antiqui Schismatis nutritores, nec non notorios hæreticos, & à fide devios.* Et in prima conclusione Parisiensis & Bononiensis Universitatum: *Utérque de Papatu contendentes ex debito Pastoralis officij veri vel prætensi stante Schismate tam inveterato tenetur & debet credere, ex quo propter dubia juris & facti super Papatu aliter dari non potest unio & pax in Ecclesia DEI &c.* Et in 3. conclusione. *Papa stante tali Schismate pertinaciter resistendo incurrit crimen notorium, propter quod subjicitur provisioni Concilij, & ultra hoc concluditur Schismatis nutritor & fautor, cujus obstinatione & vetustate descenditur in hæresim, & fides laditur, cujus provisio pertinet ad Concilium.* Hactenus Acta Concilij, ex quibus apertè intelligas Concilium semper loqui de dubio Pontifice, hæresisque comperto, & Schismatis tempore, & ideò semper hæc à Patribus repeti; sollicitis quippe, ne de alio quàm Schismatis casu, aut alio Pontifice, quàm dubio incertóque intelligerentur. Eandémque Universitatis Parisiensis doctrinam & cautelam fuisse, suas Conclusiones ad casum Schismatis restringentis. Nec enim epistolam ignorabant Adriani II. in octava Synodo lectam approbatámque *action. 7.* ubi inter alia hæc habet: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicâsse legimus, de eo verò quemquam judicâsse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus Majorum suorum moribus resistere.* Vides Adrianum ne Concilio quidem Oecumenico permittere (hoc enim Honorio anathema dixerat) ut extra casum hæresis Pontificem judicet, néque Concilium Oecumenicum octavum contradixit; sed potiùs summis laudibus eam epistolam extulit. Patet

tet ergo Concilij Pisani mentem, doctrinam & decreta, ad solum Schismatis & hæresis casum pertinere, de quo alibi (a) actum.

IV. Sed excusari Maimburgus utcúnque posset, quippe aut statum quæstionis, de qua nunc agimus, aut Concilij mentem & verba non satis observavit: illud verò nulla ætas, nulla historia (cui fidem suam obstrinxit) ignoscet, quòd sciens prudénsque sententiam Parisiensis Universitatis pervertit, eique non alium tantùm sensum, sed alia omnino etiam verba adaptet, pari & sui dedecore, & Lectorum, quos fallit, injuriâ. In suo enim Tractatu historico de Prærogativis Ecclesiæ Romanæ *capite 21. fol. 148.* prope initium hæc habet: *Petrus Plausi unus ex Universitatis Parisiensis deputatis longâ, doctáque oratione, quam in pleno Patrum consessu peroravit, multis rationibus Ecclesiæ Universalis, & consequenter Concilij, quod eam repræsentat, auctoritatem Pontificiæ auctoritati præstare ostendit, addidítque hanc esse Parisiensis, & omnium Galliæ Universitatum sententiam.* Sed quàm à veritate hoc sit alienum, facilè ex verbis actísque Concilij intelliges, quæ aliud omnino exhibent, quæque non potuit ignorare Maimburgus: sic ergo habent: (b) *Decima tertia sessio fuit die Mercurij, die 29. Maij, in qua post Missam & Litanias Magister Petrus Plausi pro Universitate Parisiensi dixit, opinionem Universitatis esse, istos duos contendentes debere reputari Schismaticos, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij ad decidendam hanc causam, & declarandum, eos esse ab Ecclesia præcisos & abjectos &c.* Posteà in medio: *Unus Episcopus Italicus dictus Novariensis legit quandam schedulam facientem mentionem; qualiter secundum ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes Magistri in Theologia & Licentiati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Universitatibus convenerunt, & inter eos fuerit habita plena deliberatio super ista materia, & posteà in eandem opinionem convenerant, & concordes fuerunt, videlicet, quòd dictos contendentes tenent Schismaticos &c.* Vides quàm alia sit Parisiensis aliarúmque Universitatum sententia, ab ea, quàm illis affingit Maimburgus; non enim dicunt: *Concilia esse supra Pontificem*, ut ille mirâ fiduciâ scribit: *Sed Benedictum & Gregorium pro schismaticis & hæreticis habendos, & Concilium*

(a) Regale Sacerdot. fol. 415. & 462. (b) Acta Pisana ex editione Lucæ d'Acher sess. 13. & Philippi Labb. edit. Paris.

lium esse in hac causa cognoscenda judicem. Quod toto Cælo diversum est, ut patet. Sed piguit Maimburgum sententiam & verba Universitatis referre, quippe causæ suæ aut noxia, aut inutilia: at hoc non historici, sed Poetæ officium. Equidem fateor, cùm primùm legendis Maimburgi historijs animum adjeci, magna me hujus hominis opinio, magna expectatio cœperat, illectum quippe & dulcedine Gallici sermonis, & ingentibus promissis tam multa & mira Lectori pollicentis: nec falli me posse credebam; nec ignorantiam in viro erudito, & doctrinam passim jactante: nec fraudes in sacerdote suspicabar: & animum firmabant narrationes historicæ tot ornamentis & coloribus veritatis aspersæ, ac candorem simplicitatémque toties professæ. Ubi verò me & semel, & decies, & centies deceptum vidi; fateor non minùs trepidum, anxiúmque per hujus hominis historias incedere, quàm olim Moyses, cùm per spinas, vepréſque nudis pedibus ad rubum vocaretur; suspenso videlicet semper gradu, & casum, aut vulnus timente. Nunc reliqua videamus.



§. IV.

§. IV.

Agitur de Concilio Constantiensi, & argumentis ex eo petitis respondetur.

SUMMARIA.

1. Exhibentur Concilij Constantiensis Acta suis temporibus distincta.

2. Patres Constantienses circa auctoritatem Concilij in quinque sententias divisi, quarum ultima & pejor, ac votis infrequentior Johannis Gersonis.

3. Octo argumentis invictisque ostenditur, Decreta 4. & 5. Sessionum necessario examine ac deliberatione caruisse, nec posse dici conciliariter *facta.*

4. Eadem Decreta ne in ipso quidem Constantiensi Concilio, nec à Patribus pro Decretis Oecumenici Concilij habita esse, testimonijs gravissimorum auctorum, qui Concilio intererant, ac etiam Gallorum alijs novem argumentis demonstratur.

5. Sed nec præfata 4. & 5. Sessionum Decreta à Martino V. Pontifice Max. esse confirmata.

6. Imò Concilium Constantiense pro nobis esse, quatuor argumentis evincitur.

I.

AUctoritate Concilij Constantiensis nimium quantum sibi Maimburgus blanditur, in eóque spem victoriæ reponit, ac doctissimam Canonici Schelstratte de hoc argumento dissertationem aliquot capitulis incessit, triumphanti potiùs, quàm pugnanti similis; nam &

hanc quóque inter alias habet fallendi artes, ut victoriam simulet, etiam dum cadit. Ut ergo Constantiensis Concilij mentem, ac sententiam plenè intelligas, tria hoc paragrapho exequar. Primùm seriem & acta Constantiensis Concilij per sua tempora distinguam. Secundò Constantiense Concilium à nobis stare demonstrabo. Tertiò ad ea, quæ Maimburgus objectat, respondebo.

Acta ergo Constantiensis Concilij quod attinet, ea ex suis principijs deducta sic habent. *Anno MCCCV.* post longum Purpuratorum certamen Clemens V. Archiepiscopus Burdigalensis Gallus in Pontificem eligitur operâ præsertim Cardinalis Pratensis, & Philippi Pulchri Galliæ Regis, cum quo secretæ pactiones. Is Apostolicam Sedem Avenionem in Gallias transtulit, hæsitque septuaginta & supra annos sub varijs Pontificibus, videlicet, Clemente V. Joanne XXI. Benedicto X. aliàs XII. Clemente VI. Innocentio VI. Urbano V. Gregorio XI. Creditur Clemens Sedem in Gallijs ex arcanis pactis fixisse. Sexta enim Philippi postulatio, cùm de Pontificatu transigerent, his verbis concepta fuit: (a) *Sextam gratiam mihi reservo, exprimendam loco & tempore suo, arduam & magnam.*

Anno MCCCLXXVII. Gregorius XI. Galliam relinquit, reditque in Urbem. Persuaserunt Gregorium, ut rediret, sanctarum Brigittæ & Catharinæ preces & Oracula, Italiæ Legationes, præsertim verò calamitates ac bella, quæ illam ferè consumpserant; sed vix annus effluxit, cùm Gallias iterum cogitantem mors occupavit. Successit Cardinalium electione Archiepiscopus Barensis, qui Urbanus VI. appellatus est: hic cùm inconsulto impetu Ecclesiasticorum morbos aggreditur, & initia medendi à ferro, flammáq; incipit, omnium à se animos avertit, Gallorum præsertim, qui Fundos secedunt, & Cardinalem Gebennensem Pontificem adversùs Urbanum renuntiant Clementis VII. nomine. Honestus titulus Schismati quæsitus, quòd videlicet *prior Urbani electio metu, miníque Populi Romani extorta fuisset, Cardinales, nisi Italum aut Romanum eligerent, ad mortem expescentis.* Sed, ut monui, prætextus hic erat; præterquam enim, quòd etiam ante popularem tumultum in Archiepiscopum Barensem convenissent, quippe ex sexdecim purpuratis (inter quos undecim Galli, Itali quatuor, unúsque Hispanus) cùm Itali, Gallíque nollent

(a) S. Anton. p. 3. tit. 21. cap. 1.

lent Papam Lemovicensem, & Lemovicenses perennare sibi tiaram vellent, jam quatuor suæ gentis Pontificibus superbi; tandem in Barensem plerique convenêre, idque Gebennensis Cardinalis, posteà Clemens appellatus, Marino Episcopo Cassanensi omnium arcanorum conscio aperuit, & hic palàm deposuit: verba Gebennensis inter alia hæc fuêre: (a) *Nunquam isti traditores Lemovicenses tam potentes erunt, quin pro ista vice nos habebimus Italicum Papam. Per hæc sancta DEI Evangelia nunquam habebimus alium Papam, quàm Archiepiscopum Barensem, aut alium, quem ad præsens nolo tibi indicare.* Ipse Cardinalis S. Petri vir integerrimus, & neutri factioni addictus, & cui reluctanti, placandóque Populo Papatûs insignia injecta sunt; cùm mors immineret, publicis tabulis professus est: (b) *Se à Gallis priùs quàm Conclave ingrederentur, rogatum esse, ut suffragia pro Barensi sociarent.* Patet ergo jam ante Populi tumultum, metúmque incertum, in Urbanum VI. conspiratum esse, non ergo metus extorsit, quod metum præcessit. Nec metus injectus à Populo fuerat, ut Italum, sed Romanum eligerent, quamvis Italum aut Romanum priùs postulâssent. Audi verba unius ex Populi signiferis sic ad Conclavis fenestram Cardinales alloquentis: (b) *Scitis Domini mei, quòd in introitu Conclavis multi clamaverunt rogantes vos, quòd eis daretis Italicum, vel Romanum; nunc autem pro parte totius Populi sum missus, & vobis eorum pro parte notifico, quòd solùm volunt eis dari Romanum, nec essent contenti de Italico; timent enim, ne sub aliqua conventione secreta, inter vos & aliquem Italicum non Romanum ipse reduceret Curiam Avenionem.* Et post aliqua: *Placeat Deo, quòd nobis detis Romanum, alioquin procul dubio sentietis.* Idque non intra minas stetit, sed in facta prorupit: cùm enim audissent Barensem, qui Romanus non erat, electum esse; eum occultissimis latebris abditum, & electores Cardinales ad necem quæsierunt; qui tamen inter tumultus elapsi protestati sunt, se millies potiùs mortem subituros, quàm ut Romanum, aliúmque præter Barensem eligerent. Audi ex actis hujus Schismatis Abbatis Sistrensis depositionem: (d) *Propter quod* (Cardinalem vid. S. Petri, qui Romanus

(a) Depositio Episcopi Cassanensis in actis Schism. Tom. 2. p. 38. & 67. & 4. p. 63. 64. & 78. v. Rayn. ad Ann. 1378. n. 2. (b) Extat Tom 2. de Schism. p. 38 (c) Ex actis Schism. Tom. 2. p. 82. Depositio Abbatis Sistrens. (d) Depositio Abbatis Sistrensis Tom. 7. de Schism. p. 82.

erat, electum non esse) *tota Civitas concurrit ad arma, & circumeuntes Palatium minabantur interficere Cardinales; quorum auditis minis aliqui de ipsis Dominis fregerunt solarium Conclavis, & per posticum credentes aufugere finaliter capti sunt à populo, & cum magnis pressuris & opprobrijs reducti sunt in Conclave, territi per populum, quòd nisi eligerent Romanum, erant mortem nullatenus evasuri.* Et infrà: *Et istis quatuor manifestârunt Domini Cardinales electionem Archiepiscopi Barensis, dicentes eis, quòd Populus benè posset eos interficere omnes, sed non habere Romanum pro ista vice.* Et Episcopus Tudertinus in sua depositione: (a) *Ipsis verò recedentibus, ego dixi Domino Nostro:* (Urbano videlicet) *Audistis quid dixerunt illi? & ille dixit, quid dixerunt? & ego recitavi sibi verba dicta per eos: & ipse dixit: non cognoscunt me benè, si tenerent mille spathas ad collum meum, non renuntiarem.* Constat ergo, sponte Cardinales Neapolitanum elegisse, populo Romanum flagitante. Sed quod omnia superat, cessante jam metu, pacatisque omnibus, & summâ pace compositis, Cardinales tres ferè menses Romæ hæserunt, ab ijsque Urbanus Throno impositus, tiarâ redimitus, cultúsque omni veneratione est; illi sacris operanti, senatúmque agenti, & de gravissimis negotijs consultanti adstitêre, quódque omnia superat, datis tum privatis, tum publicis ac nomine totius Collegij ad Principes litteris Urbanum verum esse Pontificem professi sunt, quod etiam ipse Maimburgus fatetur, (b) alijque gravissimi Auctores. Imò Cardinales absentes, qui utique metu tangi non poterant, aut per litteras (c) (sex videlicet, qui Avenione morabantur) aut coram, ut Cardinalis Ambianensis, præcipuus posteà discordiarum folis, Urbanum venerati sunt. Imò in Conventu Episcoporum Parisijs habito, cui Archi-Episcopi sex, Episcopi triginta, & quàmplurimi alij Doctores, Prælatique assederunt, decretum fuit, testimonijs Cardinalium, qui Urbanum reijciebant, seque ipsos mendacij damnabant, standum non esse; à qua posteà sententia, ut notat Æmilius (d) in alio minúsque frequenti Conventu recessum est. Et verò quî crederes Cardinalibus illis, qui odio Urbani flagrabant, qui se hostes illius profitebantur, qui Clementem

(a) Tom. 2. Schism. p. 43. (b) Maimb. Grand. Schism. d'Occid. lib. 1. fol. 57. ex Cod. S. Victor. Paris. Frassard. in Chron. Walsing. in Rich. Æmil. in Carolo V. (c) Extant litteræ Tom. 2. Schism. p. 32. (d) Paulus Æmilius in Carolo V.

tem novâ electione promoverant, eique se juramento addixerant, quique seipsos mendacij & perjurij arguebant, ob electum, coronatum promulgatúmque Principibus, & trimestri obsequio adoratum Urbanum? quis vel in profano Tribunali, minimíque pretij causâ testem admitteret tot labibus inquinatum? & metus, qui objectabatur, aut idoneis testibus probari poterat, aut non poterat? si non poterat, vicit Urbanus: si poterat, certè Cardinales, ut ostendi, idonei testes non erant. Planè electio Urbani, si non certa, at saltem dubia erat; ergo donec probaretur contrarium, possessioni suæ relinquendus; alioquin semper, & cùm libuerit, promptum erit Schismate Ecclesiam turbare, & novum Pontificem jam aliàs electo opponere, quæsito videlicet aliquo crimine, objectóque electioni, & non probato, & tunc demum ad alia vota procedendum; præsertim cùm Urbanus Concilium Oecumenicum offerret, in quo & sua, & æmuli jura promerentur, relictâ Patribus sententiâ, uter præferendus; nam quamvis longum esset Concilij remedium, at aliud non supererat, & multò longius peiúsque Schismatis malum, quod Ecclesiam quinquaginta ferè annorum morâ, & innumeris calamitatibus afflixit; at Clemens eique addicti Cardinales oblatum Concilium respuerunt (c) manifesto indicio malæ causæ semper Judicem formidantis. Cæterùm neque illud negari potest, Urbani peracerbum & immite ingenium, ac præmaturum Zelum non quidem causam Schismati, sed occasionem dedisse: nam cùm sopire ante vulnus ægros oporteret, ne ferrum sentirent aut recusarent, excitabat potiùs admonebátque doloris inclementibus modis: perinde ac si cruciatu magis, quàm curâ gauderet; hinc omnium aversi animi, ac vindictâ flagrantes, intentíque privatis odijs satiandis. Hæc occasione Schismatis duxi memoranda, & præsertim quia Maimburgus in libro (d) de magno Schismate pro Clemente multa disseruit. Cæterùm utcunque res habuerit, certum est ex Clementis electione diuturnum obstinatúmque Schisma natum esse, quo nullum magis diutiúsque Ecclesiam concussit, nec ante mortem Benedicti XIII. hoc est annos novem & quadraginta extinctum

(a) V. Tom. 2. de Schism. p. 36. & Tom. 16. p. 12. & Raynald. ad Annum 1378. n. 42. & seqq. (b) Lib. 1. à fol. 105.

ctum est, incerto Orbe Christiano, cui capiti obsequeretur. Successerunt Urbano Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Johannes XXIII. Clementi verò Benedictus XIII.

Anno MCCCXCIII. Benedictus, qui Clementi successerat, primò in Conclavi, deinde post electionem solemni se juramento obstringit de abijcienda tiara, si & quoties id publicæ pacis interesit; Idem à Gregorio XII. qui Innocentium excepit, juratum est. Eâ tamen conditione si Benedictus cederet.

Anno MCCCCIX. Cùm utérque Pontificum cessionem æmuli exspectaret, & ita obstinatè throno hærerent, neutro primam aleam jaciente; Cardinales Pisam conveniunt, collectáque ibi Synodo Benedictum & Gregorium deponunt, substituúntque Alexandrum. Causam utrúmque deponendi, eligendíque Alexandrum Parisiensis & Bononiensis Universitates his verbis expressêre: *Quia stante dubio inextricabili Papatûs propter dubia facti & juris, provisio spectat ad Concilium.* Et Patres Concilij Pisani: (a) *Visis & diligenter inspectis omnibus & singulis productis, probatis & agitatis, habitáque prius inter se ipsos, & demùm cum copiosa multitudine Magistrorum in sacra Theologia, atq; utriúsque Juris Doctorum pluries diligenti collatione, tandem deliberatione maturâ in prædictos tanquam de Papatu colludentes, schismaticos & veros hæreticos sententiam Depositionis pronuntiat.* Ubi vides sententiam in hæreticos & dubios Pontifices ferri, sicque penitùs nihil obstare sententiæ nostræ, qui de Catholico tantùm, certóque Pontifice loquimur. Cæterùm electione Alexandri invaluit potiùs Schisma, non extinctum est; Benedicto & Gregorio firmiter throno hærentibus, & multorum Regum, Principúmque, imò sanctorum ope ac obedientiâ subnixis, unde patet modicam apud Catholicos huius Concilij reverentiam fuisse.

Anno MCCCCX. Moritur Alexander, eique Balthasar Cossa Legatus Bononiensis, posteà Johannes XXIII. appellatus sufficitur, is auctoritate Sigismundi Romanorum Imperatoris (cujus potentiâ indigebat) aut victus, aut deceptus Concilium Constantiam indicit, eámque *Anno MCCCCXIV.* solemni pompâ invectus est. Die sextâ decimâ Novembris prima sessio habita est, in qua nihil

(a) Concil. Pisan. sess. 15. mense Jun. die 5.

nihil de unione actum. Decimâ nonâ Novembris ad valvas Ædium Auguſtinianorum inſignia Gregorij Pontificis pendêre, quæ ſequenti nocte, juſſu ut creditur, Joannis ſublata ſunt: ingens ſuper ea re inter Patres natum certamen, (a) cùm alij aufferri inſignia, alij ſuſtineri vellent; omnium tandem ſententia fuit, ſi Gregorius coram adeſſet, Inſignibus Pontificijs uti poſſe. Non ergo Patribus conſtabat, Gregorium Pontificem non eſſe; cur enim inſignia Pontificia illi permitterent, quem pro Antipapa haberent? Die vigeſimâ quartâ Decembris Sigiſmundus Imperator Conſtantiam ingreditur, & Pontifice ſacris operante, Evangelium cantat Diaconi amictu. Secuta Imperatorem ingens Principum ac Antiſtitum turba, adeò ut unâ die triginta equorum millia numerata ſint: ſolum Archiepiſcopum Moguntinum Thorace ex rubro holoſerico inſignem, ferróque ad latus pendente ſexcenti equites comitati, ut videas, quæ illorum temporum conditio fuerit. Patriarchæ 4. Cardinales 29. Archiepiſcopi 47. Epiſcopi 160. qui poſteà ad 300. crevêre.

II. *Anno MCCCCXV.* Menſe Januario Joanni Dominico Gregorij Legato à Patribus permiſſum, (b) ut pileo, veſtitúque Cardinalitio ingredi Conſtantiam poſſet, obluctante quamvis Johanne Pontifice. *Menſe Februario,* cùm Cardinalis S. Marci libellum ſparſiſſet, quo multa contra Johannis auctoritatem dicebantur; alij continuò in ejuſdem defenſionem producti, & inter alia hæreſis poſtulabatur, qui indubitatum Pontificem, & nullâ hæreſi contaminatum cogi poſſe ad cedendum dixiſſet. Sed Cardinalis Cameracenſis pugnam dirempturus concluſiones aliquot Patribus obtulit, in quarum prima continebatur: (c) *Duas Obedientias Johanni contrarias probabiliter ſuſtinere electionem Alexandri, ejúſque ſucceſſorum non eſſe legitimè ac canonicè factam, & in hac opinionum diverſitate non eſſe minores difficultates Juris & facti, quàm ante Concilium Piſanum erat de juſtitia duorum contendentium; & ideò attentâ perplexitate casûs præſentis pro pace Eccleſiæ acceleranda poſſe de Papatu contendentes ad ceſſionem compelli, & nolentes deponi.*

(a) Ita habent duo MM. SS. Regeſti Conſtant. V. Schelſtratte in Tract. de Decret. Conc. Conſt. fol. 30. & fol. 153. (b) Ita habet Regeſtum Conſtant. in duobus MM. SS. & Codices Bibliothecæ S. Victoris Pariſ. (c) Cardinalis Cameracenſis Concl. 3. & 6. ex. 4. MM. SS. Codic. apud Labbeum in Append. Conc. Conſtant. Tomo XI. edit. Pariſ. Schelſtratte fol. 152.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poni. Vides hic iterum agi tantùm de Pontifice dubio, & ex hoc ipso dubio procedere Patres; qui consilio Alliacensis obsecuti sunt ad Joannem deponendum; & ipse Cardinalis omnium, quæ Pisis ac Constantiæ agebantur, conscius fatetur Pontificatum Johannis dubium esse: malè ergo, quæ Constantiæ decreta & peracta sunt de Pontifice dubio, extenduntur ad casum Pontificis certi. Hoc etiam anno Gregorius XII. Legatis suis concedit, ut acta Concilij confirment, ejúsque auctoritatem Oecumenicæ Synodi tribuant, eâ tamen conditione, ut Joannes Concilio non præsit, néque id à Johanne convocatum dicatur: nec Joannes posteà Concilio præfuit, imò nec arcanis eorum congressibus adesse permissus est, ne videlicet consilia pacis turbaret solitis artibus; quomodo ergo pro vero, certóque Pontifice habebant, quem necut Præsidem, imò nec collegam ferebant? Vide sessionem 14.

Die 2. Martij Joañes promittit, se Papatu cessurum, modò Gregorius & Benedictus idem præstent. *Diebus 13. 15. & 19. Martij* laboratum est, ut Johannes Procuratorem deligeret, qui ejusdem nomine, *quando & ubi Concilio videretur*, Pontificatum abdicaret. Videbat Johannes se hoc telo peti, cogíque ante alios duos tiaram deponere; id ne fieret, multis artibus certatum, sed cùm declinare ictum haud posset, Schaf husam profundâ nocte elapsus est, inde Friburgum & Brisacum; secuti à Concilio Legati, qui reditum persuaderent.

Die Martij, 23. peroravit Johannes Gerson, & multa contra Pontificis auctoritatem disseruit; hinc nata quæstio de superioritate Concilij supra Pontificem: & Johannes Galliæ Oratoribus amarè conquestus est Gersonis audaciam, Vaticanum oppugnantis: quæ causa fuit, ut ijdem Galli cum Cardinalibus collatis capitibus se decretis opposuerint contra Sedis Apostolicæ auctoritatem edendis, & ipse Rex, ut videbimus, ægerrimo animo tulerit, Johannem à Concilio depositum esse, quod etiam Maimburgus (a) alijque fatentur. *Die Martij 26.* celebrata est ante meridiem tertia sessio: huic duo tantùm Cardinales adfuêre Cameracensis videlicet, & Florentinus; statutum fuit in ea sessione: *Concilium Con-*

(a) Maimb. du Grand. Schism. lib. 5. à fol. 282. Monach. Dionys. lib. 35. cap. 18. M. Laboureur ibid.

Constantiense per recessum Johannis dissolutum non esse, sed nec dissolvi debere, ante Schismatis extirpationem, nec ad alium locum transferri posse sine consensu Concilij. Hæc omnia non aliâ ratione Alliacensis & Zabarella Cardinales publicari permiserunt, quàm ut illa Joannes Papa rata haberet, confirmarétque. Videre est hanc Cardinalium protestationem apud Philippum Labbeum in appendice Synodi Constantiensis Tomo XI. Conciliorum, & Manuscripto Capranicensi, ex quo Labbeus descripsit.

Die 29. Martij Joannes Schaffhusâ profugit, quippe vicinam Constantiam metuens. Turbati Patres, offensique, & à pluribus Germanicæ, Anglicæ, Gallicæ nationum deliberatum, fixúmque est, ut in crastinum sessio quarta perageretur, in eáque hæc capita decernerentur, videlicet: *Primò* quòd Concilium Constantiense potestatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur, in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. *Secundò* quòd cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. *Tertiò* alia complura, quæ omnia cùm non solùm nationi Italicæ displicerent, sed nec sacro Collegio ad deliberandum oblata essent; noluerunt Cardinales, Gallicíque Oratores sessionem adire, nisi secundum Capitulum, quo dicebatur, *Pontificem cogi posse*, omitteretur: & in primo decreto illa verba, *de reformanda Ecclesia in capite & in membris*, delerentur; quod etiam communi voto à Patribus sequenti die acceptum est, cùm videlicet Episcopali vestitu insignes jam quartæ sessioni accingerentur; idque annitente præsertim Imperatore Sigismundo. Cùm verò Cardinalis Florentinus, cujus officium erat Decreta in publicis sessionibus legere, ad verba de reformatione Ecclesiæ in Capite & membris perveniſſet, nec ea, ut conditum fuerat, deleta à Nationibus observâsset, continuò Decretum abrupit; eámque partem *falsam esse, additámque præter communem deliberationem*, professus; ergo clausula de reformatione eâ sessione quartâ omissa est; sed & Cardinales monuerunt Nationes, *ut suspenderent ad tempus materias illas, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem*; ea videlicet, quæ auctoritatem Pontificiam spectabant. Ita notant Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Concilii Constantiensis in tribus Manuscriptis Codicibus, quorum verba

recitata reperies apud doctissimum (a) Schelstrate. Et verò ea verba, quæ dicunt: *Papam in ijs, quæ ad reformandam Ecclesiam in Capite & membris pertinent, Concilio subjectum esse*, in sessione 4. omissa fuisse, illud certissimo argumento est; quòd in omnibus ferè Codicibus manuscriptis, qui in Romana, Viennensi, Parisiensi & Salernitana Bibliothecis reperiuntur, ea verba absint, imò ne quidem in tribus Codicibus Manuscriptis, qui acta (b) Concilij Constantiensis complectuntur, & ex quibus Basileenses sua decreta compilârunt; sed neque in celebri illo Manuscripto Capranicensi, qui ad usum Cardinalis de Capranica, Basileensis Concilij temporibus scriptus videtur, & ex quo Philippus Labbeus Constantiensis Concilij ultimæ editioni multa adjunxit, confirmátque sæpè laudatus Schelstrate (c) testimonijs Gobelini Personæ, qui tempore Concilij scribebat, ipsorúmque Basileensium, ac aliorum in Gallia codicum; qui etiam alibi notat in Decreto sessionis quartæ, ubi dicitur: *Papam teneri obedire Concilio in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis*; eas voces, *ad fidem*, primò appositas esse à Petro Crabbè in sua editione Anni 1538. ex qua in alias posteà editiones derivatæ sunt; nam in antiquioribus editionibus videlicet Haggenovienſi Anno 1500. Mediolanensi Anno 1511. Parisiensi Anno 1524. Colonienſi Anno 1530. illæ voces desiderantur; id verò Tabellionum negligentiæ, qui eas voces omiserint, Maimburgus tribuit. Sed utcúnque res habeat, excusari vix potest Maimburgus, (d) quando in suo Tractatu historico, magnis, ut solet, verborum ampullis, triumphos Lectori de Schelstrato pollicitus, ex diversis Gersonis (e) operibus, ac etiam Orationibus in Concilio dictis, probare conatur, ea verba, quæ reformationem spectant, Decreto sessionis quartæ adjuncta fuisse, adeóque victoriæ securus est, sibíque blanditur, ut Schelstrate ad ponenda arma, pacémque ac veniam erroris petendam invitet; nescias victori, an insultanti similior: addítq; plures alios manuscriptos Codices, quos omnes convenire cum Gersono dicit. Sed Maimburgum egregiè confutavit convicítque eruditissimus

(a) Schelstrate in actis Conc. Constant. fol. 2. & 3. & seqq. & in Tract. de sensu. & auctor. Decretor &c. f. 41. & fol. 84. (b) Schelstr. in Tract. de sensu &c. fol. 24. & 26. (c) Schelstr. in Tract. de sensu & auctor. fol. 42. (d) Maimb. Tract. histor. à fol. 238. (e) Gerson serm. pro viaggio Reg. Roman. & Tract. de potest. Eccles. & serm. in Dom. 2. post Epiphaniam.

mus Schelstrate, ubi evidenter allatísque verbis ostendit Gersonem & consequenter Codices ei conformes loqui de Decretis *die 6. Aprilis* hoc est, sessione quintâ editis, non verò de Decretis sessionis quartæ, quæ trigesimâ Martij celebrata est. Utrámque ergo sessionem Maimburgus confudit, suúmque errorem alienum credidit. *Dices* unde ergo provenit, ut omnes Concilij Constantiensis editiones in Decreto sessionis quartæ hæc verba constanter exhibeant: *Et ad Reformationem Generalem Ecclesiæ DEI in Capite & in membris?* Respondeo errorem ex eo fluxisse, quòd cùm Basileenses viderent auctoritatem suam & Concilium paulatim contemptui ac ludibrio esse, ut fulcirent cadentem auctoritatem, cogitâsse de edendis Concilij Constantiensis actis, quorum subsidio Vaticanum impugnarent. Duobus ergo Cardinalibus, totidémque Episcopis, ac Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagabriensi Provinciam imponunt, Decreta Constantiensia exhibendi. Id Anno 1441. ab eis peractum: ex hoc codice Joannes Hober ex Inderdorff sacræ Theologiæ Baccalaureus, Anno 1490. alium suâ manu exaravit, transmisitque Hieronymo de Croaria juris utriúsque Doctori, & hic posteà anno 1499. Hagenovij in oppido Imperiali typis vulgatus est. Post hanc aliæ tres editiones prodierunt, quibus acta Constantiensis Concilij juxta Basileensem Collectionem continebantur. Error ergo præsentium editionum circa sessionem quartam à Basileensibus manavit, nec ipse Maimburgus negare potest, Basileensem Collectionem, & editiones ex illa profectas defectu laborare; tam enim editio Hagenovienſis, quàm tres aliæ posteà secutæ illam particulam, *ad fidem*, omisêre, quam Maimburgus necessariam agnoscit. Et hæc quidem circa sessionem quartam ex laudatissimo Schelstrate notanda duxi, jam ad quintam veniamus.

Post quartam cœpta est præparari materia pro sessione quinta; Decretum videlicet, quo dicebatur: *Pontificem Concilio in rebus fidei, morúmque Reformatione Concilio subjectum esse, & ab isto cogi posse.* Et quamvis summi momenti res hæc esset, & aliquando novo & pejori Schismati fomitem datura; sícque longissimo & accurato examine priùs cognoscenda, quàm decerneretur: nihil tamen aliud à Patribus factum, quàm ut aliquos deputarent, qui cum Cardinale Zabarella Florentino conferrent; is erat, qui illis articulis in sessio-

ne quarta graviter obstiterat. At Deputati perindè ac in re levi, parvíque pretij rem paucis absolverunt, (a) ac inter alia multa die 2. Aprilis statuêre: *Ut proximâ sessione omnes articuli & clausulæ concordatæ per Nationes in ultima sessione prætermissæ expedirentur.* Ita habet Regestum Concilij: & notant ejusdem Concilij gesta, quàm leve ac perfunctorium examen fuerit, quo tanti ponderis argumentum expendebatur his verbis: (b) *Post sessionem quartam fuit per Cardinalem Florentinum cum Deputatis aliqualiter disputatum: finaliter Concilium voluit ex integro dictas definitiones in alia sessione pronuntiari, &c.* Vides inter paucos, privatósque ac extra sessionem, nec initis suffragijs, hoc est, *non Conciliariter,* nec tam decernentium, quàm altercantium more, eo ferè modo, quo in circulis Philosophorum solet, inter Cardinalem & Deputatos disputatum esse, idque ut acta commemorant, *aliqualiter,* hoc est, leviter, cursímque, nec quantum oportebat. (c) Cùm ergo sentirent Cardinales in sessione quinta ea à Nationibus decretum iri, quæ nec examinata erant, nec approbare ipsi poterant, statuerunt sessione abstinere: sed posteà cùm viderent, id sine publica offensa, periculóque ne Concilium solveretur, fieri non posse; adire quidem sessionem parant: protestati tamen in ædibus Palatij Constantiensis, ubi infulas sumebant, se vitandi scandali causâ, non verò animo illis consentiendi, quæ audiebant proximâ sessione decretum iri, Conventui adfuturos; idémque Gallici Oratores, qui Cardinalibus se adjunxerant, professi sunt. Audi Regestum Concilij: (c) *Die Sabbathi sextâ mensis Aprilis, cùm per prius inter Nationes & Dominos Cardinales altercatum esset super correctione & emendatione Capitulorum in præcedenti sessione* (quarta) *statutorum; tandem ordinatum & conclusum est, quòd supradicta Capitula modo infrascripto corrigerentur. Convenientibus ergo dictâ die Gloriosissimo Principe Sigismundo Romanorum & Hungariæ Rege semper Augusto, Reverendissimis Dominis Cardinalibus cæterisque Principibus & alijs in sacro Concilio existentibus, præmissâ per Dominos Cardinales & Oratores Regis Franciæ protestatione factâ, quòd propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi ijs, quæ audierunt statui debere, &c.*

Cùm ergo quinta sessio ageretur, & Decreta legi publicè à Cardinali

(a) Regest. Concil. Constant. in tribus MM. SS. apud Schelstr. fol. 42. Tract. de sensu & auctor. &c. (b) Gesta Concil ex 4. MM. SS. (c) Regestum Concilij in tribus MM. SS. Codd. apud Schelstr. Tract. de sensu & auctor. &c. fol. 42.

dinali Florentino de more oporteret, recusavit id munus, quippe qui unà cum sacro Collegio ijs decretis nunquam maturè, & conciliariter discussis obluctatus semper esset; electus igitur Poznanienſis vices Florentini obijt, legítque à Nationibus statuta. Et hæc est illa sessio quinta, cujus Decretis tantopere Maimburgus præfidit; cæterùm quàm vanis & caducis fundamentis, nemo ex tot alijs, qui hoc ipsum conati sunt, elegantiùs, fortiúsque doctissimo Schelstrato demonstravit. Sciendum igitur est, Decreta Sessionis quintæ, nec Conciliariter, nec cum examine tantæ rei debito, maturáve deliberatione, qualem res tanta exigebat, vulgata esse, hoc ita se habere evidentissimis testimonijs & argumentis ostendam. *Primò.* In antiquis Concilijs, quoties fidei aliquis articulus, aut aliàs majoris momenti agitabatur; toties scripturarum testimonia, Antiquitatis monumenta, Conciliorum, Patrúmque Decreta producebantur, quibus veritas fulciretur, sic in Niceno primo & secundo, Chalcedonensi, alijsque Concilijs factum, ubi longam seriem argumentorum reperies. Imò ipsum Concilium Constantiense in alijs articulis decidendis monere solet legitimum longúmque examen ac discussionem præcessisse. Exempla sunt Sessione 15. ubi cùm errores Johannis Huss damnandi essent: *Habitâ*, inquiunt, *per prius plenariâ informatione & diligenti deliberatione Reverendissimorum in Christo Patrum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum & Doctorum sacræ paginæ, & juris utriúsque in multitudine copiosa &c. Habitâ collatione per plures Magistros in sacra paigna &c.* Et sess. 24. in citatione contra Benedictum XIII. *Mandavimus per nonnullos venerabiles viros fratres, & dilectos Ecclesiæ filios Cardinales S. R. Ecclesiæ & alios Prælatos, & alios tam sacræ paginæ, quàm juris utriúsque Professores Commissarios nostros ad hoc specialiter deputatos inquiri, informationémque recipi, quam legitimè receptam referri jussimus in publica sessione nostra sacrosanctæ Constantiensis Synodi; quâ plenè auditâ & discussâ maturo decrevimus atque digesto consilio &c.* Et sess. 30. ubi approbatur subtractio Obedientiæ factæ per Regem Arragonum: *Eadem sacrosancta Synodus causis & motivis planè inspectis, & diligenter examinatis, de quorum veritate facta extitit eidem Synodo plena fides &c. ideò eam S. Synodus ex certa scientia & causa debitè cognita &c.* Vides Concilium etiam in quæstionibus multò minoris momenti, quàm sit illa, de qua modò agi-

mus, nihil decernere, nisi *habitâ plenariâ informatione, & diligenti deliberatione, habitâ collatione per plures Magistros sacræ paginæ, & juris utriusque maturo, atque digesto consilio &c.* At verò ubi de potestate Pontificia agitur, déque supremo jure Majestatis, hoc est, de quæstione omnium, si fidem excipias, maxima; non rogatæ scripturæ, non auditi Patres, non examinata Concilia, non collata in sessionibus capita, sed ex abrupto, cursimque, & in ipso sessionis limine: *Declaramus,* inquiunt, *Concilio immediatam à DEO potestatem esse, cui Pontifex subdi, cui obedire teneatur.* Quid quæso est rem inconsultò & sine examine definire, si hoc non est? & quid minùs fieri posset, si de minimo Sacerdote, imò ædituo in ordinem redigendo ageretur? Videantur acta Synodi Ephesinæ, illic apparebit, quantâ curâ, lentisque gradibus, quantâ testium & scripturarum, Patrúmque mole laboratum sit, an Nestorius dejiceretur; nunc verò non de uno Pontifice, sed de omnibus, imò de ipsa Pontificia dignitate quæstio vertitur, quantò igitur pluribus testibus, majorique curâ agi res debuit? & tamen nulla magis, minorique studio festinata; quæ omnia mihi æstimanti semper magis, magisque persuasum, fixúmque est, non fuisse Concilij mentem quidquam definire de Pontifice certo, sed tantùm dubio & tempore Schismatis, hoc enim minoris operæ & indaginis erat. Sciendum enim est, tempore Synodi Constantiensis circa Concilij supremam auctoritatem varias Doctorum opiniones fuisse. Prima, ne Schismatis quidem tempore posse dubios Pontifices à Concilio judicari, cui sententiæ Benedictus XIII. adhærebat teste S. Antonino, (a) imò & Gregorius XII. quique istorum partes amplexabantur, hoc est, ingentia Regna, virique doctrinâ & sanctitate conspicui; cùm enim in Concilio Pisano utrique Pontificia dignitas adempta esset; & ipsi exauctorati Pontifices, & ipsorum sequaces negabant id jure factum esse, nec ullam Concilio in Vicarios Christi potestatem fuisse; ergo credebant, ne Schismatis quidem tempore, nec in dubios Pontifices quidquam Concilio licere; & videri potest Raynaldus ad annum 1409. Altera sententia fuit, nullum Pontificem ne Schismatis quidem tempore deponi posse, nisi ob solum hæresis crimen; fuit hujus sententiæ Concilium Pisanum, quod non

(a) S. Antonin. T. 3. Chron. Tit. 22. §. 3.

non priùs Benedictum & Gregorium damnare voluit, quàm ut accusatos, convictósque, ut Patres credebant, hæreticæ pravitatis, quod suprà demonstravimus, & habent acta Pisani Concilij à Notarijs ipsius Synodi conscripta, ubi inter alia : (a) *Omnes Magistri in Theologia, tam Episcopi, quàm Abbates, & Generales ordinum Mendicantium anno 1429. die 28. Maij ad requisitionem sacri Collegij Cardinalium congregati sunt in sacristia Fratrum Minorum, ut deliberarent de his duobus articulis: an duo de Papatu contendentes essent Schismatici & hæretici reputandi, & dato sic, utrum sub titulo hæresis sint ab universali Ecclesia & Papatûs regimine ejiciendi. Ad has quæstiones habitâ ad invicem pluries maturâ deliberatione concorditer & unanimiter responsum fuit, prædictos hæreticos censeri, & ut tales per sententiam declarari ac deponi posse.* Patet ergo, ne Patres quidem Pisanos ausos esse in Pontificem pronuntiare, nisi hæresis manifestum, quod pluribus suprà ostensum. Tertia sententia fuit Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui Pontificem tempore Schismatis subjacere Concilio credidit, ab eóque judicari deponíque posse credebat; & hanc suam sententiam scriptis commendavit, porrexítque Patribus, quorum pleríque probata est; & hæc causa fuit, ut Concilium huic sententiæ examinandæ minùs laboraret, utpotè jam passim notæ, acceptæque. Quarta sententia fuit Cardinalis Zabarellæ, admittentis quidem posse tempore Schismatis novum eligi Pontificem; sed negantis ante factam electionem de Reformatione in Capite & membris agendum esse: ut enim nulla pejor Deformatio, quàm Schisma, ita nihil priùs emendari oportere; & ideò articulus de Reformatione in primo Decreto sessionis quartæ omissus fuit; id quóque eleganter expresserunt quatuor Nationes in protestatione post trigesimam octavam Sessionem, ubi inter alia: *Si Reformatio*, inquiunt, *facienda est de Deformatis, quæ major est, aut esse potest in Corpore deformitas, quàm carere capite, & esse acephalum? illa igitur prior, tanquam magis necessaria debet esse Reformatio, quæ corpus ipsum ad Caput reformet.* Et infrà : *Duplex secundùm sacros Doctores est Unio Ecclesiæ, una membrorum ad invicem, quæ jam creditur esse facta : altera membrorum ad Caput, ut constituatur corpus integrum & perfectum, & ista non est facta ; igitur primo loco fienda.* Patet ergo sententiam eorum, qui docebant tempore Schismatis de Pontificis electione, non

(a) Acta Concilij Pisani à Notarijs ipsius conscripta in duobus MM.SS. Codicibus.

non de morum Reformatione agi oportere, celebrem fuisse, & in Synodo frequentem, imò potiorem. Quinta denique sententia fuit Joannis Gersonis, (a) qui Pontifices non solùm durante Schismate, sed semper & absolutè, omnique tempore Concilio subesse voluit, ab eóque posse judicari; in hunc sensum decreta Sessionis quintæ Gerson intellexit, eóque progressus est, ut scriberet, à vero & indubitato Pontifice ad Concilium appellari posse, & Martino id neganti Tractatum illum oppositum, cui titulus: *An & quomodo appellare liceat.* Huic sententiæ Gersonis nunquam Concilium acquievit, & ideò Decretis quartæ & quintæ Sessionis semper illa verba apposuit: *In his, quæ pertinent ad extirpationem dicti Schismatis, & pro extirpatione dicti Schismatis.* Quibus verbis ostendit Concilium, se cum Gersone non sentire, qui absolutam subjectionem volebat; cùm Patres de limitata solùm, & in casu excepto intelligi vellent, hoc est, tempore Schismatis.

III. Sed jam perge, & alia testimonia percurramus, quæ defectum examinis & necessariæ deliberationis circa quartæ, & quintæ Sessionum Decreta ostendant. *Secundò.* Martinus V. ut habetur *sess. 45.* in Confirmatione Concilij profitetur: *Se omnia & singula determinata, concluſa & decreta in Materijs fidei per Concilium Constantiense conciliariter tenere velle; ipsáque sic conciliariter facta approbare & ratificare, & non aliter, nec alio modo.* Supponit ergo Martinus, fuisse in Synodo Constantiensi aliqua *conciliariter* facta, & hæc confirmat: alia verò *non conciliariter*, hoc est, sine examine & deliberatione, nec votis & sententijs in Conventu dictis, & hæc confirmare renuit: non verò apparet, quæ Decreta sint minùs conciliariter facta, quàm quartæ, quintæque sessionum; nec putes hanc esse opinionem aut conjecturam domi meæ natam, audi testimonium Jacobi Spondani Galli, & Apamiensis Episcopi, qui Manuscriptos codices Regiæ, sanctíque Victoris Bibliothecarum egregiè pervolvit, ejúsque de Synodo Constantiensi historiam, pulcherrimam Spondani operum Maimburgus pronuntiat; is verò ad annum 1418. ita scribit: *Putamus Nuntiorum Poloniæ petitionem de industria Martini nutu ad ultimam sessionem reservatam, ut eâ occasione significaret, quæ Concilij decreta*

(a) Johannes Gerson in serm. Domin. 2. post Epiphan. & serm. pro Viaggio Regis Romanor.

cretaipse auctoritate Apostolicâ ac supremâ probaret, quæ verò non; ne si anteà quidquam de ijs agere voluisset, murmur aliquod, tumultúmque in Patribus excitaret ob ea, quæ ambiguè decreta fuissent de auctoritate Concilij supra Pontificem, quas absolutè ut sonare videntur sumptas, nullo modo Martinus agnoscere, aut probare voluit, utpotè contrarias existimatas, & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ Petro, ejúsque successoribus potestati, ipsíque demum naturæ rei, quâ caput debet membra regere, non regi à membris. Hæc Spondanus. *Tertiò.* Gesta Concilij Constantiensis *ad sess. 7.* (b) *Penè in omnibus Concilij decretis factum est, ut Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa sint decreta à Nationibus concluſa, ut non fuerit in eorum potestate sufficienter deliberare, imò in magnum contemptum habiti sunt, & finaliter petiverunt, quòd cùm essent in Concilio quatuor Nationes, una Angliæ, in qua non erant 20. capita, de quibus tres solùm Prælati: & Cardinales essent 16. & alij futuri, de quibus plures Magni & insignes Doctores propter dignitatem Collegij haberent dignitatem tantam & auctoritatem, sicut natio Anglicana. Quod fuit recusatum & dictum, ut venirent ad Nationes. Quartò.* eadem Manuscripta testantur, noluisse Cardinales ad sessionem quartam venire: *Eò quòd super illis non fuerint habitæ, nec sufficienter petitæ deliberationes eorum. Quintò.* Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Constantiensis Concilij in tribus Manuscriptis Codicibus memorant, Nationes in quarta sessione fuisse à Cardinalibus monitas: *Ut suspenderent ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem. Sextò.* Petrus Alliacensis apud Gallos celeberrimus in Tractatu de Ecclesiæ & Cardinalium auctoritate, quem ante adventum scripsit Legatorum Regis Castellæ, *parte 1. cap. 4.* aliqua dubia proponit, ut super illis Concilium deliberaret, ne illius acta in futurum in dubium vocarentur: *Nam apud nonnullos*, inquit, *magnam perplexitatem inducunt. Primum dubium: an quatuor nationes in hoc sacro Concilio sic distinctæ excluso Cardinalium Collegio faciant Concilium generale, cùm sint plura Concilia particularia valdè inæqualia, & improportionabiliter divisa.* (Nam Anglicana Natio complectebatur vota solùm 20. Gallicana supra 300. & tamen Gallicanæ voces non vincebant, nec habebantur pro pluribus, cùm quælibet Natio pro uno tantum voto computaretur) *& ad partem deliberantia, quæ deliberatio, exclusâ deliberatione dicti Collegij Cardinalium, & non factâ in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij*

(a) Gesta Conc. Constant. in 4. MM. Codd. apud Schelstrat. fol. 104.

conciliariter facta. Secundum dubium, an dictæ Nationes, quæ sunt multa Collegia particularia, quæ multis videntur contra vel præter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licet ex rationabili causa & sub debitis circumstantijs ita restitui potuerint, & habuerint à Jure Divino vel humano auctoritatem privandi Romanam Ecclesiam & sacrum Collegium (quod est antiquum Collegium, & in antiquo jure, & in sacris generalibus Concilijs, & in sanctorum Patrum Decretis fundatum) privandi inquam jure suo, habendi scilicet votum in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi. Vides jam tunc temporis de validitate Decretorum Constantiensium ob defectum deliberationis Conciliaris dubitatum esse; sícque antiquam hanc querelam non novam esse, nec à nobis repertam. *Septimò.* Quatuor Manuscripti Codices, quibus acta Concilij continentur: *Die 2. Maij Anno 1415. Cardinales licèt præsentes in sessione fuerunt, nunquàm illam formam viderant; eodem enim die circa horam septimam de mane fuit data eis copia ad deliberandum super illa, cùm jam plures prælati sederent, & immineret relatio notorum sienda Regi & Deputatis Nationum in sacristia, in qua relatione præsentes fuêre, nec poterant illam formam videre, cùm statim factâ relatione perventum est ad sessionem, quæ jam peracta erat, & ita penè in omnibus Decretis Concilij factum est, Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa sunt Decreta jam concluſa à Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate super illis sufficienter deliberare, imò fuerunt in magnum contemptum habiti, &c. Octavò.* Die Septembris 11. Anno 1417. in protestatione, quam tres Nationes, & Collegium Cardinalium contra Germanicam Nationem ediderunt, hæc inter alia leguntur: *Clerus & populus nonnullorum Regnorum & Provinciarum nondum clarè & solidè huic sacro Concilio adhæserunt, necnon etiam quorundam, qui eidem Concilio adhæserunt propter rumores discordiarum, & quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare.* Et infrà: *His diebus magnus terror & turbatio dicebatur esse in Concilio, fama enim erat communis, & multi scientes de Consilijs Regis dixerunt amicis, quòd Rex proponebat & deliberaverat aliquandò capere omnes Cardinales, & postea restrinxit ad sex; sed Cardinales & alij, de quorum proscriptione ducebatur, constantes steterunt, nec omiserunt loqui, & prosequi, quæ eis justa videbantur. Causa autem odij Regis in eos dicebatur, quòd Rex volebat habere Papam ad voluntatem suam, & illis stantibus non poterat.* Ex his omnibus evidenter colligitur, multa in Concilio contigisse, ob quæ meritò dubitari

(a) Schelstr. fol. 257.

dubitari poterat, imò dubitatum est, an illius Decreta, præsertim, quæ Pontificiam dignitatem spectabant, consultò, deliberatè, & Conciliariter concepta essent, quippe cùm Patrum vota aut metu Regiorum, aut exclusione Cardinalium, aut nimiâ festinatione, quæ examen prævertebat, redderentur suspecta; idque in particulari de Decretis quartæ & quintæ sessionum intelligendum esse ex allatis testmonijs constat, illa enim apertè ostendunt, Capitula illa post tumultum de celebranda sessione quarta in unica Congregatione Nationum concluſa fuisse, & totam deliberationem unius diei tempore absolutam, neque deliberationem illam fuisse communem & Conciliarem, ut oportuit; cùm nec in sessione habita fuerit, nec audita Cardinalium vota.

IV. Age jam verò, & Decreta illarum sessionum ne quidem à Concilio, Oecumenico & Generali facta esse, nec pro talibus à viris Gravissimis & doctissimis habita, demonstremus.

Primò. Certum est Johannem XXIII. nunquam ijs Decretis assensum esse. Is enim in litteris ad Ducem Biturigiæ (a) datis causas exponit, cur Decretis Constantiensibus deferre non posset: *Quòd*, videlicet, *licet in Concilijs generalibus non debeat fieri Nationum differentia, sed omnes & singulos sententiam suam dicere publicè oporteat, ut unius instructione informentur alij; hoc tamen Constantiæ non fuerit permissum, quin imò statutum, quamlibet Nationem unam tantummodò vocem, sive suffragium habituram, etiam si in Natione Gallica essent ducentæ voces notabiles, & in Italica totidem: & de Anglicana essent tantùm tres Prælati ibi personaliter comparentes, ac Cæteri Clerici novem numero. Deinde quòd cùm in Concilijs Generalibus secundùm statuta Canonum vis suffragij non competat nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, quorum suffragia requirenda sunt in sessionibus publicis, & non privatis consilijs; nihilominus quicúnque ad hujusmodi consilia fuissent admissi, nullo discrimine personarum habito, omnium suffragia, etiam Laicorum, subtractis Prælatorum suffragijs recepta sint, & licet in Concilijs suffragia debeant esse libera, nihilominus multæ extiterunt cavillationes, & subornationes per minas, & terrores ab Imperatore procedentes.* Hæc Johannis querela nullam fidem, aut parvam mereretur, nisi omnino ijs consentanea esset, quæ ijsdem penè verbis à Spondano, à Cardinali Alliacensi, ab Actis

(a) Johannis XXIII. in epist. ad Duc. Bitur. in Sorbona publicè lecta, & in duobus MM. SS. Codd. Biblioth. S. Victor. asservata.

Concilij in 4. manuscriptis Codicibus, & denique à tribus Nationibus, & Cardinalium Collegio in Protestatione recensentur, quorum testimonia suprà produximus, ut adeò dubitari non possit, vera esse, quæ Johannes commemorat, quæque Eugenij IV. testimonio indubitata redduntur, is enim in sua Apologia: (a) *Contra Decreta de auctoritate Conciliorum nonnulli reclamaverunt graviter, qui strepente multitudine superati (sicut his novissimis temporibus, quibus carnales exuberant passiones, factum esse manifestum est) audiri nequiverunt.* Non ergo pro Decretis Concilij Oecumenici habita sunt, aut haberi potuêre, quæ contra Conciliorum Oecumenicorum normam facta sunt, hoc est, quæ metu extorta, quæ non conciliariter, nec auditis, sed exclusis, quorum intererat, admissis verò, qui admitti non debebant, nec servatâ votorum pluralitate, decreta sunt. Idque egregio confirmatur exemplo, verbisque Caroli VII. Regis Galliarum; qui cùm à Deputatis Concilij Constantiensis audivisset sententiam à Patribus in Johannem XXIII. latam; non tantùm eam improbavit, negavitque id Synodo licuisse, sed etiam ipsos Deputatos amarè objurgans: *Ecquis*, inquit, *eam vobis licentiam dedit; ut auderetis in Pontificem Romanum manus injicere, eique dignitatem ac insulas adimere, quod nuper Constantiæ fecistis? Postquàm ergo eò audaciæ pervenistis, quid aliud superest vobis, quàm ut pari facinore Regi Regisque Principibus coronam & imperium involetis? sed enim ne id vobis procedat, maturè præveniam.* Hæc Maimburgus totidem ferè verbis, quæ ex Gallico reddidi, adjungítque: (b) *Jam ab annis nongentis Ecclesiæ Gallicanæ hanc sententiam fuisse, ut videlicet excepto hæresis casu, à nullo hominum, nullóque Concilio, sed à solo Deo judicari Pontifex Romanus, deponíque possit.* Hæc Maimburgus sui, suarúmque opinionum, quas alibi docuit, in gratiam Regis Galliæ oblitus; adeò videlicet illum Reges demerendi impetus cœpit, ut jam amicus Pontifici, jam hostis appereat, utcúnque Regi placuerit; sed de hoc aliàs. Palàm igitur hoc exemplo fit, Regi Galliæ Regióque senatui Decreta quartæ & quintæ sessionum nunquam probata fuisse, adeóque aut non habuisse Concilium pro Oecumenico, legitimóque, aut arbitratos esse, nullam Concilio in Papam esse potestatem.

Secundò

(a) Eugenius IV. in Apolog. contra Basil. (b) Maimb. Grand. Schisme d'Occid. lib. 5. fol. 307. V. Spond. ad Annum 1415. n. 12. & ibi Bzou.

Secundò. In Regesto Concilij Constantiensis, quod duobus Manuscriptis continetur, hæc leguntur: *Die 6. Aprilis Anno 1415. Cùm per Dominos Cardinales & Nationes altercatum esset super correctione & emendatione Capitulorum in præcedenti sessione* (quarta) *statutorum, tandem ordinatum & concluſum est, quòd supradicta Capitula modo infrascripto corrigerentur, &c. præmissâ per Dominos Cardinales & Oratores Regis Franciæ protestatione secretâ in Camera Paramentorum Palatij Constantiensis secretè factâ, quòd propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audierant in ea statui debere, &c.* Censuerunt ergo Cardinales, Gallicique Oratores, quo tempore sessiones quarta & quinta agebantur, aut Concilium non fuisse Oecumenicum, aut nullâ potestate in Pontifices præditum; alioquin quî poterant Decretis Concilij haud annuere, quod Oecumenicum & legitimum crederent? imò nisi annuissent, pro Schismaticis habendi erant, nec tamen habiti sunt.

Tertiò. Cardinalis Turrecremata in lib. de Ecclesia: *Nullus*, inquit, *dubitat, quòd asserere, quòd sola obedientia Joannis faceret Concilium Universale, Universalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium ac scandalosum alijs duabus Obedientijs.* Omnes ergo Episcopi, Cardinales, Doctores, omnésque Universitates, Scotiæ, Lusitaniæ, Castellæ, Navarræ, Arragoniæ, totiúsque Hispaniæ, Bearniæ quóque, Sardiniæ, Corsicæ, Majoricæ, Bavariæ, Flaminiæ, celebrésque Wormatiensis, Spirensis, & Werdensis Episcopatus, qui Gregorio & Benedicto adhærebant, Concilium Constantiense, quo tempore duæ sessiones quarta & quinta agebantur, pro Oecumenico & Universali non habuerunt; nec propterea ab ullo mortalium pro Schismaticis aut hæreticis habiti sunt; non ergo certa & indubitata ea Decreta dici poterant, quæ à tam multis & celeberrimis Ecclesijs, pro irritis, nullísque habebantur, illæsâ & inviolatâ conscientiâ.

Quartò. Eugenius IV. Pontifex Maximus in Apologia contra Basileenses: *Non dixit Obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Christianitatis pars non modica fuit, ante tempus Conventionis plenarium fuisse Concilium, nec priùs actitata, quasi Synodi Generalis plenariâ auctoritate susceptit; itaque oportuit ipsis convenientibus primò ab Obedientia Gregorij, deinde ab Obedientia Benedicti novum Concilium convocari, hincque Universâ Ecclesiâ concurrente plenariæ Synodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum*

ipsis à Patribus ibi considentibus actum est, Universæ Ecclesiæ non debet adscribi, sed eis tantùm qui ibidem considebant, & unius tantùm Obedientiæ Synodum faciebant. Fuit ergo Eugenij, omniúmque, qui Eugenio adhærebant, hoc est, totius Orbis Christiani sententia (paucis exceptis, qui Basileæ tumultuabantur) Constantiense Concilium, cùm illæ duæ sessiones peragebantur, non fuisse Oecumenicum, sed particulare tantùm, unius videlicet Obedientiæ Johannis XXIII.

Quintò. Idem Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 99. *Neque ipsa integra Joannis XXIII. Obedientia consensit; quoniam plures Patres doctissimi illius Obedientiæ illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum.* Plures ergo & doctissimi viri, etiam ex Johannis Obedientia credebant, se Decretis illis haud illigari, sed posse obniti, & consequenter non fuisse eo tempore Concilium Oecumenicum, aut saltem suâ potestate abusum; aut quî dici potuit Concilium Universale, cui deerant tot suffragia, aut contempta videlicet, aut contraria, aut non audita? Idem Turrecremata, qui Concilio Constantiensi interfuit: *Congregatio,* inquit, *Constantiæ celebrata tria tempora habuit: primum fuit, in quo sola Obedientia Joannis prædicti Constantiæ convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corrarius, vocatus in Obedientia sua Gregorius XII. juri suo cedens præfatæ Congregationi, sub certis modo & forma se conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges & Principes ac Prælati Obedientes Petro de Lunâ, Benedicto XIII. vocato in Obedientia sua, per suos Oratores novâ factâ convocatione Concilij se unierunt præfatæ Congregationi ad pacem dandam Ecclesiæ, & fuimus nos præsentes, tunc in Minoribus constituti; pro quo solo tempore conventionibus omnibus simul tribus Obedientijs fuit certum dicere, quòd Universalis Ecclesia fuit repræsentativè congregata Constantiæ.* Hæc Turrecremata, cui utpote præsenti, rerúmque omnium conscio, quæ Constantiæ agebantur, & doctrinâ ac pietate præstanti, nec partibus addicto, meritò fidem adhibeas.

Sextò. Sessione decimâ quartâ Concilij Constantiensis leguntur Bullæ Gregorij certis conditionibus Papatui renuntiantis, in quarum prima Arimini data tertio Idus Maij Anno 1414. *Concedit suis Legatis Congregationem Constantiensem, in quantum per serenitatem Regiam, & non per Balthasarem se nuncupari facientem Joannem Papam XXIII. vocatam vicesuâ ad prædictorum effectum convocandi & auctorizandi in Generale Concilium, remotâ tamen omnimodo Balthasaris præsidentiâ, & præ-*

sentiâ

sentiâ ab iisdem. Hanc Gregorij Bullam, quâ Concilium ante Sessionem decimam quartam apertè Oecumenicum negabatur, non solùm actis suis Synodus Constantiensis inseruit; sed etiam ex consensu quatuor Nationum, omniúmque Patrum Archiepiscopus Mediolanensis tabulas legit, quibus dicebatur: *Quòd Concilium memoratum dictam convocationem, auctorisationem, & confirmationem, in quantum ad eundem Gregorium pertinet & attinet, eis admittit, Collegium ipsius D. Gregorij nuncupati, alteri Collegio videlicet olim Johannis Papæ, & è converso, unita omnino decrevit, & Notarij rogati de præmissis non faciant mentionem in instrumentis suis de Papa vel Sede Apostolica, sed de Sigismundo Romanorum Rege usque ad cessionem nomine dicti Gregorij faciendam.* Et sess. 20. non priùs Obedientia Benedicti se Patribus Constantiensibus adjunxit, quàm *ut iterum Concilium convocaretur, perindè ac si hactenus legitimè convocatum non esset, neque Oecumenicum fuisset: ut Congregatio titulo abstineret Concilij Oecumenici.* Et sexaginta litteræ ad Regem Arragoniæ Ferdinandum missæ sunt, nullâ Concilij Generalis inscriptione; quæ omnia à Patribus Concilij acceptata, confirmata & jurata sunt, ut videre est in Actis vigesimæ sessionis, & in duobus Codicibus Manuscriptis Regestum Concilij continentibus. Agnoscebant ergo Patres Constantienses, antequam Obedientiæ Gregorij & Benedicti sese adjungerent reliquis, nondum satis constare de auctoritate Concilij, & an esset Oecumenicum; si enim constabat Oecumenicum esse, cur novam Concilij convocationem, cur Decreta priora in dubium revocari permittebant, abstinebántque titulo Oecumenicæ Synodi, toties in prioribus sessionibus usurpato? Nec dici potest id Patres tolerâsse studio pacis: nec enim hanc tantùm causam fuisse; sed eam præcipuè, quòd reverà à magna Christiani Orbis parte, imò etiam à quàm plurimis in ipsa Synodo, negaretur Oecumenica & legitima esse (alioquin nunquam pacem tam carò indignisque conditionibus emerent, & Decreta prioribus sancita sessionibus permitterent aut everti, aut in dubium revocari) id quod ex Turrecremata, Petro Alliacensi, Eugenio IV. alijsque suprà ostendimus. Et ideò Arragonensis Regis Legati protestati sunt: (a) *Quòd quidem vellent se unire Concilio, non tamen reputare esse Generale Concilium, neque agi de rebus Generalis Concilij, donec venirent Legati Regis Castellæ.* Septimò.

(a) Ex 4. Codd. MM. SS. apud Schelstr. in dissert. Antuerp. fol. 52.

Septimò. Sessione 14. sub gravissimis pœnis decretum de non eligendo sine assensu Concilij Romano Pontifice hisce verbis editum fuerat: *Sacrosancta Generalis Constantiensis Synodus pronuntiat, statuit, & ordinat ad electionem futuri Pontificis nullatenus procedatur, sine deliberatione & consensu hujus sacri Concilij Generalis, & si quid fieret, sit ipso facto auctoritate hujus Concilij irritum & inane; nullúsque electum contra hoc Decretum in Papam recipiat sub pœna maledictionis æternæ, & fautoriæ Schismatis. &c.* Quid poterat à Concilio enixiùs decerni, & gravioribus pœnis armari? & tamen, quia Benedicti XIII. Obedientia necdum accesserat, ideóque ea Synodus pro Oecumenica non habebatur, adeò huic Decreto delatum non est, ut & Collegium Cardinalium, & Natio Hispanica, imò & tres reliquæ Nationes protestatæ sint illud Decretum, *aut nullum esse, aut saltem dubiæ auctoritatis; & ex eo sequi, Ecclesiam DEI sine capite & lege futuram esse, sed nec illo Hispanicam Nationem ligari potuisse, quamvis validum foret: nec haberi posse indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet Concilium convocare.* Hæc omnia palàm faciunt, non fuisse eo tempore Concilium Constantiense pro certo ac Oecumenico habitum; quî enim certum & Oecumenicum, quod negant esse indubitatum, quod Acephalum dicunt, cujus Decreta invalida, nec illis Nationem Hispanicam ligari volunt, imò turbari Ecclesiam, reddíque exlegem? hæ planè non sunt notæ legitimæ & Oecumenicæ Synodi: & hæc si obijci poterant sessioni decimæ quartæ, quantò magis sessioni quartæ & quintæ, tot aliàs, ut suprà ostendi, defectibus laborantibus, & in quibus Obedientia Gregorij nondum se reliquo agmini sociaverat? In quatuor Codicibus Manuscriptis (quos Schelstrate edidit in Tractatu Romæ edito) ad Annum 1417. hæc habentur: *His diebus post ejectionem Petri de Luna infra decem dies Cardinales attendentes constitutionem: ubi majus. de elect. in 6. alia jura, & etiam Decreta Concilij super electione Papæ hâc vice, pro qua Concilium decrevit electionem fiendam modo & formâ, loco, tempore & materiâ per Concilium ordinandis, & pœnas terribiles imponit contrarium facientibus, suspendúntque omnia jura positiva in illa materia; licèt dicti Cardinales non reputarent dicta Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium; noluerunt tamen illa publicè impugnare &c. Propter quod fecerunt Protestationes in omnibus Nationibus, mitiores, quàm potuerunt, per quas posset jus eorum conservari, & nullus de Concilio de-*

beret

beret exasperari &c. Et infrà : *Dictam protestationem fecerunt in qualibet Natione per duos Cardinales & Procuratorem, cum duobus Notarijs Nationis Italiæ &c.* Et in alia Protestatione ejusdem sacri Collegij, ac trium Nationum, videlicet, Italicæ, Hispanicæ, Gallicæque. *Audite hæc omnes, auribus percipite, qui habitatis Orbem &c. Vos præfatam Venerabilem Nationem pluries & instanter exhortati sunt & requisierunt, quatenus attentis periculis Ecclesiæ sanctæ DEI velletis per vos vel Deputatos vestros cum dictis tribus Nationibus Italiæ, Galliæ, Hispaniæ & Cardinales super modo futuræ electionis maximè de electoribus tractare, agere & convenire, quod facere, & super hoc respondere jam multis diebus distuliſtis, & non feciſtis, licet asseratis sine vestro consensu & ordinatione Concilij, super modo, forma, loco, tempore & materia non posse ad dictam electionem procedi, obstantibus quibusdam hujus Concilij decretis, quibus nos, Hispanica Natio, etiamsi aliàs valida existerent, non ligamur.* Et infrà : *Cùm si ante dictam provisionem Ecclesiæ de Pastore, aut saltem modi electionis illius, suppositis hujus Concilij Decretis, quibus omnia jura circa electionem Pontificis edita, dicuntur esse suspensa; ex quo sequetur Ecclesiam DEI esse sine capite, & sine lege & ordinatione electionis Pontificis, hoc Concilium casu aliquo dissolvetur, prout jam multæ causæ timentur imminere; Ecclesia in periculo remaneret, quia vix aut nunquam summus Pontifex indubitatus posset haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet convocare & c.*

Octavò. Sessione 39. præscribitur forma Professionis fidei, quam Romani Pontifices legitimè electi facere tenentur in hæc verba: *In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, &c. Anno à Nativitate Domini, &c. ego electus in Papam Omnipotenti Deo corde & ore profiteor, me firmiter credere & tenere sanctam fidem Catholicam, secundùm traditionem Apostolorum, Generalium Conciliorum & aliorum Sanctorum Patrum; maximè autem Sanctorum octo Conciliorum, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertij Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi Nicæni, octavi quóque Constantinopolitani; nec non Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis Generalium etiam Conciliorum, & illam fidem usque ad unum apicem immutilatam servare: ritum quóque pariter Sacramentorum Ecclesiæ.* Ecce! enumerat Constantiensis Synodus omnia Generalia Concilia, in quorum fidem jurare oporteat Romanum Pontificem; cur rogo ex omnibus Generalibus Concilijs solum Constantiense omittitur, quod tamen adeò expresè ac nominatim sessionibus

quartâ & quintâ decretis fidei à se statuendis Romanum Pontificem illigaverat; id quod à nullo hactenus Conciliorum legimus factum; cur ergo solum Constantiense omittitur, quo nullum magis exprimi debebat? nimirum agnoscebant Patres Constantiense Concilium, utpote à Romano Pontifice necdum approbatum, dici non posse Oecumenicum, & ideò nec inter Oecumenica reponi debere.

Nonò. Petrus Alliacensis, qui tractatum de Ecclesiæ, & Cardinalium auctoritate anno 1417. scripsit, hoc est, quando sessio vigesima sexta jam Constantiæ habita, & Obedientia Benedicti se Concilio adjunxerat; parte illius libri primâ cap. 4. dubia aliqua proponit: *Quæ*, dicebat, *apud nonnullos magnam inducere perplexitatem. Primò an quatuor Nationes in hoc sacro Concilio, excluso Cardinalium Collegio faciant Concilium generale, cùm sint plura Concilia particularia valdè inæqualia & improportionaliter divisa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, excluså deliberatione Collegij, & non factâ in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij conciliariter facta. Secundò an dictæ Nationes, quæ sunt nova Collegia particularia, habuerint à jure Divino vel humano auctoritatem privandi Romanam Ecclesiam, & sacrum Collegium jure suo, habendi scilicet vocem in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi.* Hæc Cameracensis Cardinalis, qui posteà adjungit: *Hæc à se proponi eo consilio, ut super his Concilium deliberet, ne in futurum ejus acta improbentur.* Ergo jam tunc temporis apud multos Concilij auctoritas vacillabat, erátque incertum, an pro Oecumenico, legitimóque habendum esset, idque præter alias rationes, etiam ex his capitibus: *tum*, quòd non tam unum Corpus unúmque Concilium, quàm quatuor & diversæ Congregationes viderentur, ex quatuor Nationibus conflatæ, idque contra instituta morémque omnium retrò Conciliorum: *tum*, quia numerus votorum non rectè iniri poterat, adeò ut minor pars æquivaleret multò & decuplo majori, quod apertè libertati, exemplo omnium Conciliorum, sacris Canonibus, rectæque rationi adversabatur; Natio enim Anglicana viginti tantùm votis constabat; Gallicana & Italica singulæ trecentis, & tamen Anglicanæ vota æquivalebant votis Gallicanæ, cùm quælibet Natio pro uno tantùm voto computaretur: *tum*, quia deliberatio, & examen rerum, quæ definiri oportebat, non instituebatur *Conciliariter*, hoc

hoc est, in communi omnium Nationum, sed in privatis singulorum Conventibus, quæ dici Conciliaris deliberatio non poterat: quemadmodum in causis, quæ capitulariter decerni deberent, non haberetur pro resolutione Capitulari, quæ in particularibus Capitularium congressibus caperetur, ut si in electione Episcopi v. g. Constantiensis, Suevi, Helveti, Franconésque Canonici in privatis, distinctisque Cœtibus, non in communi conventu sua vota conferrent, præsertim si Helvetorum vota, quæ tantùm sunt tria, æquivalere Suevorum deberent, quæ sunt supra viginti: *tum* denique, quia Cardinales ad deliberandum non admittebantur; quamvis enim non oporteat ad Concilium Oecumenicum omnes Episcopos convenire, oportet tamen nullum excludi, accedere & interesse volentem. Si ergo ex his capitibus, teste Alliacensi Cardinali, auctoritas Concilij dubia reddebatur; quanto id magis de sessionibus quarta & quinta dicendum, cui una tantùm Obedientia intererat, & in quam, præter istos, tot alij defectus incurrebant suprà notati?

V. Si ergo auctoritas Concilij Constantiensis, priusquam à Martino V. confirmaretur, Regi, Senatui & Oratoribus Gallicis, imò Cardinalibus, ipsisque Concilij Patribus aut dubia, aut nulla habebatur, idque invictis testimonijs à nobis probatum est; quid tandem præsidij ab hujus Concilij decretis sperare Maimburgus potest? at celavit hæc omnia, ut cùm vincere non posset, saltem abderet veritatem. Sed præter jam dicta aliud adhuc supereſt, quod illis Decretis validè objiciamus. Nego enim illa in senatu, quem Adversarij volunt, & præsertim Maimburgus, Martino V. confirmata esse. Nam *Primò* Martinus V. *sessione 45.* his verbis Concilij Decreta confirmat. *Omnia & singula determinata, & concluſa, decreta in materia fidei per præsens sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter tenere ac inviolabiliter observare volebat, & nunquam contravenire quoquo modo; ipsâque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Hìc Martinus ea solùm Concilij acta confirmat, quæ *ad materiam fidei* pertinent, & *Conciliariter facta*, non verò approbat, quæ ad fidem non spectant, nec sunt conciliariter facta: at talia sunt Decreta quartæ & quintæ sessionum: hæc enim propositio: *Concilium est supra Papam certum & indubitatum*, non est de fide, alioquin

totus ferè Catholicus Orbis, si paucos in Gallia excipias, omnésque Doctores, & Universitates, ipsíque Romani Pontifices, qui contrarium scriptis & exemplis docuêre, hæretici vocandi essent; quod utique ne Maimburgus quidem dixerit, quamvis alioquin lati thoracis homo. Ea insuper Decreta non fuisse Conciliariter edita, jam suprà magnis testimonijs & præsertim Spondani Episcopi Galli & Maimburgo commendatissimi ostendimus; si ergo nec ad fidem spectant, nec Conciliariter sunt facta; sequitur à Martino V. confirmata non esse. Ubi sciendum est triplicis generis causas in Concilio agitatas esse, videlicet, fidei, Unionis, & Reformationis. Per materias fidei ea in Concilio intelligebantur, quæ contra hæreticos decernebant: & ubi de materijs fidei mentio aliqua in Concilio incidit, semper agitur de ijs, quæ contra Johannem Wicleffum, Johannem Huss, & Hieronymum Pragensem decreta sunt, nec aliam fidei materiam in hoc Concilio reperies; id quod specialiter in sessione quinta observare licet, cùm enim legerentur primum & secundum Decretum (in quibus de auctoritate Concilij statuitur) præmittitur: *Fuerúntque pronuntiati articuli & constitutiones sequentes per Reverendum D. Andream electum Poznanienſem.* Ubi vides eos articulos, qui de Pontificis & Concilij auctoritate agunt, *Constitutiones*, non Dogmata vocari: hisce verò Constitutionibus perlectis, ubi ad Dogmata perventum, hæc præmittuntur: *Quibus peractis supradictus Reverendus Pater D. Andreas electus Poznanienſis in materia fidei, & super materia Johannis Huß quædam aviſamenta perlegebat.* Ubi vides Concilium expresè distinguere inter Constitutiones & materias fidei: & prima illa Decreta, quibus auctoritas Concilij sancitur, ad Constitutiones, non ad Dogmata referri.

Secundò. Tantum abest, Martinum Decreta quartæ & quintæ sessionum in sensu Adversariorum confirmare voluisse, ut ea potiùs vidente, audiente, nec repugnante Concilio oblitterata & deleta voluerit. Cùm enim Poloniæ Legatus Archi-Episcopus Gnesnenſis cum eóque Polonica Natio libellum quemdam famosum contra Uladislaum Regem, totámque Polonicam Nationem à Joanne Falckenberg editum, damnari hæresis cuperent, imò & à toto Concilio ac Cardinalium Collegio damnatus esset; solus obstitit Martinus, negavítque hanc fidei causam esse; cùm ergo

ergo Poloni ad futurum Concilium à Martino appellâssent, Martinus Constitutionem edidit anno primo sui Pontificatûs 6. Idus Martij, in qua : *Nulli*, inquit, *fas est, à supremo Judice, videlicet, Apostolica Sede seu Romano Pontifice* JESU *Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsius & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.* Meminit hujus Constitutionis Joannes Gerson in Dialogo Apologetico pro Concilio Constantiensi, & occasione illius Tractatum scribit, *quomodo & an liceat à Summo Pontifice appellare?* Quid poterat Martinus expressiùs dicere contra Concilij auctoritatem, duobus illis Decretis ex sensu Adversariorum sancitam? Volunt enim illis definitum esse, Pontificem subjacere Concilio; at Martinus superiorem se profitetur. Volunt in causis fidei Pontificem Concilij Decretis alligatum esse; at Pontifex in causis fidei dijudicandis supremam auctoritatem non Concilio, sed sibi competere pronuntiat; nec altius esse tribunal, ad quod liceat appellare. Quis jam credat Martinum ea Concilij Decreta confirmâsse, quæ tam seriò, támque enixè confutat? idque vidente, audiente, nec repugnante Concilio? Unde facilè intelligas, quàm inanis sit Maimburgi cavillatio, asserentis id tantùm Martinum prohibere: *Ne ad Episcopos particulariter sumptos appellari à Pontifice possit, non verò prohibere appellationes ad Episcopos in Concilio congregatos.* Vana responsio, nec causæ, nec veritati idonea. Martinus enim hanc suam de non appellando Constitutionem Appellationi oppositit à Polonis factæ; Poloni verò non ad Episcopos particulariter sumptos, sed ad futurum Concilium appellaverant; hoc ergo, non illud Martinus prohibuit; & ideò Johannes Gerson Tractatu, *quomodo & an liceat à Pontifice appellare*, omnem lapidem movet, ut ostendat, eam Martini Constitutionem Decretis Synodalibus repugnare: at non repugnâsset Decretis Synodalibus, si tantùm prohiberet Appellationem ad particulares Episcopos, & Romanum Pontificem singulis tantùm Episcopis præponeret; id enim Decreta Concilij nunquam statuerant, quæ, cùm Pontificis auctoritatem circumscribunt, non eam singulis aut particularibus Episcopis, sed toti Concilio submittunt.

Tertiò. Id quóque Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis

ingenuè professus est, cui utpote Gallo, notæque pietatis, ac Regibus charo, nec partibus addicto, fidem meritò adhibeas. Is verò ità loquitur: (a) *Ea quæ ambiguè decreta fuissent de auctoritate Concilij supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam tàm in capite, quàm in membris, absolutè ut sonare videntur, sumpta, nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, utpotè contraria existimata, & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino potestati, ipsique demum naturæ rei, quâ caput debet membra regere, non regi à membris.*

VI. Superest jam, ut ad plenam dictorum Synodi Decretorum intelligentiam ostendamus, Patrum Constantiensium mentem sensúmque non fuisse, ut Concilij auctoritatem in omni casu, omníque tempore Pontificiæ prælatam vellent, sed solùm in casu Schismatis, dubiíque Pontificis. Id verum, certúmque esse ex sequentibus discе.

Nam *primò* quoties Concilium de hac re loquitur, semper verba & Decreta sua ad casum Schismatis restringit. Sessione 4. *Hæc sancta Synodus Constantiensis faciens pro extirpatione præsentis Schismatis & nomine ac Reformatione Ecclesiæ DEI in capite & in membris fienda.* Et infrà: *Et primò quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti Schismatis &c.* Et sessione 5. *Et primò declarat, quòd ipsa immediatè à Christo potestatem habet, cui quilibet, etiamsi Papalis dignitatis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, Reformationem Ecclesiæ in capite & in membris.* Et infrà: *Item declarat, quòd quicunque cujuscunque dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus hujus sacrosanctæ Synodi, aut cujuscunque alterius Concilij Generalis legitimè congregati super præmissis, aut ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis &c.* Observa sermonem semper esse de solo Concilio Constantiensi, quando nullus certus Pontifex, & obstinatum Schisma Ecclesiam dividebat; cùm verò de alijs Concilijs Generalibus mentio fit; adijcitur continuò clausula restrictiva, videlicet: *Super præmissis seu ad ea pertinentibus.* Quæ verò sint illa *præmissa*, constat ex antecedentibus verbis: *Hæc sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium*

(a) Spondan. ad Annum 1414.

cilium faciens pro extirpatione ipsius Schismatis, & Unione, & Reformatione Ecclesiæ DEI in capite & in membris &c. Nulla ergo Concilijs in Pontifices potestas, nisi cùm agitur de extirpando Schismate, & Unione Ecclesiæ, & consequenter in casu dubij Pontificis. Si enim absolutè, omníque casu Concilium sit supra Pontificem, cur rogo Patres Constantienses toties, támque repetitis verbis hanc potestatem restringunt, aut ad Concilium Constantiense, aut ad casum præsentis Schismatis? quis nescit clausulas præsertim sæpius repetitas operari aliquid debere? & inclusionem unius esse exclusionem alterius? Planè & Concilijs, & veritati injuriam fecêre, si quod semper Concilijs licet, ipsi ad unum casum restrinxerint; quemadmodum si petenti facultatem comedendi carnes in Quadragesima, Pontifex aut Episcopus rescribat: *Concedo, ut possis ter in hebdomade carnibus nesci*; nemo dubitabit pluries non licere; cur enim si sempet licere vóluissent, ad ternas vices licentiam restringerent?

Secundò. Cùm Synodus Constantiensis deponere Joannem vellet, nec tamen id satis auderet defectu potestatis; primò illum Schismatis & hæresis accusârunt, quòd scirent hoc uno delicto moveri Pontifices posse, idque sacris Canonibus sancitum: sed cùm id non procederet, nec probari posset monente in publico congressu Cardinale S. Marci: (a) *Ut attenderet Concilium, quod Procurator Concilij propesuerat crimen hæresis, & fautoriam Schismatis, & alia quædam non constare.* Patres omissâ hæresis accusatione, collatísque cum Sigismundo Imperatore sacróque Collegio consilijs, censuerunt illud superesse, ut Pontifex in sententiam à Concilio ferendam consentiret, ac spontè renuntiaret: delectíque quatuor Cardinales, inter quos Florentinus & Cameracensis, qui hâc legatione fungerentur, moverémtque Joannem: & latâ jam in eum sententiâ, repetita Legatio est, annuítque Joannes utríque Legationi. Audi acta ipsius Concilij. *Statim Rex, Cardinales & Deputati, pluréfque tractaverunt materiam, quòd Papa consentiret sententiæ suæ depositionis, & ex abundanti renuntiaret.* Et infrà: *Ordinatum fuit, quòd Cardinales de Ursinis, Cameracensis, de Thalanco, Salutiarum, & Florentinus irent ad Papam.* Et infrà post latam sententiam. (b) *Concilium misit ad Papam, & Papa*

(a) Gesta Constantiens. ex 4. MM. SS. Codd. (b) Ex ijsdem MM. SS. 14. Maij 1415.

Papæ sententiæ acquievit, & ex abundanti renuntiavit in forma prædictæ schedulæ. Forma autem à Concilio missa inter alia hæc habet: *Porrò si omninò dictum sacrum Concilium vult procedere ad sententiam, scilicet amovendo eundem Dominum Joannem à Papatu, affirmat, quòd non vult reclamare, nec reclamabit contra dictam sententiam proferendam, quin imò ipsam ratificabit & approbabit, & eandem acceptabit, & in quantum in se fuit, confirmabit &c.* Et in instrumento Concordatorum Narbonæ inter Regem Romanorum & Legatos Concilij ex una, & Obedientiam Benedicti ex altera partibus. *Dominus, qui Gregorius XII. in sua Obedientia dicebatur, sua sponte cessit. Sic & Dominus, qui Joannes XXIII. dicebatur, facere voluit atque fecit.* Ubi vides Joannis exauctorationem non sententiæ Concilij tribui, sed spontaneæ cessioni. Si ergo Concilium Constantiense ne dubium quidem Pontificem, & tempore schismatis est ausum, nisi priùs hæresis notatum, & hâc non probatâ, nisi consentientem, approbantem, suóque jure ac sponte cedentem, quantò minùs id auderent in Pontificem verum & legitimum, & planè indubium? quantóque minùs decreta quartæ & quintæ sessionum extendi ad hunc vellent?

Tertiò. Post trium Obedientiarum Unionem, novum inter Patres certamen est ortum, quo diù multúmque collisi sunt. Volebant tres Nationes, Hispanica videlicet, Italica & Gallica, & cum istis Cardinalium Collegium, non priùs de Reformatione sermonem fieri, quàm certus & indubius Pontifex eligeretur; quippe præcipuam, maximéque necessariam Reformationis partem esse, si schisma tolleretur: tolli autem non posse, nisi certo Pontifice, hunc ergo ante omnia eligendum. At Natio Germanica præmitti volebat morum reformationem in capite & in membris, quâ etiam Pontifex teneretur. Post longum certamen vicit trium Nationum sententia, cessítque Germanica, eâ tamen conditione: *Ut à Concilio expediretur assecuratio, & cautio per Decretum irritans, quòd post electionem Papæ fieret Reformatio ante Coronationem Papæ, & administrationem aliquam.* Quâ postulatione Germanorum auditâ, perpensáque subjungunt acta: (a) *Postea fuerunt factæ diversæ formæ, ac tandem fuit dictum,*

(a) Ex 4. MM. SS. Codd. apud Schelstr. fol. 268. & habetur in protestatione trium Nationum contra Nationem Germanicam ante sessionem 49. die 11. Septemb. Anno 1417.

dictum, quòd Papa electus ligari non potest. Hìc apertè suam mentem Concilium explicavit : nam sessione quartâ & quintâ agebatur de Pontifice dubio; quippe tres Pontifices Ecclesiam in diversas partes scindebant, & ideò definitum est, subjacere Pontifices Conciliorum Decretis. Ubi autem de vero & indubitato Pontifice actum, ingenuè Patres profitentur: *Electum Pontificem ligari non posse.* Quid clariùs dici poterat ? si enim crederent Concilij potestatem etiam in verum & indubitatum Pontificem extendi, idque Decretis quartæ & quintæ sessionum sancitum esse, quid morantur, renuúntque electo Pontifici leges statuere, & nisi observet, pœnas, Depositionem ac alia minari, quæ in tres dubios Pontifices experti sunt? *Non potest,* inquiunt, *electus Pontifex ligari.* At Johannem, Benedictum, Gregorium ligâstis, cur non etiam Martinum? Quia videlicet de hoc constabat legitimum esse, non verò de illis. Patet ergo ex hoc Nationum responso, quæ fuerit Concilij mens de potestate in verum, certúmque Pontificem, eum videlicet Concilio ligari non posse. Et ideò in Decreto sessionis 45. à quinque Nationibus Conciliariter edito statuitur : *Ut Romanus Pontifex proximè assumendus Ecclesiam in Capite & membris reformet.* Nulla tamen, ut sessionibus quartâ & quintâ, addita pœna; quia videlicet sentiebant, verum certúmque Pontificem nullius Concilij potestati coactivæ subjacere, & ideò contrà quàm Germanica Natio postulaverat, nullam pœnam nolenti præfigunt. Quod etiam discrimen inter certum, dubiúmque Pontificem egregiè observatum est sessione 39. ubi enim sermo est de vero & indubitato Pontifice, statuitur quidem, ut singulis quinquennijs Concilium indicat, nullâ tamen omittentis pœnâ: sequenti verò paragrapho, ubi agitur de tempore & casu Schismatis, dubióque Pontifice, gravissimæ pœnæ, ac etiam privatio Papatûs negligenti statuuntur; certum igitur est, nec negari potest, aliam fuisse Concilij mentem circa dubium, aliam circa certum indubitatúmque Pontificem.

Quartò. Sessione ultimâ in Bulla Martini sacro approbante Concilio edita contra hæreses Wicleffi & Hussij expressè dicitur: *Papam Canonicè electum supremam in Ecclesia DEI habere potestatem.* Atqui non haberet supremam, si potestati Concilij subjaceret; nemo enim dixerit, in Republica Romana, aut alia Democratica supremam

mam potestatem esse penès Consulem aut Ducem, sed penès Comitia Popularia.

Quintò. Eandem Pontificis auctoritatem manifestè ostendit Constitutio Martini V. prohibentis libellum Johannis à Falckenberg hæresis damnari (quem tamen totum Concilium damnaverat) & pronuntiantis, non posse à Pontifice ad Concilium appellari, suprẹmúmque in causis fidei tribunal esse penès Pontificem, non Concilium, idque audiente, nec contradicente Concilio, de quo suprà.

Et hæc sunt, quæ circa quartam & quintam sessiones monenda censui, quæque apud doctissimum Schelstratum fusius deducta reperies; ego enim, ut candidè veritatem profitear, neminem credo magis de veritate in hac causa meritum esse; quippe nullâ re magis quàm auctoritate Concilij Constantiensis gloriabantur Gallici Antistites, & tamen hoc illis Palladium Schelstratus eripuit, quod nemo ante illum, ut acta Concilij Constantiensis magna ex parte, Basileensium artibus sepulta, in lucem erumperent, & veritati testimonium ferrent. Supereſt nunc, ut quæ illis Maimburgus objecit, diluamus.

§. V.

Respondetur ad reliquas Maimburgi Objectiones.

SUMMARIA.

1. *Respondetur ad ea, quæ Maimburgus Codicibus Manuscriptis opponit.*
2. *Et ad Gersonis Auctoritatem.*
3. *Et ad Concilij Pisani.*
4. *Et ad argumentum ex titulo Oecumenici Concilij sumptum.*

Opponit

I.

Opponit 1. (a) Manuſcriptos Codices, ex quibus multa hactenus teſtimonia deducta ſunt; non poſſe actis Concilij Conſtantienſis jam editis, & ducentorum annorum poſſeſſione probatis, quidquam præjudicare; quidquid ergo ex illis productum eſt, infirmæ fidei, ac vacillantis eſſe.

Reſp. Nihil apud eruditos eſt novi, ſi ex antiquis ac indubitatis Manuſcriptis multa ſuppleantur, aut ſuppreſſa, aut inobſervata, & typis omiſſa; hinc eſt, ut in omnibus Bibliothecis tanta ſit cura, & pretium manuſcriptis ac ineditis libris; & in Gallia præſertim, nihil ferè Eruditis ſolemnius, quàm ut hujuſmodi documentis veritatem illuſtrent; hinc tot illa ſpicilegia, mantiſſæ, fragmenta, Obſervationes, ex quibus Sirmundus, Balluzius, Labbeus, Ducheſne, Monachi S. Dionyſij, alijque ſuos libros, novásque Sanctorum Patrum, & Conciliorum editiones inſtruxerunt. Ipſe Maimburgus hujuſmodi antiquitates quoties oſtentat? & præſertim libro ſecundo magni Schiſmatis Occidentis, ubi cùm in favorem Clementis VII. per 4. integra folia pretium cujuſdam manuſcripti jactâſſet, ſuámque in eo conſequendo felicitatem; non contentus ejus manuſcripti auctoritate Clementis electionem Urbani præferre, ac inſuper Monachum S. Dionyſij, Juvenalem de Urſinis, ipſúmque Spondanum præſtantiſſimos ſcriptores erroris ac negligentiæ damnâſſe, adjungit iſta pompæ ac magnificentiæ plena: *Se quidem eloquentiâ ſtylíque elegantiâ ſuperari ab alijs potuiſſe, fidem verò, ac diligentiam quod attinet, nemini palmam concedere.* Si ergo Maimburgus tantum manuſcriptis ſuis tribuit, ut eorum auctoritate & Pontifici tiaram, & præclariſſimis ſcriptoribus fidem adimat, ſe verò illis omnibus præponat; quid tandem offendere illum poſſet; ſi nos non unotamen, ſed pluribus, ſibíque planè conformibus manuſcriptis nixi, nullo aut noſtro lucro, aut aliorum damno, ea tantum ſuppleamus, quæ Conſtantienſi Concilio deſunt?

(a) Maimb. Traitté hiſtor. ch. 22. fol. 197.

desunt? aut qui Codices majorem fidem merentur, quàm quibus stylus, character, antiquitas, ac locus ipse fidem conciliat? constat enim omnia Conciliorum acta Romam mitti solita, quod, ut alia omittam, de Nicæna prima & octava Synodis ex (a) actis ipsorum Conciliorum, & Anastasio certum est. Et planè in nullo Concilio major necessitas recurrendi ad Autographa Codicésque manuscriptos, ut in Constantiensi; hoc enim jussu Patrum Basileensium typis vulgari cœptum est; quippe cùm auctoritatem suam apud pleróque contemptui esse viderent, ut eam casui vicinam fulcirent, ac Cathedram Petri, quam suis non poterant, alienis viribus concuterent; Synodi Constantiensis typis evulgandæ consilium cœpere. Delecti ad hoc opus Cardinales duo, totidemque Episcopi & Doctores, & Archidiaconus Zagabriensis, qui Synodi Decreta ex actis Constantiensibus extraherent. Id ab illis perfectum Anno 1442. & Codex, quem conscripserant, bullâ plumbeâ, filóque serico firmatus, & à Deputatis subscriptus. Ex hoc aliud exemplar Johannes Hober ex Inderdorff manu propriâ descripsit, quod cum Orginali convenire testatus est Matthias Strinbach; & anno 1499. hoc ipsum exemplar typis mandatum est in Imperiali oppido Hagenow, & deinceps aliæ editiones omnes, quæ cùm auctores habuerint ipsos Basileenses, Pontifici Romano hostes implacatos, pronum est videre, quanta necessitas fuerit manuscriptos Codices consulendi, credendiq;, libenter ab ijs ea omnia omissa, quæ Pontifici favere possent. Nec obstat, quod de longa possessione memorat Maimburgus; nullo enim tempore veritati præscribitur; alioquin Americam, Brasiliámque negabimus repertas esse, quia olim invisas, occultásque: quod si tempus nihil obfuit quærentibus terram, cur obsit quærentibus veritatem? & ideò eleganter Tertullianus lib. de præscriptionibus: *Sempiterna quædam res est veritas, cui nemo præscribere potest; non spatium temporum, non patrocinia Personarum, non privilegia Nationum.* Et S. Augustinus in Psalm. 61. *Licèt veritas latere potuerit, vinci non potuit.*

II. *Opponit 2.* (b) Auctoritatem Joannis Gersonis doctrinâ & pietate celebris, qui in sermone coram Concilij Patribus habito secundâ

(a) V. Acta Concil Nicæn. lib. 3. & Turrian. proëm. in Canon. Syn. Nicæn. & Anastas. præfat. ad 8. Synod. (b) Maimb. Traitté histor. ch. 23. fol. 203.

ſecundâ poſt Epiphaniam Dominicâ hæc habet: *Huic veritati* (loquitur de Decretis quartæ & quintæ Seſſionum) *fundatæ ſupra petram ſacræ ſcripturæ quiſquis à propoſito detrahit; cadit in hæreſin jam damnatam, quam nullus unquam Theologus, maximè Pariſienſis & ſanctus aſſeruit. Vidi nuper ſanctum Thomam & Bonaventuram; hîc reliquorum libros non habeo; dant ſupremam & plenam ſummo Pontifici poteſtatem Eccleſiaſticam: rectè proculdubio, ſed hoc faciunt in comparatione ad fideles ſingulos, & Eccleſias particulares. Dum etenim comparatio facienda fuiſſet ad auctoritatem Eccleſiæ Synodaliter congregatæ, ſubjeciſſent Papam, & uſum poteſtatis ſuæ eidem Eccleſiæ tanquam Matri ſuæ &c.* Conſtat ergo teſtimonio Joannis Gerſonis, Concilij mentem & ſententiam fuiſſe etiam legitimum & indubitatum Pontificem (talis enim eſſe debet, cui ſinguli fideles, & particulares Eccleſiæ obedire tenentur) Concilio Oecumenico ſubjacere.

Reſp. Multa reſponderi poſſunt ad Gerſonis auctoritatem; nam *primò* quæro ex Maimburgo, an Gerſonem talem eſſe putet, cui fides neceſſariò adhiberi debeat? & an ipſe paratus quoque ſit eam fidem illi præſtare, quam à nobis exigit? ſi negat, fruſtra nobis eam auctoritatem objectat, quam ipſe contemnit, reijcitque. Si affirmat, ergo concedere debet, eſſe in Pontifice Romano indirectam in Reges & Regna poteſtatem, poſſe etiam Principes Eccleſiaſticos & ſæculares privatâ auctoritate occidi; utrúmque enim Gerſonius (a) docuit, & tamen Maimburgus utrúmque negat, non ergo auctoritas Gerſonis tanta eſt, quam recuſare non liceat, etiam exemplo Maimburgi; & planè Gerſonem nimio Zelo, quo ſui temporis abuſus & flagitia perſequebatur, extra juſti, rectíque limites abreptum eſſe, ne illi quidem negant, qui ejus patrocinium maximè ſuſceperunt. Nihil ergo auctoritas Gerſonis convincit, præſertim tot alijs auctoritatibus oppreſſa.

Secundò. Idem Gerſon hæreſis damnat contrarium opinantes; id verò manifeſtè falſum eſt etiam confeſſione adverſariorum: alioquin omnis Hiſpania, Jtalia, Polonia, Germania ac tota ferè Europa hæreſis damnanda; hæretici etiam tot illi ſancti & Doctores, & integra Regna, quæ Gregorio, & Benedicto adhære-

(a) Gerſon parte 4. ſerm. de pace & Unit. Græcor. conſid. 5. & par. 2. in Regul. Moral. de præcept. Decalogi, & opuſc. contra Adulator. conſid. 7.

hærebant, quique Decreta illarum sessionum nunquam pro legitimis agnovêre. Quî ergo fidem habeamus erudito quidem pióque Doctori, sed nimio, cæcóque impetu toties labenti?

Tertiò. Ejusdem farinæ est, quod subjungit idem Gerson, sententiam nostram, quæ Concilium Papæ submittit, *à nullo Theologorum & sanctorum traditam esse.* An ergo in Obedientia Gregorij & Benedicti, quæ magnam Christiani Orbis partem complectebatur, nulli sancti, & Theologi, qui vel hâc ipsâ ratione Constantiensis Concilij Decreta respuebant, quòd dicerent, nihil Concilijs in Pontifices licere? & tamen dubij illi erant, incertique, quid de indubijs, certisque Pontificibus dicerent? An vero in Nicæna, Ephesina, Chalcedonensi, Lateranensi, Lugdunensi Synodis nulli sancti, nulli Theologi erant? & tamen isti omnes pro summis Pontificibus pronuntiârunt, ut alibi (a) ostendimus. An verò Bonifacius, Gelasius, Symmachus, Nicolaus, Cyrillus, Damasus, Athanasius, Isidorus, Bernardus, aliique, qui Pontifices Concilio prætulêre, sancti non erant?

Quartò. Fatetur Gerson in allegatis verbis, à se in præsenti controversia nullum alium Auctorem præter Thomam, & Bonaventuram lectum esse, defectu librorum, qui ad manus non erant; & verò nullum esse à Gersone lectum infallibili argumento est, quòd nullum néque ex Patribus, néque ex Concilijs testimonium citat; nec verò in re tam magni momenti, támque à multis etiam in Concilio impugnata citare omisisset, si quis Gersoni faveret, quod etiam observabis circa quartæ & quintæ Sessionum Decreta: quæ ergo major negligentia fingi potuit, quàm in re tanta, intérque summa Ecclesiæ capita vertente, ex solo impetu privati affectûs, nullo teste, nullâ lege, nullóque antiquitatis, Parrúmque examine festinare sententiam, & Pontificem eâ ratione damnare, quâ nec privatum hominem licuisset? *Nullum*, inquit, *legi præter Bonaventuram, & Thomam: & tamen assero sententiam contrariam, quæ Pontifici favet, à nullo theologo, nullóque sancto doceri, imò hæreticam esse.* Ignosce mihi Gerson, non sunt hæc verba Parisiensi togâ, tantóque digna Doctore, humani aliquid & passus, & quod ratio non debuit, impetus edixit. Si nullum præter Thomam & Bonaventuram

(a) V. Reg. Sacerd. à fol. 305. & à fol. 392.

turam legisti, unde ergo tibi constat, sententiam, quæ Pontificem Concilijs præfert, à nullo Theologo, nullóque sancto doceri? num ergo sciri potest, quid Theologi, quid Sancti doceant, si eorum libros non legeris? quo ergo fundamento asseris, quod ignoras? doces, quod non didicisti? si ergo legisses, quæ Gelasius scripserat, videlicet: (a) *Sanctæ memoriæ Flavianum Pontificum Congregatione damnatum pari tenore, quoniam Sedes Apostolica non consensit, absolvit, ac pro veritate fidei, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit.* Et Nicolaus primus: *Non ergo dicatis, in causa pietatis non eguisse vos Romana Ecclesiæ, quæ collecta Concilia suâ auctoritate firmat, & suâ moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt &c.* Et Bonifacius: *Nunquam etenim licuit, de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari.* Et Cœlestinum in Commonitorio seu Instructione Legatis ad Concilium Ephesinum dato: *Instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquuntur, ut Conventui interesse debeatis. Si ad disceptationem ventum fuerit, vos de eorum sententijs judicare debeatis, non subire examen &c.* Hæc inquam & alia multa, quæ alibi notavimus, si Gerson legisset, nunquam utique scriberet, sententiam, quæ Romanum Pontificem Concilijs præfert, à nullo Theologorum, & Sanctorum traditam esse.

Quintò. Sed multò gravius hallucinatur Gerson, minoríque veniâ, quando allegans sanctorum Thomæ & Bonaventuræ auctoritatem, dicit eos loqui *de Summo Pontifice cum Ecclesijs singulis & particularibus, non verò cum omnibus Episcopis in Synodo congregatis*; Id verò tam apertè falsum est, ut oporteat nec eos quidem à Gersone lectos esse; aut si legit, adeò fuisse aversо, occupatóque animo in tunc temporis Pontifices, ut ne ad ea quidem, quæ legebat, animum adverteret. Audi utrúmque S. Doctorem. Sanctus ergo Thomas *in 2. 2. q. 1. art. 10. in C.* ita loquitur: *Ad illius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei; ut ea ab omnibus inconcussâ fide teneantur: hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones deferuntur; & hujus ratio est, quia una fides debet esse unius Ecclesiæ, quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur*

(a) S. Gelasius epist. 13. Nicolaus primus epist. 8. S. Cœlestinus in Commonitorio apud Balluzium ex Cod. Colbertino, & ex Cod. Romano apud Schelstr. in dissert. Romana fol. 87.

minetur per eum', qui toti Ecclesiæ præest. Et ideò ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum &c. Et ad 2. *Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur.* Hic clarum est, sanctum Doctorem loqui non de Ecclesijs particularibus, sed de tota & Universali Ecclesia, & etiam Universalibus Synodis, *tum* quia expressè loquitur de Synodis, earúmque Confirmationibus: *tum* etiam, quia loquitur de articulis Fidei, déque Symbolis fidei, quæ ut patet, non tantùm ad singulas & particulares Ecclesias, sed etiam & maximè ad Synodos Universales pertinent: *tum* denique, quia dicit, *finalem determinationem fidei ad Romanum Pontificem, eúmque solum pertinere*; at utrúmque falsum est, si Concilium sit supra Pontificem; tunc enim finalis determinatio ad Concilium pertinebit. Clara est ergo sententia S. Thomæ. Idem *q. 10. de Potent. art. 4. ad 13. Ita etiam Romanus Pontifex hoc suâ auctoritate potest* (hoc est, interpretari Symbolum) *cujus auctoritate solâ Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent ex Gestis Calcedonensis Synodi.* Hîc S. Thomas Summum Pontificem expressè cum Synodo Oecumenica comparat, ut patet exemplo Synodi Chalcedonensis, quam allegat, & tandem eundem Pontificem Synodo majorem facit, dum scribit: *A Concilio ad Pontificem appellari.* Et in *Opusculo 19.* contra impugnantes Religionem: *Sancti Patres in Concilijs congregati, nihil statuere possunt, nisi auctoritate Summi Pontificis interveniente, sine qua nec Concilia celebrari possunt.* Si Concilia nihil statuere possunt sine auctoritate Summi Pontificis, ergo certum est, majorem esse Summi Pontificis, quàm Conciliorum auctoritatem; major enim potest statuere sine consensu minoris, Princeps videlicet sine consensu Senatûs, Episcopus sine consensu Vicarij, aut Synodi Diœcesanæ. Ex quibus luce meridianâ clarius est S. Thomam non solùm Ecclesijs particularibus, sed etiam Synodis Universalibus Summi Pontificis auctoritatem præferre. Ex quibus placeat Lectori duo observare. Primum, quantum noceat cognoscendæ veritati, animum afferre alienis opinionibus jam semel imbutum, occupatúmque. Nemo negaverit fuisse Gersonem selectæ doctrinæ & pietatis, & tamen quia jam semel opinionem imbiberat

Ponti-

Pontifici adversam; idque ut persuasum omnino habeo, Zelo Ecclesiam adjuvandi ambitione trium Pontificum miserè collisam; adeò illius animum hæc tinctura corrupit, ut cùm Divos Thomam & Bonaventuram ante oculos haberet, legerétque, non tamen eos intellexerit, imò in sensus detorserit eorum menti adeò contrarios, ut nemo non errorem observet: ergo ut natura omni colore pupillam nudavit, quò omnes colores caperet; ita seponenda est omnis opinio veritatem captanti. *Secundò.* Nec minus quóque observatione dignum est, quàm parvâ curâ, studióque hæc quæstio in Synodo Constantiensi agitata fuerit; nec tam ad momenta veritatis, quàm ex animorum affectu, impulsúque decisa: si enim Gerson flos Gallicanæ Sapientiæ, & ex cujus ore Galli omnes pendebant, quique in Constantiensi Synodo omnem paginam implebat, si is, inquam, nullos alios præter Thomam & Bonaventuram in hac quæstione legerat, & istos tam malè intellexit, ut ne quidem legisse videatur: quid rogo de alijs Patribus dices, minùs Gersone eruditis, minùs pijs, minúsque lectioni addictis? Unde semper magis magisque verum apparet, quod superiùs probaveram: videlicet, Decreta quartæ & quintæ sessionum sine examine & deliberatione sufficienti, ac tantæ materiæ pari fuisse in Concilio vulgata. S. Bonaventura suam mentem his verbis expressit: *Summus verò Pontifex, penès quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solius DEI reservatur arbitrio.* Si prima in terris auctoritas penès Summum Pontificem residet, ergo non penès Concilium: si à nullo hominum judicari potest, sed solius DEI reservatur arbitrio, ergo à Concilio non potest judicari, multóque minùs deponi, alioquin non solius DEI arbitrio reservaretur.

III. *Opponit 3.* (a) Hanc quæstionem de superioritate Concilij in Concilio Pisano, ubi primùm agitata est, fuisse decisam; in Concilio verò Constantiensi adeò maturè exactéque discussam, ut nulla magis, quippe toto ferè Concilij tempore in Congressibus ac Disputationibus in Concilio habitis tam ante, quàm post Gersonis Orationem, de nulla ferè alia re, quàm de ista sermonem inter Patres fuisse, ac tandem omnium Nationum consensu pro Concilio

(a) Maimb. cit. ch. 23. fol. 216.

in quarta & quinta sessionibus sententiam latam esse. Nam quòd aliqui Patrum ante Decreta ac præsertim Cardinales obluctati, ac protestati fuerint; nihil obstare valori Decretorum, quæ tandem omnium conspiratione acceptata sunt, Spiritu sancto opinionum pugnas pacante; alioquin nullas Pontificum electiones, nulla Concilia, ac præsertim Tridentinum sustineri posse, in quibus ante Decreta, communémque electionem tot contrarijs votis átque sententijs certatum à Patribus est: quis nescit ex qualitatum pugna tandem corpora formari? sic veritatem ex pugna opinionum. Hæc Maimburgus.

Resp. Supponit Maimburgus quæstionem, de qua agimus, fuisse in Pisana Synodo pro Concilio decisam, at contrarium jam suprà ostendimus; Concilium enim Pisanum, ac Bononiensis & Parisiensis Universitates sententiam suam expressè ad casum Schismatis, dubióque tunc temporis Pontifices restrinxére, imò nec in eos, quamvis dubios pronuntiare ausa sunt, nisi ob causam hæresis & Schismatis, quâ utérque Pontificum notabatur; nihil ergo in materia, de qua agimus, Pisanum Concilium decidit. Imò ut supra ostendi, potiùs à nobis Concilium facit. Multò minoris pretij sunt, quæ de Synodo Constantiensi dicuntur. In illa fuisse inter privatos Cœtus & tumultuariè, ut fieri solet in scholis Philosophicis, disputatum, verum est: sed fuisse maturam & Synodalem discussionem ac examen institutum, hoc est, dictis in publicis sessionibus sententijs, auditis pacatè singulorum rationibus, examinatis Patrum ac Conciliorum in hac materia doctrinis, exemplísque ac antiquæ Ecclesiæ traditione; hoc est quod negamus in Synodo Constantiensi, ac quarta & quinta sessionibus factum; quod apertè ex eo ostenditur, quòd in omnibus tam editis, quàm scriptis hujus Concilij actis, nec unica quidem ratio, aut Patrum auctoritas in medium producta fuerit, quâ Concilij potestas supra Pontificem probaretur, multò minùs auditæ in contrarium rationes; quî potuit igitur Synodalis Deliberatio vocari, quæ nec in sessionibus facta, nec ullis rationibus in medium pro una, alteráve parte productis. Deliberare enim non est aliquid asserere, aut negare, sed rationes utriúsque partis expendere; idque exemplis ostenditur Conciliorum, quæ ipse Maimburgus producit,

ducit, Nicæni videlicet, & Tridentini. Quærebatur in Concilio Nicæno, an Filius Divinæ & æqualis naturæ cum Patre esset; hoc est, DEUS, an Creatura? hoc Arrius, illud Orthodoxi volebant; & planè res tam clarè in scripturis decisa fuerat, ut nullo examine, nullâque disceptatione opus videretur; & tamen non sufficit Patribus Nicænis in re tam clara, liquidâque id agere, quod Patribus Constantiensibus in re multò magis dubia, quæque majori indagine opus habebat; non sufficit inquam, non partibus, non testibus auditis, non libratis causæ momentis Decretum effundere Constantiensi simile: sed per moras, lentéque, & omnium sententijs, ac etiam quæ ab adversarijs proponebantur, auditis, tandem pronuntiatum est. Videantur acta Concilij Nicæni, patebitque quantum Patres vel in unius Philosophi, quem Arriani conduxerant, argumentis dissolvendis curæ impenderint, nec priùs cessaverint, adductis varijs è scriptura, rerúmque natura argumentis, quàm planè convicerint. In Nicæna secunda Synodo plus quàm ducenta sanctorum Patrum testimonia producta, quibus colendas esse Imagines probatum est. In Ephesina Synodo nullum ferè allegandis, expendendisq; Patrum testimonijs contra Nestorium finem invenies. Idem in secunda Constantinopolitana, & in Florentina Synodis factum. Idem quóque in Tridentina, quam tamen pro se allegat Maimburgus. In ea enim non solùm capita fidei decernenda diligentissimè examinabantur; sed etiam in publicis sessionibus adeò patienter singulorum sententiæ ac momenta rationum audita, ut subinde unius ex patribus voces ad duas & suprà horas proferrentur; ipsæque etiam sessiones & Decreta non semel cum ingenti temporis, sumptuúmque impendio, dilatæ sunt, eâ tantum ratione, ut Lutheranis ad Concilium vocatis suorum dogmatum argumenta proferre liceret. Nihil verò simile ut dixi, in quarta & quinta sessionibus factum, in quibus idem deliberandi, judicandique momentum fuit. Verum quidem est, in omnibus Concilijs, antequam sententia à Patribus ferretur, pugnam aliquam & discordiam opinionum ac votorum fuisse (neque hoc in Constantiensi Concilio damnamus) at semel sententijs dictis, Decretísque ex plurium votis in Concilio sancitis omnes tandem acquiescebant, transibántque in plurium sententiam; quòd videlicet sci-

rent hanc Concilijs Oecumenicis deberi reverentiam; & qui hujusmodi decretis repugnarent, pro hæreticis habebantur. Aliter se res habuit in Decretis quartæ & quintæ sessionum, illis enim non à paucis tantùm hominum, sed ab integris Regnis: nec solùm antequam Decreta sancirentur, sed etiam postea quam sancita sunt, vehementer repugnatum est, nec propterea pro hæreticis habiti, ut suprà ostensum; id verò manifestum signum est, non fuisse Concilium eo tempore, quo hujusmodi Decreta confecta sunt, pro Oecumenico habitum.

IV. *Opponit 4.* (a) Ut Concilium aliquod dicatur Oecumenicum, non requiritur omnes Episcopos ei interesse; sufficit omnes invitari, omnibúsque patere; alioquin nullum ferè Concilium Oecumenicum fuerit, ac præsertim Tridentinum, cui nulli ex Anglia, Scotia, Dania, Norwegia, Suecia, Ægypto, Græcia, aliisque Provincijs interfuêre, quæ Romanum Pontificem haud agnoscunt; pari ergo ratione nihil obfuit Constantiensi Concilio eorum Antistitum absentia, qui Gregorio & Benedicto addicti, Joannem verum Pontificem respuebant; alioquin si istorum defectu Synodus Constantiensis Oecumenica non fuit, non ergo errores Hussij & Wicleffi pro hæreticis, damnatisque habendi sunt, quippe trium Obedientiarum Unione necdum secutâ, & incerto adhuc Pontifice. Sequetur etiam invalidam fuisse Joannis Depositionem, electionem Martini, ac omnium, qui Martino successêre; id quod Cardinalis Julianus, cùm Eugenij nomine Basileensi Concilio præsideret, eleganter notavit litteris ad Eugenium datis. Quòd si dicas Joannem Depositioni consensisse; facilè respondebo eum consensum fuisse gravissimo metu extortum, perpetui videlicet carceris, quem Joanni nullibi locorum tuto Martinus jam paraverat, quémque ille Martini pedibus affusus Florentiæ deprecatus est, idque Aretinus (b) rerum Italicarum scriptor expresè testatur: quæ potuit igitur Depositio valida dici, quam & injusta ac usurpata potestas, & metus tam gravis extorsit? Multò minùs Bellarmini responsio sustineri potest asserentis: *Non posse quidem Concilium sine Papa nova fidei dogmata definire, posse tamen tempore Schismatis judicare, quis verus sit*

(a) Maimb. cit. ch. 22. fol. 220. (b) Leonard. Aretin. in histor. rerum Italicarum.

sit Papa. Primò enim quis nescit in primo Constantinopolitano Concilio sancitam, ac inter fidei dogmata contra hæresin Macedonianam relatam esse Spiritûs Sancti Divinitatem, cui tamen Concilio nec immediatè Damasus, nec per Legatos præsedit? Sic etiam contra trium Capitulorum hæresin à quinta Synodo pronuntiatum est, non tantùm Vigilio non consentiente, sed etiam repugnante. Secundò nunquam in Concilio Constantiensi dubitatum est Joannem esse verum, legitimúmque Pontificem, non ergo dici potuit sententiam à Patribus non in certum ac indubium Pontificem, sed in dubium, & de quo non constabat, prolatam esse. Ac denique si quo tempore Synodus Constantiensis Joannem deposuit, Universalis & Oecumenica dici non poterat, quâ ergo potestate sententiam in eum dixit, cùm omnium consensu id solùm Oecumenico, non particulari Concilio liceat?

Resp. Primò. Verum est, ad Oecumenicum Concilium non requiri, ut omnes Episcopi Concilio interfint; neque ex hoc capite quartæ, quintæque Sessionum Decreta reijcimus, sed ex illo, quòd ut suprà vidimus, ac teste Cardinali Alliacensi, prima & præcipua Senatûs Ecclesiastici pars, Cardinales videlicet, aut excluſi fuerint, aut quod idem erat, capita rerum agendarum adeò occultata, ut deliberare illis non liceret. Deinde, quòd illi, qui Concilio non adfuerant, non solùm non hæretici, aut *miseræ Christianitatis reliquiæ* essent (ut quinque Regnorum populos Maimburgus pro solita modestia appellat) sed & Catholici & maximo numero, ac sapientiâ, imò sanctitate celebres; & tamen Concilium pro Oecumenico non haberent, nec ejus Decretis alligari se crederent, adeò ut Hispanica Natio alijs Nationibus ac Cardinalium Collegio approbantibus, protestata sit, se *Decretis Concilij, quæ ante Unionem Obedientiarum facta erant, non alligari*; idque ut dixi non solùm tres aliæ Nationes non improbârunt, verùm etiam positivè acceptârunt, suæque protestationi inseruerunt, quam ex Gestis Concilij fideliter conscriptis, & in quatuor Manuscriptis repertam Schelstratus (a) verbatim recitavit, nósque suprà libavimus. Ipsum quóque Concilium Gregorio, & Benedicto seu potiùs Benedicti Obedientiâ petentibus, titulo Oecumenici abstinuit, permisítque Concilium

(a) Schelstr. in Dissertat. Antuerp. fol. 6. & in Romana fol. 255.

cilium iterum indici, perinde ac si ante Unionem non legitimè indictum, nec Oecumenicum fuerit, ex quibus omnibus, multisque alijs, & non ex sola Episcoporum absentia, collegimus, tempore quartæ & quintæ sessionum Concilium Constantiense Oecumenicum dici non potuisse, quæ uti patet de alijs Concilijs dici non possunt.

Secundò. Errores Hussij & Wicleffi, quod attinet, verum est, illos ante trium Obedientiarum Unionem damnatos hæresis esse; at non sequitur ideò pro hæreticis non esse habendos; quamvis enim Concilium tunc Oecumenicum non fuerit, at posteà jam Unione compositâ, Oecumenicum evasit, & Martinus V. Sessione quadragesimâ quintâ in Bulla confirmatoria Concilij omnes Wicleffi, & Hussij errores sigillatim recensens, eos *sacro approbante Concilio* condemnat, ac hæresis notat, adjungítque, *se omnia & singula determinata, concluſa, & Decreta in materijs fidei per Concilium Constantiense Conciliariter tenere velle, ipsáque sic conciliariter facta approbare, & ratificare.* Nihil ergo timendum, ne errores Wicleffi impunè abeant, quippe à Concilio, cùm jam Oecumenicum esset, & capiti Unitum, damnati; ac etiam ab ipso Martino Summo Pontifice, cujus vel sola auctoritas, etiam remoto Concilio rebus fidei decidendis sufficiens omninò est, ut suprà ostensum.

Tertiò. Depositionem Joannis quod attinet, ea valida fuit: *tum,* quia non constabat esse verum, & indubitatum Pontificem, duobus alijs eandem dignitatem magno rationum ac Clientum numero sibi vendicantibus: *tum* etiam, quia Joannes consensit sponte liberèque; sciendum enim est, Joannem ter in sententiam Depositionis consensisse, videlicet die 24. Maij Anno 1415 in Oppido Cellæ, quando videlicet liber, omníque metu solutus Papatui renuntiavit, rogatúsque totius Concilij nomine à quatuor Cardinalibus, de Ursinis, Cameracensi, de Thallanco, Sallutiarum, & Florentino sententiæ acquievit propediem ferendæ. Verba Joannis sunt. *Ego Joannes Papa XXIII. prædicta de mandato meo per alium scripta approbo, confirmo, ac sponte & liberè volo adimplere cum effectu.* Rursus die 29. Maij *sess. 12.* Lata est in Joannem sententia, *qui acquievit, atque ex abundanti renuntiavit.* Ita habent Gesta Constantiensis Concilij in quatuor Manuscriptis, & acta ejusdem

dem Concilij à quatuor Protonotarijs conscripta, ac etiam edita. Ac tandem cùm metu perpetui carceris à Martino parati in Ligures aufugisset, liber, nullóque metu impulsus iterùm renuntiavit, si Aretino credendum est, quem Maimburgus citat quidem, sed malâ fide, ijs videlicet silentio præteritis, quæ nocere poterant malæ causæ. Sic enim Aretinus: *Dum apud Ligures esset & sui juris, sive conscientiâ ductus, sive quòd desperabat aliquid proficere posse, sponte sua Florentiam venit, & sese pedibus Martini subijciens, eum ut Pontificem verum, & unicum recognovit.* Idémque Aretinus Martinum alloquens: (a) *Joannes Pontifex, de cujus Depositione propter vim adhibitam multi dubitabant, securitate atque fiduciâ hujus loci Florentiam venit, tibíque se sponte sua subjecit, quo facto omnis est penitùs scrupulus, ambiguitásque sublata, neque de vi ulla adhibita sollicitus esse quisquam potest, cùm ipsius voluntaria in loco sibi tutissimo sit conspecta subjectio.* Audis Aretinum non semel tantùm, sed sæpè confitentem, Joannem *sponte sua, cùm esset sui juris, securitate atque fiduciâ Urbis florentinæ, nullâ vi adhibitâ, sed in loco tutissimo voluntariâ subjectione Papatu cessisse.* Quæ omnia efficaciter ostendunt, Joannis cessionem liberam, nullóque metu expressam fuisse; sed demus metum, quid inde sequitur? Invalidam fuisse Joannis cessionem? nullo pacto: Joannes enim tam ante, quam post Pontificatum sæpiùs promiserat, imò juramento se obstrinxerat, boni publici, Schismatísque finiendi causâ Papatu abire, idque præstare tenebatur: metus ergò ei incussus, ut se juramento, promissísque absolveret, justus erat; at justo metu peracta omni jure subsistunt, quod legibus sæpè definitum est, & à Doctoribus communiter receptum: tantóque magis, quia Joannes dubius erat, non certus & indubitatus Pontifex; hic verò Concilio subjacet tanquam legitimo Magistratui, de quo in Jure Cæsareo *l. 3. §. sed vim ff. quod metûs causa,* ita legimus: *Vim accipimus atrocem, & eam, quæ adversus bonos mores fiat; non eam, quam Magistratus intulit, scilicet jure licito, & jure honoris, quem sustinet.* Nihil ergo probant, quæ de metu Maimburgus memorat.

Quartò. Contendit Maimburgus, posse res fidei à Concilio sine consensu Pontificis definiri, sed nihil magis à vero, doctrináque Patrum alienum dici potest; id alibi demonstravimus, estque expressa Nicolai primi sententia: (b) *Non,* inquit, *dicatis in causa pietatis*

(a) Leonard. Aretin. in hist. sui temp. (b) Nicolaus I. epist. 8.

tatis non eguisse vos Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia suâ auctoritate firmat, & suâ moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. Taceo multa alia, quæ alibi reperies: (a) nec obstant, quæ de Concilijs primo & quinto Constantinopolitano Maimburgus opponit: nam primum quod attinet, certum est auctoritate Damasi Pontificis convocatum, & ab eodem confirmatum esse, id enim ex gestis (b) Damasi, ejusdémq; epistola apud Theodoretum, & libello Photij, ac etiam Divi Gregorij auctoritate clarius est, quàm ut negari possit; quamvis nec aliâ confirmatione opus fuerat, cùm idem Damasus Papa judicium Synodi Costantinopolitanæ præveniens, Sabellij, Macedonij, & Eunomij opiniones prædamnaverit, diráque & anathemata in eorum hæreses dixerit, ut habetur Tomo primo Conciliorum ante Synodum Constantinopolitanam: quid ergo confirmaret jam olim confirmata, imò Concilio præscripta? falsum igitur est, quod Maimburgus pro certo supponit, videlicet, Concilium Constantinopolitanum sine Pontificis Romani consensu dogmata fidei sanxisse. Sed illud æquè falsum, videlicet: *Hæreses trium Capitulorum non solùm non assentiente, sed etiam invito Vigilio Pontifice à Synodo Constantinopolitana confixas esse.* At certum est, quæstionem de tribus capitulis citra fidem stetisse, nec eos, qui aut negabant, aut asserebant, hæresis notatos esse; id in historia Ecclesiastica tam certum est, ut persuaderi non possim ignorâsse Maimburgum; quî enim tam communia & vulgata ignoraret, qui etiam arcana ostentat, alijsque inaccessa? Ergo ut dixi causa trium capitulorum testibus Gregorio, & Pelagio Pontificibus, imò toto ferè Occidente nihil ad fidem spectabat, quod alibi fusè ostensum. Errores enim Theodori, Theodoreti, Ibæque omnes Catholici derestabantur: is de Personis erat, an videlicet pro hæreticis damnatisque habendi essent, quos Synodus Chalcedonensis absolverat, ut enim non continuò est pictor, qui pingit; cùm sæpè casu & ignorantiâ artis id fiat, ut in annulo Pyrrhi: ita non continuò hæreticus, qui hæresin docuit. Audi S. Gregorium: (c) *De illa*, inquit, *Synodo, non*

(a) V. Regal. Sacerdot. lib. 2. (b) Gesta Damasi apud Baron. ad ann. 381. Theodoret. lib. 2. c. 22. Photius in libello de 7. Synod. S. Gregorius l. 6 epist. 125.
(c) S. Gregor. lib. 3. epist. 37. & lib. 3. epist. 2. & Pelag. II. ep. 2. ad Eliam,

quæ Constantinopoli facta est, scire vos volo, quia in ea de Personis tantummodò, non autem de fide aliquid gestum est. Et alibi de ijsdem tribus Capitulis loquens: *Postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit, ut sedes Apostolica curam gerat.* Et Pelagius II. vocat *quæstionem superfluam.* Certum ergò est, quæstionem trium capitulorum intra metas fidei stetisse, totúmque ferè Occidentem, qui eorum damnationi subscribere renuerat, nunquam pro hæretico habitum esse. Ubi simul observes, quibus modis, quámque ab honesto alienis fulcire suam causam Maimburgus conetur. Probandum susceperat, posse sine consensu Pontificis res fidei à Concilio definiri: id verò ut persuaderet, exemplis opus erat: sed vera haud suppetebant, quid ergo consilij? falsa subornantur; Damasus, Vigilius producuntur; falso quidem utérque judicio, sed tamen fallendis Lectoribus opportuno; quotus enim quisque aut tempore, aut libris abundat quærendæ ac evolvendæ veritati?

§. VI.

Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij, & Universitatis Parisiensis.

SUMMARIA.

1. *Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij.*
2. *Frustra Ecclesiæ Gallicanæ Auctoritatem in auxilium vocari, imò eam pro Pontifice stetisse multis exemplis ostenditur, ac etiam confessione ipsius Maimburgi.*
3. *An ex eo, quòd totum sit majus suâ parte, concludatur, Concilium esse supra Papam? ubi cavillationes Maimburgi refutantur.*
4. *Insignis Maimburgi fallacia in citando Pij II. testimonio.*

I.

Opponit *Maimburgus 12.* Auctoritatem Concilij Basileensis: (a) hoc enim *sessione 2.* definit, Concilium esse supra Pontificem; nec posse, nisi Patres consentiant, Concilium à Summo Pontifice aliò transferri aut dissolvi. Et *sess. 3.* monitorium contra Eugenium IV. expedit, pœnásque non obtemperanti decernit. Et *sess. 4.* prohibet, ne durante Concilio Pontifex ad promotionem novorum Cardinalium procedat. Et *sess. 7.* non posse Papam de Beneficijs Cardinalium à Concilio punitorum disponere. Et *sess. 8.* Eugenium auctoritativè, & sub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. Et *sess. 9.* rescindit omnia acta & processus ab Eugenio Summo Pontifice contra Wilhelmum Concilij protectorem factos. Et *sess. 12.* acriter in Eugenium Summum Pontificem declamat, definítque & olim in Romanos Pontifices à Concilijs animadversum esse, & deinceps animadverti posse. Et *sess. 14.* Conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehensæ à Concilio præscribuntur, in quas nisi consentiat, Papatu exuitur. Et *sess. 16.* Eugenius Papa, ut ibi habetur: *citationi, monitioni, & requisitioni sacri Concilij plenariè satisfacit*: Bullas & diplomata contra Concilium à se edita, nulla & inania fuisse declarat: ipsum verò Concilium fuisse legitimè inchoatum, legitiméque continuatum; quo videtur Eugenius omnia in superioribus sessionibus facta, & consequenter citationes, & sententias contra se dictas confirmâsse, & Concilij auctoritatem supra legitimum Papam agnovisse. Et *sess. 17.* admittit, ut præsideant, Legatos Papæ, sed cum certis conditionibus, quarum præcipua, ne ullam in Concilium exerceant jurisdictionem coactivam. Et *sess. 18.* expresè definit, majorem esse Concilij, quàm Papæ auctoritatem, & hunc nisi obediat, posse à Concilio puniri. Et *sess. 21.* tollit Concilium omnes Annatas, & qui eas exegerit, pœnâ Simoniacis decretâ punit: ipsum verò Summum Pontificem, si aliquid contra hoc Decretum moliatur, jubet Concilio deferri. Et *sess. 26.* iterum definit Papam notoriè crimino-

(a) Maimb. cap. 21. à fol. 191.

criminosum jurisdictioni Concilij subjacere, ipsúmque Eugenium Papam in jus vocat. Et *sess. 29.* circa medium, clarissimè iterum auctoritas Concilij supra Papam asseritur. Et *sess. 31.* Eugenium suspendit. Et *sess. 33.* etiam deponit. Et *sess. 38.* Concilium Generale supra Papam esse definit, idque ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, & qui hoc pertinaciter negat, hæreticum esse. Et *sess. 39.* Amadæum Sabaudiæ Ducem, sub nomine Felicis V. Papam renuntiat.

In appendice *ad sess. 17.* quæ habetur post Acta Concilij, Legati Eugenij IV. Romani Pontificis, *jurant fideliter laborare pro statu & honore Concilij Basileensis, ejúsque decreta defendere & manutenere, & specialiter decretum Concilij Constantiensis de subjectione Pontificis. Et aliud Synodi Basileensis decretum, quòd Papa Concilio Universali obedire teneatur.* Idem habet Platina *in vita Eugenij IV.*

Ex his Concilij Basileensis actis sic argumentari licet: Quidquid à legitimo Concilio definitum est, & à legitimo Pontifice confirmatum, id pro vero ratóque haberi debet: sed Concilio Pontificem subjacere, & à Concilio citari, judicari, puniríque posse; & ipsa Synodus Basileensis definivit, & Eugenius Papa confirmavit tanquam ritè legitiméque facta.

Resp. Multa sunt, quæ ad Basileensis Concilij Auctoritatem dici possunt. Primò ergo aliqua in genere, tum ad singula respondebimus. Concilium Basileense ab Eugenio IV. convocatum, misso Juliano Cardinali, sicque legitimè inchoatum esse, dubitari non potest; ita enim habetur in Actis Concilij Sessione primâ. Sed cùm adverteret Eugenius, Basileam Civitatem opportunam non esse, solvi Concilium jubet, aliò transferendum. Hinc primæ faces discordiarum. Sed Eugenium hæ causæ moverant. *Quòd* paucissimi Antistites Basileam accedere possent, ardente inter Austriæ, ac Burgundiæ Duces bello, Bohemis hæreticis omnes circa Regiones incursantibus, & ideò itineribus omnibus infestis, occupatisque. *Quòd* Græcorum Imperator, aliique ejus Imperij Principes, societatem cum Latina Ecclesia inituri, Urbem in Italia peterent, tam longo itineri commodam, marique vicinam, & ideò Basileam aversarentur. *Quòd* ingentis momenti negotia in Concilio agitanda Pontificis' præsentiam poscerent; Is verò & decori, & necessitatis causâ, exire Italiâ non poterat, bellis & tumulti-

multibus absentiam secuturis. Hæ Pontifici causæ solvendi Basileensis Concilij, alióque movendi. Hinc Patrum indignatio, tum seditio, & aperta defectio, ac perpetuum bellum, non cum Pontifice tantùm, sed cum ipsa Pontificia Dignitate. Varia Patres concitabant. Quàm plurium ambitio tiaram captantium: Columnenses Eugenio implacati, quòd eorum avaritiæ obstitisset, cùm thesauris inhiâssent à Martino relictis: Dominicus Capranica, aliíque, quòd Purpurâ carerent à Martino paratâ: Philippus Dux Mediolanensis, perpetuus Eugenio hostis, quòd hujus curâ Italiæ Imperio arceretur: Cardinalis S. Eustachij à Patribus Avenionensi & Venusino Comitatibus contra jus fásque præfectus, ideóque turbarum bellíque gaudens, ac turbido securus: Alphonsus Arragoniæ Rex, à Neapolitanis ad solium evocatus, quod extinctâ Andegavensi Stirpe Ecclesiæ acceſſerat: Carolus VII. Galliarum Rex impulsu Alphonsi Arragonij, ac opportunitate Regiam potestatem augendi, Ecclesiasticâ oppressâ Basileensium favore; quod etiam consecutus est celebri illâ Pragmaticâ sanctione, toties impugnatâ, toties victrice, ac tandem delctâ. Hæc erant, quæ Basileensium animos adversùs Pontificem armabant, implebántque Concilium discordijs, seditionibus, tumultu, ambitione; adeò ut non tam Synodum, quàm Eurippum crederes, ventis ac tempestatibus turbidum: & in quo vota & suffragia non veritati, sed singulorum affectui & cupiditatibus quærebantur. Quæso te, quam fidem adhibeas tam suspectæ Auctoritati, quæque ex Principum, & ambientium motu nutúque pendebat, aut vindictâ, aut cupiditate sententiam ferente? Nego ergo hanc Synodum, sed Synagogam fuisse pro tiara jurgantium: & in qua non Patres, sed Principes decernebant, nec fidei causa, sed ambitionis agebatur. Et quamvis hæc manifesta sint, nec ab alio negari possint, quàm historiæ ignaro; addam tamen confirmandæ veritati eorum testimonia, qui Concilio intererant, scribebántque, integritate ac doctrinâ celebres, omníque majores exceptione.

S. Antoninus (a) Concilium Basileense, postquam ab Eugenio Pontifice jussum dissolvi, vocat: *Conciliabulum viribus cassum, Synagogam*

(a) S. Anton. 3. p. Tr. 22, cap. 10. §. 4.

gogam Sathanæ, temerarium, & præsumptuosum Conventum &c. B. Joannes Capistranus : (a) *Synodum profanam, excommunicatam, interdictam, basiliscorum speluncam, Dæmonum cavernam &c.* Joannes de Turrecremata: *Nullus sanæ mentis vir, qui novit, cum quanta gravitate, integritate, & modestia, fidei judicia tractanda sint, judicabit esse universali consensu totius Ecclesiæ concluſa, Spirituque sancto dictata, in quibus hujusmodi factiones, & practicæ intervenerunt.* Pius II. in Bulla Retractationis : *Multi doctissimi viri, & sanctitate celebres scire se dicebant, Basileenses Spiritum Sanctum non habere Auctorem.* Beatus Albergattus teste Sigonio : (b) *Cùm audisset, quæ in contemptum Apostolicæ Sedis Basileenses decrevissent, Vir antiquæ probitatis exarsit, atque graviter eorum facta increpuit, & ut in auctoritate Summi Pontificis permanerent, admonuit.* Idem suprà laudatus Turrecremata : (c) *Talia Decreta Concilij Basileensis* (videlicet contra Pontificiam auctoritatem) *ad furorem quorundam hostium Apostolicæ Sedis cum multitudine Populi parvi pretij, & nullius auctoritatis publicata sunt ; & ideò plures attendentes, prædicta Decreta adversa esse Sanctorum Patrum doctrinis, non modò in Deputationibus suis contradixerunt, & reclamavcrunt , verùm etiam in Sessionibus ipsius Concilij interesse noluerunt.* Episcopus Meldensis Caroli septimi ad Eugenium Legatus, Regis sui Gallorúmque nomine Basileensem Synodum (d) *vesanam* appellat, oratione in Cardinalium Collegio habitâ. Synodus quoque Florentina (e) Declarationes Basileenses *tanquam impias scandalosas , in manifestam Ecclesiæ scissuram, ac omnis Ecclesiastici Ordinis confusionem tendentes damnat reprobátque.* Denique Concilium Lateranense (cui Ludovicus Galliæ Rex tanquam legitimo & Oecumenico per suos Legatos se adhærere professus est) Sessione undecimâ appellat Basileensem Synodum : *Conciliabulum Schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.* Si ergo, ut ex adductis hactenus testimonijs liquet, Concilium Basileense *Schismaticum, Sathanicum, temerarium, præsumptuosum, Dæmoniacum, serpentinum, factiosum , vesanum , viribus cassum , Spiritu sancto destitutum, furiosum, sanctorum Patrum doctrinæ, & exemplis adversum, scandalosum , reprobatum, damnatúmque fuit ;* amabò te, ex tali Concilio quale subsidium speres? annon pudeat tam sordidi fœdique patrocinij?

(a) B. Joan. Capistran. de Papæ & Conc. auctor. p. 3. (b) Carol. Sigon. in Vita c. 13. (c) Turrecrem. summa de Eccl. lib. 2. cap. 100. (d) V. Rainald. ad ann. 1441. n. 10. (e) Conc. Florent. in sess. publica anno 1439. prid. Non. sept.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

trocinij? Ego fidem adhibeam, ego moveri tam indignis testimonijs? Imò si alia omnia cessent, hoc unum suffecerit spernendæ Adversariorum sententiæ, quòd tam miseris pudendisque auxilijs sustentetur; impiam prodit tam profanus comitatus.

Dices. Synodum Basileensem tunc solùm damnatam esse, cùm Eugenium deposuit, Amadæo suffecto; tunc enim Schismatica evasit.

Resp. Constat ex allatis testimonijs, Basileensem Synodum non solùm ob evectum Antipapam, sed etiam quòd Eugenio obtemperare nollet, illúmque Concilio submittere conaretur, graviter à Viris doctrinâ & pietate præcipuis vapulâsse, & execrationi habitam. Si enim Concilium est supra Papam, si hunc citare, punire, ac obsequium detrectantem in ordinem redigere potest; quid tandem Synodus deliquit, si Eugenio, cùm Concilio non pareret, alium Pontificem suffecit? Usa est potestate ac jure suo; non ergo *Schismatica, non Sathanica, non vesana* dici debuit: aut si debuit, non tunc solùm, cùm Eugenium dejecit; sed multò maximè cùm citavit, cùm decrevit, cùm Concilio subjecit; ex his enim necessariò sequebatur, deponi etiam posse, nam ad superiorem id spectat. Nec causa deponendi deerat; si enim Pontifex Concilio subjectus, ergo non solvere Concilium, non transferre, non Patres anathemate punire, non aliud Concilium indicere poterat; quæ tamen cùm omnia faceret, nec Decretis Basileensium toties repetitis acquiesceret, meritò pœnas dabat. Si ergo Eugenius Concilio subjectus, si nocens, si obstinatus, quid mali Concilium fecit? si subjectum, & nocentem damnavit, aliúmque Pontificem delegit? Ergo Basileense Concilium aut semper, aut nunquam deliquit.

Secundò. Tantum abest, Concilij Basileensis auctoritate causam nostram pejorem reddi, ut potiùs maximum pro nobis ex illa argumentum sumatur. *Tum,* quia illius Decretis, quâ parte auctoritatem Pontificiam impugnabant, omnes Viri sancti, doctrináque præcipui adversati sunt, videlicet, S. Antoninus, S. Bernardinus, S. Laurentius Justinianus, B. Albergattus, B. Capistranus, aliíque, adeò, ut ne quidem Sessionibus interesse voluerint, in quibus ea Decreta concepta & vulgata sunt, ut testatur Turrecremata

mata paulo antè laudatus. Concilium quóque Florentinum centum quadraginta Episcoporum (inter quos Patriarcha Constantinopolitanus, ac cæterorum trium Patriarcharum Legati) & Concilium Lateranense centum quatuordecim Episcoporum, eadem Decreta execrati sunt. Ipsos Patres Basileenses adeò hujus Concilij puduit, ut confertim se Eugenio adjunxerint, abscederéntque Basileâ, vix viginti, unóque Cardinali relictis; & hi ut numerum supplerent, cadavera Episcoporum, qui jam vitâ decesserant, inferri Synodo jussêre, ut à mortuis saltem suffragia impetrarent, cùm à vivis non possent. Denique tota Ecclesia Orbísque Christianus, & Decreta, & audaciam Basileensium damnavit, quando illis invitis Eugenium pro Pontifice habuit; quamvis enim Basileense Concilium Eugenium accusâsset, citâsset, damnâsset, abdicâssétque, Ecclesia tamen ac omnes Catholici damnatum à Concilio abdicatúmque pro vero legitimóque coluit. Agnovit ergo Ecclesia tota, & errâsse Basileense Concilium, & nullam in Pontifices exercere auctoritatem posse; si enim Concilium Basileense non erravit, habuítque in Pontificem potestatem, cur ergo Ecclesia, quem Concilium damnavit, quem Concilium abdicavit, pro damnato abdicatóque non habuit? Adde Concilium Basileense, postquam adversari cæpit Romano Pontifici, adeò discordijs, factionibus, rapinis, aliísque facinoribus fædari cæpit, sacro Conventu indignis, ut omnium confessione in Schismaticum evaserit, illíque exscindendo, velut communi mortalium malo, Principes ferro, cælum peste armari oportuerit, quâ tandem illa rebellium acies dissipata est. Quo exemplo manifestè patuit, eandem esse Politici ac naturalis Corporis rationem; utrúmque enim quamvis floridum aliàs, vegetúmque amisso Capite in cadaver evadit.

Dices. Basileense Concilium, quo tempore Eugenium damnavit, non fuisse legitimum.

Resp. Quæro, quam ob causam legitimum non fuerit, nisi quia ab Eugenio solutum, & Patribus majori ex parte ad Pontificem reversis? Ergo Concilium Pontifici subjacet; alioquin invitum repugnánsque dimitti à Pontifice non posset: ergo censuerunt Patres, majorem esse Pontifici, quàm Concilio potestatem; alioquin

quin Concilio potiùs obtemperare, quàm Pontifici debebant: & illi potiùs, quàm huic adhærere; nunc verò, postquam Concilium deserunt, ut Pontifici se adjungant, idque totâ Ecclesiâ probante, manifestè profitentur, majorem esse Pontificis, quàm Concilij potestatem. Quacúnque ergo ex parte Basileense Concilium aspicias, constat insigne ex illo causæ nostræ patrocinium, invictúmque accedere; nunquam enim illud Sanctissimi viri (quotquot videlicet eâ ætate florebant scribebántque) nunquam Florentinum & Lateranense Concilium, imò totius Ecclesiæ consensus damnâsset, quando contra tot, ac singulis ferè sessionibus pronuntiata Decreta, Eugenium pro legitimo Pontifice habuit, & hujus imperium Basileensium Decretis semper præhabuit. Nobis ergo militat, non Adversarijs Basileense Concilium.

Tertiò. Sessionem secundam Basileensem quod attinet, in qua decernitur: *Certum legitimúmque Pontificem Concilio subjacere.* Dico multis modis impugnari eam posse; constat enim, quo tempore habita est, Synodum Basileensem jam ab Eugenio solutam, revocatámque fuisse. Si ergo Synodus à Pontifice non confirmata nullius roboris est, quanto magis nullius roboris erit, non tantùm non confirmata, sed positivè rejecta, rescissa, & improbata? Deinde ex supradictis, Sanctorúmque Patrum testimonijs, quæ alibi produximus, certum est, non posse à Concilio definiri, nisi illa, ad quæ definienda convocatum est; & ideò Leo Primus, (a) Gregorius Magnus, (b) Paschalis II. (c) quæ in Concilijs Oecumenicis, Constantinopolitano primo, & Chalcedonensi contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini decreta fuerant, irrita & inania esse voluerunt, ut alibi demonstratum est. Si ergo Sancti Patres ne quidem tantorum Conciliorum auctoritate, qualia Constantinopolitanum, & Chalcedonense, moveri potuerunt, ut admitterent, quæ contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini decreta fuerant; quanto minùs admisissent, quæ Concilium Basileense contra Romani Pontificis? An pejor causa, minórque reverentia Pontifici maximo, quàm Alexandrino Patriarchæ? aut major Basileensi Concilio, quàm Constantinopolitano & Chalcedonensi

(a) Leo I. epist. 53. ad Pulch. (b) Gregor. M. l. 6. epist. 31. (c) Paschal. II. epist. 3. ad Eliam, quæ habetur Tomo 2. Conc. p. 2. in fragm. Synodi V.

donensi auctoritas, ut quod ista in Patriarcham non poterant, istud posset in Romanum Pontificem? Nihil ergo ex Decretis secundæ Synodi Basileensis contra superioritatem Pontificis Romani deduci potest: idémque dicas ad alias sessiones, in quibus multa Pontificiæ potestati contraria statuta sunt.

Quartò. Ad sessionem 16. in qua Eugenius Bullas & diplomata à se contra Concilium edita, *nulla & inania fuisse declarat: ipsum verò Concilium fuisse legitimè inchoatum, legitiméque continuatum*; multa responderi possunt. Cardinalis enim Turrecremata omnium conscius, testisque oculatus negat eas Bullas Eugenij, sed à Cardinalibus quibusdam expeditas, Pontifice decumbente, ærumnis morbóque confecto: (a) *Andreas*, inquit, *Venetus, Dominij Venetorum tunc Orator, & aliqui Domini Cardinales, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt Domino Eugenio, nisi Bullas illas adhæsionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent; unde præfato Domino in lecto decumbente, præfati Domini referuntur Bullas illas taliter qualiter expedivisse, & misisse Basileam.* Neque hoc novum in Eugenio, cujus testimonio (b) constat, prolixiores illas litteras, quæ in ipsius defensionem ad Universos Christi fideles inscriptæ sunt, quæque sessione 16. recitantur, subornatas esse. Deinde certum est, quæ Eugenius in favorem Basileensium scripsit, omnium gravissimo metu, qui in hominem cadere possit, etiam constantissimum, expressa fuisse. Armis domi forisque obsidebatur: Principes omnes ab eo defecerant: Sigismundus tantùm animi pendebat: Roma capta: Cardinales offensi: Schisma jam ferè conflatum, minæque omnium, qui supererant, defectionem inclamantium, nisi Basileensibus annueret. Quis rogo major metus injici poterat? aut quis pro validis agnoscat, toties negata, ac tandem tanto metu concessa? An jure meritònon hìc cum magno Athanasio (c) dicas? *Non est censenda ejus sententia, quam minæ & terrores extorserunt; sed ea, quam protulit, cùm liberos haberet affectus.* Denique licet Eugenius omnes Bullas revocaverit, quibus Concilium Basileense solvi jubebat, vitandique Schismatis causâ Concilium ratum legitimúmque esse voluerit; nunquam tamen Decreta confirmavit, quæ contra Pontificiam Dignitatem edita in

(a) Turrecrem. lib. 2. cap. 100. (b) Vide sess. 16. & Spond. ad ann. 1433. n. 23. & 24. (c) S. Athanas. epist. ad solit. Vitam agentes.

Concilio fuerant; aliud enim est, Concilium esse verum legitimúmque, aliud omnia, quæ in Concilio facta sunt, legitimè facta esse; nam & Concilium Constantinopolitanum, & Chalcedonense, & Constantiense legitima erant, & tamen non omnia, quæ in illis decreta sunt, Leo, Pelagius, Gregorius, Martinus approbârunt, ut suprà notatum est. Et quàm multa illegitimè invalidéque fiunt à legitimo veróque Principe? non ergo sequitur, approbato concordiæ causâ Basileensi Concilio, omnia quoque, quæ in illo facta sunt, ab Eugenio approbata esse. Testatur id Cardinalis Turrecremata, qui Eugenij verba in Concilio Florentino differentis recitat. (a) *Eugenius*, inquit, *Florentiæ in Disputatione publica respondit ita dicens: Nos quidem progressum Concilij approbavimus, volentes ut procederet, ut inceperat; non tamen approbavimus ejus Decreta. Et in hoc sapientissimè fecit; quis enim nisi imprudentissimus Princeps approbaret Decreta, quæ nunquam vidisset, aut quæ priùs non examinâsset, si in eis minùs rectum, aut minùs verum, aut minùs expediens reperiretur?* Lege totam Eugenij Bullam, quæ sessione 16. recitatur, & ne verbum quidem invenies, quo dicatur Basileensium Decreta confirmari; imò, quod efficacissimè convincit, Legati ab Eugenio missi, rogatíque, ut Decreto Constantiensi de subjectione Pontificis subscriberent, subscripserunt (uti expressè habetur sessione 17.) *nomine proprio* privatóque; non verò ut Legati Pontificis; quod evidentissimo argumento est, aliam fuisse Eugenij mentem; alioquin quid opus erat protestari, se id *nomine proprio*, non verò nomine Eugenij præstare velle? Idipsum testantur (b) Turrecremata, & (c) Spondanus. Et hæc sunt, quæ de Basileensi Concilio dicenda habui studio curáque veritatis.

II. *Opponit 13.* (d) Universitatem Parisiensem, totámque Gallicanam Ecclesiam, ac præcipuos hujus Ecclesiæ ac Universitatis Doctores præferre Concilij auctoritatem auctoritati Pontificiæ.

Resp. Primò. Equidem asserere non possum, quid modò Universitas Parisiensis, & Ecclesia Gallicana de hac re sentiant; video enim omnes in Regis obsequium spectare, nullâ Canonum, nullâ Ecclesiasticæ libertatis curâ, nec tam ex ratione, quàm metu præmijsque pendere: & quid mirum, etiam scholas gratiæ & favori cessisse,

(a) Turrecrem. Sum. de Eccl. lib. 2. cap. 100. (b) Turrecrem. lib. 2. cap. 100.
(c) Spond. ad ann. 1434. n. 2. (d) Maimb. cap. 25. fol. 253.

cessisse, si templa cesserunt? scribunt ergo calamo Doctores, quod Episcopi docent exemplo. Cæterùm paucos ante annos non hanc Ecclesiæ Gallicanæ, & Universitatis sententiam fuisse, graves testantur & oculati scriptores; nam Anno 1662. die 12. Decembris Parisijs in Collegio Claremontano Patres Societatis contra hæreses & Schisma sæculi X. hanc thesin publicè exposuerunt, defenderúntque, videlicet: *Datur in Ecclesia Romana Controversiarum fidei Judex infallibilis, etiam extra Concilium Generale, tum in quæstionibus juris, tum facti; unde post Innocentij X. & Alexandri VII. Constitutiones, fide divinâ credi potest, librum, cui titulus Augustinus Jansenij, esse hæreticum, & quinque propositiones ex illo excerptas Jansenij esse, & in sensu Jansenij damnatas.* In hac thesi agitur quidem de sola Pontificis infallibilitate, sed ex illa apertè sequitur, Concilium non esse supra Pontificem; si enim Papa etiam extra Concilium in rebus fidei errare & falli non potest, ergo nec corrigi, nec judicari à Concilio potest, & consequenter nec Concilio subjicitur. Patres ergo Societatis, quamvis Parisijs essent, & Parisijs docerent, non crediderunt, mentem esse Universitatis Parisiensis, aut Ecclesiæ Gallicanæ, ut Concilium Pontifici præferatur; quis enim credat aut ignorâsse illos Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, aut contempsisse? nisi fortè dicas, aliam illorum temporum, aliam istorum conditionem esse; tunc enim fortiter contra Jansenium scribebatur, quia quid Jansenio aut placeret, aut displiceret, parùm intererat: nunc verò aptari calamus debet Regio favori, oportétque Pontificis auctoritatem ex Principis gratia metiri. Alia quamplurima omitto, quæ sequenti Dissertatione prolixè dicentur.

Resp. Secundò. Sed ut dixi, parum mihi curæ est, quid modò Ecclesia Gallicana sentiat; quærimus quid olim senserit, quando videlicet illibata iñocénsq; florebat, veritatis, non gratiæ anxia, nec ad Regis arbitrium suspensa. Eam pro nobis stetisse, sequentia clarè ostendunt.

Nam *Primò* Anno CCCCXCVIII. mortuo Anastasio Pontifice Maximo delectus est Symmachus Romanæ Ecclesiæ Diaconus. At Festus è primis senatoribus corrupto pecunijs Clero, magnam ejus partem sibi adjunxerat, & suffragia pro Laurentio S. Praxedis Archipresbytero paraverat, eodémque die Symmacho

cho oppositum erat, emptâ auro electione. Creditum est, id datum à Festo Anastasij Imperatoris Eutychiani gratiæ, cui, cùm Constantinopoli Anastasij Pontificis Legatum ageret, pollicitus erat, se acturum, ut Roma Henotico subscriberet. Cùm ergo Schisma in Urbe flagraret, nec partium studia componi possent, itum ad Theodoricum Regem, qui pro (a) Symmacho, quippe pluribus votis electo sententiam dixit: nec id jure factum, sed necessitate ac meliorum desperatione, déque partium consensu. Festus judicio victus ad fraudes & calumnias vertitur. Multa Symmacho flagitia imposita, præsertim adulterij, útque Pontificatu absolveretur, à Theodorico petitum. Is Episcopum destinavit, qui criminationes, causámque Symmachi examinaret, sed vociferante (b) Clero, id contra Canones fieri, nec ab alio judicari Pontificem, quàm à S. Concilio posse, imò ne à Concilio quidem, nisi illud Pontifex convocâsset; Symmachum rogat, Concilium indicat. Is Regi assensus Romam centum & quindecim Episcopos vocat, seque eorum judicio sponte submittit. Audi acta Synodi Palmaris; sic enim teste Anastasio in Honorio, Porticus Basilicæ S. Petri Palmaria dicebatur: *Memorati Pontifices* (quos videlicet Theodoricus ad Synodum invitaverat) *suggesserunt Regi, ipsum Symmachum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus Sedis primum Petri Apostoli est meritum, vel Principatus, nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio. Sed potentissimus Princeps ipsum quóque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam demonstrâsse significavit &c.* Sed cùm in Synodo nullus fieret disceptandi finis; Symmachus moræ & contentionum fessus, quamvis tertiò vocatus negat, se ampliùs velle judicio sisti, & minorum, quibus nullum in se jus esset, sententias experiri; nec Patres abnuerunt, quorum ad Regem scribentium hæc sunt verba: (c) *Nobis quid facere possimus, non remansit, nec invitum ad disceptationem nostram adducere possumus; nova res est, Pontificem Sedis istius apud nos audiri, nullum constat exemplum &c.* Inhorruit Gallia, ubi Reum Pontificem audijt, multòque magis ubi Concilium judicâsse. Ergo omnium nomine ad Festum, Symmachúmque

(a) Anastasius in Symmacho (b) V. Tom. 4. Concil. edit. Paris. & Maymb. de Schism. Occident. lib. 5. fol. 295. Cassiodor. in chron. anno 500.
(c) V. Tom. 4. Concil. edit. Paris. fol. 1330. & seqq.

que Romani Senatûs capita hæc Avitus Episcopus Viennensis scribit : (a) *Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxij nimis ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes, quos omnes una criminatio percusserat, si statum Principis obruisset. In Sacerdotibus cæteris potest, si quid forte nutaverit, reformari ; at si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur non Episcopus vacillare. Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis ejus sanctam toto Orbe Venerabilem, dum illis, quidquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius Orbis caput esse dignatur ; de qua mihi videtur dictum per Prophetam : si hæc humiliabitur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam vestram. Non facilè datur intelligi, quâ vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur, quod Synodus ipsa venerabilis laudabili Constitutione prospiciens causam, quam (quod salvâ reverentiâ dictum sit) penè temerè susceperat inquirendam, divino potius servavit examini.* En tibi Gallicanæ Ecclesiæ sententiam doctrinâ ac pietate florentis, quippe sub tempora baptizati Clodovæi : *Non posse Romanum Pontificem in dubium seu judicium vocari : Illi quidquid est fidelium, submitti, esse totius Orbis Caput, & temerè à Synodo judicari, sed Divino tantùm examini servari.* Ita Galliæ Antistites ante mille centum & octoginta annos sensêre. *Nequè*, dicas, *id tantùm de Synodo particulari intelligendum esse, non verò de Synodo Oecumenica.* Respondeo vanum esse hoc effugium, omnes enim rationes, sacræque auctoritates, quæ probant Pontificem particulari Synodo, probant etiam Oecumenicâ esse superiorem : & citati Patres Gallicani expressè fatentur, Romanum Pontificem *Divino tantùm examini servari* ; quod falsum esset, si Oecumenico Concilio subjaceret. Et ita, quod maximi momenti est, Ennodius sensit ; is enim & Gallus erat, nec ignorare poterat mentem Ecclesiæ Gallicanæ, eodémque tempore vixit, quo Synodus agebatur, & pro Symmacho eloquentissimè scripsit, tantóque pretio apud Patres Synodi Romanæ Apologeticum fuit ab eo conscriptum, ut redigi voluerint inter acta Synodalia, & pro doctrina Synodali ab omnibus haberi. Audi acta ipsius Synodi : *Eo recitato libello, & ab omnibus consonâ voce comprobato sancta Synodus dixit : hæc futuris temporibus reserventur, atq; ab omnibus teneantur, & ab omnibus serventur : hic libellus integerrimè synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter*

(a) S. Avitus Episc. Viennens. ep. 2. communi omnium Episcoporum Galliæ nomine apud Sirmond. in Ennod.

quartæ & quintæ Synodorum actiones interponatur, quia Synodali auctoritate conscriptus est, & roboratus. Ad quæ omnes ter unâ voce responderunt, ut fiat rogamus. Jam verò cùm tantæ sit auctoritatis Apologeticum Ennodij, audi quid ipse sentiat de Pontificis potestate nulli humano judicio obnoxia: *Aliorum hominum causas DEUS voluit homines terminare, sed Sedis istius Præsules suo sine quæstione reservavit arbitrio: voluit B. Petri successores Cœlo tantùm debere innocentiam. Dicas forsitan: omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo, uni dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si ergo DEUS Romanos Pontifices *suo soli arbitrio reservavit*; si voluit *Cœlo tantùm debere innocentiam*, patet illos Oecumenico Concilio minimè subdi, alioquin falsum esset eos *soli Divino arbitrio reservari, & Cœlo tantùm innocentiam debere.* Id verò tam clarum est, ut ipse Maimburgus tum Ennodij, tum Antistitum Galliæ, quorum voces Avitus Viennensis calamo expresserat, testimonijs victus libro quarto de magno Schismate Occidentis *fol. 307.* in hæc verba proruperit: *Par l' histoire meme de Symmachus il est tout evident, que le Concile de Rome, toute l' Eglise Gallicane, Ennodius & le Canons rapportez dans le Decret de Gratien avoient deja decidé plus de neuf cens anns auparavant, que c' est à Dieu seul, qu'on doit reserver la connoisance, & le jugement des crimes, qu' on pourroit imputer aux Papes, & consequentement qu' il n' y a Personne, qui ait droit de les juger, ny de les deposer, si ce n' etoit, qu'ils fussent Heretiques, car il est certain, qu' en ce cas ils ne seroient plus Papes.* Hoc est: *Ex ipsa Symmachi Historia certissimum est, tam Concilium Romanum, quàm Ecclesiam totam Gallicanam, Ennodium, Canonésque à Gratiano citatos jam ante nongentos annos decidisse, solius DEI judicio cognitionem, sententiámque eorum criminum reservari, quæ Romanis Pontificibus imputantur; & proinde nulli mortalium fas esse sententiam contra illos dicere, eíque Pontificatum abrogare, nisi fortè hæresi tangerentur, tunc enim certum est, eos ne Pontifices quidem esse.* Hactenus Maymburgus cùm adhuc innocenti calamo scriberet, nec præmijs capto, & hoc ipso exemplo utitur, ut ostendat: *Non licuisse Concilio Constantiensi Joannem XXIII. Pontificatu exuere, idque Senatum Regium censuisse.* Si ergo ex sententia Caroli VII. Galliarum Regis, ejúsque senatûs, ac etiam ipsius Maimburgi non licuit Oecumenico Concilio etiam tempore Schismatis, etiam in dubium Pontificem sententiam ferre, quantò minùs licebit in unicum, verum, indubiúmque? Sed ut dixi, hæc Maimburgus scripsit

scripsit pace inter Pontificem, Regémque florente; ubi turbata est, animum ac sententiam mutavit, Regique accessit, non quòd hujus causa melior, sed quia vicinior, potentiórque, sicque pretium ex propinquo paratius. Ergo sive Concilium Romanum, sive Gallicanam Ecclesiam, sive Ennodium & Maimburgum æquè Gallos interroges; Papa omni Concilio superior.

Secundò. Facit pro hac nostra sententia egregium Ennodij Galli (qualem se sæpè profitetur) testimonium modò recensitum.

Tertiò. Anno DCCC. Cùm Carolus Magnus Romæ ageret, & Leonem III. criminibus, quæ ab æmulis objectabantur, in Synodo purgari vellet, Antistites maximâ & præcipuâ parte Galli (ut testatur Anastasius in vita Leonis) in hæc verba exclamârunt: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ipsa nos omnes, ipsa à nemine judicatur, quemadmodùm antiquitus mos fuit.* Ita Anastasius in vita Leonis. Si à nemine judicatur, ergo neque à Concilio Oecumenico; & nota ea verba: *Sicut antiquitùs mos fuit.* Nostra ergo sententia jam dudum Antiquitati commendata fuit, nec uti falsò supponit Maimburgus, modò tyrocinium egressa.

Quartò. Anno circiter 1004. Ivo Carnotensis epist. 183. *Judicia Romanæ Ecclesiæ à nemine retractari possunt; & si quis aliquando hujus Ecclesiæ auctoritate prægravatum se sentiat, non debet in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugere, & inde expetere levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen.* Si ergo *Judicia Romanæ Ecclesiæ à nemine retractari possunt; si ab Ecclesia prægravatus ad nullum alium recurrere,* ergo Concilium non est supra Papam, alioquin *hujus judicia retractari possent,* & prægravatus à Pontifice, non ad hunc redire teneretur, sed posset ad Concilium provocare.

Quintò. Anno circiter 1300. S. Thomas Aquinas, qui Parisijs didicit, docuitque, & quo Universitas Parisiensis neminem habuit doctrinâ & sanctitate majorem; is opusculo contra impugnantes Religionem capite 4. ita loquitur: *Papa habet immediatam jurisdictionem in omnes Christianos, quia Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est, sed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit, & illa, quæ sancti Patres determinaverunt esse juris positivi, sunt relicta sub dispositione Papæ, ut possit ea mutare vel dispensare secundùm opportunitates temporum vel negotiorum. Sancti enim Patres in Concilijs congregati, nihil statuere possunt,*

possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest. Et Quæstione de Pot. a. 4. ad 3. *Romanus Pontifex hoc suâ auctoritate potest (hoc est, interpretari Symbolum) cujus auctoritate solâ Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex Gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium, quòd ad ejus expositionem congregatur Universale Concilium; cùm quandóque id fieri prohibeant belli dissidia, sicut in 7. Synodo id legitur, quòd Constantinus Imperator dixit, quòd propter imminentia bella Universalem Synodum congregare non potuit, sed tamen illi, qui convenerunt, quædam dubia in fide exorta sequentes sententiam Agathonis determinaverunt.*

Sextò. Sanctus quóque Bonaventura Clarissimum Universitatis Parisiensis Lumen, & de quo Joannes Gerson ejusdem Universitatis Cancellarius verissimè dixit: (a) *Nunquàm talem Doctorem habuisse studium Parisiense:* Hic, inquam, Seraphicus Doctor de Cœlesti Hierarchia p. 2. c. 1. *Summus Pontifex, penès quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solus DEI judicio reservatur.*

Septimò. Extollunt Moderni Galli Decreta Concilij Constantiensis, ac præsertim Patres Conventûs Parisiensis, ut proinde hujus Concilij doctrina dici possit doctrina modernæ Ecclesiæ Gallicanæ: at Patres Concilij Constantiensis negant Concilium esse supra certum & indubitatum Pontificem, idque patet ex eo, quòd quoties potestatem Concilio in Pontificem tribuunt, toties clausulam taxativam & restrictivam apponunt, videlicet: *In his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti Schismatis; super præmissis, aut ad ea pertinentibus, pro Unione Ecclesiæ &c.* Planè hæ restrictiones apertè significant, in alijs casibus, quando videlicet nec Schisma est, nec dubius Papa, nullam esse Concilio potestatem; exceptio enim firmat regulam in contrarium, quemadmodùm si Episcopus dicat: *Concedimus Petro facultatem audiendi missam in sacello domestico durante morbo;* hoc ipso innueret, morbo finito, facultatem quóque sublatam: Sicque Henricus Spondanus quamvis Gallus & Episcopus Apamiensis in Annalibus Ecclesiasticis intelligendum esse Concilium Constantiense disertè, multísq; in locis profitetur: præcipuè verò ad *Annum 1415. n. 54.* & ad *Annum 1418. n. 5.* cujus verba posteà exscribemus.

Sed

(a) Gerson de lib. Leg. consid. 5. p. 2.

Sed præsertim Concilium suam mentem expressit, quando die 11. Septembris Anno 1417. ante sessionem 40. post trium Obedientiarum Unionem, cùm tres Nationes Italica, Hispanica, & Gallica vellent priùs certum Pontificem eligi, quàm ad Decretum Reformationis procedi; Germanica verò contenderet præmittendam Reformationem, tandem acquievit Germanica tribus alijs nationibus, idque jure meritò, quid enim magis ad Reformationem necessarium, quàm tolli Schisma, & reddi Ecclesiæ Unionem? *Post quæ*, subjungunt acta, (a) *fuerunt facta diversa forma Decreti ad hoc; ac tandem fuit dictum, quòd Papa electus ligari non poterat*; ita habetur in 4. Manuscriptis Codicibus à doctissimo Schelstrato editis, relatisque in actis & Gestis Concilij Constantiensis. Si Papa à Concilio ligari non potest; sequitur ergo Concilium non esse supra Pontificem, ideò enim adversarij Concilium Pontifici præponunt, ut ligari, judicarique à Concilio possit; at Concilium Constantiense negat id fieri posse. Eâdem die, mense, & anno in Protestatione à tribus Nationibus (quarum florentissima Natio Gallicana, ut ex actis patet) contra Germanicam edita, & communi nomine à Cardinali Pisano lecta, cujus initium: *Audite hæc omnes gentes*, circa medium hæc habentur: *Si ante dictam provisionem Ecclesiæ de Pastore, aut saltem modi electionis illius, suppositis hujus Concilij Decretis, quibus omnia jura circa electionem Summi Pontificis edita dicuntur esse suspensa, sequeretur Ecclesiam DEI esse sine Capite, & sine Lege, & Ecclesia in periculo remaneret, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente Capite, ad quod pertinet convocare.* Quomodò ergo Concilium est supra Papam, quando ne quidem est Concilium, multóque minùs habet auctoritatem Conciliarem, deficiente Papâ? Quomodò sustineri potest, auctoritatem Concilij esse immediatè à Christo, si ne Concilium quidem esse aut dici potest, Pontifice sublato, eisque auctoritatem non præstante? Quod si defectu Pontificij consensûs Concilium evadit nullum, multò magis erit nullum, Papâ expresè contradicente; plus enim est, positivè contradicere, quàm tantùm non consentire. Rursus in Bulla Martini V. sacro approbante Concilio facta, quæ habetur sessione ultimâ, inter alias propositiones, quæ aliquem suspectum hæresis reddunt, etiam hæc ponitur: *Papa canonicè electus*

(a) Schelstrat. in Actis & Gestis Concil. Constant. fol. 268.

non est successor Petri, nec habet in Ecclesia DEI supremam auctoritatem. Agnoscit ergo Concilium, supremam in Pontifice potestatem, atqui suprema non esset, si Concilio subjaceret; quemadmodùm in statu Democratico, qualis erat Respublica Romana, & hodiè Helvetica, nemo dicet supremam potestatem esse penès Consulem, sed penès Comitia Popularia. En tibi Concilium Constantiense, ipsámque Ecclesiam Gallicanam, præcipuam videlicet illius Concilij partem sententiæ nostræ subscribentem!

Octavò. Insigne Ecclesiæ Gallicanæ testimonium habemus in protestatione, quam ea ante Sessionem 40. Concilij Constantiensis contra Nationem Germanicam edidit, quódque modò antè retulimus.

Nonò. Anno 1441. Carolus VII. Francorum Rex celebrato apud Biturigas Galliæ præsulum Conventu, missâque ad Eugenium IV. legatione, cujus Princeps Episcopus Meldensis, non solùm Eugenium pro vero Pontifice agnovit, respuítque Decreta Basileensia, verùm etiam Pontificis Romani supra Concilium auctoritatem palàm testatus est; verba Meldensis Episcopi hæc sunt. *Nimio fervore resistendi ad hanc insaniam devenerunt* (Basileenses videlicet) *quòd supremam potestatem in uno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diversa scinditur, collocant, & sic pulcherrimam Ecclesiæ Monarchiam, quæ Christianos hucúsque tenuit in unitate fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem ceremonijs divini cultûs, atque pacem & tranquillitatem asseruit, nunc abolere contendunt, nobilissimam Politiam, quæ beatitudinem cælestem habet pro fine, ad Democratiam vel Aristocratiam redigentes. Et hoc animaduertens præfatus Rex Christianissimus vehementi dolore ingemiscit, ac remedia ubique perquirit, ac denique consulto Prælatorum &c.* Observa, quâ Galli censurâ nostram ab Adversariorum sententia distinguant; Adversariorum enim sententiam, quæ Concilium Pontifici præponit, *insaniam* vocant. Nostram verò, quæ Concilium Pontifici subdit, ac perfectam Ecclesiæ Monarchiam statuit; (a) *Pulcherrimæ Monarchiæ, Unitatis, fidei, ac Religionis Christianæ, Obedientiæ, pacis, ac tranquillitatis* Matrem appellant; quid poterat luculentiùs à Gallis dici? aut quis

(a) Habetur tota Oratio Episcopi Meldensis apud Raynald. ad ann. 1441 ex Codice Vaticano 4177. descripta.

quis unquàm sententiam nostram pulchrioribus encomijs, Adversariorum verò graviori censurâ notavit? Néque hæc solius Regis aut Episcopi Meldensis sensa fuére, sed ut in eadem Oratione habetur: *Ex Consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientum Regni sui, &c.* Hæc Gallus perorabat.

Decimò. Anno MDXIII. Ludovicus Galliæ Rex Legatos suos Cardinalem videlicet Sanseverinum, Claudium Seisellum electum Episcopum Massilienscm, ac Ludovicum Furbin ad Concilium Lateranense mittit, qui exhibitis Regijs litteris professi sunt: *Galliæ Regem, Concilio Pisano ac omnibus in eo peractis renuntiare: Concilio verò Lateranensi tanquam Legitimo, unico, indubitato & Oecumenico adhærere, & quàm primùm fieri poterit, effecturum, ut aliqui Prælati & insignes viri nomine Ecclesiæ Gallicanæ cum sufficienti mandato submittantur, qui Concilio Lateranensi adhæreant & assistant, quemadmodùm cæteræ Nationes.* Idémque Claudius Massilienscs Episcopus publicis instrumentis & litteris, (a) quas Concilio sequenti anno exhibuit, palàm fecit, ostenditque: *Cabilonensem, Lexoviensem, Ambianensem, Engolismensem, & Laudunensem Episcopos unà cum aliquot Doctoribus in Theologia, & utróque jure iter ad Pontificem sumpsisse, ad renuntiandum Pisano Conventui, & adhærendum Lateranensi Synodo.* In hoc autem Concilio, quod Galli pro vero & Oecumenico habuére, sessione 10. pronuntiatum est: *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem auctoritatem super omnia Concilia, plenámque potestatem habere Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, idque ex sacrarum litterarum testimonio, dictis Sanctorum Patrum, sacrorúmque Canonum Decretis constare, &c.* Et quamvis per modum Dogmatis definitum non fuerit, negari tamen haud potest, maximæ auctoritatis hanc doctrinam esse, utpote in Concilio Universali assertam, probatam, & cui nullus Episcoporum resistere est ausus.

Undecimò. Hanc ipsam veritatem agnovit, ac sæpè in suis professus est Henricus Spondanus Natione Gallus, dignitate Episcopus, doctrinâ eximius, pariqué pietate ac honorum contemptu, sicque adulationis expers, quam nemo gratis exercet. Is ad Annum 1415. n. 16. ubi agit de sessione 4. Concilij Constantiensis, ita loquitur: *Hoc Decretum sessionis 4. accipiendum est de tempore Schismatis, cùm dubitaretur, quis verus esset Pontifex; de quo semel dicimus, cùm apud diversos plu-*

(a) V. acta Concilij sess. 8. & 9. Spondan. ad ann. 1514. n. 3.

pluréſque ejus ſæculi auctores reperitur aſſertum, Concilium eſſe ſupra Pontificem, Papam ſubeſſe Eccleſiæ, intellexiſſe omnes (ſi verba eorum diligenter expendantur) intelligendúmque omninò eſſe, quando agitur de fide aut tempore Schiſmatis, quoniam ſi Papa fortè fieret hæreticus, deſineret eſſe Papa, tempore verò Schiſmatis incertus eſt: Eccleſia autem nec unquam labi in hæreſin poteſt, nec ejus auctoritas eſt unquàm incerta. Et ad annum 1418. n. 5. *Quæ ambiguè dicta fuerant de auctoritate Concilij ſupra Pontificem, & de poteſtate reformandi Eccleſiam, tam in Capite, quàm in membris, ut ſonare videntur, abſolutè ſumptas nullo modo Martinus agnoſcere, aut probare voluit, utpotè contrarias exiſtimatas & praxi antiquioris Eccleſiæ, & collatæ à Chriſto Domino Petro, ejúſque ſucceſſoribus auctoritati ac poteſtati, ipſíq; demum naturæ rei, quâ Caput debet membra regere, non regi à membris, &c.* Hæc Spondanus, cui utique nemo unquam imputabit, aut ignorâſſe illum Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam, aut ab ea deſciviſſe.

Duodecimò. Ipſe Maimburgus infeſtus adeò Romanæ ſedi, ſeu nondum adulatione corruptus, ſeu veritati cedens; idipſum apertiſſimè profeſſus eſt in libro de Magno Schiſmate Occidentis lib. 5. fol. 307. ubi cùm longâ oratione, & exemplo Symmachi Papæ, quod ſuprà retulimus, ac præſertim auctoritate Eccleſiæ Gallicanæ tunc temporis ſanctitate ac doctrinâ eximiæ oſtendiſſet: Pontificem Romanum nullius Synodi, ſed ſolius DEI judicio ſubjacere, hæc tandem verba ex ſuo adjungit: *Manifeſtum omninò eſt, exemplo Synodi Romanæ, teſtimonio Ennodij, Eccleſiæ Gallicanæ, ſacrorúmque Canonum à Gratiano citatorum, jam ſupra nongentos annos deciſum eſſe, ſoli DEO judicium reſervari eorum criminum, quæ Pontifici Romano imputantur, ſúíq; nulli Mortalium fas eſſe Pontificem judicare, aut eum Pontificiâ dignitate exuere; ſolâ hæreſi excèptâ, quam ſi incurrat, certum eſt, illum nec dici, nec eſſe Pontificem poſſe.* En tibi & Eccleſiæ Gallicanæ, & ipſius Maimburgi manifeſtam ſententiam! quam ſi poſteà Maimburgus mutavit, non cauſæ hoc vitium, quæ ſemper eadem eſt, ſed animi fuit, indignatione in Pontificem, amore in Principem, & cupiditate præmiorum capti, aut ſi hæc omnia defuêre, (nec enim mortuum judicaverim) eum ſocietas aulæ corrupit, ardórque non tam vera ſcribendi, quàm grata & placitura. Miſerum ſi tam brevi, fluxóque pretio calamum locavit, & tempori, non æternitati ſcripſit. Plura dici poſſent, quibus Eccleſiam Gallicanam pro nobis ſtare palàm fieret; ſed id

totâ

totâ Dissertatione quartâ ex professo, & luce meridianâ clariùs demonstrabitur.

III. *Opponit 14.* (a) Totum est nobilius parte, & corpus est nobilius membro, idque non tantùm lumine naturali evidens est, sed etiam sancti Patres testantur: S. Augustinus de Baptismo: *Totum suis partibus optimè præponitur.* Et S. Hieronymus epistolâ ad Evagrium: *Major est auctoritas Orbis, quàm Urbis.* Atqui summus Pontifex cùm sit caput, est etiam pars, & membrum Ecclesiæ, ergò Ecclesia & consequenter Concilium, quod Ecclesiam representat est nobilior, & superior Pontifice.

Resp. Si ita est, ergo & Synodus Diœcesana est supra Episcopum, & exercitus supra Ducem, & Capitulum supra Abbatem, quia Episcopus est Caput suæ Ecclesiæ, & Dux caput exercitûs, & Abbas caput Capituli, poteritque Synodus Episcopos deponere, exercitus Duces, Capitulum Abbates judicare, punire, ac etiam deponere; quæ si admittantur, quis non videt solvi omnem Ecclesiasticam, humanámque disciplinam? nam si semel hæc potestas subditis permittatur, sive sigillatim sive collectim sumptis, nunquam causa deerit obtrectandi. Imò hoc Maymburgi Principium ejus potiùs sententiam destruit; quippe Capitis officium est, non solùm singula ac separata membra gubernare, sed universum collectúmque corpus: sicut & Belli Imperator non singulis tantùm militibus, aut manipulis, sed Universo exercitui imperat, præscribítque quid agere, quid omittere oporteat; & tunc primùm collabi imperium Romanum cœpit, quando exercitus deligendi, deponendíque Imperatoris sibi jus vendicavit; túncque florentissimum stetit, quando, ut sub Octaviano Augusto contigit, unus omnibus imperabat immuni ac securâ Majestate; quod si aliquando penès senatum, Romanum Imperium stetit, modicâ adhuc Republica id fuit; nam dilatatâ, & Orbem complexâ nunquam bellis civilibus jactari desijt, donec summâ rerum unus potiretur: Idem dicas de Ecclesia toto Orbe diffusa, quæ toties turbata est, ac discordijs scissa, quoties Pontificis imperium aut respuit, aut excussit; testes Græcia, Anglia, Germania; nec ulla hæresis prodijt, quæ non simul, eodémque tempore DEO rebellis,

(a) Maimburgus cap. 25. fol. 242.

lis & Pontifici fuerit: ipsa Concilia cùm imperare, non obsequi maluerunt, quantas in Ecclesia, & implacabiles tempestates concitârunt? nec priùs composita, quàm redditâ Pontifici obedientiâ, idque in Pisano, & Basileensi Concilijs palàm fuit; ergo ut dixi, tam non potest pax in Ecclesia, & Concilijs esse, nisi Pontifici submittantur; quàm in exercitu, nisi uni pareat Imperatori, séque regi patiatur; aut in corpore, nisi à Capite sustentetur, motúmque accipiat; est ergo, ut dicebam, de ratione ac bono corporis, ut regatur à Capite, non ut regat, & ideò semper magis corpori consultum est, ut qualecunque caput habeat, etiam ægrum & infirmum, quàm nullum; & pessimus is Medicus foret, qui deponi caput, & truncari juberet, quo corpori mederetur; Carnificis hæc remedia, non Medici sunt. Imò hoc ipso, quòd Ecclesia est præstantior, nobiliórque Pontifice Romano, non quidem jurisdictione & auctoritate, sed extensione ac fine, (cùm Papa sit propter Ecclesiam, & propter hanc magis, quàm propter Papam Christus sit incarnatus, ac Religionem, & Sacramenta instituerit, quemadmodùm & Rex est propter Populos, & Dux propter exercitum) oportuit Pontificem Ecclesiæ, & Concilijs præesse, ac imperare, cùm hæc ipsa superioritas Pontificis, & subjectio Ecclesiæ ac Conciliorum cedat in maximum bonum, utilitatem, pacem, ac perfectionem Ecclesiæ, quemadmodùm & Magister est propter Discipulos, & Dux propter exercitus, & Tutor Principis propter Principem, & ideò oportet Magistrum, Ducem ac Tutorem imperare, discipulos verò, exercitum, ac pupillum subesse, quia videlicet istorum interest, subesse potiùs regique, quàm imperare, nec aliud magis exercituí, Discipulis, pupillísque noceret, quàm si mallent imperare, quàm obsequi. Nec obstat, quod ridiculè objicit Maymburgus: *Aliam*, videlicet, *esse Regis Ductíque rationem, aliam Pontificis; illos enim esse non tantùm capita, sed etiam Dominos, & ideò imperare & præesse, non subijci; prohibente Christo Dominatum illis verbis: Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Quasi verò ad solos Dominos pertineat imperare, & non etiam ad eos, qui licèt Domini non sint, jurisdictionem tamen & auctoritatem in alios habent; num Dux à Principe bello præfectus Dominus est exercituum, quos ducit? num Dominus Discipulorum est Magister? Tu-

Tutor Pupilli, Medicus ægroti, Judex litigantium ? & tamen hi omnes superiores sunt, imperántque, alij verò, qui forsan Domini sunt, obedire tenentur ; sed Maimburgus non distinguit inter Dominum Jurisdictionis, & inter Dominum proprietatis ; Pontifex non est *Dominus Proprietarius* Ecclesiæ, & ideò non potest pro lubitu de bonis seu temporalibus, seu spiritualibus Ecclesiæ disponere ; est tamen *Dominus Jurisdictionis* : nec Christus omnem Dominatum in Ecclesia prohibet, sed tantùm qualem *Reges Gentium* usurpare solent, hoc est, cum fastu, pompa & ambitione conjunctum. Rursus prohibet Dominatum Proprietatis, & qui cedat in destructionem Ecclesiæ, non verò Dominatum Jurisdictionis, & qui necessarius est ad ædificationem Ecclesiæ, qualis videlicet, Judici, Tutori, Medico, Pastorique competit, quem si ab Ecclesia tollas, quid intererit inter Ecclesiam, & Brasiliam ? *At Ecclesia est totum, Pontifex est membrum Ecclesiæ, ergo Pontifex est infra Ecclesiam, & ab ista regi, & gubernari debet.* Hæc illatio tantum valet, quantum istæ : Caput est membrum corporis, & corpus est totum, ergo caput est infra corpus, & regi, gubernari, ac moveri à corpore debet ; Dux belli est caput, & membrum exercitûs, ergò regi, judicari, punirique ab exercitu debet. Admitto Pontificem esse Caput, & membrum Ecclesiæ ac Concilij Oecumenici, sed nego propterea Ecclesiæ ac Concilio subijci, nec enim est membrum qualecunque ; sed membrum hierarchicum, ac principium totius motûs, ac Directionis spiritualis, de cujus ratione est, ut moveat, & non ut moveatur ; ut gubernet, non ut gubernetur, & hoc ipsum ad commodum Ecclesiæ pertinet. Deinde Ecclesia ut opposita & separata à Pontifice, tam non est totum, quàm corpus à capite discinctum non potest dici totum corpus ; & exercitus ut oppositus ac separatus à suo Duce, non est totus & integer exercitus, sed optimâ sui parte minutus, ineptúsque victoriæ, ac hosti obnoxius. Ex quot vitijs abundat Maimburgi argumentatio? supponit enim, omnem Dominatum in Ecclesia à Christo sublatum esse : nullam esse distinctionem inter Dominum Jurisdictionis & Proprietatis : eum tantùm imperare & gubernare ac auctoritatem in, alios habere, qui Dominus est : Concilium à Papa separatum, eique oppositum esse aut repræsentare totum, & integrum corpus Ecclesiæ,

& alia similia, quæ falsissima omnino sunt. Sicut & illud falsum, quòd Concilium sit supra Papam, quia vacante sede, aut Pontifice dubio pertineat ad Concilium de Pontifice dubio sententiam ferre, ex quo colligit, Concilium esse supra Papam etiam certum; manifesta enim est disparitas, nam Papa dubius, cùm lateat, nec missionem & commissionem suam ostendat, non est caput visibile Ecclesiæ, cùm de illo non constet: nec tenetur Ecclesia ei obedire utpote Commissionem suam non probanti: & quamvis vacante sede decernere, & imperare Concilium possit, quia in hoc casu supremum est in Ecclesia tribunal (sicut capitulum vacante Sede Episcopali) neque possit in rebus fidei errare; cùm deficiente Capite visibili à Capite invisibili, hoc est, Christo gubernetur; secus est, postquàm Caput visibile electum est, tunc enim cessat immediatus Christi in Ecclesiam influxus, qui Ecclesiam suam non aliter vult gubernare, quàm per vocem ac directionem Capitis visibilis: quemadmodùm ferè quamdiu Populo Israelitico humanus cibus in deserto defuit, cælesti eum pavit: at ubi Chananæam ingressis cibus humanus præstò fuit, cælestis defuit, aliter ergo DEUS Ecclesiam regit Capite visibili destitutam; aliter Capite visibili instructam, sicut aliter pavit Israëlem, cùm humanus cibus defecerat, aliter cùm abundabat; aliter Eliam in deserto, aliter in Civitate.

IV. *Opponit 15.* (a) Testimonium Pij II. Summi Pontificis. *Pius*, inquit, *II. cùm adhuc Æneas Silvius vocaretur, agerétque Basileensis Concilij Secretarium, exemplo Doctorum Parisiensium omnem nervum intendit, ut defenderet majorem esse Concilij, quàm Pontificis auctoritatem: at verò ubi Pontificatum obtinuit, ex rationibus, quas facilè quivis imaginari sibi potest, animum induxit, ut mundo palàm faceret, se ab ea sententia recessisse, quam olim utpotè de meritis ac justitia causæ optimè instructus ardentissimè defenderat. Id per Bullam fecit, in qua retractat, revocátque, quæ Basileæ docuerat, & tamen in hac ipsa retractatione non potuit imperare sibi, quin manifestæ veritati suffragium ferret, aperirétque utriúsque sententiæ, & quam deserebat, & quam recens complectebatur, elogium. En ejus verba: tuebamur antiquam sententiam, ille (*hoc est Cardinalis*) novam defendebat: extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnoperè commendabat. En ingenuam Pij confessionem*

(a) Maimb. cap 25. fol. 256.

nem! fatetur sententiam, quæ Concilij partes tuetur, antiquam esse; eam verò quæ Pontificem præfert, novam recénsque inventam. At verò idipsum est, quod nobis probandum suscepimus; quippe id solùm præsenti libro agimus, ut Lectoribus ostendamus, quænam hac in re antiquitatis mens & sententia fuerit. Ergo postquàm tam solemne & irrefragabile Pij II. testimonium pro causa nostra habemus; meritò, quod etiam in alijs articulis suprà recensitis observatum est, celebre illud Cœlestini I. dictum usurpaverim: Desinat incessere Novitas Vetustatem. Hactenus Maimburgus, cujus verba ex Gallico ad amussim transtuli.

Resp. Duo complectitur Maimburgi objectio. *Primum est,* Pium postquàm Pontificatum adeptus est, opinionem de Concilio mutâsse, quam eò úsque altè imbiberat, parísque àrdore defenderat; id denotant ea Maimburgi verba: *Mais quand luy meme fut devenu Pape, il crut par une raison, que l'on peut aisement deviner, qu' il devoit fair sçavoir à tout le Monde, qu' il avoit changé de sentiment, & qu' il croit allors tout le contraire de ce, qu' il avoit soutenu auparavant.* Hoc est, *Postquàm ipse Pontificatum obtinuit, in animum induxit, toti Mundo palàm facere, se mutâsse sententiam, & tunc contraria illis sentire, quæ priùs defenderat.* Et infrà: *C' est ce qu' il fit sollenement par une Bulle, dans la quale il se retracte, & en se retractant pour declarer, qu' il vouloit suivre une autre opinion, &c.* hoc est, *Hoc ipsum solemniter vigore Pontificiæ Bullæ executus est, in qua retractat priorem suam sententiam, & dum retractat, simul profitetur, se aliam opinionem amplecti velle.* Et infrà: *Ce Pape qui voulut bien changer d' auis, changeant de condition.* Hoc est: *Hic Papa volens sententiam mutare, cùm mutavit conditionem.* Quæ omnia apertè significant, Pium tunc primùm sententiam suam de auctoritate Concilij mutâsse, cùm mutavit statum, rerúmque potitus est. *Secundum est,* quod Maimburgus in ea objectione asserit: *Pium in Bulla retractationis scripsisse, sententiam, quæ Concilium Pontifici præfert, antiquam esse, quæ verò Pontificem Concilio, novam, recentémque.* Cœterùm hæc duo, quæ Maimburgus allegatâ ad marginem Pij Pontificis Bullâ scribit, tam sunt à vero aliena, támque compertæ falsitatis, & ipsi Bullæ, quam allegat, contraria, ut mirer non erubuisse adeò corruptis mercibus incautos fallere, eos præsertim, quibus Bullam legendi aut tempus, aut occasio deerat, aut saltem non esse veritum, tandem fallaciam observatum iri æterno Auctoris dedecore. Primum quod attinet, certum, & ex ipsa Bulla (a) manifestum est,

(a) Bulla Pij II. quæ in Bullario est 10. Anno 1463. §. 4.

Pium multò antè, quàm Pontificatu potiretur, sententiam mutâsse; imò cùm nondum sacris ordinibus initiatus est. Audi ipsam Bullam à Maimburgo productam, & malignâ interpretatione corruptam. *Dicent fortâsse aliqui, cum Pontificatu nobis hanc opinionem advenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ità est, longè aliter actum. Anno salutis primo & trigesimo supra millesimum quadringentesimum, cum Dominico Capranica, quem Martinus V. in secreto Cardinalium Consistorio creaverat, Eugenius IV. præverat, Basileam petivimus. Julianus aderat Cardinalis S. Angeli: Is cùm cæteris præstaret, auditâ Eugenij revocatione, præsidentiam dimisit tanquàm Summo Pontifici vellet obedire; sed cùm augesceret indies, Eugenio vel invito Concilij præsidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilij mirum in modum extollens, eminentiam primæ sedis supprimere cœpit, & cùm esset facundissimus, facilè persuasit Auditoribus, quæ cupiebat. Nos qui ex patria juvenes, non ex Urbe illuc migraveramus, & nova tunc primùm avis ex Senensi Gymnasio evolaveramus, rudes & inexperti vera esse arbitrabamur cuncta, quæ dicebantur: nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri, atque ut est innatum homini, tetra & horrenda crimina odio habebamus. Nec Eugenium amare poteramus, quem tot, tantique testes indignum Pontificio culmine dicerent.* Et infrà: *Adversùs Concilij dignitatem mutire aliquid crimen hæresis fuit: Una omnium vox Concilium Eugenio præferebat. De Sedis Apostolicæ præcellentia aut silentium, aut contemptus, Concilium Concilium cuncta sonabant. Didicimus ergo, quæ audivimus.* Et infrà: *Et quamvis posteà Julianus S. Angeli, & Johannes S. Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defecissent, quamquam paucissimi in fide Basileensi remansissent, noluimus tamen credere, existimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent.* Post pauca: *Fortè per id tempus* (cùm videl: Æneas in aula Friderici Imperatoris, qui neutri parti, hoc est, nec Eugenio, nec Concilio adhæreret) *Julianus sanctæ Angeli Cardinalis ex Hungaria Viennam venit; cum eo sermonem pro veteri consuetudine miscuimus; sæpè de rebus Basileensibus disputavimus; tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat. Extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnoperè collaudabat, &c.* Et paulò post: *Ad extremum cùm suis scriptis dictisque Cardinalem premeremus, vinceremúsque vehementer; subridens ille: Tu, inquit, Ænea tabellis obsignatis agis mecum, & quoniam aliquando sensimus ut dicis, idcircò & hodie idem putas debere sentire, & addictos priori sententiæ credis? cur non liceat omni tempore relicto falso verum amplecti? Tu qui errantem olim secutus es, cur non modò se-*

quere

queris recta monentem? &c. Et infrà: *Hæserunt pectori nostro verba viri; quibus consideratis cecidit ab oculis nostris caligo, quæ velut aranearum tela verum cernere impediebat. Eramus adhuc penè Laici, quando ad Eugenij Obedientiam rediyimus. Ex Basilea Clericali tantùm charactere insigniti recessimus, nec unquam sacros induimus ordines, nisi post veritatem cognitam Basileensi cæcitate relictâ &c.* Hactenus Pij Bulla, ex qua sequentia deducimus.

Primò. Pium II. non scripturæ, non Patrum, non Conciliorum auctoritate adductum esse, ut Basileensi sententiæ adhæreret, sed ut ipsemet fatetur, rerum ignorantiâ, inconsultâ juventute, calumnijs in Eugenium jactatis, societate & exemplis aliorum.

Secundò. Pium multò ante Pontificatum, imò penè adhuc Laicum mutâsse sententiam, quam Basileæ conceperat de Concilij auctoritate, idque non Romæ, sed Viennæ in Austria, ubi veritatem ab illis edoctus est, qui Eugenium maximè impugnaverant. Quanta ergo Maimburgi aut ignorantia, ut causam suam quovis modo juvaret, scribentis Pium mutâsse cum Dignitate sententiam!

Tertiò. Illa Pij verba: *Tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat. Extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnoperè collaudabat.* Non eum habent sensum, quem Maimburgus illis affingit; quasi videlicet Pius crederet, sententiam, quæ Concilium Pontifici præferr, fuisse in Ecclesia jam antiquam, & ab antiquis Patribus, Conciliisque receptam: quæ verò Pontifici favet, novam, recentémque: non hic, inquam, eorum verborum sensus est, sed ut apertissimè ex verbis & contextu patet, iste: Pium, cùm Cardinali S. Angeli Juliano antiquam, quam olim ipse Julianus Basileæ defenderat, pro Concilio opinionem, objiceret, & pro hac olim à Juliano assertâ opinione pugnaret; Julianum econtrà antiquæ suæ opinionis pœnitentem, novam, quam pro Pontifice amplexus erat, conatum esse Pio persuadere: primò enim contra Pontificem Julianus Basileæ scripserat, dixerátque, multósque perverterat, & hanc vocat *sententiam ejus antiquam:* posteà pœnitens pro Pontifice steterat, & hanc vocat Pius *novam Juliani sententiam.* Id ita esse luce clarius est ex suprà recitatis Bullæ verbis. Potuítne jam rogo indignius aliud facinus cogitari, quàm hoc Maimburgi, non erubescentis tam pudendis artibus Galliam decipere, ac veritati imponere? potuítne aliquid turpius facere Tiberius, Sejanus,

Machiavellus, aut quisquis veritati bellum indixit? ego nullum huic fallaciæ aut parem legi, aut fœdiorem: ignoscerem tamen necessitate peccanti; quippe non poterat defendi pessima causa, nisi pessimis artibus, nisi eam spontè suscepisset; quod verò sine flagitio fieri non potuit, non decuit velle. Cœterùm tantum abfuit, Pium in ea Bulla retractatoria sententiam, quam nos defendimus, pro nova habuisse, ut eam potiùs antiquissimam, & antiquissimis Conciliorum, Patrúmque Decretis consentaneam fateatur; sic enim ad finem Bullæ loquitur: *Veneramur Constantiense Concilium, & cuncta quæ præcesserunt, à Romanis Pontificibus nostris Prædecessoribus approbata, inter quæ nullum unquàm invenimus fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Pontifice absque ipsius auctoritate convenerit, quia non est Corpus Ecclesiæ sine Capite, & omnis ex Capite desluit in membra potestas.* Si ergo nulla fuêre Concilia, quæ pro ratis haberi potuerint, nisi post Summi Pontificis approbationem; & nulla est in Ecclesia potestas, quæ non defluxerit à Capite; sequitur omnia Concilia à Pontifice indubitato pendere, sicque doctrinam & veritatem, quam modò tutamur, tam esse antiquam, quàm sunt ipsa Concilia, imò cum istis natam.

Opponit 16. (a) Ipsi Romani Pontifices, præsertim Gelasius, Cœlestinus I. Leo, Simplicius, Martinus, Gregorius Magnus, Joannes VIII. Eugenius III. apertè profitentur: *Se sacrorum Canonum, Conciliorúmque Decretis subjectos esse; non posse terminos Patrum præterire; non contra statuta majorum agere; contra DEUM, & Canonum Sanctiones non posse supplicantium precibus acquiescere, Pontificibus regulas dominari, non Pontifices Regulis &c.*

Resp. Ad hanc objectionem jam sæpè, & invictè responsum est. Loquuntur Pontifices de Concilijs non Acephalis, & à Pontifice Romano improbatis; sed de Concilijs confirmatis, approbatísque, de quibus nulla in præsentia quæstio est. Deinde alia est subjectio quoad *vim Directivam*, alia quoad vim coactivam: de hac in Concilio Constantiensi dictum est: *Papam electum ligari non posse*, ut suprà ostendimus. De directiva certum est, nullam inferre superioritatem; nam & Papa suis legibus, & suorum Antecessorum obligatur; non ideò tamen Papa aut sibi, aut suis Antecessoribus

(a) Maimb. ch. 20. fol. 201

soribus subjectus est; & ratio est, quia vis directiva non tam ex lege humana, quàm divina, & naturali proficiscitur vitandi scandali, se conformandi cum alijs Reipublicæ partibus, ac præsertim non provocandi subditos ad contemptum Legum, quod fieret Legislatore nullas Leges curante. Deinde multa dicimur non posse, quæ licèt validè à nobis fiant, non tamen honestè, non licitè, non utiliter, hæc enim à Jure Civili, & Canonico inter impossibilia reputantur, & in hoc sensu celebrem illam sententiam pronuntiârunt Imperatores, videlicet: (a) *Dignam esse vocem Majestate Regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri, & majus imperio esse, submittere legibus Principatum.* Et Paulus Jurisconsultus: *Legata Imperatorem vindicare inverecundum est, decet enim tantam Majestatem eas servare leges, quibus ipse solutus est.*

Et hîc Finis esto tertiæ Dissertationis.

(a) L. digna vox ff. de Legibus. L. ex imperfecto. ff. de Legatis 3. V. Regale Sacerdot. fol. 445. S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Gratian. causa 25. q. 1.

DISSERTATIO IV.

In

Qua refutantur, quæ contra Romani Pontificis è Cathedra pronuntiantis Infallibilitatem à Maimburgo, aliisque opponuntur.

§. I.

Ex praxi, usúque Ecclesiæ, ac Phrasi, modóque loquendi omnium SS. Patrum ostenditur Pontificis Romani infallibilitas.

SUMMARIA.

1. Summum Pontificem Infallibilem esse, ex omnium SS. Patrum Elogijs ostenditur.

2. Ex inductione omnium sæculorum, quibus quicumque Romano Pontifici obtemperabant pro Orthodoxis,

3. Eos verò, qui non obtemperabant, pro Atheis & Hæreticis habitos esse demonstratur.

4. Ex usu & Praxi Pontificum, multa fidei Dogmata sine Concilio decidentium.

5. Ac hæreses pleræsque absque concursu Concilij Oecumenici damnantium; quod inductione probatur, Cerdonis, Valentini, Theodoti, Montanistarum, Cataphrygum, Origenis, Cypriani.

6. Necnon

6. Necnon Apollinaris, Iovviniani, Ruffini, Pelagij, Nestorij.

7. Adstipulante ipsâmet Synodo Chalcedonensi.

8. Præterea ex damnatione Petri Cnaphæi Eutychiani, Monothelitarum, Iconoclastarum, Photij, Berengarij, Abaillardi, Lutheri, Michaëlis Baij, Jansenij.

9. Ac Novissimè Ludovici de Molines sub INNOCENTIO XI. Moderno PP.

10. Tandem testimonio Bernonis Mon. S. Galli, postea Abbatis Augiensis.

I.

MAimburgus Romani Pontificis auctoritatem in rebus fidei decidendis impugnaturus, solitis artibus pugnæ præludit, reverentiam, obsequiúmque profitetur; præsertim, (a) *se Patrum, se Conciliorum, ac venerabilis Antiquitatis sententiam expositurum, & ex hujus voto, citra omnem argumentandi, disputandique strepitum (nam hoc abstinere se omninò velle) causam finiturum.* Ita Maimburgus, tunc blandissimus, cùm insidias parat, ac semper promissis dives. Pollicetur Antiquitatem, ut hujus reverentiâ causam suam muniat; & muniret quidem, si Antiquitatem ex vero sponderet. Sed tam certum est, Antiquitatem totam Maimburgo obsistere, ac pro nobis facere, ut omninò appareat, hanc quóq; unam esse ex Maimburgi fallacijs, pyratarum more vexilla mutantis, alienámque militiam profitentis. Totius ergo retrò Antiquitatis hanc unam, verámque sententiam fuisse ostendam, ut videlicet crederent, quæ à Romano Pontifice in materia fidei semel decisa forent, inconcussa esse, omnísque dubij expertia, nec posse reijci, aut in litem vocari, nisi ab ijs, qui aut Schismatis, aut etiam Hæresis notâ configi vellent. Si ergo palàm fecero, & Concilia, & Patres, & omnium seculorum traditionem à nobis stare, duas simul victorias consequar, videlicet, & Maimburgum falsi convincam, Antiquitatem simulantis; & Galli-

(a) Maimb. Traitté historiq. ch. 6. fol. 55.

Gallicanam Ecclesiam nostrarum esse partium ostendam, hæc enim palàm profitetur, se adhærere antiquorum Patrum, Conciliorúmque auctoritati. Unum ergo, idémque erit, antiquos Patres pro nobis, & Ecclesiam Gallicanam proferre, præsertim cùm Patres Conventûs ultimi Parisiensis in limine suæ Declarationis profiteantur, fundamenta Libertatum Gallicanæ Ecclesiæ *Sacris Canonibus, Patrúmque auctoritate, & traditione niti.* Patres ergo, Sacrósque Canones audiamus, & ex istorum voto causa decidatur. Nam Scripturas Sacras quod attinet, illæ tam claræ sunt, & in Regali Sacerdotio ex mente Sacrorum Ecclesiæ Doctorum tam luculenter explicatæ, ut nihil dicendum supersit, pigétque jam dicta repetere. Primò ergo modum loquendi in genere in hac materia à Patribus usurpatum, tum praxin Ecclesiæ, ac tandem Patrum per omnium Seculorum decursum sententias expendemus.

Primò igitur, Infallibilitas Pontificum in rebus fidei decernendis ex ijs titulis ac elogijs constat, quæ non ab uno tantùm, aut altero, sed ab omnibus certatim Patribus Pontifici Romano tribuuntur. Sexta Synodus in Prosphonetico ad Constantium Imperatorem: *Adamantem fidei*, vocat, *cujus solida mens aggressionibus atque conflictibus alienæ à fide opinionis non est vulnerabilis.* S. Chrysostomus homiliâ 2. in Psalm. 50, & homiliâ de Petro & Elia: *Basim fidei immobilem.* Tres Synodi Africanæ in Synodica ad Damasum: *Beatitudinem, cui Episcoporum judiciaria, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum in honorem beatissimi Petri Patrum Decreta omnium cunctam reservàre sententiam.* Paschasius Legatus Pontificius in tertia Oecumenica Synodo Ephesina, Patribus non tantùm non reclamantibus, sed vehementer, & effusè applaudentibus: *Caput Universalis Ecclesiæ, Petri Apostoli præditum potestate, qui Ecclesiæ fundamentum, & Petra Fidei appellatur.* Philippus itidem Legatus in Concilio Ephesino *Tomo 2. cap. 15. Caput totius Fidei.* Iterum S. Chrysostomus in Encomio SS. Petri & Pauli: *Consiliarium necessarium Christianorum.* Andronicus Imperator epistolâ ad Joannem XXI. apud Eugubinum l. 2. de Donatione Constantini: *Successorem Petri Apostoli, verticis Apostolorum, qui habet potestatem de fide judicandi, & si quæ de Fide subortæ sunt quæstiones, suo judicio dissolvendi.* Iterum Concilium Ephesinum *Tomo 2. cap. 15.* S. Petrus Chrysologus *serm. 107.* & Martinus I. *epist. 11.* S. Anselmus

selmus *l. de Incarnat. verbi c. 1. Custodem vitæ & fidei Christianæ.* Synodus Alexandrina ad Felicem Papam, & Sergius Cyprius in Concilio Lateranensi sub Martino I. *Depositorem prophanarum hæreseon.* Tertullianus l. de Præscript. *Felicem, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt.* Constantinus Pogonatus ad Leonem Papam: *Pastorem Romanæ Ecclesiæ super Petram fundatæ, & portis inferi, hoc est, insidijs hæreticorum ex prædictione Christi nunquam succubituræ.* S. Maximus epist. ad Abbatem Thalassium: *Pastorem Ecclesiæ, quæ ab olim hucusque omnibus præest, utpote senior cunctarum, quæ sub sole sunt, Ecclesiarum, ac nullis (propter Pontificatûs provectionem) scriptis, aut Synodicarum editionibus chartarum subjecta.* Theodorus Studita ad Paschalem *lib. 2. epist. 13. Eacem divinitùs lucentem ad Ecclesiæ, quæ sub Cœlo est, illuminationem in Apostolica Sede collucentem.* Sergius Cyprius ad Theodorum Papam in Concilio Lateran: sub Martino I. Secretario 2. *Firmamentum à DEO fixum, & immobile, ac formam lucidissimam fidei divinitùs constitutam.* Iterum Theodorus Studita epist. ad Paschalem Papam. l. 2. ep. 13. *Fontem verè illimem, ac sincerum jam indè à principio veræ fidei.* Andreas Cretensis serm. de Transfigurat. Et Stephanus Episcopus Dorensis epist. ad Synodum Lateranensem sub Martino I. consultatione 2. *Fundamentum dogmatum Fidei.* S. Athanasius cum Collegis epist. ad Felicem Papam: *Fundamentum, super quod Columnæ Ecclesiæ confirmatæ sunt.* Sozimus Papa epist. 10. *Judex, de cujus judicio disceptare nemo audet.* Synodus Romana sub Nicolao I. contra Photium: *Judex omnes judicans, ipse à nemine judicandus.* S. Bonifacius apud Surium in vita S. Burchard l. 1. c. 9. *Magister Universalis Episcoporum.* S. Ignatius ad Nicolaum I. *Medicus unus, singularis, præcellens, Catholicissimus, à DEO provisus sanandis Christi membris.* Hincmarus initio operis de Divortio: *Nutritius & Doctor omnium Ecclesiarum.* Tarasius ad Hadrianum Papam: *Oculus totius Corporis ostendens rectam veritatis semitam.* Osuvi Rex Saxonum apud Bedam l. 3. histor. Angl. c. 25. *Ostiarius, cujus obediendum est statutis, ne advenientibus ad fores Regni Cœlorum non sit, qui referet, averso illo, qui claves tenere probatur.* Theodorus Studita epist. ad Paschalem: *Portus securus totius Ecclesiæ.* Hieronymus epist. 16. *Portus tutissimus totius Catholicæ Communionis.* Rupertus præfatione ad libros de SS. Trinitate Pontifici inscriptâ: *Præcentor Christianæ fidei.* Constantinus Magnus in Edicto:

Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi, cujus judicio, quæq; ad cultum DEI, vel fidei Christianæ stabilitatem procurata fuerint, disponuntur. Gotfridus Vindocinensis epist. 7. l. 1. *Princeps Fidei Catholicæ.* Iterum Constantinus Pogonatus epist. ad Leonem Papam: *Propugnator firmus veritatis, accinctus verbi gladio, cujus est omnem hæreticum auditum, atque doctrinam præcidere.* Concilium Chalcedonense actione 29, in Prosponetico ad Martianum Imperatorem: *Propugnator impenetrabilis ab omni errore, quem DEUS providit doctrinis, eum per omnia veritati adstringens, ut quemadmodum Petrus, &c.* Theodoretus Studita: *Thronus supremus verticalis, in quo Christus fidei claves posuit, adversùs quem non prævalebunt úsque ad consummationem Portæ inferi, ora scilicet hæreticorum.* Hæc & alia quàm plurima elogia, quæ non ab uno tantùm, sed ab omnibus ferè Patribus confertim in Summum Pontificem cumulantur, omninò persuadent, sensisse illos, & cum eis totam Ecclesiam, Pontifices Romanos in rebus fidei decidendis errorum expertes esse, nec falli posse. Nec enim Ecclesia, & fideles universi aliud sentire & credere poterant, quàm didicerant; nec ab alijs didicerant, quàm à Sanctis Patribus, suis videl. Doctoribus, & Magistris; nec sancti Patres aliud docuerant, quàm quod ipsi sentiebant; tantóque majoris momenti eorum testimonium habendum est, quòd, cùm scriberent causâ adhuc integrâ, nec in litem vocatâ, eximiáque insuper sanctitate florerent; suspicari nemo potest, eos aut partium studio, aut adulatione corruptos festinâsse tot elogijs Pontificis gratiam promereri; nondum erant ea tempora, nec favore, aut pretio calami locabantur. Quòd si Patres hæc de Concilijs dixissent, quæ de Pontifice dixerunt, annon crederent adversarij, se omninò acie victores esse, quantóque cum triumpho illa ubíque decantarent? Et tamen ne ullum quidem apicem proferre possunt, quo Concilium Acephalum, ac Papæ oppositum à Patribus laudetur, multò minùs, quo *infallibile* appelletur, aut ei *suprema in rebus fidei judicandis auctoritas* tribuatur. Quando enim, & apud quos Ecclesiæ Doctores legerunt, Concilium Acephalum, & quod pejus est, Concilium Papæ oppositum, ab eóque dissentiens, esse *Fidei adamantem*, esse *basim immobilem*, esse *supremum Fidei tribunal, quod à nullo judicari possit*, esse *fundamentum, & Caput Ecclesiæ?* Hæc planè nunquam de Concilio Papæ opposito, aut etiam de Concilio

lio non confirmato dicuntur ; nec ab adversarijs, qui tamen tot folia impugnando Pontifici impleverunt, vel syllaba produci potuit ; si ergo, uti dicunt, Sanctorum Patrum vestigijs adeò constanter inhærent, cur Concilijs privilegia tribuunt, quæ Patres nunquam tribuerunt ? Pontifici verò cur negant, quæ Patres nunquam negârunt, sed certatim & confertim, atque à primis Ecclesiæ nascentis temporibus tribuerunt ? Hoc est ergo Patrum exempla sectari, negare, quod Patres asserunt, asserere, quod Patres negant ? *Nec dicant*, elogia hactenus recitata non ad Pontifices universim pertinere, sed vel ad S. Petrum, vel ad alios particulares Pontifices, v. gr. Leonem, Cœlestinum, &c. sicque esse elogia Personalia, & Dignitatis ; ac consequenter non posse ad omnes Pontifices extendi. *Respondeo enim*, pleróque allegatorum Patrum loqui de Privilegio Cathedræ, non Personæ, & fundari in promissionibus à Christo factis, videl. *Tu es Petrus, &c. Porta inferi non prævalebunt &c. Pasce oves meas, &c.* Quæ promissiones ex sensu omnium Catholicorum sunt universales, nec ad solum Petrum, aut particulares aliquos Pontifices, sed ad omnes Petri successores pertinent ; alioquin quomodo probarent perpetuum & universalem Primatum omnium Romanorum Pontificum ? Et planè negari non potest, hanc omninò Christi mentem, & Ecclesiæ necessitatem fuisse. Nam privatam Petri personam quod attinet, parùm intererat, eam fallibilem esse, aut infallibilem, imò si abstrahas à publica Ecclesiæ utilitate, minùs Petro nocebat, eum falli posse, quàm peccare posse, & tamen certum est, peccare potuisse. Si verò non privatam Petri personam, sed ejus Dignitatem ac officium, & consequenter Ecclesiæ Catholicæ necessitatem attendas, æquè, imò magis oportebat, omnes Petri successores, quàm ipsum Petrum, in rebus & dogmatibus fidei tradendis infallibiles esse ; mortuis enim Apostolis, sanctitate ac miraculorum gratiâ minùs, quàm Apostolorum ætate, abundante, hæresibus ex omni parte erumpentibus, ac fidem impugnantibus, quis non videt, majorem nunc esse ad conservandam Religionem Capitis visibilis & infallibilis necessitatem, quàm fuerit olim ? nisi dicas, firmum, ac solidum fundamentum tantùm domui inchoandæ necessarium esse, non verò perficiendæ & consummandæ ; ac peritum cœli, marisque Navarchum incipiendæ

tantùm navigationi quærendum esse, & dum navis adhuc in portu est, aut prope littus, non verò navi in altum provectâ, & ventis ac tempestate jactatâ. *Nec obstat*, non amplius opus esse Capite ac Pastore visibili, Ecclesiâ jam constitutâ, & Petro, aliisque Apostolis per scripturas loquentibus; nam de ipso scripturarum sensu & interpretatione summa concertatio est, nec aliunde tot hæreses natæ, prolatæque, quàm ex falsa scripturarum explicatione; unde, ut insistam prælibatæ similitudini, sicut ad felicem, securámque navigationem non sufficit, chartas hydrographicas, cursúmque stellarum ante oculos poni navigantibus, nisi unus sit Gubernator, qui & eas intelligat, & cursui, ac necessitati aptare noverit, suóque Imperio ac directione reliqua servitia, remigésque in officio contineat; ità in Ecclesia DEI, in qua tot quotidie naufragia animarum, ac fidei, parùm est, mysteria Religionis chartis inscriptas esse; nisi alius sit, qui eas certò interpretetur, & cui omnes fideles sine ulla erroris suspicione obedire teneantur, alioquin quàm timida erit, & anxia Religio, semper videl. aut cadens, aut casum expectans? Hæc omnia probant, Privilegium Infallibilitatis non soli Petro, sed omnibus ejus successoribus necessarium esse: & Patres, qui de Petro loquuntur, non de persona, sed de officio Petri, ac Dignitate loqui, sicque de omnibus Romanis Pontificibus, ad quos Dignitas & officium transit. Deinde Patres loquuntur de ingenti ac præcipuo Ecclesiæ Romanæ privilegio, nullis alijs Ecclesijs concesso; at nullum esset peculiare privilegium, si id tantùm vellent, Petrum, Leonem, & Cœlestinum, paucósque alios in tradendis fidei dogmatibus nullo errore corruptos fuisse; quæ est enim Ecclesia toto Orbe terrarum, quæ vel Apostolos fundatores non habuerit, vel alios Episcopos immaculatæ fidei? Non ergo esset hoc speciale Privilegium Romanæ Ecclesiæ, si Patres de uno tantùm, aut altero Pontifice intelligantur, aut de solo Petro.

II. *Secundò*. Accedit praxis, usúsque Ecclesiæ perpetuus, qui hanc ipsam Romanorum Pontificum infallibilitatem multis ex capitibus evincit; nam quicúnque à Pontifice Romano in rebus fidei decreta & definita non recepisset, sed ijs obluctatus esset, pro hæretico & Schismatico habitus est, & ab Ecclesiæ communione præcisus. Ita rem se habere Patrum testimonia in medium prolata certum, palámque facient. *Anno*

Anno CIX. Passus est S. Ignatius Apostolorum discipulus, qui epistolâ ad Romanos, postquam Ecclesiam Romæ existentem vocâsset: *DEO dignam, decore dignam, meritò beatissimam, dignam laude, dignam, quâ quis potiatur, castissimam & præcellentem dilectione Christi, spiritu plenam, &c.* Posteà circa medium loquens de Cleto & Clemente successoribus Petri: *Qui igitur*, inquit, *his non obedit, atheus prorsùs, & impius est, & Christum contemnit, & constitutionem ejus imminuit.* Ubi nota, Ignatium loqui non de solis Clemente, & Cleto, sed de omnibus Petri successoribus, ut significant ea verba: *Constitutionem Christi imminuit.* Constitutio verò Christi, videl. *Super hanc petram, &c. Tibi dabo claves Regni cœlorum, &c.* complectitur non solum Petrum, sed omnes ejus successores, ut constans est omnium Catholicorum sententia.

Anno CCLXI. S. Cyprianus martyrium subijt. Is libro 4. epist. 9. ita scribit: *Qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* At Cathedram Petri deserit, qui, quæ Petrus, Petrique successores ex Cathedra definiunt, acceptare renuit; quid enim est aliud Cathedram deserere? aut si Cathedra Petri errare potest, cur non æquè Cathedram Petri, ac Cathedram Pauli, Jacobi, Joannis, aliorúmque deserere liceret? quisquis enim errare potest, deseri potest, nec fidem meretur; nec ob aliam causam Infallibilitas Romanæ Cathedræ negatur, quàm ut eam impunè liceat deserere. *Neque dicas,* S. Cyprianum de ijs tantùm loqui, qui Cathedram Petri in omnibus, non verò, qui in uno tantùm, alteróque articulo ab ea deficiunt. Hæc enim evasio ridicula, & vana est. Nam qui docent, Cathedram Petri errare posse, non tantùm in uno, alteróve, sed in omnibus utcúnque libuerit deserunt. Cùm enim dicis, Pontificem ex Cathedra docentem errare, fallíque posse in exponendo vero scripturæ sensu, rebúsque fidei decidendis, quæro, an in omnibus? Si in omnibus, ergo apertè sequitur, posse in omnibus deseri, sicut potest in omnibus errare. Si in uno tantùm, alteróque, quæro, in quo possit errare, & in quo non possit? & cur in uno magis, quàm in altero? & quam ob causam voluerit Christus in uno potiùs esse infallibilem, quàm in alio, cùm tamen oporteat, Ecclesiam, & consequenter Ecclesiæ Magistrum, & Pastorem non in uno tantùm, alteró-

que, sed in omnibus, quæ ad fidem pertinent, erroris expertem esse? Quid, rogo, proderit, unam hosti portam occludere, aliâ patente? unum venenum respuere, aliud admittere? fundamentum Ecclesiæ una ex parte firmum, solidúmque esse, aliâ infirmum, ac ruinæ obnoxium? Deinde nullus unquam fuit, eritque hæreticus, qui in omnibus fidei articulis à Cathedra, & doctrina Romanorum Pontificum recesserit, non Arrius, non Pelagius, non Nestorius, non Lutherus, non Calvinus; frustrà ergo & sine causa diceret Cyprianus: *Qui Cathedram Petri deserit, in Ecclesia non esse*; quippe de casu loqueretur, qui nunquam contigit, & nunquam contingere potest. Imò si Patrum testimonia consideres, luce meridianâ clarius erit, eos de particularibus tantùm casibus loqui, non verò de ijs, qui universim, omnique ex parte, & quoad omnes fidei articulos à Cathedra Petri deficiunt. *Néque dicas*, Cathedram Petri deserendam non esse, quando ex præscripto sacræ scripturæ, verbique divini aliquid docet, in hoc enim casu, non verò in alijs esse infallibilem. Verum quidem est, nunquam debere Romanum Pontificem aliquid docere, quod scripturæ, & veritati adversetur, sed quæstio est, utrum possit hujusmodi aliquid contra scripturam, & veritatem docere? nam si potest, frustrà ex Cathedra Petrus clamabit; dicam enim, quoties libebit, ejus doctrinam cum scripturis pugnare, nec unquam scripturæ, & rationes deerunt ad id confirmandum, sicut nec Arrio, nec Luthero, nec alijs hæreticis omnibus defuêre. Quando, rogo, lis finietur, si ex partium arbitrio pendeat, declarare, sententiam à Judice prolatam contra leges pugnare, & ideo nec obligare? Nec Cyprianus de Privilegio Cathedræ, sed sacræ scripturæ loqueretur, (quemadmodum quòd hedera plantæ implicita sursum, & in altum feratur, non est proprietas hederæ, sed plantæ) cùm tamen constet, loqui de Privilegio Cathedræ. Et frustrà diceret Cyprianus: *Qui Cathedram Petri deserit, non esse in Ecclesia*, si crederet, Cathedram Petri errori subjectam esse, & tunc solùm non deserendam, cùm constat, eam nihil aliud docere, quàm quod docet Scriptura; hoc enim non tantùm Cathedræ Romanæ privilegium est, sed etiam Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Mediolanensis, imò omnium Episcoporum, & Sacerdotum, ac etiam cujuslibet privati Doctoris, ut videli-

videlicet errare non possint, nec deseri debeant, quoties & quando aliquid scribunt, docéntque sacræ Scripturæ consentaneum; In hoc ergo sensu æquè dicere poterat Cyprianus: *qui Cathedram Carthaginensem, Mediolanensem, imò Tertulliani, & Origenis deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* Quæ omnia quàm sint absurda, nemo non videt. Hæc observatio sequentibus quóque Patrum testimonijs aptanda est, ne oporteat idem sæpiùs repetere.

Anno CCCLXVIII. Obijt Optatus Milevitanus, qui libro 2. contra Parmenionem hæc habet: *Negare non potes, scire te, in Urbe Romæ Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut jam Schismaticus, & peccator sit, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Si unitas ab omnibus cum Cathedra Petri servanda est, oportet ergo, eam Cathedram esse infallibilem, alioquin ab ea discordare liceret: ubi verò est discordia, ibi utique non est unitas doctrinæ; & cur potiùs in Cathedra Petri sit *unitas doctrinæ ab omnibus servanda,* si æquè ac aliæ Ecclesiæ Cathedra Petri errare possit? Et rursùs si Schismaticus est, qui contra singularem Petri Cathedram aliam collocat, quæro, an ab hac nota eximi possint, *qui contra Cathedram Petri aliam Cathedram in Concilio collocant,* quales fuerunt Basileenses? Quæro etiam, an qui contra Cathedram Petri, & contra sacrosancta Innocentij XI. decreta, & Diplomata, Regaliam extendi prohibentis, eandem Regaliæ extensionem approbârunt, quique ideò Pontificem falli, ac errare posse docuerunt, ut, quoties luberet, eum possent erroris arguere, aliámque doctrinam Pontificiæ doctrinæ oppositam docere? quæro, inquam, an ij contra Cathedram Petri non aliam Cathedram collocent? quid enim est aliud alia Cathedra, quàm alia doctrina? Nam si velint tunc tantùm Carhedram contra Cathedram collocari, quando Pontifici legitimè electo alius Pontifex opponitur, nihil hîc speciale Cathedræ Romanæ concederetur. Rursus si Schismaticus est, qui doctrinæ à Cathedra Romana traditæ aliam doctrinam opponit; ergo oportet, doctrinam Romanæ Cathedræ esse infallibilem; nec enim Schismaticus dicit potest, qui doctrinam probabilem quidem, sed tamen adhuc incertam, ac errori obnoxiam amplecti renuit.

Anno

Anno CCCXCVII. Obijt S. Ambrosius, qui in Oratione funebri de excessu fratris sui Satyri : *Advocavit*, inquit, *Satyrus Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi solius fidei gratiam, percunctatúsque est ex eo, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret?* Et epistolâ 11. ad Ageruchiam : *In omnibus Romanæ Ecclesiæ formam, & typum sequimur.* Si ergo ex mente Ambrosij unum, idémque est: *Cum Ecclesia Catholica, & cum Romana Ecclesia convenire*; sequitur, eum, qui non convenit cum Ecclesia Romana, multóque magis, qui ab ea positivè in rebus fidei dissentit, ne quidem cum Ecclesia Catholica consentire, & consequenter Schismaticum esse. Ergo oportet, doctrinam Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Romani Pontificis è Cathedra pronuntiantis, omninò infallibilem esse, alioquin cur ab ea dissentire non liceat, si errare potest ?

Anno CCCCXXX. Obijt S. Augustinus, qui epistolâ 157. *In verbis*, inquit, *Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa & clara est Catholica fides, ut nefas sit dubitare Christianis.* Si doctrina & decreta fidei Sedis Romanæ sunt *certa*, si, qui de illis *dubitat*, non *est Christianus*, sed *nefarius*, ergo doctrina Sedis Romanæ est infallibilis, alioquin & dubitare de illa liceret, nec magis nefarius *esset*, *indignúsque nomine Christiano*, qui illam, quàm qui Constantinopolitanæ, aut alterius Sedis decreta respueret.

Anno CCCCXX. Obijt S. Hieronymus, cujus hæc sunt verba epist. 57. ad Damasum Pontificem : *Ego Beatitudini Tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicúmque extra hanc domum agnum comederit, profanus est, si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante Diluvio. Quicúnque tecum non colligit, dispergit, hoc est, qui Christi non est, est Antichristi.* Observa, unum idémque esse apud S. Hieronymum, Cathedram Petri (qui utique errare non potest) & Cathedram Pontificis Romani; & qui cum Pontifice Romano *non colligit*, hoc est, contrariam ab eo in rebus fidei sententiam tenet, *non esse Christi, sed Antichristi*, nec *intra arcam Noë*, (hoc est, in Ecclesia) sed extra illam, hominémque *profanum* esse. Quæ utique dici non possunt, nisi de doctrina certa & infallibili. Idem Hieronymus in expositione Symboli : *Si autem hæc nostra Confessio Apostolatûs Tui judicio comprobatur, quicúnque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

Anno

Anno CCCCXXXII. S. Cœlestinus I. Pontifex Maximus extinctus est. Hic epist. ad Episcopos Galliæ hæc habet: *Satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt; ut prorsùs non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententijs esse contrarium.*

Anno CCCCXLIV. Moritur Cyrillus Alexandrinus. Hic epist. ad Cœlestinum ita scribit: *Quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hîc sentias, declarare, quò liquidò constet, communicarene nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, &c.* Nestorius gravissimis scripturæ, Patrúmque testimonijs premebatur, & tamen non palàm constabat, communicare cum illo, an secùs oporteret; idque ex sententia Pontificis unicè pendebat, ut patet ex allegata Cyrilli sententia; itémque ex alia Hieronymi epistola 58. ad Damasum: *Si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus, sed mihi credite, venenum sub melle latet.* Si ergo sententia Pontificis, & cum ea consensus est nota veræ & Catholicæ Religionis, sequitur, esse infallibilem, & erroris expertem; doctrina enim falsa & incerta non potest esse signum veræ & indubitatæ fidei.

Anno CCCCLXI. S. Leo Magnus mortem oppetijt. Is epist. 87. ad Episcopos Viennenses Ecclesiæ: *Prædicationis Evangelij Sacramentum ita Dominus ad omnes Apostolos pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso, velut quodam Capite, dona sua, velut in corpus omne, diffunderet, ut exortem se mysterij esse divini intelligeret, quisquis ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Néque dicas, S. Leonem loqui de sola Petri persona, non verò de illius successoribus. Nam ex contextu ejus Epistolæ palàm est, S. Leonem hanc ipsam Petri prærogativam ad omnes ejus successores extendere. Deinde si personam Petri consideres, prout tantùm Apostolus erat, non magis ejus doctrina in rebus fidei infallibilis erat, atque à DEO inspirata, quàm aliorum Apostolorum; & ideò S. Leo, ut patet etiam ex ejus verbis, loquitur de Infallibilitate S. Petri, non ut Apostolus erat, sed *ut Caput* Ecclesiæ, & consequenter de Infallibilitate Dignitati annexa, quæ perpetua est, & ad omnes Petri successores transmissa; idque jure meritò, cùm Ecclesiæ non primâ tantùm fui ætate, sed semper & perpetuò visibili Capite, fun-

damento solido, ac Judice controversiarum indiguerit; oportuit ergo Infallibilitatem in bonum ac ædificationem Ecclesiæ Petro concessam non cum ipso Petro interire, sed in ejus successores perpetuari.

Anno DXLIX. S. Pelagius Papa Augustinum citans: (a) *Contra Apostolicam Sedem temerè credentes, pessima dividit opinio, quod Schisma specialiter esse denuntiat Augustinus.*

Anno DXLIX. Patres Concilj Aurelianensis in Gallia: *Quas etiam Sectas Sedes Apostolica condemnat, similiter cum suis auctoribus & sectatoribus execrantes anathematizamus, rectum atque Apostolicum in Christi nomine fidei ordinem prædicantes.*

Anno DCCCLXXVIII. Patres Concilij Trecensis æquè in Gallijs habiti: *Judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio Divi Petri & Sedis Apostolicæ protulistis, voto, voce & unanimitate nostrâ persequimur, scilicet quos excommunicâstis, excommunicamus, quos ab Ecclesia abjecistis abjicimus.* Sententia ergo Pontificis est infallibilis auctoritatis; quomodo enim dignus esset Ecclesiâ excludi, qui dubiæ, incertæque doctrinæ fidem non adhiberet? Et nota illa verba: *Judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio Divi Petri, & Sedis Apostolicæ protulistis, &c.* Quæ omninò significant, infallibilitatem judiciorum Apostolicorum in rebus fidei fundari *in privilegio Divi Petri, Sedisque Apostolicæ*, sicque esse perpetuum, & ad omnes Pontifices, Petrique Successores pertinere.

Anno DCCCXLIII. Gregorius IV. Pontifex Maximus epist. ad universos Episcopos, prout habetur *c. præceptis d. 12. Omnis Sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apostolicam quasi ad Caput Ecclesiarum debeat referri, & indè normam sumere, ubi sumpsit Originem, cujus auctoritatis sanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ Petræ, supra quam Christus universalem fundavit Ecclesiam, societate divelli.*

Anno MLXI. S. Nicolaus Papa II. in epistola ad Mediolanenses, & habetur in c. omnes d. 22. *Fidem violat, qui adversùs illam agit, quæ mater est fidei, & illi contumax invenitur, qui eam forsan non cunctis Ecclesijs præluisse invenitur.*

Anno MLXXXV. Gregorius VII. in dictato Canone 26. *Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.* Scio, apud aliquos Gallorum Gregorium VII. non bene audire, quippe nimiæ severitatis accu-

(a) Habetur in decr. Grat. c. quon. 24 q. 1.

accusatum (severitatem enim in Pontifice appellant, quam in aliquo suorum Judicum animi magnitudinem, in Senatore invictam fidelitatem appellarent) sed cùm Gregorius nihil aliud dicat, quàm quod alij sancti Patres & pontifices dixerunt, non potest in Gregorio in dubium ea sententia vocari, quam ab alijs sanctis Patribus hausit; alioquin poterit Gregorius dicere, quod olim S. Hieronymus epist. 77. *Quid unum hominem exceptis socijs criminantur? si rivus tenuiter fluit, non est alvei culpa, sed fontis.*

Anno MCLXVII. Hugo Etherianus de Processu Spiritûs Sancti l. 3. c. 10. qui habetur in Bibliotheca Patrum: *Æquum est, ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex annuntiat; qui autem primæ Sedis, imò totius Orbis Præsuli resistunt, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ judicio plectentur. Quicúnque Christi naviculam spernit, incautè navigat, & nisi plumbeas moles pervicacitatis abijciat, influent maria.*

Anno MLIV. S. Leo IX. epistolâ ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum: *Quid hoc monstri est, frater charissime? Romana Ecclesia adeò non est sola, vel, sicut tu putas, una, ut in toto orbe terrarum quæcúnque natio dissentit superbè ab ea, non sit jam dicenda, vel habenda Ecclesia aliqua, sed omninò nulla, quin potiùs Conciliabulum hæreticorum, aut Conventiculum Schismaticorum, & Synagoga Sathanæ.*

Anno MCXIV. S. Ivo Carnotensis epistolâ 8. *Cujus judicijs & Constitutionibus obviare est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Loquitur Ivo de quodam judicio prolato ab Urbano II. extra omne Concilium Oecumenicum.

Anno circiter MCC. Goffridus Vindocinensis epist. 30. *Eodem spiritu, quo dictante & lex prima per Moysen data est, & per Christum secunda, S. Apostolica Sedes Canones dedit, & ipso inspirante exposuit. Si quis igitur Apostolicæ Sedi in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit, quicúnque est ille, sed desipit, non cultor, vel expositor divinæ legis, sed insidiator & oppressor indubitanter agnoscitur.*

Ex his Patrum, etiam primorum seculorum, sententijs manifestum est, eos, qui in rebus fidei Summorum Pontificum Decreta non recepissent, pro hæreticis ac Schismaticis ab Ecclesia habitos esse, & consequenter infallibilem esse Summorum Pontificum auctoritatem; si enim falli possent, eorum Decreta ad Fidem non pertinerent; si ad Fidem non pertinerent, ergo qui contra illa sen-

sentiret, hæreticus non esset, hæresis enim est peccatum fidei oppositum; nec incerta & dubia sub pœna hæresis, & schismatis credere teneor; fides enim est de certis & infallibilibus, non de incertis, dubiisque.

Néque dicas, Patres loqui de Pontificum Decretis ab Ecclesia receptis. Nam *Primò* ex contextu allatorum testimoniorum constat, Patres loqui de Decretis Pontificum recèns editis, & nondum totâ Ecclesiâ vulgatis, & consequenter necdum in Ecclesia receptis; nec Patres ullam mentionem faciunt de necessario Ecclesiæ consensu, ut legentibus patet; gratis ergo, & sine ullo fundamento id dicitur; & mirum est, Adversarios tanto strepitu Patres inclamare, & quando posteà Patrum auctoritate opprimuntur, ad tergiversationes fugere nullo Patrum testimonio nixas. Agite enim, quis Augustinus, quis Ambrosius, quis Hieronymus dicit, Decreta Pontificum in causis fidei rejici posse, donec Ecclesiæ consensus accedat? Quòd si nullus dicit, ut planè nullus dicit, nec produci aliquis potest, quis pudor est, vos, qui singulis paginis ad Patres vano terrore provocatis, in re tanti momenti sine Patribus loqui? & cùm nos non manipulos tantùm, sed agmina Patrum producimus, istorum auctoritati distinctiunculas opponitis apud vos natas, repertásque eludendæ veritati, perindè ac si Patres dicant, quidquid vos fingitis.

Secundò. Si certitudo Decretorum, quæ Pontifices in causis fidei ediderunt, à consensu Ecclesiæ pendet, ergo non Ecclesia in Petro, ejúsque successoribus fundatur, sed potiùs Petrus in Ecclesia fundatur, nec Petrus erit fundamentum Ecclesiæ, sed Ecclesia potiùs erit fundamentum Petri; id verò tam apertè sacris litteris, Patrúmque testimonijs repugnat, ut nihil magis; semper enim Patres hanc Infallibilitatem referunt in speciale Privilegium Christi Petro concessum, & illis verbis explicatum: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & tu conversus confirma fratres tuos. Pasce oves meas;* cùm potiùs ex Adversariorum explicatione dicere oportuisset: *Super Ecclesiam fundabo Petrum; tu Ecclesia confirma Petrum &c.* Quæ omnia in Scripturis, & Patribus inaudita sunt, & tamen ex mente Adversariorum necessariò consequerentur.

Tertiò.

Tertiò. Patres, ut ex eorum verbis constat, loquuntur de hac Infallibilitate doctrinæ tanquam de specialissimo Petri privilegio, nulli alteri concesso. Atqui si sententiæ Pontificum non sunt certæ, & indubiæ, nisi post consensum Ecclesiæ, nihil planè speciale Petro conceditur; quis enim nescit, non Pontificis tantùm, sed cujuslibet Episcopi, privatique Doctoris sententias certas esse, si eas Ecclesia recipiat? quid ergo plus Petro conceditur, quàm Paulo, & Jacobo, & Augustino, & Bedæ?

Quartò. Cùm dicis, Pontificum Decreta assensu Ecclesiæ fieri certa, quid intelligis nomine Ecclesiæ? particulares aliquas Ecclesias? at istæ errare omnes possunt, & à vera fide deficere, ut nimiùm experientiâ constat. Quomodo ergo fieri potest, ut illæ Ecclesiæ sententias Pontificum reddant infallibiles, & erroris immunes, quæ falli ipsæ, ac errare possunt? num curvum est regula recti? Si verò nomine Ecclesiæ Ecclesiam universalem intelligis, ista, ne cœco modo, velatísque oculis doctrinæ incertæ consentiat, oportebit, quoties à Pontifice aliquid decernitur, Ecclesiam universalem, aut saltem Concilium Oecumenicum convenire, ac Pontificum Decreta examinare, utpote errori obnoxia, & sic tandem consentire; id verò falsissimum est, ut ex posteà dicendis patebit, cùm quàm plurimæ hæreses à solis Pontificibus damnatæ sint, nullo Conciliorum assensu; imò Pontifices ipsis Concilijs credenda præscribebant, nec patiebantur sua Decreta in dubium vocari, ut in Regali Sacerdotio (a) ostendimus, & videri possunt epistolæ Leonis PP. præsertim *40. 41. 45. 49. 59.* & acta Concilij Chalcedonensis *actione 1. & 2. & 3. & 5. & 16.* Et Evagrius *l. 2. c. 4.* Tantúmque abest, sententias Pontificum, ut infallibiles sint, consensu Ecclesiæ in Concilijs congregatæ indigere, ut potiùs ipsorum Conciliorum Decreta nulla sint, nisi auctoritate Pontificum confirmentur, quod in Regali Sacerdotio (b) ostendimus. Vide interim epistolam Hadriani ad Tarasium lectam in 7. Synodo actione 2. Gelasium epistolâ 13. & opusculo de anathem. Tomo 2. Conciliorum, post Concilium Chalcedonense. Socratem l. 2. c. 11. & 13. Sozomenum l. 3. c. 9. Theodoretum l. 2. c. 22.

(a) Regale Sacerd. fol. 314. (b) Reg. Sacerd. fol. 309.

Quintò. Patres à nobis producti expressè, claréque scribunt, teneri Ecclesias sub pœna hæresis, & schismatis Pontificum Decreta recipere, idque quia *non licet à Petræ soliditate recedere,* quia *à Summo Pontifice, quasi à quodam Capite in omnia membra Christi dona diffunduntur &c.* quia Petro dictum est: *Pasce Oves meas.* Quæ omnia ostendunt, non ideò Pontificum decreta certa esse, quia ab Ecclesia recipiuntur, sed ideò recipi, & recipi debere, quia certa sunt.

Sextò. In tota historia Ecclesiastica pauciſſimos reperias Catholicos, qui solemni Papæ judicio restiterint, & si restitêre, ostendit eventus, eos omnes in errore versatos esse, quod manifestum signum est, Papæ circa fidem sententias etiam ante Ecclesiæ consensum infallibiles esse; & ideò cùm post latam à Papa sententiam Concilia celebrabantur, id erat, ut hæreticorum contumaciæ mederentur (quanquam neminem hæreticorum reperias, qui non eâdem audaciâ, quâ Pontificum, etiam Conciliorum Decreta respuerit) utque collatis capitibus de remedijs providerent, quibus singulæ Ecclesiæ contra hæreticorum venena munirentur; non verò ut Pontificum solemne de Fide decretum in dubium revocarent, multóque minùs, ut abolerent, quod jam suprà exemplo Chalcedonensis Concilij observavimus. Erravit S. Cyprianus, quando contra Stephani decretum rebaptizari hæreticos voluit. Erravit S. Polycarpus, aliique Asiani Episcopi, quando, licèt prædicatione B. Joannis Evangelistæ recèns imbuti, contra S. Anicetum, alióque Romanos Pontifices Pascha celebrari volebant decimâ quartâ Lunâ, quacúnque die illud tandem incideret; quam ob causam S. Victor Papa omnes Asiæ Episcopos, alióque finitimos (quippe teste Eusebio (a) hæresis suspectos) excommunicatione ferire parabat. Et quamvis S. Irenæus, aliique tantam severitatem haud probarent (quam tamen gravissimas ob causas Baronius necessariam fuisse contendit) nunquam tamen auctoritatem & Potestatem Pontificiam in dubium revocare ausi sunt. Hæc omnia eum in finem dicimus, ut intelligas, etiam ante consensum Ecclesiæ Pontificum sententias ratas, errorisque securas fuisse, & errâsse, qui illis obsistebant.

Septimò

(a) Eusch. & Baron. ad annum 198.

Septimò. Denique, Ipsi Patres, ac etiam Galliæ Doctores sentiunt, scribúntque, omnes Christi fideles necessitate constringi, ut quæ Pontifices in causis fidei decrevissent, amplectantur, sicque manifestè supponunt, etiam ante consensum Ecclesiæ rata, & fixa esse, ac erroris expertia Pontificum Decreta, nec dependere à consensu Ecclesiæ, sed potiùs consensum Ecclesiæ necessariò Pontificum decretis deberi. Audi aliqua tantùm Patrum testimonia, nam plura in progressu dabimus. Epistola sex Galliæ Episcoporum, quæ inter epistolas D. Bernhardi est 370. sic habet: *Nulli dubium est, quòd ea, quæ Apostolicâ firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps cavillatione mutilari.* S. Calixtus I. epist. ad omnes Galliarum Episcopos: (a) *Talibus igitur gloriantes indicijs rogamus, ne in illis partibus contra Apostolica statuta fieri sinatis, sed nostrâ fulti auctoritate, nociva compescite &c.* S. Eusebius epistolâ æquè ad omnes Galliæ Episcopos: (b) *Si amplius de talibus, aut his similibus aliquid fuerit deliberandum, celeriter ad Nos relatio dirigatur, ut pertractatâ qualitate horum, nostra, quid observari debeat, solicitudo constituat.* S. Innocentius Papa epist. 3. ad Exuperium Episcopum Tholosanum: (c) *Et quidem dilectio tua institutum secuta prudentum ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubijs custodire deberet potius, quàm usurpatione præsumptâ, quæ sibi viderentur, obtinere.* S. Zosimus epist. 8. ad Hilarium Narbonensem Episcopum: (d) *Quæ à Nobis sunt sub DEI judicio constituta, si quid contra hæc tentaveris, Catholicâ communione discretus ferò de illicitis ingemisces.* S. Cœlestinus Papa epist. ad Episcopos Galliæ: (e) *Ad confitendum gratiam DEI satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas Regulas Apostolicæ Sedis scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententijs esse contrarium.* Patres Concilij Turonensis II. canone 20. (f) *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à sede Apostolica processerunt, agere præsumat?* Nicolaus I. (g) In Romana Synodo, quæ extat apud Annales Fuldenses: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel Decreta pro Catholica Fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, pro interdictione imminentium, aut futurorum malorum à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata*

(a) Anno circiter CCXIX. (b) Anno circiter CCCIX. (c) Anno circiter CCCCII. (d) Anno circiter CCCCXVI. (e) Anno circiter CCCCXXIII. (f) Anno DLXX. (g) Obijt Nicolaus DCCCLXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gata contempserit, anathema sit. Episcopi Galliarum in Concilio Pontigonensi can. 1. (a) *Quæ secundùm sacrum suum ministerium Apostolicâ auctoritate Spiritualis Pater noster, & universalis Papa decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debitâ illi obedientiâ in omnibus observentur.* Denique (ut alia quàm plurima omittam, quæ videri possunt apud eruditissimum Cardinalem Aguirre, qui tam præclarè, solidéque hoc argumentum prosecutus est, ut credam, omnibus gloriam præreptam esse, aliquid melius, fortiúsque scribendi, & reverà quidquid de auctoritate Pontificia Bellarminus, alijque collegerunt, umbra est, si ad hunc solem conferantur) Galliæ Episcopi noviſſimè, hoc est anno MDCLIII. literis decimâ nonâ Julij ad Innocentium X. datis: *Judicia*, inquiunt, *pro sanctenda regula Fidei à summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis Relationis sententiam ponant, sive omittant) divinâ aquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur. Eâ nos quóque sententiâ ac fide imbuti &c.* Quid potuit clarius, & manifestius à Gallis dici? Nota præsertim illa verba: *Summâ ac divinâ auctoritate niti.* Si ergo etiam ex Gallicanæ Ecclesiæ sententia Pontificum Decreta à nullo mutari, violarique possunt, sed ea sub pœna Anathematis recipere, ac observare tenentur, sequitur evidentissimè, etiam ante consensum Ecclesiæ infallibilia & certissima esse, alioquin liberum esset ea aut amplecti, aut respuere. Et reverà cùm Illustrissimi Episcopi in ultimo Parisiensi Conventu declarârunt: *Non esse Pontificis irreformabile Judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit*, id planè non ob aliam causam fecêre, quàm ut liberè posteà, quæ Innocentius XI. contra Regaliam decreverat, effugere possent, prætextu erroris; quippe prima cura est Reo sententiam formidanti, contra Judicis auctoritatem excipere. Ut planè & ex natura rei, & ex adversariorum intentione idem sit, præsertim in rebus fidei, falli Pontificem posse, & non teneri Ecclesiam obedire. Quis enim obediat præcipienti impossibilia? at impossibile est, ut fide divinâ credas, quod est dubium & incertum, cùm Fides Divina sit de rebus certis & indubijs.

III. *Tertiò.* Exortâ aliquâ de rebus fidei quæstione, ut Catholici

(a) Anno DCCCLXXVI.

lici ab hæreticis aliquâ, certâque notâ distinguerentur, útque certi ipsi essent, quid credere, quid respuere deberent, se id credere profitebantur, quod Pontifices Romani crederent, damnare, quod ipsi damnarent, suámque fidem in rebus fidei eorum judicio submittebant, & doctrina à Pontificibus Romanis, quamvis extra Concilium, hæresis damnata, statim pro hæretica habebatur. Ex quo sequitur, judicium Pontificis esse infallibile, & irreformabile; si enim falli & reformari posset judicium Pontificis, ergo falli & reformari possent dogmata ab eo decisa, utpote errori obnoxia; & fallibili ac lubricâ auctoritate nixa; at dogmata fidei nunquam falli aut reformari, corrigique possunt, cùm sint æternæ veritatis, & ideò in rebus fidei semel decisa semper decisa, semel vera semper vera, sicut econtrà semel reprobata semper reprobata, semel falsa semper falsa. Nec sufficit dicere (quod Patres ultimi Conventûs Parisiensis in sua Declaratione insinuant) *præcipuas esse in rebus fidei partes Romani Pontificis, non tamen sententiam irreformabilem.* Quomodo enim reformabilis, si ex illa pendet Ecclesiæ fides? si ex illa Catholici ab hæreticis distinguuntur? si, qui illam reformare ac mutare conantur, pro hæreticis, & Schismaticis habentur? si ex illa pendet, quænam doctrina Catholica, quænam hæretica sit? num ergo aut fides, aut hæresis reformari potest, ut quæ semel vera fuit, posteà evadat falsa, & quæ semel falsa, posteà sit vera? Sed audiamus testimonia Patrum, ad sententiam Rom. Pontificis, velut ad lydium lapidem, suam aliorúmque fidem explorantium, verúmque aurum à falso distinguentium. Credo equidem, neminem lecturum, quin statim cedat veritati; tam videlicet clara, tam manifesta sunt, ut unum idémque sit, ea legere & vinci, aut si vinci nolis, saltem confundi pudore ac conscientiâ veritatis. Excurramus ergo per omnes seculorum ætates. Quia tamen sæpe in hac tota Dissertatione testimonia antiquorum Pontificum trium priorum seculorum úsque ad Siricium occurrent, qui obijt anno 398. & illa à gravissimis auctoribus in dubium vocantur, quamvis Decreto Gratiani inserta, præmittendum est, quantæ, & cujus sint auctoritatis. Et primò quidem non agimus de epistolis S. Cornelij, quæ extant inter opera S. Cypriani, néque de epistolis Julij I. quæ referuntur à S. Athanasio Apolog. 2. nec de epistolis Liberij, quæ à

S. Hilario, in fragmenta recenſentur, nec de epiſtola Damaſi ad Illyrici Epiſcopos, quam exſcribit Theodoretus l. 2. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 22. ſola ergo quæſtio eſt de ijs epiſtolis, quas ex Iſidori mercatoris collectione Compilatores Canonum in numerum & Catalogum Decretalium retulêre, nec earum à veteribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptoribus, aut ſanctis Patribus ulla fit mentio. Tales ſunt *S. Clementis* quinque, *S. Anacleti* tres, *Evariſti* duæ, *Alexandri* tres, *Sixti I.* duæ, *Teleſphori* una, *Hygini* duæ, *Pij I.* quatuor, *Aniceti* una, *Soteris* duæ, *Eleutherij* una, *Victoris* quatuor, *Zephyrini* duæ, *Calliſti I.* duæ, *Urbani I.* una, *Pontiani* duæ, *Anteri* una, *Fabiani* tres, *Cornelij* duæ, *Lucij* una, *Stephani I.* duæ, *Sixti II.* duæ, *Dionyſij* duæ, *Felicis I.* tres, *Eutychiani* duæ, *Caij* una, *Marcellini* duæ, *Marcelli I.* duæ, *Euſebij* tres, *Melchiadis* una, *Sylveſtri* una, *Marci* una ad S. Athanaſium, *Julij I.* duæ, *Liberij* duæ, *Felicis II.* duæ, *Damaſi* plures, nimirum tres ad S. Hieronymum, ad Afros de Chor-Epiſcopis, ad univerſos Epiſcopos Italiæ, ad Aurelium. De his quærimus, legitimæ ſint, an verò ſuppoſititiæ, & dico eſſe ſuppoſititias, & falsò ijs Pontificibus adſcriptas. Id ita eſſe ex ſequentibus rationibus patet. *Primò.* Quia illæ epiſtolæ abundant verborum ſordibus, omninò alienæ ſunt ab elegantia ſermonis illius ætatis, & à Majeſtate & gravitate alijs Pontificibus, qui tunc temporis ſcribebant, uſurpata. *Secundò.* Quia eodem ſcribendi ſtylo & charactere præditæ ſunt, ut unius tantùm ſcriptoris, non plurium & diverſorum eſſe omninò videantur. *Tertiò.* Quia utuntur vulgatâ S. Hieronymi verſione, quæ multò recentior eſt, ut proinde videantur poſt ætatem Hieronymi ſcriptæ. *Quartò.* Quia Hieronymo, qui ſcriptorum Eccleſiaſticorum catalogum texuit, Innocentio, Leoni, aliiſque ſanctis Patribus incognitæ. *Quintò.* Quia Dionyſius Exiguus, qui tempore Juſtiniani ſcripſit, & Romæ omnium Pontificum Romanorum Conſtituta, Decreta & epiſtolas colligebat, nunquam earum meminit, ſed initium à Siricio facit. *Sextò.* Quia Legum Imperatoriarum verba, quæ in Codice Theodoſiano habentur, uſurpant, cùm tamen ij Pontifices duobus, aut tribus ſeculis Codicem Theodoſianum præceſſerint. *Septimò.* Leo IV. anno circiter 850. diligenter epiſtolas Decretales enumerans initium ſumit à Siricio Papa. *Octavò.* Codex Canonum Eccleſiæ Romanæ ex tribus vetuſtiſſimis exemplaribus tranſ-

transscriptus solas exhibet Decretales à tempore Siricij. *Nonò.* Earum epistolarum argumenta, contra morem omnium Ecclesiasticorum Doctorum & Patrum, qui ijs seculis scripsêre, omninò ijs temporibus non conveniunt, & nihil tradunt, quod controversijs, quæ eâ tempestate agitabantur, accommodatum sit. *Decimò.* Omnes ferè veterum Pontificum epistolæ falsis temporum & Consulum notis consignantur. *Undecimò.* Ipse Baronius & Bellarminus, imò plerique hujus temporis Auctores apocryphas esse fatentur. *Duodecimò.* Singulæ propemodùm manifestis erroribus scatent, v. g. epistolæ Anacleti habent testimonia Damasi, Augustini, Idacij, Gregorij M. Gelasij, aliorúmque, qui diu post vixêre. Agunt quóque de Patriarchis, quorum nomen primò audiri cœpit circa tempus Concilij Chalcedonensis. Et ita de reliquis. Ergo, ut dixi, primorum Pontificum epistolæ omninò supposititicæ videntur, non ideò tamen contemnendæ auctoritatis: *Nam,* ut de Marca (a) fatetur, *è sententijs & verbis legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum, qui quarto seculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.* Et ideò Hincmarus, qui octavo seculo floruit Rhemensis Archiepiscopus, quamvis negaret, eas epistolas ad Canones pertinere, nec canonum auctoritate præditas esse, eas tamen magni facit, earúmque auctoritate sæpè utitur, & cum Hincmaro tota ferè Gallia, teste eodem de Marca, (b) unde in Concilio Rhemensi anno DCCCCII. Anacleti, Julij, Damasi, aliorúmq; Pontificum epistolæ expenduntur in causa Arnulphi. Et Ivo quóque Carnotensis suæ Canonum collectioni intexuit, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum publicavit circa annum *MI.* Agnovit etiam Concilium Aquisgranense circa annũ Domini DCCCXXXVI. Concilium Colonienſe anno DCCCLXXXVII. Moguntinum anno DCCCLXXXVIII. Metense anno DCCCLXXXVII. Triburiense anno DCCCLXXXXV. Rhemense anno DCCCLXXXXII. Lateranense sub Callisto II. Ex quibus constat, Decretales primorum trium seculorum non esse quidem eorum Pontificum, quibus inscribuntur, magni tamen momenti, magnæque auctoritatis; quid enim refert, cui nomini tribuantur, si veræ sunt? nec interest, Apellem, aut Parrhasium auctorem imago habeat, si pulchra est & placet;

(a) Marca lib. 3. cap. 5. §. 1. (b) Marca lib. 3. cap. 6. §. 2.

placet; sint aurum, si non sunt gemmæ, an ideò contemnas? His ita de auctoritate earum epistolarum disputatis videamus, quomodo Patres omnium seculorum thesin nostram confirment.

S. Irenæus antiquissimus & doctissimus Patrum, & Episcopus Lugdunensis *lib 3. adversùs hæreses c. 3. Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximè & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter principaliorem Principatum necesse est, omnem convenire Ecclesiam, in qua semper ab ijs, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Vides signum, quo *hæreticos confundimus*, & Catholicos ab ijs distinguimus, esse *traditionem & fidem, quæ in Romæ constituta Ecclesia semper servata est*, & consequenter úsque ad finem mundi semper conservabitur, alioquin *non oporteret, ad eam omnes convenire Ecclesias.*

Tertullianus de Præscriptionibus c. 36. loquens de Romana Ecclesia: *Statu*, inquit, *felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt, videamus, quid dixerit, quid docuerit.* En tibi lydium lapidem, quoties dubitas.

S. Hieronymus ad Damasum Papam de tribus hypostasibus: *Idcirco obtestor Beatitudinem Tuam, per crucem Domini, ut mihi litteris Tuis, apud quem in Syria communicare debeam, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est. Discernite obsecro; non timebo tres hypostases dicere, si jubetis. Quamobrem obtestor Beatitudinem Tuam, ut mihi epistolis Tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.*

Idem S. Hieronymus in expositione Symboli circa finem, prout etiam allegatur à S. Thoma 2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. *Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minùs peritè, aut parùm cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri fidem & Sedem tenes; si autem hæc nostra Confessio Apostolatûs Tui judicio comprobatur, quicúmque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit*

S. Cyrillus Alexandrinus in libris Thesauri de SS. Trinitate (manifestum est, non tantùm quatuordecim esse, sed triginta duos, qui

qui à priscis scriptoribus allegantur) quos allegant S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 68. & opusc. 29. cap. 3. Cardinalis Turrecremata l. de Potestate. Gennadius in opere quadripartito pro Synodo Florentina. Alanus Copus Dial. 1. cap. 13. Andreas Episcopus Græcus Colossensis in Synodo Florentina, nemine Græcorum dissentiente; hi inquam omnes nunquam auderent in facie Græcæ Ecclesiæ eos libros citare, nisi palàm esset, esse Cyrilli, quamvis, uti dixi, nunc quatuordecim tantùm legantur, reliquis, uti creditur, Græcorum in Romanam Ecclesiam invidiâ sublatis. Hic ergo Cyrillus ita loquitur: *Debemus nos, ut qui membra sumus, Capiti nostro Pontifici Romano, & Apostolicæ fidei adhærere; ad nos pertinet, indè, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere.*

S. Augustinus lib. 2. de verbis Apostoli: *Jam enim de hac causa* (hæresi videlicet Pelagiana) *missa sunt ad Sedem Apostolicam duo Concilia, indè etiam Rescripta venerunt, causa finita est.*

Theodoretus lib. 4. histor. c. 2. *Gratianus toto Imperio potitus scripsit legem, quâ jubebat, sacras Ecclesias tradi, qui Damasi* (is erat Episcopus Romæ) *communionem amplexarentur.*

S. Cyrillus epist. ad Cœlestinum Papam: *Quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa Tuæ pietati indicaremus. Digneris proinde, quid sentias declarare, quò liquidò nobis constet, communicare cum Nestorio oporteat, an liberè ei denuntiare.*

Theodoretus Cyri Episcopus epist. ad Leonem PP. *Ego suffragium Sedis Apostolicæ efflagito, vestram sententiam expecto, quòd si sententiæ eorum, qui condemnârunt, acquiescere jusseritis, acquiescam.*

Justinianus epistolâ ad Hormisdam Papam: *Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.*

S. Agatho epistolâ ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur actione quartâ Sextæ Synodi: *Hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis deflexa est, cujus auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnésque venerabiles Patres ejus fidem amplexi, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odijs insecuti.*

Constantinus Pogonatus ad Leonem II. PP. *Sta firmus propugnator pietatis, accinctus verbi gladio, cujus est, omnem hæreticam doctrinam præcidere.*

S. Fulgentius l. de Incarnat. verbi: *Quod Romana, quæ mundi cacumen est, tenet & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus Orbis nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

Simplicius PP. epist. 4. ad Zenonem Imperatorem: *Perstat enim in Successoribus suis hac & eadem Apostolicæ normæ doctrinæ, cui Dominus totius curam injunxit Ovilis, cui se usque ad finem seculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit.*

Joannes Episcopus Constantinopolitanus in epist. ad Hormisdam PP. & in Regula fidei, quæ habetur post epist. 6. ejusdem Hormisdæ: *Et quia non potest Domini nostri prætermitti sententia, quæ dicit: Tu es Petrus &c. hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata Religio. Unde sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas.*

Omitto Patres posteriorum seculorum, quia in Regali Sacerdotio, & apud Eminentissimum Aguirre exscripti sunt. Isti sufficiant ex primis seculis deprompti, selectique, quippe doctrinâ & virtute præstantes, & omni adulatione intacti. Ex istis apertè constat, quod probandum susceperam, videl: Catholicos hoc præcipuè signo ab hæreticis distingui solitos, quòd illi sub vexillis militarent Romani Pontificis, eandémque cum isto fidem profiterentur. Hæc ergo tessera veræ Religionis: *Romanus sum.* Et verò nulla alia esse poterat, quo enim ab hæretico aliâs distinguaris? Scripturas allegas? non desunt hæretico, aut saltem in alienum sensum interpretabitur. Patres? suos quoque opponit, nemo magis Augustinum jactat, ut Lutherus, & Calvinus. Miracula? ficta esse dicet, & unde probabis vera, nisi testimonio Pontificis? Nullum ergo apertius signum, magisque apud summos, medios, infimos, doctos, indoctósque perspectum, quàm si cum Papa consentias; ut primùm dixeris, *Romanus sum*, jam omnes intelligunt, te non Arianum, non Pelagianum, non Lutheranum, non Calvinistam, sed Catholicum esse. Sic Hieronymus, sic Athanasius,

sic

sic Augustinus ab hæreticis distincti. Ex quo sequitur, sententias Romani Pontificis in causa fidei prolatas omninò infallibiles esse, alioquin si & veræ, & falsæ esse possunt, quomodo verum à falso, Catholicum ab hæretico distinguent? Quis ignem à fumo cognosceret, si fumus etiam aquæ conjungi posset? Quis militem à Senatore solo gladio, pallióque, cùm ab utróque gestentur? Sic frustrà Patres, cæteríque fideles veram à falsa Religione auctoritate Pontificiâ discernerent, si hæc tam falsæ, quàm veræ patrocinaretur.

IV. *Quartò.* Illud quóque Pontificiæ Infallibilitatis certissimum argumentum, quòd multa Christianæ fidei dogmata à solis Romanis Pontificibus sint decisa, hæreséque damnatæ; ex quo, ut jam suprà ostendi, necessariò sequitur, sententias Romani Pontificis in causa fidei pronuntiatas omnis esse erroris expertes; quod enim fide divinâ credo, non tantùm verum est, sed etiam certum, ita ut falsum esse non possit: & fideles ita prompti, paratíque esse debent, ad hujusmodi dogmata amplexanda, & retinenda, contrariásque hæreses respuendas, ut nec sanguini, nec vitæ, exemplo tot millium martyrum, parcere oporteat. Jam verò quàm plurimas hæreses solâ Pontificum auctoritate proscriptas, & dogmata contraria constituta esse nullo etiam Concilij Oecumenici adminiculo, ita certum est, ut negari non possit.

Nolebant Pelagiani Summorum Pontificum sententijs acquiescere, quibus & necessitas gratiæ asserebatur, & Pelagij errores hæresis damnabantur; provocabántque Pelagiani ad Concilium Universale, quibus egregiè Augustinus (a) in hæc verba respondet: *An verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernities damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit &c.* Et paulò post: *Verùm istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. &c.* Etalibi: (b) *Quasi verò in Concilio Episcoporum, quod non salubriter, sed jactanter propter vestras quæstiones debere ducitis congregari, si sederent Episcopi, quos*

(a) August. lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 12. (b) Idem lib. 1. contra Julian. c. 69.

quos suprà memoravi, facilè invenires, quos eis in doctrina Ecclesiastica antiquitùs tradita æquare, nedum præferre posses. Et alibi: (a) *Si in Concilio, cujus videris desiderare judicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus, ut taceam alios, nunquid doctiores, prudentiores, veraciores Judices quærere auderes? ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis scripta vestra condemnant, quid quæris ampliùs?* Quòd si quæras, si Concilio Oecumenico (de hoc enim loqui Augustinum certum est ex illis verbis: *Ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur*; opus non est, cujus ergo auctoritate & sententiâ hæreses elidentur, verúsque Sacrarum Scripturarum sensus elucidabitur? respondet Augustinus: *Si Romanæ Ecclesiæ Præsidentem B. Innocentium audire voluisses, jam tunc periculosam Juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris perseveranter tenet Ecclesia?* Quibus verbis duo docet Augustinus, videlicet, & non posse Romanum Pontificem ab antiqua, & vera doctrina aberrare, & ejus auctoritatem sufficere hæreticis laqueis exuendis. S. Prosper quóque in Chronico: *Tunc Pelagianorum machinæ fractæ sunt, quando B. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.* Et S. Hieronymus de Irenæo Romam misso: *Omnium doctrinarum curiosissimus explorator non moles ædificiorum Urbem circumeundo, sed Apostolicæ Sedis fidem, ritus, mores, ac disciplinam, quam illi Petrus, & Paulus Apostolorum Principes tradidissent, perscrutabatur, nactúsque ibi Apostolicas traditiones integras & illibatas, ut ab Apostolis traditæ fuerant, ad eas omnes, quos scriptis exagitat, exinde provocavit hæreticos, quos sciret eo solo tam patenti testimonio posse convinci.* Sozomenus l. 6. c. 22. *Qua de controversia Romanus Pontifex certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut unà cum Sacerdotibus, & Episcopis Occidentis Trinitatem, & Consubstantialem esse, & gloriâ æqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquieverunt, hæcque Controversia finem habere visa est* Sixtus II. PP. *Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino JESU Christo confessio est glorificata, & cujus fides nullam hæresin unquam fovit, sed omnes quidem hæreses destruit.* Omitto alia jam superiùs memorata.

Dices. Etiam ab alijs Episcopis, privatísque Synodis fuisse hæreses damnatas, ut ex Augustino constat, locis citatis; non ideò tamen

(a) Ibid. l. 2. c. 37. vide etiam l. 2. c. 10.

tamen sequi, sententias Episcoporum & particularium Synodorum esse irreformabiles; ergo ex hoc Capite non potest deduci Infallibilitas Summorum Pontificum.

Resp. Maximum esse discrimen inter sententias Pontificum, & inter sententias Episcoporum hæretin aliquam damnantium. Episcoporum enim sententiæ erant tantùm doctrinales, non verò dogmaticæ & ultimæ, árque irreformabiles; nec priùs valebant, quàm à Summo Pontifice confirmarentur; sententiæ verò Pontificum Dogmaticæ & ultimæ, nec poterant iterum in judicium, litémque vocari, adeò, ut si permissu Summorum Pontificum prædamnatæ à Pontifice hæreses iterum in Concilijs examinarentur, non id erat, quòd causâ à Romano Pontifice jam finitâ dubitare liceret, sed ut auctoritate tot Patrum, doctrinâ & sanctitate florentium, argumentisque ab eis tantâ efficaciâ & eloquentiâ productis hæreticorum pervicacia obrueretur. Id ita esse patet testimonijs eorundem Patrum. Nam S. Hieronymus: (a) *Hæc est Fides*, inquit, *Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quámque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minùs peritè, aut minùs cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri & fidem, & Sedem tenes.* S. Cyrillus Alexandrinus epistolâ ad Cœlestinum PP. *Quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hîc sentias, declarare.* S. Paschalis PP. (b) *Ajunt, in Concilijs statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* S. Innocentius I. PP. *Quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque Provincijs ageretur, non priùs Patres ducebant finiendum, nisi ad Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate pronuntiatio firmaretur.* S. Stephanus Archiepiscopus suo & trium Africæ Conciliorum nomine: (c) *Vestræ Sedi Episcoporum judicia, & summorum finem judiciorum Ecclesiasticorum in honorem Beatissimi Petri Patrum Decreta omnium cunctam reservavêre sententiam; antiquis enim regulis constitutum est, ut quidquid horum, quamvis in remotis ageretur Provincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis Vestræ fuerit deductum,*

(a) Habetur in Decr. Gratiani cap. quoniam 24. q. 1. (b) In capit. significâsti de elect. (c) In epist. ad Damas. PP.

ctum, ut ejus auctoritate juxta quod pronuntiatum fuerit firmaretur. S. Damasus: (a) *Nulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sint fulta Apostolicâ auctoritate.* Cœlestinus PP. in Instructione Legatis suis ad Concilium Ephesinum data: (b) *Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodire debetis, siquidem & Instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquuntur, ut interesse Conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententijs judicare debeatis, non subire examen.* S. Gelasius: (c) *Hoc robur obtinuit, quod in Synodo firmavit Sedis Apostolicæ auctoritas, quod refutavit, firmitatem habere non potuit.* Omitto sexcenta alia, ex quibus palàm est, latum discrimen à Patribus agnitum esse inter sententias Episcoporum, & sententias Romanorum Pontificum, hæreses aliquas damnantium, ut videl. istorum vellent esse ultimas & decretorias, illorum verò adhuc reformabiles, & judicio Pontificum, etiamsi in Concilio Oecumenico latæ essent, omninò subjectas.

Sed videamus nunc, quænam in particulari hæreses à solis Romanis Pontificibus extra Concilium Oecumenicum damnatæ sint.

Certum est, à Christi nativitate usque ad annum 325. quo Concilium Nicænum celebratum est, nulla fuisse Oecumenica Concilia celebrata, & tamen quàm plurimæ hæreses toto hoc annorum decursu & extitêre, & abolitæ, aut saltem damnatæ sunt. Et quamvis in particulari non semper ostendi possit, eas à Romano Pontifice damnatas esse, quippe flagrantibus persecutionibus, & Ecclesiâ Romanâ omnibus venis sanguinem fundente, otium non erat Romanis Pontificibus multa scribendi, & posterorum memoriæ commendandi; vix tamen dubium esse potest, auctoritate Summorum Pontificum fuisse confixas. Constat enim unâ parte testimonijs suprà productis, Ecclesiam supra fidem Petri ejúsque successorum fundatam esse, idque Patres primorum seculorum palàm professi sunt, nam præter dicta Sozomenus scribit: (d) *Julium ad eos, qui Antiochiæ convenerant, scripsisse, átque incusâsse, quòd contra leges Ecclesiæ eum ad Concilium non vocâssent, nam Legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronuntiat, acta illa irrita esse, quæ prater sententiam Episcopi*

(a) Epist. ad Stephanum. (b) Commonitor. Cœlest. à Balluzio nuper editum ex MM. SS. Codic. Colbertino & Vaticano. (c) S. Gelas. l. de vinculo anathem. (d) Lib. 3. hist. cap. 9.

Episcopi Romani constituuntur. Et ipse Athanasius ex persona Julij, cujus epistolam recitat: (a) *An*, inquit, *ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam jam egerunt, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt; non ita se habent Petri & Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste, & novum studium est. Quæ enim accepimus à B. Petro Apostolo, hæc vobis scribimus.* Ubi vides, hanc Pontificis Romani auctoritatem ad Apostolorum traditionem referri. Ex altera verò parte æquè constat, Pontificum in fidei causis sententiam adeò Ecclesiam Catholicam venerari solitam, ut qui eam non reciperent, teste S. Ignatio Episcopo Antiocheno, qui primo Seculo floruit: (b) *Qui his non obedit* (loquitur de SS. Cleto & Clemente) *Atheus prorsùs & impius sit, & Christum contemnit, & Constitutionem ejus imminuit.* At quæ est Christi constitutio, nisi illa? *Tu es Petrus*, &c. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, &c. *Pasce oves meas.* At hæc Christi constitutio aut de omnibus Petri successoribus intelligenda est, aut non est intelligenda de Cleto & Clemente, cur enim potiùs de Cleto, quàm de Alexandro, de Gregorio, de Innocentio? Cùm ergo constet, Romanis Pontificibus supremam in causis fidei decidendis auctoritatem concessam, eámque in primitiva quóque Ecclesia agnitam, summáque veneratione exceptam esse; quis dubitet, in profligandis hæresibus Summos Pontifices illâ non esse usos? Poterant, debebant, ergo fecêre, alioquin sancti non essent. Et ideò S. Irenæus de S. Clemente scribit: (c) *Dissensione non modicâ inter eos, qui essent Corinthi, fratres factâ, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & fidem eorum reparans, & annuntians, quam ab Apostolis receperant, traditionem.* Sic Cerdon & Valentinus hæresiarchæ (d) coram Hygino S. Pontifice hæreses suas recantârunt. Sic Theodotus hæresiarcha, Theodoreto (e) & Eusebio testibus, à Victore Pontifice damnatus, & Ecclesiâ ejectus est, quòd doceret, Christum hominem tantummodò, non etiam Deum esse. Idem Victor, ut habet Eusebius, *totius Asiæ Ecclesias, & alias finitimas* (quamvis traditionem Joannis Evangelistæ prætexerent)

(a) S. Athanas. apolog. 2. ad Orient. (b) S. Ignat. epist. ad Roman. (c) S. Iren. lib. 3. adu. hæres. cap. 3. (d) Anno 155. testibus Irenæo lib. 3. cap. 4. Eusebio lib. 4. cap. 10. (e) Anno 196. Theodoret. hæretic. fab. lib. 2. Eusebius lib. 5. hist. cap. 27.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tanquam alterius fidei & opinionis literis graviter objurgatas simul omnes à Communione Ecclesiæ semovendas duxit; quòd videl. celebrarent Pascha decimâ quartâ Lunâ, quacúnque die incidisset. Id verò quamvis Ecclesia Romana tolerâsset, postquam tamen verti in hæresin cœpit, & Judaismo ansam præbere (quod Nicephorus testatur) (a) quódque conniventia Ecclesiæ fuerat, pro necessitate ac debito jactari, (pari ferè ratione, quâ hâc tempestate de necessitate utriúsque in Communione speciei à Calvinistis disseritur) Victor necessariam esse severitatem credidit, quamvis ab ea sanctum Pontificem Irenæus vehementer dehortatus sit, potestatem quidem Pontificis agnoscens, sed usum restringi cupiens. Ubi nota, quamvis plurimi historici Ecclesiastici, videl. Eusebius, Irenæus, Nicephorus, Hieronymus, Photius, aliíque hujus rei meminerint, nullus eorum tamen scribit, Episcopos Victori hanc potestatem negâsse, sed tantùm hortatos esse, ut pacis causâ nimiâ severitate temperaret. Et temperavit quidem Victor, sed ejus sententia contra omnium Asianorum, & Synodi Ephesinæ Decreta omninò vicit, ac Nicæno Concilio confirmata est. Paulò pòst Zephyrinus (b) Victori succedens hæresin Montanistarum & Cataphrygum anathemate ferit, & præcipuum hujus hæresis Caput Tertullianum, quod ipsemet fatetur, (c) unde perpetuum Tertulliani in Pontifices odium, more omnium hæreticorum, Judicem, à quo plectuntur, aversantium. De ejusdem Zephyrini contra Cataphrygas Decreto hæc scribit Tertullianus: *Audio etiam, decretum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum dicit; ego & mœchiæ, & fornicationis delicta functis pœnitentiâ dimitto.* Ubi observas, jam tunc temporis, quamvis flagrante persecutione, Romanos Pontifices supremâ auctoritate suâ uti solitos esse, in materia videl. fidei (talis enim erat, de qua tunc temporis quærebatur, videlicet, an relapsi ad pœnitentiam recipi possent) Decreta, & quidem *peremptoria*, hoc est, definitiva proponendo, quibus omnes Christi fideles obedire tenentur; hæc verò Decreta, ut aliàs ostendi, infallibilitatem Pontificiam supponunt. Origenes à Dionysio Episcopo Alexandrino hæresis accusatus, fidei suæ professionem Romam ad Fabianum Ponti-

(a) Nicoph lib. 4. cap. 30. Tertull. de Præscript. cap. 53. Euseb. 5. hist. cap. 9.
(b) Anno 215. (c) Tertull. de jejun. cap. 1.

Pontificem misit: (a) sed cùm calamo fides non haberetur, ipse Romam accessit, (b) ratus, se hæresis notâ satis absolutum fore, si à Romano Pontifice reciperetur.

V. Cyprianus, omnésque ferè Africani Patres, à Stephano Papa (c) anathemate percussi, aut saltem territi, ob repetitum hæreticorum baptisma. Ubi planè enituit invicta Romanorum Pontificum auctoritas, quando contra torrentem Africanæ eloquentiæ, & sanctitatis, frustrà obnitente Cypriano (cujus in Ecclesia Catholica eâ tempestate summa veneratio) veritati suffragium tulit, effecítque, ut toto Orbe probaretur. Planè nunquam magis credi potuit, errâsse Pontificem, quàm cùm Cypriano, tótque, & tam numerosis Synodis (in quibus florem Catholicæ Religionis facilè collectum vidisses) adversatus est; vicit tamen, & pro illo veritas stetit. Quando errabit Pontifex, si tunc non erravit? num aliquando doctiores, sanctiorésque adversarios habebit, quàm Cyprianum, & tot alias Synodos Orientis? ergo si tunc, quando tam multi, robustíque impellebant, hæc Petra non cecidit, frustrà expectas aliquando casuram; stetit, stabítque, ut Petram decet.

Dices: Etiam post prolatam à Stephano sententiam, diráque intentatas nec Cyprianus, nec alij Africæ Episcopi acquievêre; non ergo credebant, Pontificem falli non posse.

Resp. De certamine Cypriani cum Stephano alibi dictum est, & dicetur posteà, cùm objectiones dissolvemus; nunc verò id solùm dico, Cyprianum, ejúsque assecias, si crediderunt Pontificem ex Cathedra docentem falli posse, omninò errâsse; neque id mirum est, aut absurdum; si enim errârunt circa Baptismum, cur non errare potuerint circa Pontificem? & si tu absurdum & falsum esse non credis, cùm dicitur, Cyprianum circa Baptismum errâsse, cur absurdum, & falsum esse credas, cùm dicimus, errâsse circa Pontificem? præsertim cùm nemo unquam falsam doctrinam pertinaciter defenderit, qui non hoc ipso cum Romano Pontifice bellum gesserit, jurato videlicet, & necessario mendacij hoste, ac vindice veritatis; ut adeò unum idémque sit, Pontifici bellum, & veritati indicere, quemadmodum unum idémque est, in leges & in Judicem offendere. Et verò ubi primus ille animorum ardor de-

(a) Anno 248. (b) Euseb. lib. 6. hist. cap. 28. 29. (c) Anno 258.

ferbuit, qui Cypriani, & Firmiliani calamos myrrhâ, & felle impleverat, rediitque serenitas agnoscendæ veritati necessaria; resipuit Cyprianus, totúmque illud agmen Africanorum, séque Pontifici Romano submisit. Cùm ergo Cyprianum habeamus, & errantem, & pœnitentem, quærimus ex Gallis, cur malint errantem sequi, quàm pœnitentem? Audi Augustinum: (a) *Correxisse autem Cyprianus istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quòd correxit, & fortâsse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Idem testatur clarissimis verbis S. Hieronymus de Episcopis, qui cum Cypriano decreverant, hæreticos rebaptizandos esse. Verba Hieronymi hæc sunt: (b) *Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti* (quæ habebat, non esse rebaptizandos hæreticos, & quâ maximè Stephanus nitebatur) *novum emisêre Decretum.* Et Crescónius Donatista objicit Augustino: (c) *Majores nostri* (Donatistæ videlicet) *ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum judicium rescinderunt, quo eis placuerat de illa quæstione* (an videlicet hæretici rebaptizandi essent) *Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere.* Cui respondet Augustinus: (d) *Paucos illos Orientales, quinquaginta videl.* (totidem erant Episcopi in Synodo Iconiensi Firmiliano præsidente) *non tantùm judicium suum rescidisse, verùm etiam correxisse.* De Dionysio quóque Patriarcha Alexandrino mutâsse eum sententiam, ac Stephano manus dedisse clarum videtur, tum ex familiarissimis ejus Epistolis ad Xistum Stephani successorem apud Eusebium: (e) tum quia adeò Stephani sententiæ accesserat, ut ne quidem *fratrem quendam ætate admodùm provectâ, & Baptismate apud hæreticos tinctum, sed pleno impietate, plenóque blasphemiæ, néque ullam omninò cum nostro habente similitudinem, sit ausus rebaptizare,* nisi permitteret Romanus Pontifex; sic enim epistolam ad Xistum concludit: *Profectò opus habeo Frater consilio Tuo, & sententiam Tuam expecto, ne fortè ipse hallucinet tali negotio ad me delato.* Ita Eusebius; patet ergo, Africanos Episcopos, eorúmque Coryphæos Firmilianum, & Dionysium sententiam

(a) August. epist. 48. ad Vincent. (b) S. Hieron. Dial. contra Luciferianos. (c) Crescon. lib. 3. cap. 2. (d) August. contra Crescon. lib. 3. cap. 3. (e) Euseb. lib. 7. cap. 9.

tentiam correxisse. Quando ergo Arelatense, quod multò post celebratum est, canone 1. decernit : *Afros propriâ lege uti, ut rebaptizent*, intelligendum est, ut bene notavit Sirmondus, non de quibuscúnque Catholicis Afris (quales erant Cypriani sectatores) sed de Afris Donatistis & Schismaticis ; & ideò in Concilio Romano ante Concilium Arelatense celebrato sub Melchiade Papa, Donato etiam ab Africæ Episcopis vitio datum, imò damnatus est, quòd *confessus esset se rebaptizâsse*, teste Optato Milevitano ; ergo certum est, eâ tempestate non fuisse apud Africanos moris, ut tincti ab hæreticis iterum tingerentur, alioquin quomodo ab Africanis Episcopis id soli Donato crimini verteretur ? Hæc omnia eò spectant, ut ostendamus, Africanos Episcopos, præsertim Firmilianum & Dionysium resipuisse. Jam Lectoris judicium esto, quorum æquior sit causa : adversariorum, qui errantes Africanos sequuntur, an nostra, qui sequimur pœnitentes ? Illud quóque ex Augustino addendum ; paucos fuisse, qui cum Cypriano Pontifici obluctabantur : (c) *Quinquaginta videl. Episcopi Orientales, & septuaginta Afri contra tot millia Episcoporum, quibus hic error* (Cypriani) *in toto Orbe displicuit.* Quæro jam iterum, utrum magis expediat paucorum errores amplecti, an multorum veritatem, imò tot millium Episcoporum, & totius Orbis consensum, qui Romani Pontificis sententiam venerati sunt ? Quanquam si verum dici oportet, nihil Stephanus ex Cathedra, & per modum Dogmatis definivit ; cùm enim Cyprianus Anno CCLVI. in secundo Carthaginensi Concilio, quò omnes Africæ Episcopi convenerant, solemni Decreto hæreticorum baptisma damnâsset, illúdque per literas Synodicas Stephano Papæ confirmandum misisset, Stephanus in hæc verba respondit : *Si quis à quacúnque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Quibus verbis planè contrariam Cypriani sententiam hæresis non damnavit, sed vetuit tantùm, *nihil innovari*, hoc est, antiquam Ecclesiæ traditionem, usúmque retineri, donec tota hæc quæstio in Concilio Universali decideretur, ut sæpe testatur Augustinus. Et meritò ad Concilium universale rejecta est, cùm enim potissima quæstio facti, non juris esset : *An videlicet rebaptizatio hæreticorum antiquæ totius Ecclesiæ consuetudini, & traditioni adversaretur*, meritò Concilium univer-

(a) S. August. contra Cresconium lib. 3. cap. 3.

universale expetebatur, ut videlicet singuli Episcopi de suarum Ecclesiarum usu ac consuetudine testari possent. Et quia pauci Episcopi Africani contra tot millium Episcoporum, imò totius Orbis sententiam (ut testatur Augustinus) non solùm privatam opinionem sustinebant, verùm etiam contra Decretum Pontificis Romani ne quidem operiri Concilium, & interim repetito Baptismo abstinere volebant, imò primam Sedem convitijs onerabant, planè sacro calamo indignis (qua de causa S. Augustinus (a) Cyprianum reprehendit) jure merito excommunicationem illis Romanus Pontifex Stephanus minatus est, non tamen inflixit, deprecante Dionysio Patriarcha Alexandrino; sic enim ipse testatur epistolâ ad Xistum Pontificem: (b) *Atque ut pro omnibus Episcopis illum deprecarer, epistolam scripsi.* De quo vide Schelstrate (c) & Alexandrum Natalem, (d) & simul adverte, moris fuisse, ut sanctissimi Episcopi excommunicationem apud Romanos Pontifices deprecarentur, eámque ne vibrarent dissuaderent; sic Irenæus Victorem, sic Dionysius Stephanum Pontifices rogârunt.

Ex hoc Cypriani conflictu magnum pro Infallibilitate Pontificia argumentum sumitur. Cyprianus tantâ doctrinâ, pietate, eloquentiâ, ingenio, ac insuper tot Episcoporum, & trium Synodorum votis subnixus, ubi tamen à Romano Pontifice secessit, in hæresin & errores prolapsus est, posteà ab Ecclesia damnatos; naufragium fecit, anchoram perdidit; quis ergo deinceps speret, se absque periculo & impunè à Romani Pontificis sententia defle-xurum, sibique stationem promittat Cypriano cadente? *Tu es Petrus, & super hanc Petram,* inquit Christus, *ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo super hanc Petram ædificium es, extra hanc Petram ruina.

VI. *Anno CCCLXXIII.* Primus Damasus hæresin Apollinaris, simúlque Timotheum & Vitalem Apollinaris discipulos extra Concilium Oecumenicum damnavit. Negabant isti Divinitatem Spiritûs S. Damasi verò Decretum fuisse peremptorium & decisivum, ac necessitatem Ecclesijs imposuisse, ut reciperetur, authenticis

(a) August. lib. 5. contra Donat. cap. 25. (b) Apud Euseb. lib. 7. cap. 5. (c) Schelstr. in antiquit. illustrata p. 2. dissert. I. cap. 5. a. 5. (d) Alex. Natal. ad seculum 3. Dissert. 12.

thenticis Documentis probari potest, ac insuper testimonio Ecclesiæ Gallicanæ. Theodoretus hæc habet: (a) *Damasus simul ut exortam hanc hæresin accepit, non Apollinarem solùm, verùm etiam Timotheum ejus discipulum abdicavit, quam rem etiam Episcopis Orientalibus significavit.* Damasus ipse in epist. ad Episcopos Orientis: (b) *Sciatis velim, Fratres, nos Timotheum ipsum cum impio ejus dogmate jam pridem abdicâsse, & ob eam causam credimus, impias ejus reliquias nihil in posterum momenti habituras. Jam enim semel formulam fidei edidimus &c.* Et post pauca: *Quid est, quòd abdicationem Timothei à me rursus requiratis, qui etiam hîc judicio Sedis Apostolicæ abdicatus est unà cum Magistro suo Apollinari? quòd si alios quosdam ad suam perducat sententiam, sciant illi, se cum illo unà perituros, ut qui animum induxerint Ecclesiæ Canoni repugnare.* Nota illa Damasi verba: *Jam pridem impium ejus dogma abdicavimus, quam ob causam credimus, ejus reliquias nihil imposterum momenti habituras.* Quæ causalis supponit omninò, sententias Pontificis Romani in causis fidei esse ultimas & irreformabiles, alioquin quæ esset consequentia? *Damnavimus dogma Apollinaris, ergo illud dogma nihil amplius momenti habebit?* Imò habebit, quia damnatio Pontificis revocari potest, & errori subjecta, nec certam fidem facit, nisi ab Ecclesia recipiatur; non ergo sufficit à Damaso damnatam esse. Sed & illa verba: *Sciant, se cum Apollinari unà perituros, &c.* eandem Infallibilitatem ostendunt. Ipsi Galliæ Episcopi ex hoc Damasi Decreto Pontificiam Infallibilitatem recentissimè agnoverunt, & Papæ Decreta *divinâ ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti professi sunt.* Sic enim ad Innocentium X. anno 1653. scribunt: *Perspectum enim habebat* (Zosimus videl. PP.) *non solùm ex Christi pollicitatione, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Apollinarem & Macedonium nondum ab ulla Oecumenica Synodo damnatos à Damaso paulò antè jactis, judicia pro sancienda Regula fidei à Summis Pontificibus lata, divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius etiam mentis obsequium præstare teneantur.* Néq; obstat, post Damasi definitionem in Concilio Constantinopolitano eandem Pneumatomachorum causam fuisse agitatam, damnatámque; néque enim id factum, quòd sententia Pontificis incertæ fidei esset, ac retractari posset, sed quia hæretici eâdem temeritate, quâ Spiritui Sancto sacræque Scripturæ, etiam Pontificum judicio

(a) Theodoret. lib. 5. cap. 10. (b) Theodoretus ibidem.

obluctabantur, & quid mirum, qui DEO & Scripturæ non credebant, non credidisse Pontifici? num ideò errare scriptura potest, quia hæretici scripturæ non credunt? Ut ergo eorum contumacia tot Patrum doctrinâ & pietate florentium testimonijs, ac insuper argumentis, quæ ab illis in medium proferebantur, vinceretur, permisit Papa, eandem causam in plenario Concilio agitari, cujus auctoritas licèt non sit major Pontificiâ in *decernendo*, ac *decidendo*, est tamen major in *docendo* & *instruendo*, ob præclaram scientiam, facundiam, ac Zelum Episcoporum, qui Concilio interfunt. Sicut ergo cùm Christus Apostolis dixit: *Paraclitus autem Spiritus, quem Pater mittet in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcúnque dixero* (Græcè εἶπον, hoc est, dixi, prout etiam Arabicus & Syrus habet) *vobis*; non ideò sequitur, Spiritum Sanctum majoris esse auctoritatis, quàm Christum, aut posse corrigere, quæ à Christo dicta sunt; sed tantùm, Spiritûs Sancti partes esse, insinuare, explicare, & credentium animos suaviter, fortitérque disponere, ut credant, quæ à Christo dicta sunt; ita Concilij partes sunt, non immutare Pontificum Decreta ad fidem pertinentia, sed solùm explicare, & fidelium animos doctrinâ, eloquentiâque, quæ in Concilijs abundant, permovere. Et hoc modo intelligendus est etiam S. Augustinus, quando, præcipuè in causa S. Cypriani, Concilium Universale toties commendat. Verbo, Papa est supra Concilium in *decernendo*, Concilium supra Papam in *docendo*, si non semper, at sæpè; quemadmodum major potest esse in Senatoribus & Consultoribus doctrina, jurisque peritia; at penès Judicem major, imò unica potestas judicandi, litémque finiendi. Et illud quóque observatione dignum, quod S. Hieronymus notat, videl. in Synodo Nicæna, quæ anno 325. celebrata est, nullam fieri expressam mentionem errorum Origenis, Valentini, Marcionis, Cataphrygarum, aut Manichæi, (a) *quos certè ante Synodum fuisse dubium non est.* Ex quo evidenter colligitur, Patres Nicænæ Synodi sententias Sumorum Pontificum pro indubitatis habuisse, alioquin cur eas hæreses intactas & indemnatas relinquerent, quas soli Pontifices damnâssent extra Concilium Universale? damnatas enim esse à Pontificibus, & ideò quóque ab Ecclesia rejectas patet tum ex ijs, quæ diximus, tum

(a) Hieron. epist. 65. cap. 1.

tum ex luculento Damasi testimonio, sic enim ad Stephanum Archiepiscopum Carthaginensem, & tria Africæ Concilia scribit: *Scitis, Fratres Charissimi, firmamentum à DEO fixum, & immobile suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum &c. nam ut nôstis, Synodum sine ejus auctoritate fieri non est Catholicum, néque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non fuerint ejus fulta auctoritate &c.* Et circa medium: *Cujus Sedis Apostolicæ ante omnia decebat eos* (Patres Concilij Ariminensis) *expectare Decretum.* Quæ tantùm abest, ut ab Episcopis improbata fuerint, ut ipsi potiùs ad eundem Damasum ita scriberent: *Notum facimus Vestræ Beatitudini, quòd quidam fratres venerabiles Episcopos vobis inconsultis à proprio dejiciunt gradu, cùm Vestræ Sedi Episcoporum judicia & summorum finem negotiorum Patrum decreta omnium cunctam reservavêre sententiam inquirendi reverentia de DEI rebus, quas omni curâ & solicitudine observare debemus.* Hæc omnia falsa sunt, si Pontifex errare, ejúsque sententiæ in materia fidei corrigi possunt; quomodo enim *finis negotiorum summorum* Pontifici reservatur, si aliud adhuc Ecclesiæ aut Conciliorum examen & judicium expectandum est? Quomodo Sedi Romanæ *Patrum Decreta omnium cunctam reservavêre sententiam*, si post ejus sententiam, quia errare potest, alijs sententijs locus est? Quomodo nulla *Concilia rata leguntur, quæ non fuerint Sedis Apostolicæ fulta auctoritate*, cùm potiùs Sedis Romanæ judicia non sint rata ex mente adversariorum, nisi Conciliorum auctoritate fulciantur?

Anno CCCXC. Emersit, larvámque deposuit hæresis Jovinianī. Eam S. Hieronymus acri, flammatóque stylo confixit, crederes non tam scribere, quàm tonare; sed dum totus est in extollenda Virginitate, visus est in extrema prolabi, & matrimonium quóque aversari, unde multorum in Hieronymum querelæ, quas ille scriptâ apologiâ delevit. Siricius verò Papa, ubi eam hæresin detexit, coactâ Romæ Synodo continuò damnavit, datísque litteris ad S. Ambrosium, nam Mediolani quóque grassabatur, pro damnata haberi eam voluit. Sic enim scribit: *Nos sanè nuptiarum vota non aspernanter accipimus, sed Virginum nuptias majore honorificentiâ honoramus. Facto igitur Presbyterio* (hoc est Synodo) *invenimus, ea doctrinæ nostræ, hoc est, Christi esse contraria, unde omnium nostrûm tam Presbyterorum & Diaconorum, quàm totius Cleri una lata fuit sententia, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis,*

Genialis, divinâ sententiâ & nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. Quod custodituram Sanctitatem Vestram non ambigens haec scripta direxi. Ubi etiam nota, Siricium Pontificem pro eodem habere, Dei & Papæ judicium. Respondit Ambrosius suo & Mediolanensis Synodi nomine: (a) *Recognovimus litteris Sanctitatis Tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam Tibi januam servas, & piâ solicitudine Christi ovile custodis, dignus, quem Domini oves audiant & sequantur.*

Anno CCCCI. Anastasius Papa Rufinum Origenistarum Coryphæum Romam vocat ad causam dicendam; sed tergiversantem, & comparere renuentem (quippe haud ignorabat, si semel Romæ haeresis notaretur, se toto Orbe Catholico abominationi, & pro haeretico habitum iri) haeresis damnat, & unà Infallibilitatem Pontificiam egregio testimonio sancit; audi Hieronymum, & posteà ipsum Anastasium; Hieronymus ergo haec de Rufino scribit: (b) *Innocentem te vocas, ad cujus interpretationem* (transtulerat enim Origenis Periarchon) *Roma contremuit? Absentem, qui accusatus respondere non audet, & in tantum Romanæ Urbis judicium fugis, ut magis obsidionem Barbaricam, quàm pacatæ Urbis velis sententiam sustinere?* Anastasius verò epist. ad Joannem Hierosolymorum Episcopum haec habet: *Absit haec ab Ecclesia Romana nequaquam Catholica disciplina. Nunquam profectò eveniet, ut aliquâ hos admittamus ratione, quod jure, meritóque damnamus. Quapropter in toto Orbe Christi DEI diffusa providentia probare dignabitur, accipere nos omninò non posse, quæ Ecclesiam maculent. Mihi certè cura non deerit, Evangelij fidem circa meos custodire populos, partésque populi mei, per quæq; Orbis terrarum spatia diffusas, quantum possum, litteris convenire, ne qua profanæ Interpretationis origo subrepat.* Audis, profiteri Anastasium: *Nunquam per Christi providentiam eventurum, sed nec evenire posse, ut Romanus Pontifex recipiat, quæ Ecclesiam maculent.* Quid est hoc aliud, quàm infallibilem esse?

Anno circiter CCCCXVI. Innocentius Primus haeresin Pelagianam damnavit extra omne Concilium Oecumenicum, & teste Augustino insigne Infallibilitatis Pontificiæ documentum post se reliquit. Sic enim de Innocentio apud S. Prosperum: (c) *Constituimus, in Pelagium atque Cœlestium per venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Sede prolatam manere sententiam.* Et Gennadius: (d) *Multos Cata-*

(a) V. Epistolas Rom. Pontificum Tomo I. (b) S. Hieron. apolog. in Rufin. (c) S. Prosper adv. Collator. (d) Gennad. de viris illustr. cap. 43.

Cataphrygas (Innocentius videlicet) *& Pelagium ac Cœlestium invenit hæreticos, & damnavit eos, & hoc constituit, ut qui natus fuerit de Christiana, rursus nasci debeat per Baptismum, hoc est, baptizari debeat, quod Pelagius damnabat.* Idem S. Prosper: *Tunc Pelagianorum machinæ fracta, quando B. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.* S. Augustinus *l. 2. contra Pelagium & Cœlestium c. 7. Cœlestius B. Papæ Innocentij non est ausus literis obsistere, imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* Et lib. 2. cap. 3. contra duas epistolas Pelagianorum: *Per Papæ Rescriptum causa Pelagianorum finita est, totóque Orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentij tota de hac re dubitatio sublata est.* Et contra Julianum l. 1. c. 4.. *Puta, eam tibi partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Nihil enim potuit Vir ille Sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia.* Et serm. 2. de verbis Apostoli: *Jam enim de hac causa* (hæresi videlicet Pelagiana) *duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam Rescripta venerunt; causa finita est, utinam etiam error finiatur?* Quomodo dici potest per Rescripta Apostolica *causa finita esse*, si judicia Romani Pontificis errori subjecta sunt, si examinari debent, si consensu Ecclesiæ, si sententiâ Concilij Oecumenici indigent? an Pelagiani respondere non poterant, *nullo modo causam finitam esse*, quippe in nullo Oecumenico Concilio damnatam; nam Concilia, quorum Augustinus meminit, fuerunt solùm Provincialia? Ipsi denique Gallicanæ Ecclesiæ Antistites litteris ad Innocentium X. datis: *Innocentius I. Pelagianam hæresin*, inquiunt, *damnavit olim ad Episcoporum Africæ relationem; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresin ex adverso Pelagianæ oppositam Innocentius X. auctoritate suâ proscripsit &c.* Vides, non solùm novum exemplum damnatarum ab Innocentio hæreseon, sed etiam Infallibilitatem Romani Pontificis palàm assertam, quid enim aliud sonant illa Augustini verba: *Per Papæ Rescriptum causa Pelagianorum finita est, ac litteris Innocentij tota dubitatio sublata.* Et illa: *Puto, eam tibi partem Orbis sufficere debere, in qua primus Apostolorum martyrio coronatus est.* Et illa: *Nil potuit vir ille sanctus* (Innocentius) *Africanis respondere Concilijs, quam quod antiquitùs Apostolica Sedes tenet &c.*

Anno CCCCXVIII. Cœlestius Pelagianus, cùm pollicitus esset B. Innocentij sententijs acquiescere, posteà verò eandem hæresin redoleret, iterum Carthagine in Synodo 214. Patrum damnatus est; sed cùm ab hac Synodi Carthaginensis sententia appellâsset, Zosimus Pontifex appellationem recepit; causa recipiendæ appellationis, teste Augustino: (a) *Quòd Cœlestius litteris B. Innocentij Papæ, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit, & propterea Libellus ejus Catholicus dictus est.* Sed cùm Romæ Cœlestius recusaret, errores, quà famâ, quà proprijs scriptis sibi impositos damnare, Zosimus Papa, & Cœlestio, & hæresi Pelagianæ extremum vulnus inflixit, adeò, ut post Zosimi Decretum toto Orbe deleta sit. Audi eorum temporum scriptores, qui & hoc testantur, & Pontificiæ Infallibilitati insigne suffragium præstant. S. Prosper: (b) *Concilio*, inquit, *apud Carthaginem habito ducentorum decem, & septem Episcoporum ad Pontificem Zosimum Synodalia Decreta perlata sunt, quibus probatis per totum Orbem hæresis Pelagiana damnata est.* Ipse Zosimus Pontifex epistolâ ad Aurelium & Episcopos Carthagine congregatos: (c) *Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper, regulâsque servaverit; tamen cùm tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultrò litteris referimus, non quia, quid deberet fieri, nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiæ veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum &c.* Nihil poterat pro Infallibilitate clariùs dici, qui enim falli posse Pontificem dicunt, consequenter etiam volunt, *de Pontificis judicio disceptari, ejúsque sententiam retractari posse*; id verò Zosimus negat; & quod Pontifices congregari subindè Concilia permittant, non id necessitatis esse, aut ignorantiæ, *quasi quid deberet fieri nesciat, aut aliquid contra utilitatem Ecclesiæ decernere possit; sed ut fraterna Charitati consulat.* Hæc omnia adversarios manifestè confundunt. Paulinus Diaconus epistolâ ad eundem Zosimum PP. *Beatitudinis Tuæ justitiam obsecro, Domine Zosime Papa Venerabilis; nunquam Fides vera turbatur, & maximè in Ecclesia Apostolica. Cui non sufficit ista sententia?* Pontificis videlicet Romani) *quis hanc tam salubrem, tam amplexabilem, tam piam*

(a) S. Augustin. ad Bonifac. contra litter. Pelagij lib. 2. cap. 3. (b) S. Prosper. in Chron. (c) V. integram epistolam apud Baron. ad ann. 418. n. 5.

piam respueret alius, nisi qui à fide devius est? Hæc omninò infallibilitatem Pontificiam sonant, alioquin & *fides Cathedræ Romanæ turbari posset*, nec esset *à fide devius*, qui Pontificijs Decretis non acquiesceret, nec *sufficeret Romana sententia.* Ipse S. Augustinus l. 2. retractat. c. 50. testatur, postquam Innocentius, & Zosimus Summi Pontifices doctrinam Pelagij ut hæreticam damnârunt, omnes Catholicos eos pro hæreticis habuisse.

Anno CCCCXXX. Nestoriana hæresis palàm erumpere, larvámque deponere cæpit. Et Cyrillus Alexandriæ Episcopus ut primùm comparentem vidit, gravissimis scriptis confutavit, nec tamen priùs Nestorium pro hæretico habere, ejúsque Communione abstinere ausus est, quàm Cœlestini Pontificis sententiam exquireret. Hic verò indictâ Romam Synodo non solùm Nestorium, hæresinque Nestorianam confixit, totóque Orbe proscriptam voluit, verùm etiam Patribus Synodi Oecumenicæ Ephesinæ, quid in hac causa definire eos oporteret, præscripsit, prohibuítque, ne à sententia Romana vel latum unguem abscederent. Quid amplius cupias pro asserenda suprema & infallibili in causis fidei Pontificum auctoritate? si enim falli Pontifex potest, cur asserit Cyrillus, se nullâ aliâ ratione de Nestorio damnando certum reddi posse, quàm ex sententia Pontificis? & quid est aliud, esse infallibilem, quàm esse certum? & si potest errare Pontifex, cur non possit à Concilio corrigi? & si corrigi potest, cur prohibet, ne aliter Concilium judicet, quàm Papa judicavit? Planè tam sunt invicta Infallibilitatis Pontificiæ hæc argumenta, ut desiderari majora non possint. Sed testes audiamus. Cyrillus ergo epistolâ ad Cœlestinum (cujus hoc initium: *Si in rebus usque adeò serijs*) hæc scribit: *At quamvis ita res habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter deferere ausi fuimus, quàm hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hîc sentias, declarare, quò liquidò nobis constet, communicarène nos cum illo oporteat, an verò liberè ei denuntiare, neminem cum eo communicare, qui hujusmodi erroneam doctrinam prædicat.* S. Cœlestinus epistolâ ad Nestorium, quæ in Concilio Ephesino summis laudibus excepta est, & quam Evagrius (a) divinam appellat circa finem: *Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi hanc perfidam novitatem intra decimum diem*

(a) Evagr. lib. 1. cap. 4. Baron. anno 430.

diem apertâ & scriptâ confessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiæ Catholicæ communione dejectum scias, quam formam nostri judicij per filium meum Possidonium Diaconum destinavimus, ut agat vice nostrâ, quatenus statutum nostrum vel tibi, vel universis Fratribus innotescat. Et in Commonitorio (a) suis Legatis ad Concilium Ephesinum dato, quod nuper Stephanus Balluzius edidit: *Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodire debetis, & conventui interesse, ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententijs judicare debetis, non subire examen.* Idem Cœlestinus epistolâ ad Synodum Ephesinam datâ: (b) *Direximus pro nostra solicitudine sanctos Fratres & Consacerdotes nostros, qui ijs, quæ aguntur, interfint, & quæ à nobis antea statuta sunt exequantur, quibus præstandum à vestra sanctitate non dubitamus assensum.* Et Projectus Cœlestini Legatus: *Litterarum S. Papæ Cœlestini Episcopi formam vestra sanctitas consideret, ut ea, quæ & dudum antè definire, & nunc in memoriam revocare dignatus est, juxta communis fidei regulam ad finem deduci jubeatis.* Et ibidem Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus: *Apostolica & sancta Sedes Cœlestini sanctissimi Episcopi per litteras, quas misit etiam antè de præsenti negotio, sententiam, regulámque præscripsit, quam nos quóque secuti formam illam executioni mandavimus, Canonicum Apostolicúmque judicium in illum exequentes.* Vides, tantum abesse, ut Pontificum sententiæ tanquam errori obnoxiæ judicari, corrigique à Concilio debeant, ut potiùs illæ *normæ* ac *regulæ* sint, ad quas Concilij Decreta exigi debeant, erratura & abolenda, si illis non respondeant; nec alias esse Concilij partes, quàm ut Pontificum sententias jam priùs prolatas *exequantur*, sic enim Cœlestinus, ejúsque Legati, imò & Patres Concilij profitentur. Quòd si Concilium à Pontificis sententia deflectat, non Pontifex errabit, sed Concilium: nec sententia Pontificis corrigi, sed Concilij debebit, quod tum ex allatis testimonijs constat, tum etiam luculento exemplo, quod in eadem Synodo Ephesina proditum est. Cùm enim Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus ob celebritatem ejus Urbis contra Cæsarienſis Episcopi jura Primatum totius Palestinæ affectâsset, ac etiam communi totius ferè Synodi suffragio obtinuisset, obstitêre Legati Apostolicæ Sedis, & auctoritate, quâ supra Concilium pollebant, Decretum Synodi abolitum voluêre, id quod

(a) Commonit. Cœlest. apud Balluz. ex M. S. Cod. Colbertino, & conservato in Bibliotheca Vaticana. (b) Habetur in actis Synodi Ephes. p. 2. act. 2.

quod S. Leo Magnus memorat, simúlque quantum Pontifex Romanus Concilio præstet, his verbis memoriâ dignis ostendit: (a) *Quoties*, inquit, *ob incurrentes causas Generalis Congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est, ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere, sicut etiam in Ephesina Synodo Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Principatum credidit, se posse sufficere, quod sanctæ memoriæ Cyrillus meritò perhorrescens multum popposcit scriptis suis, ut illicitis conatibus nullus præbeatur assensus. Hoc tamen proprium definitionis meæ est, ut quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorundam subreptionem decernat, id justitiæ consideratione cassetur.* Iterum sæpè memoratus S. Cœlestinus Papa epistolâ ad S. Ephesinam Synodum: *Tandem malorum sine gaudendum est, tandem iniquè loquentium os videmus esse obstructum. Hujusce tamen fideliter peractæ rei vos executores ac defensores nobiscum videamus fuisse fidei Sacerdotes.* Ubi iterum vides, non alias esse Concilij partes, quàm ut *exequatur*, quæ à Summo Pontifice definita sunt. Unde facilè respondetur Ludovico Dupino interroganti: *Si Pontifices infallibiles sunt, quid opus cogi Concilia?* Cui respondeo, cogi Concilia, non ut retractent, revocéntque jam semel à Pontificibus definita, sed ut exequantur, ut illustrent, ut compellant, útque ab hæreticis objecta, quâ valent eloquentiâ & ingenio, refutent, prout clarissimè in Concilijs Nicæno & Ephesino apparuit, in quibus Christianæ fidei Dogmata præclarissimis argumentis non tantùm definita, sed etiam illustrata & munita sunt. Non ergo convocantur Concilia, ut Pontificum Decreta examinent, vera an falsa sint, sed ut eorum veritatem magis, magísque illustrent; quemadmodum cùm sacrarum Scripturarum sententias ad examen vocamus, non id agitur, ut de eorum veritate dubitetur, sed ut eadem veritas, quam illæ complectuntur, omnibus perspecta fiat, omníque argumentorum genere conspicua evadat: nam & qui telescopijs, aliísque instrumentis solem intuetur, non dubitat, an sol existat, luceátque, sed id agit, ut solem existentem & lucentem magis, magísque agnoscat. Et quoties unum, idémque dogma in diversis Concilijs Oecumenicis examinatum, discussúmque est? num ideò prioris Concilij dubia fides, & errori obnoxia? sic contra hæresin Arrianam post Nicænam Synodum etiam in Synodis Sardicensi, & Ari-

(a) S. Leo epist. 62. Baron. ad ann. 431. n. 103.

Ariminensi actum est. Sic hæresis Nestoriana non solùm in Synodo Ephesina, verùm etiam in Chalcedonensi & Constantinopolitana iterum, iterúmque damnata est; & de una, eadémque fidei veritate quàm multi Prophetæ vaticinati sunt? num ideò priorum Prophetarum falsa vaticinia, aut dubia, quia alij idem cecinêre? Nihil ergo Pontificum auctoritati obstat, quòd, quæ ipsi definiverant, alia Concilia postmodùm æquè deciderint, præsertim cùm eorum decisiones, nisi Pontificis Romani auctoritas accederet, vanæ irritæque haberentur. Sed quid opus argumentis, quando ex allatis Patrum testimonijs constat, Concilia exequi tantùm solita esse Pontificum Decreta, nec illis licuisse aliud pronuntiare, quàm Roma præscripsisset? Quæ testimonia sive Dupinus legit, sive non legit, æquè reus est; si enim legit, quantæ pertinaciæ est, agnoscere veritatem, nec tamen admittere? si non legit, quantæ temeritatis scribere, quæ ignoret? Et planè legenti Dupinum palàm est, non aliam ei metam fuisse, quàm Maimburgi argumenta (quæ in libello de Privilegijs Ecclesiæ Romanæ recitaverat) exscribere, & Latinitati tradere, nullâ interim veritatis aut curâ, aut notitiâ. Sed hæc ex dicendis adhuc clariora evadent.

VII. *Anno CCCCXLIX.* Celebrata est Synodus Chalcedonensis, cujus occasione non solùm auctoritas Romani Pontificis in damnandis etiam extra Concilium Oecumenicum hæreticis, ac statuendis fidei dogmatibus, verùm etiam summa Infallibilitas multifariàm enituit, multisque testimonijs & exemplis probata est, ut ex dicendis patebit. S. Leo ad Patres Ephesi in causa Eutychetis congregandos: (a) *Fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum misi, qui vice meâ sancto Conventui interfint, & communi vobiscum sententiâ, quæ Domino sint placitura, constituant. Hoc est, ut primitùs pestifero errore damnato etiam de ipsius, qui impudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen sensus hæreticos, quibus imperitia ejus fuit irretita, planè, apertéque propriâ voce & subscriptione damnaverit, quod etiam in Libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram se esse sententiam secuturum.* Vides, Leonem jam prædamnâsse extra Concilium hæresin Eutychetis, nec suam jam priùs prolatam sententiam Concilij arbitrio aut judicio subjicere, sed potiùs & modum, & substantiam

(a) S. Leo epist. 15.

substantiam, quo procedere debeant, præscribere; num hoc aut Leo faceret, aut Concilium pateretur, si errare Pontifex posset? si infrà Concilium esset? nec enim minor majori præscribit, nec is, qui errare non potest, ab eo se doceri, ducique & imperari permittit, qui errare potest. Idem S. Leo epistolâ ad Patres Synodi Chalcedonensis: (a) *Tamen in his Fratribus, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo Vestra Fraternitas existimet præsidere, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & jam dudum fidei Catholicæ prædicatione non desum, ut, qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde Fratres charissimi, rejectâ penitùs audaciâ disputandi contra fidem divinitùs inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi; cùm secundùm Evangelicas veritates, secundùm Propheticas voces, Apostolicámque doctrinam plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad B. memoriæ Flavianum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri pia & sincera confessio.* Si errare Pontifex potest; si Concilio subjectus est, cur non liceat ejus epistolam examini subjicere? cur illi Patres Concilij adstricti sint? quænam ergo sunt notæ Infallibilitatis, si hæ non sunt? & quid ampliùs præstare Pontifex debet, ut credatur Concilio major, expérsque erroris? Dicant adversarij, si quid habent, & si non habent, cedant veritati. Martianus quóque Imperator Oratione ad Concilium habitâ: *De cætero autem nemo de nativitate Domini aliud disputare audeat, præter quod Apostolicum prõemium trecentorum decem & octo Patrum consonans huic doctrinæ tradidisse noscitur, sicut Sanctissimi Papæ Leonis, qui Apostolicum gubernat thronum, ad sanctæ memoriæ Flavianum testantur litteræ.* Et Valentinianus Imperator epistolâ ad Theodosium: (b) *Fidem, quam à nostris majoribus traditam accepimus, debemus cum omni devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam conservare, quatenus Beatissimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui Principatum super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de Fide ac Sacerdotibus judicandi. Hâc enim gratiâ secundùm solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta est de Fide.* Et Galla Placidia ad eundem Theodosium Filium: *Hâc itaque gratiâ mansuetudo Tua tantis malis resistens veritatem immaculatam fidei Catholicæ Religionis servari præcipiat, ut secundùm formam & definitionem Apostolicæ Sedis in statu Sacerdotij illæso*

(a) Leo epist. 47. (b) Extat Tomo 1. Conciliorum ante Concil. Chalced.

illæso manente, Flaviano ad Concilij (non Oecumenicum, sed Romanum & nationale Italiæ, quod Leo Romam indixerat) *& Apostolicæ Sedis judicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claves dignus fuit accipere, Principatum Episcopatûs ordinavit.* Vides hîc iterum, judicia in causis fidei Romanæ Sedi committi, reservarique, & ad illius præscriptum & normam instituenda esse, quæ utique summa est Infallibilitatis nota, cùm oporteat regulam & normam erroris expertem esse.

Néque dicas: Summos Pontifices more aliorum Episcoporum sententias quidem ferre in causis fidei, sed non ultimas, nec infallibiles & peremptorias, has enim Concilio reservari.

Respondeo, allata Patrum testimonia nimis esse clara, ut tam inanibus & ridiculis distinctionibus eludi possint. Si enim Pontificum sententiæ in causis Fidei non sunt decretoriæ, & definitivæ, sed solùm doctrinales; cur Patres sub pœna anathematis eas recipi toto Orbe terrarum jubent? cur illis adstringunt Concilia, nec permittunt in dubium vocari? cur toties protestantur, non valere Conciliorum Decreta, nisi à Pontificibus confirmata? & quænam est censenda ultima & definitiva sententia, quæ nullam aliam expectat, à qua confirmetur? (quales sunt sententiæ Romanorum Pontificum) an quæ aliam expectat, à qua necessariò pendeat, quales sunt omnes Sententiæ Conciliorum, ut suprà ostendimus? Et denique potestatem Romanorum Pontificum causas fidei decidendi Patres in speciali privilegio fundant Cathedræ Petri; at verò Judicium ferre tantùm doctrinale, quódque examinari, corrigíque possit, nec priùs certum reddatur, quàm Ecclesia illud acceptet, non est speciale Privilegium Sedis Apostolicæ, sed cujuslibet Episcopi, imò & privati Doctoris, Theologiâ utcúnque imbuti. Sed age jam alios quóque testes audiamus. Theodoretus epistolâ ad Renatum Cardinalem: (a) *Hac igitur de causa*, inquit, *tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo atque Beatissimo Archi-Episcopo Tuo, ut Apostolicâ utatur auctoritate, & præcipiat, ad vestrum convolare Concilium. Habet enim Sanctissima illa Sedes omnium per orbem terrarum Ducatum, & Principatum, multis quidem ex causis, præcipuè verò, quòd hæreticâ labe immunis permansit, & nullus, qui contraria sentit veritati, in illa unquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram & immaculatam servavit. Quæ enim*

à nobis

(a) Theodoret. epist. 116. apud Baronium an. 449. n. 124.

à nobis decernuntur, contenti his erimus, & illis acquiescemus, quæcunque illa fuerint, vestro justo judicio confisi. Si teste Theodoreto *Primatus Romanæ Ecclesiæ præsertim in eo consistit, quòd hæreticâ labe immunis permansit, & nullus in ea sedit, qui contraria sensit veritati;* sequitur, ut quemadmodum semper penès Romanam Ecclesiam Primatus stetit & stabit, ita etiam semper Romana Sedes, & immunis fuerit, & immunis futura sit ab omni hæresi & errore; in hac enim Immunitate Primatus Pontificius (qui salvâ fide negari non potest) teste Theodoreto consistit; sed hic Primatus est perpetuus, ergo etiam perpetua ea Immunitas. Illud quóque insigniter ostendit, quàm præcipuæ sint partes Romani Pontificis in damnandis hæresibus, multóque supra Concilium; quòd cùm in Synodo Chalcedonensi omnium Patrum suffragio formula & confessio fidei contra hæreses Eutychetis contexta esset, eámque pertinacissimè Patres defenderent, adeò ut contentâ voce clamarent: (a) *Definitio omnibus placet, hæc Fides Patrum, qui aliter sentit, anathema sit; altera Definitio non sit;* Legati nihilominùs Romani Pontificis eam semper respuerunt (quòd videlicet non omninò Leonis epistolæ consentanea esset) parati Concilium dissolvere, ac re infectâ Romam reverti: *Si enim,* inquiebant, *non consentit Epistolæ Apostolicæ, & Beatissimi Viri Papæ Leonis, jubete nobis rescriptam dari, ut revertamur.* Ipsi quóque Concilij Judices: *Ergo addite Definitioni secundùm judicium Sanctissimi Papæ nostri Leonis, duas esse naturas unitas in Christo inconvertibiliter, inseparabiliter & inconfusè.* Assensérunt Patres, aliámque Fidei formulam ex præscripto Leonis ediderunt. Quæro jam, quid apertius & efficacius dici possit pro superioritate Pontificis supra Concilium, próque ejus Infallibilitate? Si Pontifex Concilio subjectus est, cur imperat, non obsequitur? cur cogit? cur præscribit? & si non patitur, Patres Concilij aliter in rebus fidei loqui aut scribere, quàm ipse loquatur & scribat; quantò minùs pateretur, aliter sentire, aliter credere? Denique S. Gelasius Pp. opusc. de anathemate: *Cognoscant igitur illud* (Concilium videlicet Chalcedonense) *secundùm Scripturas sanctas, traditionémque Conciliorum pro fide communi & veritate Catholica, & Apostolica, pro qua hanc fieri formam Sedes Apostolica delegavit, factámque firmavit, à tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem, quæ Sedes Apostolica nullatenus delegavit, mox à vicarijs Sedis Apostolica*

(a) Acta Conc. Chalced. act. 5.

lica contradicta manifestum. Quid clarius dici poterat? Nihil videlicet in Concilijs etiam Oecumenicis definita valere, nisi à Sede Apostolica priùs præscripta fuerint, & posteà confirmata.

Objcies 1. Sophronius (a) ex S. Gregorio narrat, Leonem cùm epistolam dogmaticam contra Eutycheten, & Nestorium scripsisset, eam Apostolorum tumulo cum his verbis imposuisse: *Si quid ut homo, vel minùs cautè posui, Tu, cui à Domino Salvatore nostro hæc Sedes commissa est, emenda.* Post quatuor verò dies, quos inter preces & vigilias consumpserat, Apostolum apparuisse ac dixisse: *Legi & emendavi.* Quam cùm Leo aperuisset, legissétque, *Apostolicâ manu emendatam* inveniisse. Nisi ergo Petrus emendâsset, Leo in rebus fidei tradendis errâsset; cur ergo non possint alij Pontifices errare, doctrinâ & pietate Leone inferiores, & quorum epistolas non solet Petrus emendare?

Resp. Priùs oporteret istarum visionum veritatem ostendi, quàm ex illis argumentari; nec enim potest esse certa, & necessaria consequentia ex incertis, dubijsque principijs: & nos certa, non dubia quærimus, nec ex visionibus, sed ex traditione, Patrúmque doctrina argumenta petimus; mirúmque est S. Leonem nihil de hac Petri emendatione dixisse, quo fidem epistolæ suæ adstrueret; fuissétque operæ pretium, quando videlicet Eutychiani eandem epistolam corruperunt, adeò ut Nestorianismum redolere, multísque in Ecclesia Alexandrina suspecta hæresis videretur; quæ causa fuit, ut B. Leo (b) datis ad Martianum literis Imperatorem rogaverit, curaret epistolam suam fideliter in Græcam linguam transferri. Sed demus, hanc visionem certam esse; quis nescit potuisse emendari epistolam, non quòd errorem aliquem fidei contineret, sed quia tamen mysterium aut non plenè, aut non clarè, aut verbis mysterio imparibus explicabat? nam & domum, & imaginem, & faciem emendamus, integrâ, nec mutatâ substantiâ. Imò hoc ipsum ostendit, quantâ, quàmque speciali providentiâ DEUS Pontificio calamo moderetur, ut quantumvis humano aliquo errore tangatur, non permittat tamen, eum in Ecclesiæ perniciem vulgari, sed illum quovis modo emendet, seu miraculo, seu speciali revelatione, qualis & Petri fuit, de quo Christus: *Beatus es Si-*

(a) Sophron. Prato spirit. 147. (b) S. Leo epist. 69. Baron. ad ann. 454.

Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et Caiphæ Summi Sacerdotis, qui licèt impijssimus, & in ipso procinctu flagrantis Deicidij, prophetavit tamen privilegio Pontificatûs. *Prophetavit,* inquit Evangelista, *quia Pontifex erat anni illius.* Si prophetavit Caiphas, quantò magis prophetabit Innocentius, prophetabit Alexander, ubi non de occidendo DEO, sed fide stabilienda agitur?

Objicitur II. Epistola Dogmatica S. Leonis à multis impugnata est, nec priùs admissa, quàm post longum examen; id enim S. Leo testatur epistolâ ad Theodoretum: (a) *Gloriamur,* inquit, *in Domino, qui nullum nos in nostris Fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro priùs ministerio definiverat, universa Fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut verè à se prodijsse ostenderet, quod priùs à prima Sede firmatum totius Christiani Orbis judicium recepisset. Nam ne aliarum Sedium consensus assentationis esse videretur, inventi prius sunt, qui de nostris judicijs ambigerent. Et dum nonnulli à Dissensionis incitati auctore ad contradictionis bella prosiliunt, ad majus bonum malum ejus perventum est. Ipsa quóque veritas clariùs enitescit, dum, quæ fides priùs docuerat, posteà examinatio confirmat. Multùm denique Sacerdotalis officij meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* Si ergo doctrina Leonis, quam in Dogmatica sua epistola expresserat, in dubium & ad examen vocata est, sequitur, quòd non crediderint Patres, Leonem errare non posse; quis enim rem certam examinet? Sic etiam Eusebius Mediolanensis Episcopus coactâ Synodo eandem epistolam ad normam Traditionis exegit; sic enim ad Leonem scribit: *Recitatâ epistolâ, quam ad Orientem Sanctitas vestra transmiserat, claruit, eam Prophetarum assertionibus, Evangelicis auctoritatibus, Apostolicæ doctrinæ testimonijs, omnibúsque sensibus convenire, quos Beatus Ambrosius suis libris inseruit.* Ex his Alexander Natalis concludit, (b) summi quidem Pontificis partes esse: *Ut causas fidei ad Synodum referat, ut formam edendæ Definitionis in causa fidei concipiat, ut in fide, & pace Ecclesiarum constituenda à sacris scripturis, à Canonibus, à traditione majorum nullo pacto discedat; quod, utrum ita se habeat, expendere partes Concilij erunt, & ita non priùs Decreta Pontificum rata & certa esse, quàm à Concilio confirmentur.*

Resp.

(a) S. Leo epist. 65. (b) Alex Natal. ad Seculum V. Dissert. 12.

Resp. Hæc Objectio multa complectitur, quæ sigillatim sunt examinanda. *Primò. Epistola*, inquit, *Leonis, diu multúmque priùs examinata est, quàm reciperetur.* Esto; sed nego, omne examen, omnémque disputationem esse de re incerta, dubiáque. Quanto studio, quantísque disputationibus sacras litteras examinamus, earúmque mysteria discutimus, ac innumeris objectionibus exercemus? Num ideò incertæ veritatis sunt, & qui illas dictavit Spiritus S. errori obnoxius est? Et Christus Joannis 5. *Scrutamini scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Num verba & prædicatio Christi dubiæ fidei, quia eorum veritas ad testimonia Prophetarum examinanda erat? Quàm multis, varijsque instrumentis Astrologi Solis, Lunæque cursum, & ecclypses examinant, observántque? num ideò de Solis existentia, motu, umbráque ambigui sunt? Non ergo sequitur, ut, quidquid examini subjicitur, mox sit incertum, & dubiæ fidei; aliqua enim examinamus, quia licèt vera, falsis tamen aliunde suggestis admixta sunt; sic aurum igne examinatur, ut à fæcibus purgetur; alia examinamus, quia licèt vera, nobis tamen obscura sunt. Utrúmque accidit epistolæ Dogmaticæ Leonis; nam ut suprà diximus, Eutychiani eam corruperant, & Nestorianismo miscuerant, ne fidem mereretur. Rursùs quia Latino idiomate, cujus plerique in Synodo Patres ignari erant, concepta, à quàm plurimis malè intelligebatur, adeò ut Romanis Legatis ei explicandæ sudandum fuerit; quàm primùm verò explicata est, omnium vota promeruit, nullo examine, nullo conflictu consensum morante. Id ita esse patet ex actis Concilij; cùm Palestinæ, & Illyrici Episcopi ignorantiâ linguæ aliqua in epistola Leonis non intelligerent, & ideò consensum suspenderent, tandem edocti industriâ Legatorum sic locuti sunt: *Factum est autem nobis certum de epistola missa ab ipsius Beatitudine à sanctissimis Episcopis Paschasino, Lucentio, qui nobis dilucidaverunt, quæ obscuritas linguæ secernere subnotabat.* Quæro igitur, si linguam Syriacam ignoranti Evangelium Syriacè conscriptum exhiberem, peterémque, ut continuò assensum suum præberet, is verò differret, ignorantiam linguæ causatus; an propterea dicendus esset de Evangelij veritate dubitare? Non ergo epistola Leonis examinata est, ex qua parte Leonis erat, sed ex qua parte aut ab Eutychianis corrupta,

aut

aut à Græcis malè intellecta imperitiâ sermonis; alioquin de illius veritate nullam dubitandi, disputandique rationem fuisse tam certum est, ut nihil certius esse possit; sic enim ipse Leo epist. 45. ad Synodum: *Fratres charissimi, rejectâ penitùs audaciâ disputandi non liceat defendi, quod non licet credi, cùm secundùm Evangelicas auctoritates plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis pia & sincera confessio.* Et epistolâ 33. ad Pulcheriam Augustam: *Simplex est, & absolutum quod poscunt, ut remoto longarum disputationum labore Cyrilli epistolæ acquiescat, & epistolæ meæ, quæ ad Flavianum Episcopum est directa, consentiat, quia & mea, & Sanctorum Patrum concors & una confessio est, quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se à compage Catholicæ Unitatis abscindit.* Et actione 1. Concilij Chalcedonensis Lucentius Legatus: *Quoniam Sanctæ memoriæ Flaviani fides concordat cum Apostolica Sede, & Patrum traditione, sententiam, quâ illum ab hæreticis constat esse damnatum, in eos retorqueri à sancta Synodo necesse est.* Et actione 2. Cecropius Sebastopolitanus: *Emerserunt, quæ ad Eutychen pertinebant, & super ijs forma data est à sanctissimo Episcopo Romanæ Urbis, & epistolæ omnes subscripsimus; Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes ista dicimus.* Et actione 4. Sedis Apostolicæ Legatus: *Manifestum est, nec poterit dubitari, unam Fidem Beati Papæ Leonis cum trecentorum decem & octo Patrum apud Nicæam concordare, &c.* Ex his aliisque, quæ prolixè in medium adduci possent, clarissimum est, epistolam Leonis hujusmodi fuisse, ut nullus Catholicorum de ejus veritate dubitaverit, præsertim postquam obscuræ quædam sententiæ ob ignorantiam Latinæ linguæ à Romanis Legatis explicatæ sunt. Quòd verò Monachi quidam Eutychiani, adeóque hæretici Leonis epistolæ subscribere noluerint, nihil causæ nostræ officit; nec enim contendimus, Infallibilitatem Pontificis apud hæreticos certam esse, sed apud Catholicos tantùm. Imò illi ipsi, qui epistolam Leonis in dubium vocabant, renuebántque illi subscribere, æquè Concilij Decreta in dubium vocabant, æquè adversabantur, æquè cum sacris Concilij Nicæni Canonibus conferri volebant; cùm enim Patres sæpè decrevissent, Leonis epistolam recipiendam esse, quíq; ei subscribere nollet, anathemate feriendum, hæresisque notandum; pergebant tamen oblatrare, adversarique. Si ergo Infallibilitas Pontificis ideò neganda

est, quia aliqui circa ejus epistolam conflictabantur; æquè Infallibilitas Concilij neganda erit, cùm istius Decreta ab illis ipsis respuerentur, qui Pontificiam epistolam respuebant, ut videre est totâ ferè actione 4. Et ideò hujusmodi concertationes & dubitationes tam S. Leo loco citato in Objectione, quàm Patres Concilij actione 4. *A spiritu malo contradictionis & hæresis* profectas esse dicunt. Patet ergo hoc Alexandri argumentum quàm multis ex capitibus invalidum & inerme sit. *Secundò.* In præfata Objectione opponitur, epistolam Leonis fuisse collatam ab Eusebio Episcopo Mediolanensi aliisque, cum Sanctorum Patrum testimonijs & doctrina, cúmque Decretis Concilij Nicæni, & tunc primùm receptam esse, cùm palàm fuit, eam nihil antiquæ doctrinæ adversum complecti; atqui nullâ collatione opus erat, si credebant, Leonem errare non posse.

Resp. Hæc Objectio non minùs Concilij Infallibilitatem, quàm Pontificis impugnat, nam & Concilij Chalcedonensis Decreta fuisse cum Decretis Nicænæ Synodi, Sanctorúmque Patrum doctrina ab Episcopis collata, & ideò recepta, quia doctrinæ Patrum consentanea reperiebantur, innumeris ferè testimonijs ostendi posset; aliqua tantùm libabimus. Episcopi Europæ sic ad Leonem Imperatorem loquuntur: *Chalcedone collectum magnum & Universale Concilium, eò quòd prædicta Concilia* (Nicænum videl. Ephesinum, & Constantinopolitanum) *firmaverit, nihilque commoverit, nec augmentum vel detrimentum fecerit, aut quidquam quæ tunc fuerunt definita commoverit, aut aliquid incongruenter interpretatum sit, servamus &c.* Vides hic, Decreta Concilij Chalcedonensis cum Decretis aliarum Synodorum fuisse collata, & *ideò* ab Episcopis Europæ recepta, quòd cum Decretis Nicænæ, Constantinopolitanæ & Ephesinæ Synodorum concordarent; an propterea dicendum erit, Decreta Concilij Universalis incertæ fidei esse, nec priùs obligare, quàm à nobis cum sacris Scripturis, Patrúmque traditione collata fuerint? Audi etiam Stephanum Episcopum epistolâ ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post acta Concilij Chalcedonensis: *Tanti & talis Concilij* (Chalcedonensis videl.) *amplectere judicium Serenissime & Orthodoxe Imperator, tales námque sapuisse comperimus omnes, qui verbo & doctrinâ DEO placuerunt, id est, Beatus Athanasius, sic & Basilius magnus, & Gregorius*

Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Niſſæ, & Joannes Conſtantinopolitanus, verborum ſimul & cogitationum pelagus benedictum. En tibi Concilij Chalcedonenſis recipiendi rationes, quia videlicet Athanaſio, Baſilio, aliiſque conſentit; quid ſi ergo non conſentiret? num ideò erraret? num ideò arbitrio noſtro ſtabit, Decreta Concilij Univerſalis cum doctrina Athanaſij, aliorúmque Patrum conferre, & ſi cum illa conſentire videantur, recipere, ſin minùs, reſpuere? Sicut ergo hæc Collatio Decretorum Concilij cum doctrina Patrum nihil nocet Infallibilitati Conciliorum; ita etiam nihil nocet Infallibilitati Pontificum. *Ad quid ergo hæc collatio, ſi conſtat, Pontificem falli non poſſe? cur aurum lydio lapide exploras, ſi conſtat, aurum eſſe?* Reſpondeo, quia lumen lumini additum majorem lucem & claritatem affert, reddítque objectum magis magíſque viſendum; quoties duas faces accendimus, cùm una ſufficiat? ipſa fidei myſteria, quoties parabolis, ſimilitudinibus, & argumentis è Philoſophia petitis illuſtrantur, quamvis certa, quamvis indubitata? num ideò major Philoſophiæ, quàm fidei certitudo? nutriunt hæc fidem, ſi non pariunt. Deinde Concilia & Pontificum Decreta non ſolùm fidelibus, ſed etiam infidelibus & hæreticis ſcribuntur, iſtos ut ſanent, illos ut confirment; ergo ut etiam hæreticos convincant, rationibus munienda ſunt, quas etiam hæretici capiant; tales ſunt, quæ à ſcripturis & Patribus ac Synodis petuntur, olim & ab omnibus receptis. Novit aurifex, quid ſit aurum, ignoro ego; mihi ergo, non illi Lydius admovetur. Meritò igitur, cùm Eutychiani, ſicut omnes æquè hæretici Leonis Papæ epiſtolam, & Concilij Decreta reſpuerent, ad ſcripturas, ad Synodum Nicænam, ad Patres revocabantur; alioquin veris Catholicis nullam fuiſſe de Leonis epiſtola rationem dubitandi, adeóque nullam examinandi neceſſitatem ex dictis certum eſt, & audiri adhuc poſſunt acta Chalcedonenſis Synodi; nam actione 4. Paſchaſinus dixit: *Manifeſtum eſt, nec poterit dubitari, fidem Beatiſſimi Papæ Leonis cum trecentorum Patrum concordare &c.* Et S. Leo epiſt. ad Leonem Imperatorem, quæ habetur poſt acta Concilij Chalcedonenſis: *Licèt ea, quæ à Sede Apoſtolica judicata ſunt, ſufficerent, inſidias tamen hæreticorum etiam hæc, quæ ſunt adjecta, reſerabunt.* Ubi vides, *ſufficere* quidem in cauſis fidei *Apoſtolicæ Sedis judicium:* Sed tamen convincendis hæreticis Patrum quóque ſuffragia admitti.

mitti. *Tertiò.* Concludit P. Alexander, Pontificum Decreta in causis fidei *non priùs rata & certa esse, quàm à Concilio confirmentur.*

Resp. Tam falsa hæc est Conclusio, quàm falsa sunt principia, ex quibus illa deducitur, & quæ jam suprà confutavimus. Imò tantum abest, ut Decreta Pontificum à Concilio confirmari debeant, ut potiùs certissima sit regula, & millies à Patribus repetita, videlicet: *Concilia à Pontifice Romano non confirmata nullius valoris esse.* Et id ipsum confirmant, quæ de Concilio Chalcedonensi hactenus dicta sunt, videl. *Leonem præscripsisse Concilio, quid definiri, quid non definiri oporteret; Concilij Decreta alia confirmâsse, alia improbâsse; in causis Fidei sufficere Pontificis Rom. sententiam.* Quòd si Pontificis Decreta non priùs valida & rata sunt, quàm à Concilio Oecumenico confirmentur, quid rogo plus habent Decretis cujuslibet Episcopi? & ubi est illud tam à Patribus declamatum Romanæ Sedis privilegium in causis fidei decidendis? Et hæc sufficiant pro Infallibilitate Pontificis ex Chalcedonensi Concilio excerpta.

VIII. *Anno CCCCLXXXIII.* Prorupit hæresis Petri Cnaphæi, qui non solùm Eutychianus hæreticus, sed etiam Apollinarista, atque Sabellianus erat, sicque ob hæresin ex tribus hæresibus conflatam meritò Hæresiarcha appellatus est; hunc à Felice III. in Synodo Romana damnatum esse, totâque Ecclesiâ proscriptum, & simul insigne Infallibilitatis Romanæ argumentum editum esse ex sequentibus patebit. Evagrius hæc habet: (a) *Mittuntur à Felice ad Zenonem Imperatorem Vitalis, & Misenus Episcopi, ut ejus auctoritate tum Concilium Chalcedonense firmarent, tum Petrus ut hæreticus Episcopatu pelleretur, tum denique Acacius mitteretur ad ipsum Felicem, rationem de rebus, quas Joannes ei objectâsset, redditurus.* Idem Evagrius cap. 20. (b) *Quod quidem Romanum Concilium, quæ sequuntur, de Petro pronunciavit: Petrum hæreticum jam pridem sententiâ sacræ Sedis Apostolicæ condemnatum, interdictum Ecclesiâ, & anathemate multatum Ecclesia Romana non recipit.* Et ipsa Synodus Romana: (c) *Successor Præsulum Sedis Apostolicæ caput est omnium, Domino ad B. Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; quam vocem sequentes sancti Patres apud Nicæam congregati confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt, quam utrámque usque ad ætatem nostram successiones omnes Christi gratiâ*

(a) Evag. lib. 3. cap. 18. (b) Idem l. 3. c. 20. (c) Inter epistolas Felicis epist. 4.

gratiâ præstante custodiunt. Ut intelligas, quæ de Canone Nicæno Synodus Romana hîc memorat, sciendum est, tribus locis de Romani Pontificis Primatu Canones Nicænos loqui, juxta diversas editiones, videlicet canone *6.* canone 19. & canone 40. Quamvis enim Rufinus, communisque sententia tantùm viginti Canones numeret, gravissimæ tamen rationes sunt, quæ persuadent plures, hoc est usque ad 70. fuisse: *tum* quia acta Concilij Nicæni ab hæreticis Arrianis flammis corrupta sunt, *tum* quia Julius I. epistolâ ad Orientales, quam S. Athanasius citat Apologiâ 2. meminit Canonis 71. ubi de appellationibus ad Romanum Pontificem agitur. S. Hieronymus contra Luciferianos agens de rebaptizatione meminit Canonis 31. 32. 34. 35. 36. S. Augustinus epistolâ 100. Canonis 48. in versione Turriani, & in versione Abrahami Euhelensis canonis 52. & canonis 54. S. Leo PP. Primus epistolâ ad Theodosium 24. ubi agit de Appellatione Flaviani, Canonis 71. Et denique multa apud antiquos scriptores in Nicæna Synodo constituta esse leguntur, quæ modò in vulgatis Canonibus reperire non est; ut adeò certum sit, multò plura in Synodo Nicæna decreta esse, quàm viginti Canones complectantur. Sed quidquid de hoc sit, sextus saltem Canon Nicænus indubitatæ fidei est, quantumvis & hunc, prout modò in Tomis Conciliorum legitur, esse corruptum, nec eam sententiam reddere, quam antiqui Patres repræsentant, certum sit; is enim Canon, prout in vulgatis exemplaribus legitur, comparationem tantùm instituit quoad Patriarchatum inter Pontificem Romanum & Episcopum Alexandrinum, ut videlicet hic intra terminos sibi à Synodo assignatos, Ægyptum videlicet, Pentapolim, Lybiámque eandem Patriarchalem potestatem exerceat, quam Romanus Pontifex intra suum Patriarchatum, cujus quidem nullos terminos Nicænum Concilium assignat. At verò lapsis retrò temporibus multò plura hic Canon continebat, Primatum videlicet, & judiciariam universalem Pontificis potestatem. Bonifacius (a) enim primus epistolâ 9. ad Episcopos Thessaliæ: *Institutio*, inquit, *universalis Ecclesiæ de Beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus & summa consistit. Nicæna Synodi non aliud præcepta testantur, adeò ut non aliquid super eum sit ausa constituere,*

(a) Obijt anno 423.

stituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Nota, ne quidem Concilium Nicænum, quamvis omnium celeberrimum, quamvis circa Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum Patriarchas multa constituisset, non tamen circa Romanum Pontificem, & quam ob causam? nisi quòd agnosceret, omne Concilium, quantumvis Oecumenicum, infra Pontificem esse? Stephanus V. (a) *An ignoras*, inquit, *quid in prima Nicæna Synodo præsidente ibi Constantino B. Sylvester Papa de non judicando supremo Throno per Legatos pronuntiârit?* In Concilio Chalcedonensi actione 16. Paschasinus Episcopus, & Leonis Legatus hæc habet: *Trecentorum decem & octo Patrum canon sextus: Quòd Ecclesia Romana semper habuit Primatum; teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandrinus omnem habeat potestatem &c.* S. Leo IX. epist. 1. ad Michaelem Patriarcham: (b) *Beatissimo & Apostolico Pontifice Sylvestro divinitùs decernente, spiritualique ejus Filio Constantino cum universa Synodo approbante ac subscribente, ut Prima Sedes à nemine judicetur.* S. Gelasius I. Tract. adversùs Græcos: (c) *Quâ ratione vel consequentiâ aliis Sedibus deferendum est, si primæ Beatissimi Petri Sedi antiqua & vetusta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata, atque firmata, trecentorúmque decem & octo Patrum invicto & singulari judicio vetustissimus judicatus est honor?* Constat ex Patrum testimonijs, multò ampliorem fuisse Concilij Nicæni de Romano Pontifice sententiam, quam quæ modò in vulgatis Canonibus habetur.

Anno CCCCXCIV. Gelasius Papa in Synodo Romana septuaginta Episcoporum, quinam libri sint Canonici, quinam verò apocryphi (hoc est, aut dubiæ, aut malæ fidei, aut erroribus aspersi) definit, sicque lapidem fundamentalem veræ Religionis ponit; quid enim certi in fide Catholica, si incertum sit, quodnam sit verbum DEI? Claudit Gelasius hoc Decretum de libris Canonicis his verbis supremam auctoritatem indicantibus: *Hæc omnia & his similia non solùm repudiata, verùm etiam ab omni Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia eliminata, átque cum suis auctoribus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.* In eodem Decreto hæc habet Gelasius: *Sancta Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est, sed Evangelicâ voce Domini & Salva-*

(a) Obijt anno 817. (b) Obijt anno 1054. (c) Obijt anno 496.

Salvatoris nostri Primatum obtinuit. Et infrà: *Eadem Sancta Romana Ecclesia post illas veteris & novi Testamenti etiam has suscipi non prohibet scripturas, videl. Sanctam Synodum Nicænam, trecentorum decem & octo Patrum, sanctam Synodum Constantinopolitanam, sanctámque Synodum Ephesinam.* Nota ea verba; *etiam has suscipi non prohibet scripturas &c.* Quibus manifestum est, Papam esse supra Concilium, nec ullum esse Concilium tam Oecumenicum, tam sanctum, quod ex Pontificia approbatione non pendeat; cujus enim est prohibere, nisi superioris? & quomodo prohiberi possit à Pontifice, quod à Pontificis potestate non pendeat? Prohibebit miles Ducis imperium recipi, Senator Imperatoris?

Anno DXXXIV. Cùm Justinianus Imperator ad Joannem II. Rom. Pontificem splendidam Legationem misisset, rogarétque, ejus Decreto definiri, an salvâ fide Catholicâ admitti hæc propositio posset, videl. *Unus de Trinitate passus est?* Joannes habitâ Romæ Synodo definivit, posse. Quamvis enim Hormisda Papa aliquando eas voces novitatis suspectas, & ab Eutychianis repertas (tacebant enim nomen *Personæ*, & tantùm *Unum* dicebant, quod æquè *de Unitate naturæ* intelligi poterat) vetuisset; mutatis tamen personis, submotóque periculo, ad confundendos Nestorianos (qui negabant, unam esse in Christo personam) Joannes Papa definivit, posse eam propositionem admitti. Hâc occasione insigniter quóque Primatus & Infallibilitas Pontificia emicuit; nam in Epistola, quam Justinianus Imperator ad Joannem Pontificem scripsit, hæc habentur: *In præsenti, quæ commota sunt, quamvis manifesta & indubitata sint, & secundùm Apostolicæ Vestræ Sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmiter custodita & prædicata, necessarium tamen duximus, ut ad Vestram Sanctitatem perveniat, nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum & indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam Vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium Ecclesiarum.* Fatetur hìc palàm Justinianus: *Quæ ab Apostolica Sede decreta sunt, ab omnibus semper Sacerdotibus firmiter custodita & prædicata esse*; quod omninò Infallibilitatem arguit, alioquin quæ causa esset, *ut ab omnibus reciperentur, & firmiter custodirentur Pontificum Decreta?* Et infrà in eadem epistola: *Omnes Sacerdotes Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sequentes Sanctitatem Vestram, & custodientes statum & unitatem DEI Ecclesiarum, quam habent ab Apostolicæ Vestræ Sanctitatis*

Sede,

Sede, nihil penitùs immutantes de Ecclesiæ statu. Joannes verò Papa in Responsoria ad Justinianum: *ipsos* (hoc est Acœmetes Eutychianos) *minimè in nostra Communione recepimus, & ab omni Ecclesia Catholica esse jussimus alienos, nisi errore damnato doctrinam nostram quantocyùs sequerentur. Æquum quippe est, ut qui nostris statutis non præstant obedientiam, Ecclesijs habeantur extorres.* At quomodo æquum, ut qui non obedit Apostolicæ Sedis Decreto, ab Ecclesia habeatur extorris, si errare Sedes Apostolica potest? Nemo enim cœcam hanc & necessariam obedientiam debet incerto Duci. Quid ergo ex sententia Joannis meriti sunt, qui Innocentij XI. Decretis non tantùm non obtemperârunt, sed etiam ejus auctoritati bellum intulêre? Idem Justinianus aliâ ad Hormisdam Papam Epistolâ: *Hoc enim credimus esse Catholicum, quod Vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.* Credebat utique Justinianus, Papam esse infallibilem; alioquin falsum esset, id esse Catholicum, quod Papa pronuntiat.

Anno DCXLVIII. Theodorus Papa hæresin Monothelitarum, ejúsque præcipuos auctores ante omne Oecumenicum Concilium damnat; sic enim Anastasius in vita Theodori: *Sanctissimus Papa Theodorus scripsit Paulo Patriarchæ, sed cùm non posset à suo conamine revocare, justè ab Apostolica Sede depositionis Sententiâ percussus est.* Theophanes ad annum 20. Heraclij Imperatoris: *Theodorus plenitudine convocatâ Ecclesiæ* (hoc est Synodo Romanâ) *ad Sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, & ità propriâ manu depositionem Pyrrhi fecit.*

Anno DCXLIX. Celebrata est Synodus Romana, in qua Martinus Papa hæresin Monothelitarum damnavit, & insignia quóque Pontificiæ Infallibilitatis exempla prodita sunt. Sic enim epistolâ II. ad Hierosolymitanum & Antiochenum Episcopos Martinus loquitur: *Nos verò, id est, hujus sanctæ Sedis Pontifices ad custodiam domûs pervigiles non permisimus eos Fidei thesaurum surripere, sed ipsos catenis impiæ & adulterinæ eorum doctrinæ constringentes accuratâ demonstratione, & examinatione eorum, quæ ab ipsis contra integritatem fidei scripta sunt, tum ipsos, tum ea, quæ impiè docuerunt, igne Canonicæ sententiæ velut mala Zizania exurentes Synodaliter condemnavimus.* Idem Martinus epistolâ 13. enarrans, quæ sibi acciderant Constantinianâ Basilicâ exeunti, Calliopa (qui ad eum trucidandum missus fuerat) pro foribus stante

stante : *Cùm*, inquit, *exirem ab Ecclesia, in qua exercitus me cum armis constrinxerat, clarâ voce dixerunt : anathema habeat, quisquis dixerit vel crediderit, quia Martinus usque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus sit.* Hìc apertè Ecclesia Romana agnoscit & profitetur, non posse Pontificem fidem mutare, & consequenter infallibilem esse; sunt enim termini æquivalentes, esse *infallibilem*, & esse in vera Fide *immutabilem*. Et Secretario secundo Synodi Lateranensis Maurus Episcopus Cæsenas : *In his quæ moventur, & contra Patrum Orthodoxorum Decreta proponuntur, me non aliter sentire, nisi quomodo sancta vestra Apostolica doctrina & orthodoxa tenet Ecclesia, profiteor.* Agnoscit ergo infallibilem esse doctrinam Apostolicæ Sedis; alioquin quâ conscientiâ dicere posset, se credere, quod Papa credit ? non esset hoc inniti super baculo arundineo ? nec Fidem divinam, sed humanam & fallibilem profiteri, quippe humano ac fallibili judicio nixam ? non est hoc credere, sed opinari, nec supra Petram, sed super arenam ædificare. Si falli potest Papa, ergo & falli potest, qui credit, quod credit Papa; sed vera fides falli non potest. Eodem Secretario 2. Sophronius Stephanum Dorilensem ita alloquitur : *Quantocyùs ergo ex finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem pervenias, ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, & non quiescas instantiùs petens, atque exorans, donec ex Apostolica prudentia, quæ in DEO est, ad victoriam judicium perducere debeant, & noviter introductorum dogmatum destructionem.* Fierine potest, ut in Sede Romana sint *Orthodoxorum dogmatum fundamenta*, si Sedes Romana in rebus fidei falli potest? Contra fundamenta fidei ne portæ quidem Inferi possunt prævalere, quomodo error & ignorantia prævalebunt? aut ergo falsum est, quod Sophronius profitetur, quódque Synodus tacendo approbat; videl. *In Sede Romana Orthodoxorum dogmatum fundamenta reperiri*; aut falsum est, Papam errare posse, repugnat enim, esse fidei fundamentum, & labi posse.

Anno DCLXXX. Romæ ab Agathone PP. Synodus celebrata est, in qua, sicut & in sequenti Oecumenica, quæ fuit sexta Constantinopolitana, multa Pontificiæ Infallibilitatis argumenta & testimonia prodita sunt, quæ hìc breviter libabimus. Agatho igitur epistolâ ad Constantinum & Fratres Imperatores ex Synodo Romana hæc habet : *Cujus*, (B. Petri) *adnitente præsidio hæc Apostolica ejus*

Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem utpote Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Ecclesia, & Universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnésque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ luminaria claruerunt, & sancti Orthodoxi Doctores venerati sunt, hæretici autem falsis criminationibus ac odijs insecuti. Et infra: *Hæc est vera Fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperij, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per DEI omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit.* Quid rogo dici poterat, quod magis Pontificiam Infallibilitatem probaret? Fac, me Romæ in ea Synodo largis stipendijs Advocatum fuisse; num poteram aliquid accommodatius & efficacius dicere? Nunquam à via veritatis deflexit, nunquam erravit, nunquam Universales Synodi ab ejus doctrina discessêre, nunquam Patres ejus dogmata non sunt amplexi, nunquam à tramite Apostolicæ traditionis seceſsit. Quid est, esse Infallibilem, si hoc non est?

Dices, Agatho de præterito loquitur, non de futuro; dicit, nunquam errâsse, non verò, nunquam erraturos Pontifices; & quid, si addam, Agathonem errâsse, quando dixit, Pontifices errare non posse.

Resp. Ratio Agathonis omne tempus, præteritum & futurum complectitur; quòd enim nunquam erraverit, rationem hanc affert, quia videl. *Petri Confessio à DEO revelata est*; quia *spiritales oves Ecclesiæ ternâ commendatione à Domino pascendas suscepit*; quia *Christus Petro dixit: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Quæ rationes omne tempus complectuntur; numquid enim pro aliquo tantùm tempore Christus Petro oves commendavit, & non semper? & pro aliquo tantùm tempore pro Petro rogavit? Quòd si Sedes Romana, quando Ethnici Imperatores ferro & flammâ in eam grassabantur, quando Arriana, Pelagiana, Nestoriana, Eutychiana hæreses impietate & potentiâ armatæ eam impellebant; quando inquam tot erant errandi causæ, nunquam tamen erravit; quis credat, erraturam, quando errandi causæ cessârunt? Stetit, cùm quateretur, non stabit, cùm quies est? non cessit adversis ventis, cedet, aut mergetur secundis? & cùm lubricum & glaciem calcaret, erecta tamen

tamen & immota processit, nutabit nunc, cadétque plano & florente itinere? Millies ergo cecidisset, si cadere posset; nunc autem ideò non cecidit, quia non potuit, sustinente videlicet Christo: *Et innixa super dilectum.* Quanquam nec argumentis opus est, cùm ipse Agatho objectioni occurrat, & Sedem Romanam non tantùm nunquam errâsse, sed ne quidem errare posse apertè dicat; sic enim pergit: *Sed ut ab exordio Fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus permanet secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Nota ea verba, quæ omnem cavillationem præcidunt, videl. *Illibata finetenus permanet.* Néque hæc solius sunt Agathonis verba, sed totius sextæ Synodi, quæ Agathonis epistolam instar oraculi habuit, ut videre est in actis ejusdem Synodi. Idem Agatho in epistola Synodali ad Patres Oecumenicæ Constantinopolitanæ, Legatos se quidem mittere, qui Synodo universali assistant, ita tamen, ut nullo modo permittat, quæ ab ipso Agathone definita erant, in dubium aut disputationem vocari, multò minùs inverti; quod quid aliud est dicere, quàm Pontificem in rebus fidei decidendis & infallibilem esse (cùm ne quidem in Concilio Universali disputari de ijs debeat, quæ semel ipse decidit) & omni Concilio superiorem, cùm Concilio imperet, præscribátque, quid credere debeat? Sed audi ipsum Agathonem in Epistola suis ad Concilium Legatis data: *Personas autem de nostræ humilitatis Ordine prævidimus dirigere, quæ omnium nostrûm suggestionem, in qua & Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus, offerre debeant; non tanquam de incertis contendere, sed ut certa átque immutabilia compendiosâ definitione proferre.* Et iterum: (a) *Portitoribus testimonia aliquorum Sanctorum Patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut ex ijs duntaxat satisfacere studeant. Licentiam proinde eis, sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum Vestrum Imperium simpliciter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil profectò præsumant augere, nihil minuere, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut à Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sincerè enarrare.* Vides hîc iterum, Pontificem Concilio præscribere, quid credere, quid definire debeat, aut non debeat; imò prohibere, ne ijs, quæ ipse definierat, *addatur aliquid, aut minuatur.* Quid hoc est aliud,

(a) V. Baron. ad ann. 681. n. 21.

aliud, quàm Papam esse infallibilem? nam si falli, si errare potest, cur non possit corrigi & emendari, ejúsque doctrinæ addi aliquid, detrahíque?

Anno DCLXXXXII. Constantinopoli celebrata est Synodus quini sexta (sic dicta, quòd Canones in quinta & sexta Synodo omissos suppleverit) in qua centum & tres Canones sanciti, sed quam plures contra Ecclesiæ antiquam disciplinam, adeò ut Romani Pontifices nunquam eam comprobare voluerint. Nihil à Græcis Imperatoribus actum non est, ut Pontificis consensum impetrarent, sed irrito semper, & inani conatu. Audi Anastasium in Sergio: *Compellebatur autem & ipse Sergius subscribere, sed nullatenus acquievit, pro eo quod quadam capitula extra ritum Ecclesiasticum fuerant in eo adnexa, quæ & quasi Synodaliter definita & in sex tomis conscripta à tribus Patriarchis, hoc est, Alexandrino, Constantinopolitano, & Antiocheno subscripta, manúque Imperiali firmata in hac Romana urbe ad confirmandum vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici utpote Capiti omnium Sacerdotum direxit, qui Beatissimus Pontifex penitus eidem Justiniano Augusto non acquievit, nec eosdem tomos suscipere, vel lectione pandere passus est, porrò eos ut invalidos respuit, átque abjecit, &c.* Mortuo Sergio idem Justinianus Joannem Pontificem, missâ legatione enixè ardentérque, sed frustrà pro Confirmatione rogavit. Repetitæ preces apud Constantinum Pontificem, imò is propterea Constantinopolim accersitus, sed æquè frustrà, nullóque successu. Jam quæro, quid causæ fuerit, ut tanto studio ac toties repetitis vicibus consensus Romani Pontificis peteretur, cùm jam quatuor Patriarcharum præcessissent, ísque sufficere videri posset; nisi quòd scirent Græci, quod Romanus Pontifex probavisset, à toto Orbe probatum iri: quod improbâsset, irritum & inane futurum? ut planè ea Synodus irrita fuit, ac communi Ecclesiæ voto *erratica* est appellata.

Anno DCCXXVI. Gregorius II. Iconoclastarum hæresin anathemate primus configit, celebratâ Romæ Synodo. Audi Zonaram: *Gregorius, qui tunc Romæ Ecclesiam gubernabat, repudiatâ societate Præsidis novæ Romæ Leonis scilicet Imperatoris, nec non eorum, qui illum sequebantur, Synodico anathemate perstrinxit.*

Anno DCCLXXIII. Teste Anastasio Gregorius III. collectâ Romæ Synodo 93. Episcoporum decrevit: *Ut si quis deinceps antiquæ consuetudinis*

nis & Apostolicæ Ecclesiæ fidelem usum contemnens adversùs eandem venerationem sacrarum Imaginum depositor atque destructor, & prophanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris à corpore & sanguine Domini nostri JESU *Christi, vel totius Ecclesiæ unitate atque compage.* Idem anathema repetitum est contra Iconoclastas à Stephano Papa IV. anno 768. in Synodo Romana.

Anno DCCLXXXVI. Celebrata est pro sacrarum Imaginum cultu secunda Oecumenica Synodus Nicæna, in qua egregia iterùm & invicta testimonia pro suprema Pontificis Romani auctoritate & infallibilitate: nam Hadrianus I. Pontifex maximus missis ad Imperatorem Constantinum, sacrámque Synodum Legatis, additisque litteris, *primò* negat ullum dubitandi locum ampliùs superesse, postquam cultus sacrarum Imaginum à Pontifice Romano definitus, receptúsque sit. *Secundò*, modum legésque Concilio præscribit, quas in definienda hac causa fidei necessariò observare debeat. *Tertiò* vetat, ne ab ijs, quæ Romani Pontifices olim decreverant, removeri se patiantur. *Quartò.* Primarij Concilij Patres, imò tota Synodus tanquam de re necessaria interrogantur, velintne epistolam dogmaticam Hadriani recipere, an secùs? *Quintò.* Legatis præcipitur, ut si Synodus parere & acquiescere nolit Romani Pontificis sententiæ, continuò Romam revertantur, nec Synodo assistant. Amabò quid amplius velis, quo constet Pontificem esse Synodo superiorem, & posse ante omnem Synodi sententiam causas fidei definire, nec à Synodo pendere, sed hanc potiùs à Romano Pontifice? sed audi ipsa Synodi acta; Hadrianus in epistola ad Augustos: *Vos autem maximè in traditione orthodoxæ fidei Ecclesiæ B. Petri, & Pauli Principum Apostolorum acquiescetis, eámque amplectemini, quemadmodum à superioribus Imperatoribus factum est, qui Vicarium ejus ex toto corde dilexerunt.* Et infrà: *Hi siquidem Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam Orthodoxam fidem auspicati servandam præceperunt, omnibus scilicet, qui in sedes eorum successuri erant, & in fide eorum usque ad consummationem sæculi permansuri.* Nota hæc ultima verba, quibus apertè infallibilitas Pontificia palàm fit; si enim contra veram fidem docere aliquid possent, planè non permanerent usque ad consummationem sæculi in Petri fide. Et infrà præscribens quid fieri, quid omitti à Synodo debeat: *Si verò impossibile est, ipsas sacras Imagines sine Synodi actione in pristino erigere ac confirmare statu; sicut in vestris fertur imperialibus*

jussionibus; imprimis pseudosyllogus ille, qui sine Apostolicæ Sedis enormiter, nequiter, irrationabiliter contra Sanctorum Patrum traditionem de sacris Imaginibus actus est, anathematizetur præsentibus missis nostris; & tunc sicut antiquitùs mos extitit, jurejurando vestra pijssima ac tranquillissima potestas, unà cum Domina Augusta seu ejusdem Regiæ Urbis Patriarcha, nec non & cuncto senatu corporale tribuentes sacramentum verbum Commonitorium, sicut antiquitus nobis dirigere vestra dignetur sacra Imperialis potestas, quòd non est apud vos partis cujuslibet favor, aut defensio, sed æqualitatem utrísque partibus conservabitis, nullatenus necessitatem facientes ijs, qui à nobis mittuntur, sed omni honore eos habebitis. Et siquidem utríque convenerint, ecce bene! sin autem minimè convenerint, cum omni humanitate ad nos dirigere satagetis. Vides, nolle summum Pontificem Concilij Decretis adstringi, sed potiùs Concilium adstringere, ut obtemperet sententiæ à Pontifice Romano latæ, quod nisi faciat, Legatos suos re infectâ domum remitti. Non dicit Hadrianus: *Legati mei Concilio obtemperent*, sed econtrà: *Concilium Legatis meis obtemperet, & nisi faciat, domum redeant.* Judicium nunc feras licet, major sit Pontificis, an Concilij auctoritas, isto parente, illo imperante. Idem Hadrianus in epistola ad Tharasium Patriarcham: *Cujus* (hoc est B. Petri) *etiam sedes per totum Terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniúmque Ecclesiarum DEI caput existit, cui etiam velim Beata Vestra sanctitas ex sincera mente & toto corde agglutinetur, utpotè, quæ sit reverà rectè sentiens, & pietatis incorruptæ conservatrix. Hoc sacrificium primum DEO omnipotenti exhibeatur. Vestráque Beatitudo pijssimos nostros Imperatores supplicibus verbis admonebit, ut Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes, & servantes traditionem hujus sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ &c.* Posténe Hadrianus tam intrepidè asserere, Romanam sedem esse *incorruptam Conservatricem veræ fidei*, si corrumpi, si fidem dissipare possit? Posset tam præfidenter hortari Imperatores, ut Romanæ doctrinæ agglutinentur, ut ejus vestigijs insistant, si ducere in errorem possunt?

Actione secundâ ejusdem Oecumenicæ Synodi Legati Apostolici primùm Tharasium Patriarcham, posteà totam Sacram Synodum his verbis interrogant: *Dicat nobis sacra Synodus, num recipiat sanctissimi Papæ Veteris Romæ litteras, an secus? sancta Synodus respondit: sequimur, recipimus, approbamus.* Quod si Synodus respondisset: *Non sequimur, non recipimus, non approbamus*: quid aliud Legati dicturi essent,

essent, quàm quod olim in Concilio Chalcedonensi actione 5. dixêre, videlicet: *Si non consentiunt epistolæ Apostolicæ Beatissimi Papæ Leonis, jubete nobis rescriptam dari, ut revertamur.* Et planè Hadriani Legati, ut suprà vidimus, in mandatis habebant, ut nisi Synodus Hadriani Decretis inhæreret, continuò Constantinopoli excederent, sicque Concilium dissolverent. Actione 6. Patres Conciliabulum Constantinopolitanum, quod Iconoclastæ pro septima Synodo venditabant, hâc ratione improbant: *Quia nullum habuit Cooperarium, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Provinciales Litteras, quemadmodùm fieri in Synodis debet.* Nota confirmationem Romani Pontificis necessariam esse Synodis Oecumenicis, & esse non tantùm meræ convenientiæ, sed *debiti*.

Anno DCCCLXIX. Cœpta est celebrari Constantinopoli octava Oecumenica Synodus auctoritate Hadriani II. Papæ, in qua præclara omninò argumenta Auctoritatis, & Infallibilitatis Pontificiæ producta sunt; imò in ea expressis, conceptísque verbis definitum est, Papam à Concilio Oecumenico judicari non posse, sicque Papam Concilio non subjacere. Cùm Photius verus, non fabulosus Græciæ Phaëton, ausus esset sententiam & diras in Pontificem pronuntiare, coactâ in Regia urbe Synodo; necessarium, nedum oportunum fuit, supremam Pontificis auctoritatem in Synodo Oecumenica universali Decreto sancire. Audi ergo, quàm multa & irrefragabilia in hac Synodo pro Romano Pontifice dicta sint. Nam *Primò* negant Legati, nec Concilium dissentit; se umquam (quantò minùs Romanum Pontificem) Concilij judicio subjectos fuisse. Cùm enim rogarentur Legati Sedis Apostolicæ, mandatum exhibere Pontificis Hadriani, respondent: *Hoc nos non invenimus in Universali Synodo factum, ut Vicarij senioris Romæ à quolibet perpendantur, utrùm talem habeant existimationem.* *Secundò* Actione 1. Hadrianus Pontifex Concilio imperat, præscribítque, quid fieri oporteat, & insuper libellum Patribus legendum proponit, cui omnes subscribere teneantur. Audi Hadrianum in epistola ad Basilium Augustum data, & in Synodo omnium approbatione perlecta: *Volumus*, inquit, *numerosum Concilium Constantinopoli celebrare, cui nostri missi Præsidentes, & culparum, Personarúmque differentias liquidò cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt.* *In quo sacrato*

Cœtu

Cœtu execrandæ vanitatis Concilij, quod adversus hanc sedem actum est, cuncta decernimus exemplaria igne cremari, nec superesse apud quemlibet vel unum jota, nisi quis totius Clericatûs, imò totius nominis Christiani anathemate perculsus carere voluerit. Et paulò post recitatur libellus Hadriani, cui omnes subscribere tenentur, qui sic habet. *Anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomacho. Anathematizamus etiam Photium, donec Sedis Apostolicæ sanctionibus inobediens perseverans ejus sententiam tam de se, quàm de Patriarcha nostro Ignatio spreverit, & Conciliabuli acta, quod se auctore contra Sedis Apostolicæ voluntatem congregatum est, anathematizare distulerit. Sequimur autem sanctam synodum, & amplectimur, quam Beatæ recordationis Papæ Nicolao, cui & ipse coangelice Papa Hadriane subscripsisti, simul & quam tu ipse egisti, & omnia, quæ in eis statuta sunt secundùm decreti vestri moderationem venerabiliter conservabimus, recipientes, quos recipiunt, & damnantes, qui in illis damnati sunt.* Sancta Synodus dixit: *Omnibus placet libellus à sancta Romana Ecclesia expositus.* Et tertia Epistola Hadriani ad Synodum: *Romanorum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicâsse legimus, de eo verò quemquam judicâsse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit, sciendum tamen, quia fuerit de hæresi accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere; quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit sententiam proferre, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset.*

Actione 4. & 10. recitatæ sunt epistolæ Nicolai I. Pontificis, summisque laudibus celebratæ. Hic verò Nicolaus epistolâ ad Michaelem Imperatorem: *Non ergò dicatis vos in causa pietatis Ecclesia Romana non eguisse, quæ collecta Concilia suâ auctoritate firmat, & suâ moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.* Et in eadem epistola §. sed his tandem: *Patet profectò Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Idem Nicolaus in Romana Synodo: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Idem Nicolaus in libello paulò ante citato, & cui nisi subscripsisset, nemo ab Hadriano ad Concilium admittebatur, quisque propterea in Canonem à sacra Synodo admissus est. Postquam Nicolaus

Primatum

Primatum Summi Pontificis multis ostendisset, tandem subdit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectu, quia in Sede Apostolica est immaculata semper Catholica reservata Religio, & sancta celebrata doctrina.* Hæc verba infallibilitatem Pontificiam omninò convincunt, si enim Pontifex Romanus aliquando ex cathedra hæresin docuit, falsum est, *in Sede Apostolica immaculatam semper reservatam fuisse catholicam Religionem.* Idem Nicolaus epistolâ 8. ad Michaëlem Imperatorem: *Nulla regula, nulla consuetudo demonstrat Sedis Apostolicæ semel prolatam sententiam ipsâ non annuente posse mutari.* Ergo infallibilis est, si enim falli posset, mutari posset, corrigique. Sed omnium apertissimè Papam omni Concilio superiorem esse, & consequenter infallibilem, definitum est in Canone 21. (in alijs editionibus est 13.) ejusdem octavæ Oecumenicæ Synodi, ubi hæc leguntur: *Porrò si Synodus Universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romana Ecclesia quædam ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia scisitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere* (alia versio habet, licebit eum decenti reverentiâ de proposita quæstione cuncta percunctari, responsúmque admittere, vel utilitatem admittere vel dare) *non tamen audacter sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.* Hîc apertis, clarísque verbis Patres testantur, ne quidem Concilio Universali fas esse, sententiam in Romanum Pontificem dicere, & consequenter hunc Concilio non subesse, ergo nec errare posse, alioquin si errare posset, à Concilio corrigendus, & huic subjectus foret.

Dices, Concilio tantùm prohiberi, ne *audacter* contra Pontifices sententiam ferat. R. Frivola & ridenda cavillatio! Concilium distinguit inter *scisitationem & sententiam*, istam contra Romanum Pontificem non probat, illam admittit; atqui si tantùm intelligatur audacia prohiberi, quis non videt non tantùm audacem sententiam, sed etiam audacem interpellationem vetandam esse? nam audacia, sive interroges, sive pronunties, æquè damnanda est. Deinde: nullum hoc esset Romani Pontificis privilegium; nec enim solus Romanus Pontifex, sed nec Episcopus, nec Clericus, nec laicus, imò nec latro, nec parricida, temerè & inconsultè damnandus est; quid ergo plus Pontifici tribuitur, quàm Clerico, quàm Laico, quàm Latroni, quàm Parricidæ?

Anno ML. Leo Nonus in Synodo Provinciali Romanâ Berengarij hæresin damnat, sic enim Landfrancus scribit: *Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua* (Berengarium alloquitur) *ad Apostolicam Sedem, qui cum Synodo præsideret ..... promulgata est in te damnationis sententia, privans te Communione sanctæ Ecclesiæ &c.* Eadem hæresis in Concilio quóque Vercellensi præsente eodem Leone iterum damnata est. Sed cùm Berengarius ad vomitum iterum, iterúmque rediret; sæpiùs quóque & à varijs Pontificibus ejus hæreses confixæ sunt, videlicet Leone IX. Victore II. Nicolao II. & Gregorio VII. Insigne verò est ejusdem sancti testimonium pro infallibilitate Pontificia, sic enim ad Petrum Patriarcham Antiochenum scribit: *Siquidem ab Apostolica tua sede nostram sedem consulendo perpendimus tuam Dilectionem nolle deviare à Dominico, & omnium Sanctorum Patrum concordi decreto, quo cunctis in toto Orbe terrarum Ecclesijs sancta Romana & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam majores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definienda referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, & sic ipse sanctus Sanctorum confirmat. Nimirum solus est Petrus, pro quo ne deficeret fides ejus, Dominus & Salvator asserit se rogâsse, quæ Venerabilis & efficax Oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi.* Nihil poterat Leo clarius dicere, tantóque majorem fidem ejus testimonium meretur, quòd omninò cum ijs concordet, quæ ijsdem ferè verbis S. Agatho professus fuerat, ac universali applausu Concilium sextum Oecumenicum exceperat. Credit Eminentissimus Aguirre (a) primum fuisse Leonem, qui processionem Spiritûs Sancti *à Patre Filióque* definierit. Primus enim invenitur eam Symbolo & Professioni fidei ad Petrum Patriarcham Antiochenum inseruisse, nam & anno 1054. Humbertum Legatum suum Constantinopolim misit ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, Processionem Spiritûs Sancti negantem, & ab eodem Michaële excommunicatus est, quòd Symbolo addidisset *Filióque.*

Anno MLXV. Hæresis Incestuosorum nata est, quàm plurimi enim, imò teste Petro Damiano, multa millia Christianorum præ-

(a) V. Card. Aguirre Tract. 1. de auctor. infall. Rom. Pontif. d. 10. & tom. 2. Theol. S. Anselmi dist. 91. & 92.

præcipuè præpotentium in tertio gradu nuptias contrahebant, quòd multorum Juris-Consultorum auctoritate ducti, gradus ex Justiniani præscripto numerarent, adeò ut fratrem & sororem in secundo gradu collocarent. Hanc Hæresin Alexander II. in Synodo Romana damnavit; sic enim loquitur in sententia Synodali: (a) *Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, Auctoritate vos Apostolicâ monemus, ut omnibus seriem Genealogiæ computandam intimetis, quemadmodùm SS. Patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos Ecclesiæ hactenus comprobâsse monstratur. Nam si quis perversâ & obstinatâ mente à recto tramite Apostolicæ Sedis deviare voluerit, & aliter quàm nos in nuptijs contrahendis gradus computare; primum pro sua temeritate cœlesti pœnâ plectetur: postmodùm verò gladio perpetui anathematis se noverit esse jugulandum.* Ad eundem Alexandrum Petrus Damianus contra insurgentem Simoniacam hæresin hæc scribit: (b) *Dignum est, ut Summo Pontifici patientis Ecclesiæ læsio nuntietur, ut nutantis fidei firmamentum, vel etiam ordo Religionis, qui confundi cœperat, instauretur. Nova prô dolor hæresis orta est, cui nisi quantociùs auctoritatis se vestræ vigor objiciat, timendum est, ne ad Religionis Christianæ perniciem cancer feraliter serpat.*

Anno MLXXXV. Obijt Gregorius VII. invictissimi animi Pontifex, & Regibus, cum quibus perpetuum ei bellum, formidandus. Multa is Pontificiæ infallibilitati testimonia reliquit. Is enim in Dictatu suo *canone 18.* ita definit: *Sententia Papæ à nullo debet retractari, & ipse omnium solus retractare potest.* Hanc Gregorij sententiam verissimam esse Ivo quóque Carnotensis Archiepiscopus profitetur, sic enim ad Johannem Archiepiscopum Lugdunensem scribit: *Non videtur nobis utile ad ea Concilia convenire, in quibus non possumus eas Personas, de quibus agitur* (agebatur verò de Paschali Papa, qui privilegium tradendi Episcopis investituras Imperatori concesserat) *judicare, vel condemnare, quia nec nostro, nec ullius hominis probantur judicio subjacere.* Sæpiùs hoc Ivo repetit, præsertim verò epistolâ 241. & 159. Sed multò maximè id confirmatum est in Concilio Quintileneburgensi, *Anno MLXXXV.* De quo ita loquitur Bertholdus ejus temporis scriptor: *Cùm ergo omnes juxta suum ordinem consedissent, prolata sunt in medium Decreta Sanctorum Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ, quòd nulli un-*

(a) Habetur c. ad Sedem Apostolicam 35. q. 4. (b) Habetur apud Baron. ad ann. 1065. n. 36.

quam liceat ejus judicium retractare, quod de totius Synodi professione laudatum, & confirmatum est. Vide, quæ in Regali Sacerdotio (a) de hac re diximus. Idem Gregorius VII. can. 26. *Catholicus non habetur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.* Hoc quóque Gregorij effatum omninò concordare cum aliorum Patrum doctrina, præsertim verò SS. Ignatij, Hieronymi, Cypriani, Ambrosij, aliorúmque, jam suprà ostendimus. Idem omninò est sensus S. Ivonis Archiepiscopi Carnotensis, sic enim scribit: (b) *Contra Apostolicam Sedem caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos in quantum in vobis est, destruitis, & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis, cujus judicijs & constitutionibus obviare est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Nota hunc esse illum Ivonem, quem Præsules Gallicani in Conventu Parisiensi epistolâ ad Innocentium datâ mirificis laudibus in Cœlum usque extollunt. Eadem sententia Adelberti Archiepiscopi Moguntinensis epistolâ 23. ad Ecclesiam Herbipolensem: *Noverit pro certo Dilectio Vestra, nos id ratum habere, quod Romana sanxit & determinavit Auctoritas, cujus terminos nec debemus, nec volumus transire, quia hæreticum esse constat, quisquis Romanæ Ecclesiæ etiam in tam justo judicio non concordat.*

Anno MCXL. Damnata est ab Innocentio II. hæresis Abailardi, qualis ea fuerit Bernardus his verbis explicat epistolâ 292. quæ est ad Guidonem de Castello: *Cùm de Trinitate loquitur, Arrium sapit: cùm de Gratia, sapit Pelagium: cùm de Persona Christi, sapit Nestorium.* Ad hanc ergo hæresin, quæ paulatim per Galliam serpebat, perimendam, ita idem Bernardus Innocentium implorat: *Verùm tu O successor Petri judicabis, an debeat habere refugium ad Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu inquam amice sponsi providebis, quomodo liberes sponsam à labijs iniquis, & à lingua dolosa ..... itaque ad consummationem Virtutum, & ne quid minùs fecisse inveniamini à magnis Episcopis Antecessoribus vestris, capite nobis Pater amantissime vulpes, quæ demoliuntur Vineam Domini.* Nec moratus Innocentius aquam gliscenti incendio affundere, coactâ Romæ Synodo novum hæresiarcham, novásque hæreses damnavit, sic enim ipse ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, & S. Bernardum scribit: *Nos itaque, qui in B. Petri cathedra licet indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio Universa ipsius Petri perversa dogmata Sanctorum Canonum Auctoritate cum suo Auctore damna-*

(a) Reg. Sacerd. lib. 2. §. 6. (b) S. Ivo epist. 8.

damnamus, eíque tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quóque ejus errores damnantes, eorum sectatores & defensores à fidelium consortio sequestrandos esse censemus. Ad eundem Innocentium II. ita scribit S. Bern. *Oportet ad vestrum Apostolatum referri pericula quæq; & scandala emergentia in regno DEI, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum quippe arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides detrimentum sentire; hæc quippe hujus prærogativa Sedis; cui enim alteri aliquando dictum est; ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua?* Hìc manifestè Bernardus docet Pontifices Romanos in causa fidei errare non posse: si enim errare possent, ergo posset eorum *fides detrimentum sentire* (quid enim est aliud detrimentum fidei, quàm error fidei) at Bernardus hoc negat; imò hanc infallibilitatem inter prærogativas reponit Sedis Romanæ. In eadem Abailardi causa Rhemensis, Suessionensis, Catalaunensis, & Atrebatensis Episcopi ita ad Innocentium scribunt: *Tuum est de cætero Beatissime Pater, ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ Decor Ecclesiæ maculetur, providere. Tibi commissa est sponsa Christi amice sponsi: Tuum est tandem UNi viro Virginem castam exhibere Christo.* Nec minùs nervosè Gotfridus Vindocinensis: (a) *Si cuilibet retractare placet, quod Romanus Pontifex facit, & in eum, qui soli Cœlo innocentiam debet, os ponere præsumit, &c.* Et epistolâ 30. *Eodem spiritu, quo dictante & lex prima per Moysen data est, & per Christum secunda, sancta Apostolica Sedes Leges, quas Canones appellamus, dedit, & ipso inspirante exposuit. Si quis igitur Apostolicæ Sedi, quæ Leges Canonum dedit, in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit, quicunque est ille, sed desipit, & quia suo spiritu loquitur, non cultor vel expositor Divinæ Legis, sed insidiator vel oppressor indubitanter agnoscitur.*

Anno MCXLVIII. A Romano Pontifice Eugenio III. in Concilio Rhemensi hæresis Gilberti Porretani examinata & proscripta est. In qua causa aliqua contigêre Pontificiæ infallibilitati apertè faventia. De illa hæc habet Otho Frisingensis: (b) *Gilebertus cùm quâdam die Conventum de sua Diœcesi Clericorum magnum celebraret, sermoni, quem fortè gratiâ exhortationis habebat, quædam de fide sanctissimæ Trinitatis inseruit, & à duobus suis Archidiaconis Arnoldo & Calone tanquam doctrinam instituens contrà Catholicæ Ecclesiæ normam, ad summi Pontificis Romanæq; Sedis examen appellatione mediante vocatur.* Fuisse verò hanc hæresin ab Eugenio III. damnatam testis est Goffridus

(a) Epistolâ 17. (b) Otho Fris. de histor. Frid. lib. 1. cap. 46. & 47.

in vita S. Bernardi : (a) *Ita demum*, inquit, *Apostolico judicio, & auctoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatus est.* Et Goufredus Monachus Cistertiensis : *Ibidem Dominus Papa auctoritate Apostolicâ de consensu totius Ecclesiæ, quæ convenerat, capitula ipsa damnavit, districtè præcipiens, ne eumdem librum legere, vel transcribere etiam sic reprobatum quis auderet, nisi prius Romana Ecclesia eum correxisset.* Illud quoque in hoc Concilio memoratu dignum contigit, videlicet S. Bernhardum unà cum Galliæ Episcopis fecesssisse, Symbolum fidei contra Gilberti errores conscripturum; quod cùm Cardinalibus innotuit, vehementer indignati sunt, quippe solius Romani Pontificis esse, Symbolum fidei fidelibus proponere, nec retrò temporibus ullum unquàm Symbolum valuisse, nisi à Pontifice confirmatum. Eugenius ubi has querelas intellexit, facti rationem à Bernhardo exposcit; is verò modestissimè, ut sanctum decuit, respondit, agnovitque unà cum Præsulibus Gallis Symbolum fidei condere ad solos Romanos Pontifices pertinere; se verò, quid Ecclesia Gallicana crederet, scriptis complexum esse, relictâ Pontifici auctoritate definiendi. Si ergò ex confessione Galliæ Antistitum, solus Pontifex est, qui fidei Symbolum condit, nec ullum Symbolum valet, nisi à Pontifice confirmatum: sequitur Pontificem in causis fidei esse infallibilem, quid enim magis ad fidem pertinet, quàm Symbolum fidei? & quid minùs erroris expers est, quàm Symbolum fidei? alioquin tota Ecclesia errare potest, quæ id credit, quod Symbolo fidei continetur. Sed præstat audire acta ex historia Othonis Frisingani: *Hoc Gallicana Ecclesiæ factum* (Symboli videlicet confectionem) *tam graviter sacer Cardinalium Senatus accepit, ut cum magna indignatione curiam intraret, ac Pontifici suo diceret..... Quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? quâ fronte contra Ecclesiæ Romanæ Primatum & apicem se erexit? Hæc enim est sola, quæ claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens à nullo in hoc singulari honore præjudicium pati potest, sed ecce Galli isti tanquam definitivæ sententiæ ultimam manum apponendo nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Quin imò juxta Antiquiorum exempla & instituta Romano servaretur examini terminandum.* Eugenius, cùm querelas benignè recepisset, ex Divo Bernardo rationem facti exposcit, à quo modestè responsum: *Se vel Dominos Episcopos*

(a) Gotfr. in V. S. Bernardi lib. 3. cap. 5.

nihil

nihil de præfatis Capitulis definisse, sed simpliciter quid sentiret, exposuisse. Quo tam humili, quàm modesto responso Cardinalium indignatio quievit, ita tamen, ut præfatum scriptum tanquàm inconsultâ Curiâ prolatum, velut Auctoritatis pondere carens pro Symbolo in Ecclesia, quod in Concilijs contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur. Vides hîc iterum, & Divum Bernardum, & Ecclesiam Gallicanam verbis, factisque testari, potestatem condendi Symbolum fidei, tesserámque veræ Religionis penès solum Pontificem Romanum esse, nec ullius Symboli auctoritatem aliquam esse, nisi illo probante, quod ut suprà diximus, certum est Pontificiæ Infallibilitatis argumentum.

Anno MCCCII. Celebratum est Viennense Concilium, in quo Petri Joannis hæreses (tres erant, videlicet, Christum adhuc viventem Lanceâ percussum: animam rationalem non esse formam Corporis: nullásque virtutes supernaturales in Baptismo infundi) damnatæ sunt, eâdémque occasione Pontificis Romani in rebus fidei decidendis auctoritas insigni testimonio asserta. Sic enim Pontifex in eodem Viennensi Concilio loquitur. *Nos igitur Apostolicæ considerationis, ad quam duntaxat hæc declarare pertinet, aciem convertentes &c.* Solius ergò Romani Pontificis officium & potestas est, ultimam sententiam in causis fidei proferre, & consequenter illi soli infallibilitas competit, nec Concilium contradixit.

Anno MCCCCLXXIX. Sixtus IV. Petri Osmanni Professoris Salmanticensis errores damnat. Ji erant, Confessionem non esse sacramentum, sed rem humanâ lege, non divinâ inductam: & Ecclesiam Romanam in hæresin prolabi posse. Sixtus hos errores hæresis notavit. Petrus verò palinodiam canens fidem suam in his verbis expressit: (a) *Consentio sanctæ Matri Ecclesiæ Romanæ, & Sedi Apostolicæ: & ore ac corde confiteor, illam me fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa auctoritate Apostolicâ & Evangelicâ tenet, & omnes, qui contra hanc fidem venerint, dignos æternâ damnatione pronuntio.*

Anno MDXXI. A Leone X. Pontifice Maximo damnati sunt, quos recens sparserat, ac Germaniæ intulerat, Lutheri errores. Verba Bullæ Leonis circa finem hæc sunt: *Auctoritate Omnipotentis DEI, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostrâ præfatos omnes errores tanquàm*

(a) Vide Raynaldum ad hunc annum, & Constitutiones Sixti IV. in Bullario.

tanquàm respectivè hæreticos, aut scandalosos, & veritati Catholicæ obviantes damnamus, reprobamus, atque omninò reijcimus; ac pro damnatis, reprobatu, atque reiectis ab omnibus Christi fidelibus haberi debere harum serie declaramus &c. Notandum verò est, fuisse ab eodem Leone X. Concilium Lateranense, quod Julius II. inchoârat, ad finem perductum; eique tanquam Oecumenico & sacrosancto Ludovicum XI. Galliæ Regem adhæsisse, ut habetur sessione 8. ac etiam Basileensi ac Pisano Conciliabulis expressis & conceptis verbis renuntiâsse. In hoc verò Lateranensi Concilio, quod Rex Galliæ pro legitimo & Oecumenico habuit, superioritas Papæ supra Concilia, ac consequenter infallibilitas in causis fidei sessione decimâ definita, multisque rationibus stabilita est; nec illi recitandæ immorari lubet, cùm omnibus sit nota, & in Regali Sacerdotio (a) prolixè exposita.

Anno MDLXXIX. Gregorius XIII. Michaelis Baij Lovaniensis Universitatis Cancellarij septuaginta novem propositiones velut hæreticas damnavit; easque ipse Bajus operâ Francisci Toleti posteà Cardinalis recantavit sequenti anno. Quin & Nicolaus Magnensis ex relatione Toleti addit, dixisse Bajum: *Malle se porcos pascere, quàm ulla in re Romani Pontificis judicio repugnare.*

Anno MDCLIII. Innocentius X. quinque Jansenij Propositiones hæreticas esse declaravit, atque anathemate inussit. Et quamquam Jansenius morte præventus, damnationi suæ haud supervixerit, certum tamen est ex ijs, quæ scripsit, eum Pontificiæ sententiæ tanquam infallibili acquieturum fuisse; sic enim tomo 2. sui Augustini l. 1. c. 29. scribit: *Mihi constitutum est, ad extremum usque Spiritum Romanam Ducem sequi Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illam hanc Petram ædificatam Ecclesiam scio; quicunque cum illo non colligit, spargit, apud eum solùm incorrupta Patrum servatur hæreditas; quodcunque ab ista Petri Cathedra, ab isto Christi Vicario præscriptum fuerit, teneo. Quidquid improbatum, improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.* Et libro 10. de gratia: *Quidquid de rebus tam multiplicibus, tam arduis, juxta mentem non meam, sed S. Augustini pronuntiavit, de Apostolicæ Sedis, Ecclesiæq; Romanæ Matris meæ judicio, sententiáque suspendo; ut illud jam nunc teneam, si tenendum: revocem, si revocandum: damnem, & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse*

(a) Regale Sacerd. lib. 2. §. 5. n. 15.

esse judicaverit. En ingenuam Jansenij Professionem! legerat Augustinum totum tredecies, & libros de gratia contra Pelagianos vicesies; eloquentiâ, ingenio, Theologicis scientijs florebat, & tamen Romano Oraculo hæc omnia submittit: taceo, scribo, revoco, improbo, utcúmque Romæ placuerit: quid amplius loqui poterat, ut Pontificis infallibilitatem satis testaretur? atque utinam Jansenistæ Jansenij sui modestiam imitentur; si enim eum Magistrum agnoscunt, ejúsque doctrinam sequuntur, cur rogo, non æquè ejus humilitatem, modestiam, Romanæque Cathedræ observantiam? Cum Jansenio sentitis, esto; sed cur non æquè cum Jansenio paretis? an verò pudet vos ab eo discere virtutem, à quo didicistis errorem? Sed Jansenio imputantur, quæ Jansenij non sunt. Nimirum, cùm Pius V. cùm Gregorius, cùm Innocentius, & Alexander Pontifices Jansenium damnârunt, innocentem, inauditúmque damnârunt, & tam cæci erant, ut, quæ Jansenius scripserat, imò impresserat, non viderent, aut saltem tam improvidi, injustíque, ut accusantibus crederent, nec probatâ causâ, nec reo convicto; præsertim cùm tam facilè calumnia notari posset, detegíque, si videlicet, qui hæc Jansenium scripsisse dicebant, in Jansenio non ostenderent; quid enim magis obvium, magísque parabile argumentum, quàm Jansenium accusantibus dicere: *Si hæc Jansenius in libris suis docuit, ergò libros ostendite*: erit aliquis tam ineptæ mentis, qui credat Jansenium à quatuor Pontificibus damnatum, & tamen istorum nulli in memoriam venisse, ut peterent sibi ostendi, ubi hæc Jansenius scripsisset? & demus hoc quatuor Pontificibus excidisse, quid dicemus de tot alijs Doctoribus & Theologis, qui illis assidebant, dum hæc causa examinaretur? nemini illorum res tam obvia, & tamen tam necessaria in mentem venerit? Sed fuerit Jansenius innocens, tantùm errores ipsi damnentur, & cum illo facilè in gratiam redibimus, quippe ut ostensum est, calamum, doctrinámque suam Romanæ sententiæ submisit. Cæterùm damnatas Jansenij propositiones in illius Augustino reperiri dubitari vix potest. Nam *prima* damnata propositio totidem ferè verbis habetur *l. 3. de statu Nat. lapsæ cap. 13. & l. 4. cap. 24.* *Secunda* propositio habetur *lib. 1. de gratia Christi cap. 1. & cap. 24. & cap. 25.* *Tertia* propositio habetur *lib. 6. de gratia Christi cap. 6. & cap. 8.*

Quarta propositio habetur *lib. 8. cap. 6. de hæresi Pelagiana*, & *ibidem cap. 7. & lib. 2. de gratia Christi cap. 12. & 25. & lib. 8. de gratia Christi cap. 3. & 15. & 19. Quinta* quòd Christus non sit pro omnibus mortuus *lib. 3. de gratia Christi cap. 21.* & fusius *cap. 20. & l. 8. de hæresi Pelagiana cap. 26. & 31.*

Sed quod hanc damnationem Jansenij spectat, illud præcipuè observandum est, non solùm fuisse illam ab octoginta quinque Galliæ Episcopis ab Innocentio X. expetitam, summóque plausu exceptam; verùm etiam ejus occasione à Gallicanis Episcopis Pontificiam Infallibilitatem enixissimè proclamatam; sic enim in epistola ad Innocentium data Anno 1653. loquuntur: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. Experta est nuper Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in profligando gemino errore auctoritas valuerit: continuò sedata est tempestas, átque ad Christi vocem & imperium mare & venti obedierunt. Quamobrem flagitamus Beatissime Pater, ut clarâ firmâque prolatâ istarum propositionum sententiâ caliginem omnem discutias; animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem reddas.* Hæc Galli ad Pontificem: sentiebant ergo infallibilem, ejúsque sententias ab omni errore exemptas esse; alioquin quomodo *caliginem omnem discuterent, animos fluctuantes componerent, dissidia prohiberent*; cùm semper respondere Adversarij possent, quod modò Galli respondent, cùm Romanis imperijs urgentur, videlicet, *Papam falli posse*; & ideò se ejus definitionibus non teneri. Aut ergo Galliæ Antistites, tunc cùm hæc scribebant, errârunt, aut errant modò, cùm primis contraria decernunt; aut quod verò propius est, idem & tunc & modò sentiunt, sed non idem loquuntur; quippe tunc pacati erant, modò indignati, & ideò calamo, linguáque infesti, animis licèt veritate convictis. Sed audienda est adhuc alia, multóque ad rem nostram accommodatior Gallorum Antistitum epistola. Sic enim ad Innocentium scribunt, postquam is Jansenij errores damnaverat: (a) *Quo in negotio* (damnatione videlicet propositionum Jansenij) *illud observatione dignum accidit, ut quemadmodùm ad Episcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæresin damnavit olim; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresin Pelagianæ ex adverso oppositam Innocentius X. auctoritate suâ proscripserit. Enim verò illius vetustæ ætatis Ecclesia sola Cathedra Petri*

(a) Anno 1653.

Petri communione & auctoritate suffulta, quæ in Decretali epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quámque deinde Zozimi altera ad Universos Orbis Episcopos subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini Nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Apollinarem & Macedonium, nondùm ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulo ante jactis, judicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis sententiam ponant, sive omittant) Divinâ æquè ac summâ per Universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quóque mentis obsequium præstare tenentur. Eâ nos quoque sententiâ ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debitâ observantiâ colentes Constitutionem Divini Numinis instinctu à Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam, &c. Hæc planè tam manifesta est Pontificiæ Infallibilitatis confessio, ut dici, imò nec optari efficacius possit: num Galli tunc temporis scripturas ignorabant? num eos, quid Concilia, quid Patres docuissent, quidve Gallicana Ecclesia sentiret, latebat? Quæ est ergo Galliæ Antistitum tam repentina mutatio, ut quod nuper sub uno Innocentio tam clarè asserebant, nunc sub altero Innocentio tam enixè repudient?

IX. *Denique Anno MDCLXXXVII.* Innocentius XI. Pontifex morum sanctitate, rerum caducarum contemptu, disciplinæ Ecclesiasticæ Zelo, propagandæ Catholicæ Religionis ardentissimo studio, animi magnitudine, etiam Regibus formidandâ, præclarissimis contra Turcas victorijs, quas immensâ auri profusione & sanctissimis apud Principes consilijs, & continuis lachrimis à Deo impetravit; Pontifex inquam, rerum gestarum, & animi magnitudine, antiquis illis Pontificibus Leoni, Nicolao, Gregorio, hæreticorum etiam confessione, planè similis, & cui parem, à multis retrò sæculis haud invenies; is, inquam, tantus Pontifex post accuratissimam, totóque biennio productam discussionem, Ludovici Molines Hæresiarchæ pernicioſissimos juxtà fædissimósque errores die 28. Augusti extra Concilium Oecumenicum solâ Apostolicâ auctoritate damnavit. Fuit Ludovicus Molines natione Hispanus Arragonensis, Doctoris & Sacerdotis dignitate insignis, tantáque doctrinæ & pietatis, quam accuratissimè simulabat,

opinione apud plerosque commendatus; ut dirigendis Primatum, ac præsertim nobilium Matronarum conscientijs passim adhiberetur; hinc illi laxandis pascendisque carnis cupiditatibus prona occasio: primò amor, tum error: inter thalamos & amplexus Contemplativam, mysticámque Theologiam docebat; eodémque momento adulterum agebat, Doctorémque: sed hæc intra Cubile, Virginúmque aut etiam nuptarum Academias: foris Angelo similis, & ecstases spiranti: crederes Paulum in tertium Cœlum altè sublatum: quotidianum sacrificium, lacrymarum perenne stillicidium, cùm ad aram staret: nullæ voces, quàm *de Oratione, sensuum morte, Unione ac quiete cum DEO.* Hinc tam multos etiam infulatos, purpuratósque infecit, dulci videlicet occultóque veneno; sed istis cognitâ fraude pœnitentia primùm, tum remedia successêre. Duos & viginti annos nunquam conscientiam expiavit, nunquam ex Catholico ritu carne abstinuit. Taceo alia memoratu pudenda. Tandem detectus, biennio Romæ intra carceres hæsit, quo tempore ejus erroribus detegendis, confutandisque à præclarissimis Theologis desudatum. Posteà publicè coram sacro senatu, Auláq; Romana, ac immensa populi frequentia errores suos recantavit; tantâ omnium execratione ejus doctrinæ capita & obscænitates auditæ sunt, ut repetitis populi vocibus ad flammas poscceretur. Summa errorum hæc fuit. Ut in elemento aëris, ita in anima hominis duas esse Regiones, superiorem & inferiorem, quas Theologi duos Appetitus vocant, Rationalem & sensitivum. Superiorem quod attinet, illic semper serenum & apricum esse oportere; hoc est Unionem cum DEO, ac perpetuum Contemplationis, amorisque solstitium, quale in Terrestri Paradiso fuit. At verò in animæ inferiori Regione turbidum, & tempestates gliscere, iras videlicet Concupiscentias, & reliquum passionum humanarum tumultum, néque has curandas esse sistendásve; sed permittendas potiùs explendásque, quippe naturæ innatas, nec magis culpæ obnoxias, quàm naturam ipsam, cujus illæ flores & fructus sint. Quis enim ægrè ferat uvas ex vite nasci, glandes ex quercu, spinas veprésque ex rubo? atqui eandem rationem esse, cùm voluptates ex carne leguntur, quippe æquè naturæ Corporeæ congenitas, ac glandes quercui, spinæ vepréque rubo. Imò coërcendis voluptatibus illis

frustra

frustra noxiéque laborem impendi: frustra, quia morari torrentem nemo potest, maximè cùm plenus est, redundátque. Noxiè verò, quia cùm illis obluctamur, laboramúsque sustinendis, unio interim quiésque cum DEO turbatur, quæ ut perennis sit & illæsa, pace potiùs cum sensibus, quàm bello curandum. Ex generali hac doctrina ad particulares alias propositiones non impias tantùm Molines, sed obscænas etiam dilabitur, dictu, auditúque indignas, adeò, ut cùm illæ ex suggestu legerentur, meritò *ignem, ignem,* Populus inclamaverit. Eæ inter alias sunt: *Oportere Potentias annihilari, & hanc esse viam internam. DEUM offendi, cùm aliquis operari aliquid activè conatur, cùm DEUS velit solus in homine operari; oportere igitur, ut quis se totum DEO deserat, & postea instar mortui & cadaveris se habeat. DEUS vult in nobis operari sine nobis. Anima nihil agendo, & nihil operando ad DEUM redit. Via interna est illa, in qua nec lumen, nec amor, nec resignatio in DEUM cognoscitur. Imò oportet ne quidem ipsum DEUM cognosci, & tunc res benè habet. Anima nec de DEO, nec de Cœlo, nec de inferno cogitare aliquid debet. Quæ semel DEO voluntatem suam commisit, nihil ampliùs, nec Cœlum nec Infernum curare debet, nec perfectionem aut sanctitatem, virtutésque, imò nec salutem propriam optare. Petere à DEO aliquid est imperfectio, sicut & gratias agere. Postquàm DEO voluntatem tuam commisisti, non ampliùs curandæ sunt tentationes, néque illis resistendum, nisi tantùm negativè, nullaque adhibitâ diligentiâ: & si natura aliquid sentit, permitte, ut sentiat, quia natura est. Oportet, ut in Oratione solam fidem obscuram & universalem habeas, & stes coram DEO ad ipsum amandum, nullum tamen actum eliciendo, nihilque agendo, quia DEUS hujusmodi mercibus haud delectatur. Cogitationes quantumvis impuræ, & contra DEUM sanctósque, si voluntariè non foveantur, nec etiam positivè repellantur, sed patienter tolerentur, non tantùm non impediunt Orationem, sed eam potiùs perfectissimam reddunt. Tædium rerum spiritualium bonum est, quia eo purgatur amor proprius.* Hactenus Molines, qui alias propositiones adjungit in favorem mollitiei, quam exemplis Sanctorum Jobi & Pauli sacrilegè promovere audet: nihil turpius, sed nec magis impium dictu auditúque est. Taceo igitur, quæ, nec legi nec scribi possunt sine horrore. Has ergo sacrilegas, obscænásque hæreses Innocentius XI. extra Concilium damnavit, & Ecclesia mox pro damnatis habuit. Porrò ex hac tam longa inductione, quâ ostensum est, quàm plurimas hæreses à solis Romanis Pontificibus damnatas esse, & Ecclesiam

hujusmodi damnationi necessariò acquievisse, adeò ut dubitari ampliùs non potuerit, teste etiam Gallicanâ Ecclesiâ in litteris ad Innocentium X. constat, inquam, Pontificis auctoritatem in rebus fidei decidendis infallibilem esse, omnisque erroris expertem, & quæ contra hanc sequelam objici possent, jam suprà refutavimus. Sic ergo etiam quartum signum Infallibilitatis Pontificiæ absolvimus.

X. *Quintum signum est*, ex praxi Romanæ Ecclesiæ, cujus meminit Berno (a) Monachus S. Galli, & posteà Abbas Augiensis *lib. 2. de rebus ad missam spectantibus*, qui habetur in Bibliotheca Patrum. Is refert, *in Ecclesia Romana multos annos sub sacrum nunquàm Symbolum cantari solitum, præter morem omnium aliarum Ecclesiarum; roganti verò causam Henrico primo Imperatori, Benedictum VIII. respondisse: quia traditio erat, Romanam Ecclesiam in fide errare non posse. Sed Henricus Benedicto persuasit, ut more aliarum Ecclesiarum etiam Romæ Symbolum caneretur.* Hæc Berno, qui ut ipse testatur, coram assistebat, audivitque responsum: *Me*, inquit, *coràm assistente audivi Pontificem hujusmodi responsum reddentem, videlicet, quòd Romana Ecclesia non fuisset aliquando ullâ hæreseos face infecta, sed secundùm S. Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa; & ideò magis necessarium esse illos Symbolum sapiùs cantando frequentare, qui aliquando ullâ hæresi potuerunt maculari.* Vides in hoc celebri Antiquitatis monumento, quàm antiqua fuerit traditio de Romani Pontificis infallibilitate, videlicet à Christi nativitate, sive potiùs à tempore Apostolorum úsque ad annum circiter 1014. quo credimus hoc colloquium inter Benedictum & Henricum contigisse, dum Romæ essent.

Dices, non hîc asseri Romanorum Pontificum, sed Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem.

Resp. Si particularis Romanorum Ecclesia errare non potest, multò magis errare non possunt Romani Pontifices; promissiones enim Christi ad Petrum ejúsque successores, non ad Ecclesiam, quæ Romæ est, referuntur; néque enim Christus dixit, se fundaturum Ecclesiam suam supra Romanorum Ecclesiam, sed supra Petrum: néque Christus pro Roma rogavit, ne ejus fides deficeret, sed pro Petro; cur ergo privilegium Petro adimis, quod Christus Petro dedit? & cur Romanæ Urbi confers, quod Christus Romæ non contulit?

(a) Obijt Berno Anno 1049. si Trithemio fides est.

contulit? & quo fundamento Romæ potiùs quàm Petro, Petríque successoribus? Fac Petrum non Romæ, sed Alexandriæ aut Antiochiæ mortem obijsse; quæro an tunc quóque Romanorum Ecclesia ab omni hæresi immunis futura esset? si immunis, quam ob causam illa potiùs, quàm aliæ Ecclesiæ particulares? si non Romana, sed Antiochena, ubi Petrus obierat, suique successores reliquerat; ergo infallibilitas & immunitas ab omni errore intuitu Petri & successorum à Christo Ecclesiæ concessa est; priùs ergo magísque infallibilis Petrus, ejúsque successores, quàm ipsa Ecclesia, cui Petrus præsedit; & planè cùm DEUS omnia suaviter & accommodatè ad rerum naturas operetur, adeò ut potentiam visivam v. g. oculo, non pedi infuderit, quia oculus magis dispositus est ad videndum, magísque oculo, quàm pedi videre convenit; quis credat DEUM, qui Romanum Pontificem caput & Magistrum Ecclesiæ Romanæ constituit, illum magis errori obnoxium esse voluisse, quàm Ecclesiam; cùm utíque magis conveniat Caput & Magistrum, quàm membra & discipulos errorum immunes esse, & quid rogo magis rationi adversum, quàm velle, ut erret, qui docet, non erret, qui discit? imò tam fieri non potest, ut errante Magistro non erret discipulus, quàm ut ductore errante non erret quoque qui sequitur, quémque is manu ducit: verbo, *non est discipulus super Magistrum, sed sufficit ei, ut sit sicut Magister*, teste ipso Christo Domino Nostro. Quamquàm nec ullis argumentis opus est, cùm ex Patrum testimonijs suprà citatis satis supérque constet, quid de Infallibilitate Pontificis Romani Ecclesia semper senserit.

§. II.

§. II.

Irrefragabilibus Patrum, Doctorum, & Univer: sitatum Galliæ testimonijs Romani Pontificis Infallibilitas probatur.

SUMMARIA.

1. Perpetuâ annorum serie infallibilitatem Pontificis Romani universæ Ecclesiæ Gallicanæ persuasam fuisse ostenditur, & primò testimonio S. Irenæi Episcopi Lugdunensis.

2. Edicto Valentiniani III. Imperatoris.

3. Auctoritate S. Aviti Episcopi Viennensis.

4. Secundæ Synodi Aurelianensis, & secundæ Turonensis.

5. S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, Caroli Magni, & Alcuini.

6. Jesse Episcopi Ambianensis, Ludovici Pij Imperatoris, & alterius Synodi Turonensis, Servati Lupi, & Rheginonis Abbatis Prumiensis.

7. Concilij Trecensis, & Pontigonensis. Hincmari Archiepisc. Rhemensis,

8. SS. Anselmi, Ivonis Carnotensis, Petri Cluniacensis, Bernardi, & Petri Cellensis postea Episcopi Carnotensis.

9. Concilij Lugdunensis primi & secundi, SS. Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, & Augustini Triumphi.

10. Ex sententia Petri Alliacensis Episc. Cameracensis, Concilij Constantiensis, & Florentini, Senonensis, & Melodunensis, at tandem Parisiensis.

11. Ex

11. Ex litteris Cleri Gallicani ad Innocentium X.

12. Ex thesibus PP. Societatis in Collegio Claremontano, & in Sorbona propugnatis, & præsertim testimonio Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis.

13. Ex assertione ipsius P. Maimburgi in sermonibus impressis.

14. Tandem ex auctoritate & consuetudine antiquissima ipsius Universitatis Parisiensis, & scholæ Sorbonicæ.

I.

SUpereſt jam, ut Eccleſiæ Gallicanæ conſenſum pro eadem Pontificis infallibilitate proferamus, quod methodo nobis familiari & chronologicâ jam probare aggredimur.

Anno CCV. Sanctus Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis Martyrio coronatus eſt. Is *lib. 3.* contra hæreſes *cap. 3.* ita loquitur: *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem Principatum neceſſe eſt omnes convenire Eccleſias, hoc eſt, omnes, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt, traditio.* At ſi errare poteſt, & ideò aliquando erret, non oportebit, *ad Romanam Eccleſiam omnes fideles convenire*, imò potiùs oportebit ab errante recedere: nec verum erit ſemper in illa *Apoſtolicam traditionem eſſe conſervatam*, nec enim doctrina erronea Apoſtolicæ traditioni conſentanea eſſe poteſt.

Nec obſtat. S. Irenæum de præterito loqui, non de futuro.

Reſp. Ea verba: *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem Principatum omnes convenire Eccleſias*, omne tempus complecti, cùm enim *potentior Principatus Romani Pontificis* ſit perpetuus, ita quoque neceſſitas eum conveniendi, quæ in hoc Primatu fundatur, perpetua erit. Et quam rogo ob cauſam major olim Romanis Pontificibus obaudiendi neceſſitas fuerit, quàm modò? an olim tantùm hæreſes vigebant? an Eccleſiæ retrò tantùm temporibus Magiſtro & fundamento opus erat? an Privilegium Petro collatum paucis tantùm annis, & non omnibus alligabatur? Auctoritas ergo Cathedræ

Petri aut semper, aut nunquàm Infallibilis fuit, cùm omnium temporum eadem sit ratio: par videlicet necessitas Ecclesiæ.

II. *Anno CCCCXLV.* Valentinianus III. Imperator insigne Edictum vulgavit contra S. Hilarij Pictavienſis Episcopi conatus, qui negabat posse Romam à Gallis appellari: quo simul edicto quanta fuerit in veteri Ecclesia Romani Pontificis auctoritas, egregiè exposuit; sic verò habet: *Cùm Sedis Apostolicæ Primatum S. Petri meritum, & Romanæ dignitas Civitatis sacra etiam Synodi firmârit auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius illicitum præsumptio attentare nitatur; tunc enim demùm Ecclesiarum pax ubique servabitur, si Rectorem suum agnoscat Universitas. Hæc cùm hactenùs fuerint inviolabiliter observata, Hilarius tamen, &c. His talibus contra reverentiam Sedis Apostolicæ admissis per Ordinem Religiosi viri Urbis Papæ cognitione discussis certa in eundem Hilarium lata est sententia; & erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim Pontificis tanti auctoritate in Ecclesias non liceret? sed nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius vel Hilario, nec unquam alteri præceptis Romani Pontificis liceat obviare, &c. hanc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum liceat contra consuetudinem veterem sine Papæ Urbis æternæ auctoritate tentare, sed illius, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerat Apostolicæ Sedis auctoritas.* Si non licet præceptis Romani Pontificis obviare; si quod Papa sancit, omnibus pro lege esse debet, idque veteri consuetudine in Ecclesia præceptum est: sequitur planè Pontificis sententias infallibiles esse, ac primitivam Ecclesiam, hoc est, multò ante quartum sæculum, id semper esse opinatam. Cæterùm causa Hilarij sic habuit. Damnaverat is Chelidonium, & sacris dejecerat, quòd sæcularis adhuc, cùm judicia exerceret, reos aliquot capitis damnâsset. Appellavit Leonem primum Chelidonius, suámque innocentiam tam clarè Pontifici probavit, ut Hilarius, qui eum Romam secutus fuerat, nihil posset opponere: non ideò tamen quievit, sed questus est, hujusmodi appellationibus Ecclesiæ Gallicanæ ordinem & statuta turbari: nec permoveri potuit, ut Chelidonio communicaret, imò insalutato Pontifice Româ evanuit. Gravissimæ sunt Leonis de Hilario querelæ; pœnituit tamen, & repetitis legationibus veniam à Pontifice rogavit, impetravítque, idque clarissimis verbis auctor ejus vitæ testatus est. Adeò nullus sanctus à casu immunis, sed

imitantur

imitantur solem, brevi tantùm, nec pertinaci Ecclypsi, & post occasum resurgentes.

III. *Anno DXXIII.* (Aut secundùm alios DXXVII.) Obijt sanctus Avitus Episcopus Viennensis *eruditione*, ut loquitur Ado, *& eloquentiâ præcipuus*: hic verò epistolâ 87. ad Hormisdam Pontificem: *Securus non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam.*

IV. *Anno DXXXVI.* Celebrata est secunda Synodus Aurelianensis, in qua triginta Episcopi, qui per se, vel per Vicarios interfuêre, ita canone primo loquuntur: *Quas etiam sectas Sedes Apostolica sancta condemnat: similiter & cum suis auctoribus & sectatoribus execrantes præsenti Constitutionis vigore anathematizamus atque damnamus; rectum atque Apostolicum in Christi nomine ordinem fidei prædicantes.*

Anno DLXX. (Alij ponunt annum DLXVII.) Celebrata est secunda Synodus Turonensis, in qua ita Patres loquuntur cap. 21. *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Sedis Apostolicæ semper fuit aut intromittere Auctores, quorum valere possit prædicatio, aut apocryphos facere: & Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præceperit auctoritas. Nos ergo sequentes, quos vel Paulus Apostolus, vel Papa Innocentius statuit in canonibus nostris inserentes, &c.* Nota antiquæ & Primitivæ Ecclesiæ Gallicanæ morem, & obsequium Pontificijs decretis præstitum: *Patres nostri*, inquiunt, *hoc semper custodierunt, quod eorum præceperit auctoritas.* Et paulò post pro eodem habent parisque auctoritatis: *Quod vel Paulus Apostolus, vel Innocentius statuerit*: fierine posset, ut Illustrissimi Galliæ Episcopi Parisijs congregati Innocentij Undecimi repetitis Decretis tam enixè obniterentur, imò ejus auctoritatem tanto conatu exarmatum irent, si Gallicanæ Ecclesiæ doctrinâ imbuti essent?

V. *Anno DCCLV.* Obijt S. Bonifacius Germaniæ Apostolus Martyrio coronatus. Is quæ tunc temporis de Infallibilitate Romani Pontificis in tota Ecclesia ac præsentim Gallia sententiâ fuerit, luculentissimo testimonio ostendit, quo nihil clariùs dici possit, nihilque efficacius; sic enim scribit: *Tantâ reverentiâ apicem Apostolicæ Sedis omnes suscipiunt, ut Sanctorum Canonum disciplinam, & antiquam Christianæ Religionis institutionem magis ab ore Præcessoris ejus, quàm à sacris Paginis & paternis Traditionibus expectent. Illius velle, illius nolle tantùm*

explorant, ut ad ejus arbitrium suam Conversationem & ipsi remittant, aut intendant.

Anno DCCXCII. Præsente Carolo Magno, multísque Galliæ Episcopis Ratisbonæ hæresis Felicis Episcopi Urgellitani (qui Christum Filium Dei adoptivum esse docebat) auctoritate Adriani I. Pontificis damnata est, de qua ita loquitur Alcuinus lib. 1. contra Elipandum: *Hæc eadem vestri erroris secta Synodali auctoritate Sacerdotum Christi æterno anathemate damnata, imò à beatæ memoriæ Hadriano Papa funditùs exterminata est.* At funditùs exterminata non esset, si objici Hadriano potuisset, eum in rebus fidei decidendis errare posse.

Anno DCCXCIV. Carolus Magnus cùm de eadem Felicis hæresi damnanda ageretur, convocatis Franciæ Episcopis, insigne auctoritati Pontificiæ testimonium dedit, dignúmque omnibus Galliæ Ecclesijs inscribi, sic enim loquitur: *Ad Beatissimum Sedis Apostolicæ Pontificem ter quatérque direximus missos, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia, edocta traditionibus de hac respondere voluisset traditione. Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & catholicis traditionibus totâ mentis intentione, totâ cordis alacritate conjungor.*

Anno DCCC. Circiter moritur Alcuinus primus Parisiensis Universitatis Auctor, qui *lib. 1. de div. off. c. 19. Religionis*, inquit, *cultum sic Dominus instituit, ut in Beato Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi capite dona sua vellet in corpus omne manare.*

VI. *Anno circiter DCCCIX.* Floruit Jesse Ambianensis Episcopus; is in epistola encyclica ad suos hæc habet: *Sequimur Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, ut unde Catholicæ fidei initia accepimus, inde exemplaria Salutis nostræ semper accipere debeamus, ne membra à corpore separentur suo; ne claviger Regni Cœlestis abijciat, quos à suis diversos intelliget esse doctrinis.*

Anno DCCCXL. Obijt Ludovicus Pius Imperator Caroli Magni filius, cujus sicut & Galliæ ac Germaniæ Episcoporum quænam de suprema Romani Pontificis auctoritate sententia fuerit, ex ejus Capitularibus in quarto additamento clarissimum est, sic enim habet: *Omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, quoties necesse fuerit, Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad Matrem fugiant, ut ab ea, sicut semper fuit, defendantur & liberentur, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorúmque successorum atque Canonum auctoritas reservavit, quoniam culpantur Episcopi, qui*

qui aliter erga fratres egerint, quàm ejusdem Sedis Papæ fieri placuerit, Canonibus quippe jubentibus in talibus absque Romano nihil decerni Pontifice, nec ad Concilium vocari debere decernunt.

Anno DCCCXLIX. Celebrata est Synodus Turonensis adversùs Ducem Britonum Nomenorium; Is à Carolo Francorum Rege missus Britanniæ minoris curam susceperat, aut potiùs tyrannidem, humanis, Divinísque vastatis, & Episcopis pulsis. Id ubi Leo IV. accepit, litteras ad Ducem scribit, monétque, ut tyrannide abstineat: sed tantum abfuit Britannum corrigi, ut ne Pontificis quidem litteras accipere dignaretur. Id Episcopis Galliæ tam indignum facinus visum est, ut ad Ducem in hæc verba scriberent: *Ad cumulum malorum omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium Beati Petri Apostolicum, cui DEUS dedit Primatum in omni Orbe terrarum, spreviſti, & ne litteras quidem ipsas recepisti; & quia nolebas à malo desinere, timuisti benè monentem audire. In eo igitur læsisti Apostolos, quorum Princeps est Petrus.* ..... Et infrà: *Maximum reatum te contraxisse scimus, quòd Epistolam Sedis Apostolicæ respuisti.* Si tantum támque indignum facinus viginti duo Galliæ Episcopi crediderunt, quòd Dux sæcularis ac Tyrannus, nullóque alio vinculo Pontifici obstrictus, quàm illo communi hominis Christiani, Epistolas Romanas non admisisset; quid dicerent rogo, & quale crimen judicâssent; si Episcopi tot titulis, ac juramento toties Romæ obnoxij, non tantùm Pontificis epistolas non acciperent, sed tot etiam modis eas neglectui haberent? & tamen Parisijs id factum.

Anno DCCCLII. Floruit servatus Lupus: Is epistola 103. ad Benedictum III. ita scribit: *In quibuscunque ad Religionem vel honestatem spectantibus ambiguitatem creat varietas, ut optima quæque eniteant, illic solicitâ investigatione credimus recurrendum, unde fidei ubique manavit exordium.*

Anno DCCCLIX. Rhegino Abbas Monasterij Prumiensis in Chronico ita scribit: *Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit.*

Anno DCCCLXVII. Celebratum est Concilium Trecense omnium Galliæ Episcoporum, qui ita loquuntur: *Judicium vestræ auctoritatis* (Joannem VIII. Summum Pontificem alloquuntur) *quod privilegio Divi Petri & Sedis Apostolicæ in eos, & complices eorum, juxta sacros Canones*

Spiritu DEI, & totius mundi reverentiâ conservatos, ac secundùm sacræ Romanæ Ecclesiæ Prædecessorum vestrorum Decreta protulistis, voto, voce & unanimitate nostrâ gladio Spiritûs Sancti persequimur, scilicet quos excommunicâstis, excommunicamus, quos ab Ecclesia abjecistis, abjicimus, quos anathematizâstis, anathematizamus, & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas & Apostolica Sedes receperit, recipiemus.

Anno DCCCLXXVI. Celebratum est in Gallijs Concilium Pontigonense, in quo Canone primo ita Patres decernunt: *Ut honor Domino, & spirituali Patri nostro Johanni VIII. Universali Papæ ab omnibus conservetur, & quæ secundùm sacrum suum ministerium Apostolicâ auctoritate decreverit, cùm summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illis reverentia in omnibus conservetur.*

Anno DCCCLXXXII. Obijt Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui licèt Romæ infestus, non potuit tamen non cedere veritati; sic enim de auctoritate Romani Pontificis loquitur in epistola ad Nicolaum I. *In omnibus dubijs vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ut omnium Ecclesiarum Mater & Magistra, nutrix ac doctrix est consulenda, & ejus salutaria monita sunt tenenda; unde quoniam sicut B. Innocentius ad Decentium Eugubinum Episcopum scribit, manifestum est, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulásque interjacentes nullam instituisse Ecclesiam, nisi eos, quos Venerabilis Petrus aut ejus successores constituerunt Sacerdotes; oportet hoc sequi, quod Romana tenet Ecclesia, ne dum peregrinis institutionibus studeant, caput institutionum videantur amittere.* Idem in libro de Prædestinatione contra Godescalcum cap. 4. *Sequimur autem, quod Catholica & Apostolica nos docet sancta Romana Ecclesia, quæ in fide nos genuit.* Idem Hincmarus præfatione ad Nicolaum I. PP. *Néque enim fas est, ut absque Vicario DEI, absque Clavigero Cœli, absque curru & auriga spiritualis Israëlis, absque Universitatis Pontifice, absque singulari Pastore, absque Unico Papa, absque omnium Arbitro aliquid consummetur, aut divulgetur: Tu enim tenes claves David. Tu accepisti claves scientiæ. In arca quippe pectoris tui, arca Testamenti & manna cœlestis saporis requiescunt. Tu enim, quod ligas, nemo solvit, quod solvis, nemo ligat; qui aperis, & nemo claudit, claudis & nemo aperit. Vicem námque in terris possides DEI.*

VIII. *Anno MCIX.* Moritur S. Anselmus ex Abbate Beccensi (qui locus est in Normandia Galliæ provincia) posteà Archiepiscopus Can-

Cantuariensis libro de Incarnatione Verbi Urbanum II. ita alloquitur: *Quoniam Divina providentia Vestram elegit sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur; nec ulli alij tutius, si quid contra errorem respondetur, consulitur, ut ejus prudentiâ examinetur.* Et epistolâ 73. ad Paschalem II. PP. *Non timeo exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad hæc omnia DEO confortante paratum est cor meum, pro Apostolicæ Sedis Obedientia, & matris meæ Ecclesiæ Christi libertate, certitudinem tantùm quæro, ut sciam absque ambiguitate, quid auctoritate vestrâ tenere debeam.*

Anno MCXIV. Obijt Ivo Carnotensis. Is epistolâ 8. ad Richerium Senonensem Archiepiscopum: *Dicitis me Sedem Gaufridi invasisse, in quo contra Sedem Apostolicam caput erigitis, cujus judicijs & constitutionibus obviare planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere.*

Anno MCXL. Floruit venerabilis Petrus Cluniacensis; is lib. 4. epistolâ 43. ita Innocentium II. alloquitur: *Spiritus Consilij, qui ubi vult spirat, qui per vos Ecclesiæ suæ per totum Orbem diffusæ assiduè consulit.*

Anno MCXL. Sex Galliarum Episcopi ad Innocentium II. epistolam scribunt (quæ est inter epistolas S. Bernardi 370.) in hæc verba: *Nulli dubium est, quòd ea, quæ Apostolicâ firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alicujus deinceps mutari possunt cavillatione, vel invidiâ depravari; ea propter ad vestram Apostolicam Sedem, &c.* Nota in his, eo tempore ne quidem in Gallijs de Pontificis Infallibilitate dubitatum esse.

Anno MCLIII. Obijt S. Bernardus clarissimum Galliæ & totius Ecclesiæ lumen. Is epistolâ 190. ita Innocentium II. alloquitur. *Oportet ad Vestrum afferri apostolatum pericula quæq; & scandala emergentia in Regno DEI, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum námque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum; hæc quippe hujus prærogativa Sedis; cui enim alteri aliquando dictum est: ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?*

Anno MCLXXXVII. Obijt Petrus Cellensis, Episcopus posteà Carnotensis, qui epistolâ 3. Romanum Pontificem appellat: *Petrum radicatum & fundatum in montibus Sanctarum auctoritatum, & in medio, ubi Mater Ecclesia nidificat, in foraminibus Petræ, & in cavernis maceriæ: ad voces Rotarum, quæ in se habent spiritum vitæ, securus sequor, quia facies Leonis præcedit.*

dit, ne aliquid noceat: facies hominis, ne aliquid decipiat: facies vituli, ne vanitatis aliquid subripiat: facies Aquilæ, ne aliquid dubietatis remaneat, vel tarditatis prepediat. Regula veritatis tornavit rotas istas in circuitu, & orbe veritatis æternæ; tantæ auctoritatis, ut nullius ditioni subjaceat: tantæ maturitatis, ut nunquàm vultum Deificum deponat; tantæ certitudinis, ut nulla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio in eam incurrat.

IX. *Anno MCCXLV.* Concilium Lugdunense primum, in quo flos Gallicani Sacerdotij, habitum est. Id verò Pontificum infallibilitatem insigni testimonio his verbis probavit: *Pro humani Redemptione Generis DEI Filius JESUS Christus, ne gregem sui pretio sanguinis redemptum post Resurrectionem ad Patrem absque Pastore desereret, ipsius curam B. Petro (ut suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana Religione firmaret, eorúmque mentes ad salutis opera suæ accenderet devotionis ardore) commisit.*

Anno MCCLXXIV. Convenit Concilium Lugdunense secundum, in quo iterùm infallibilitas Pontificia egregiè confirmata, sic enim Patres, quorum præcipua pars Galli, loquuntur: *Fideli ac devotâ confessione profitemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio tanquàm ex uno principio unicâ spiratione procedit. Hoc professa est, hactenus prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium & Magistra.* In eodem Concilio recepta est à Patribus, communique assensu probata Professio fidei Orthodoxæ à Græcis his verbis, quæ infallibilitati manifestè suffragantur, expressa: *Ipsa quóque sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super Universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive Vertice, cujus Romanus Pontifex est successor cum potestatis plenitudine, recepisse veraciter, & humiliter recognoscit, & sicut præ cæteris fidei veritatem tenetur defendere, sic & siquæ de fide suborta fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.* Potuítne clariùs, majorique Gallorum consensu Infallibilitas Romana commendari? aut Concilium pateretur privilegium causas fidei decidendi se vidente ad Pontificem Romanum transferri, si crederet illud non Pontifici, sed Concilio datum esse?

Anno MCCLXXIV. Obijt S. Thomas Aquinas clarissimum totius Ecclesiæ ac præsertim Galliæ Lumen, átque à vitio adulandi longissimè remotus. Hic verò tam sanctus, tam magnus Doctor, & cui Gallia parem non habuit, Pontificiæ infallibilitati omnium clarissimè

clarissimè & frequentissimè suffragatus est. Quodlibeto 10. a. 6. hæc habet: *Magis standum est sententiæ Papæ (ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert) quàm quorumlibet sapientum in scripturis opinioni.* Et *2. 2. q. 1. a. 10. Respondeo dicendum, ad illius auctoritatem pertinere editionem Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ causæ referuntur, ut dicitur in Decreto distinctione 17. & hujus ratio est, quia una debet esse fides totius Ecclesiæ; quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideò ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam.* Et *2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. Postquàm autem essent aliqua Ecclesiæ auctoritate determinata, hæreticus esset, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice, ut dicitur in causa 24. q. 1. Contra cujus auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sanctorum Doctorum suam sententiam defendit.*

Eodem Anno MCCLXXIV. Obijt S. Bonaventura doctrinâ & sanctitate pari, ac Parisiensis Universitatis Doctor celeberrimus, qui hanc ipsam sententiam docuit de Pontificis Romani infallibilitate in Breviloquio, 6. parte, capite 3. & initio expositionis Regulæ S. Franciſci eadem hoc argumento confirmat: *Quia alioquin Synagoga felicior fuisset, quàm Ecclesia, quia illa habebat unum Summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet ex Deuteronomio capite 17.* Floruit eodem tempore S. Augustinus Triumphus Parisiensis Universitatis Doctor ac Professor, qui pro eadem infallibilitate hæc habet de potestate Ecclesiastica. q. 10. *Si aliqua sunt dubia & obscura in fide, ad Papam pertinet interpretari, & determinare, post cujus determinationem hæreticum esse contrarium pertinaciter asserere.*

X. *Anno MCCCLXXXVII.* Petrus Alliacensis Gallus Doctor & Cancellarius Universitatis Parisiensis, ac posteà Cardinalis & Episcopus Cameracensis, ac proinde doctrinâ Ecclesiæ Gallicanæ apprimè imbutus, non suo tantùm, sed etiam Universitatis nomine Clementem VII. quem Gallia pro vero Pontifice agnoscebat, sic alloquitur: *Igitur pro vestris humillimis filijs Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum nuntijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur*

innitimur, corde & ore unanimiter protestamur, quòd quidquid hactenùs in hac causa actum est, & quidquid in ea nunc vel aliàs acturi, aut dicturi sumus, correctioni & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus, dicentes cum beato Hieronymo: Hæc est fides Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, in qua si minùs peritè, aut minùs cautè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmiter tenemus, & nullatenùs dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica est illa cathedra Petri, supra quam fundata est Ecclesia eodem Hieronymo teste, & sicut dixit Cyprianus d. 93. can. qui Cathedram: de qua Sede in Persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Observa hîc Lector, quænam tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ, & Universitatis Parisiensis de Pontificis auctoritate infallibili mens & sententia fuerit; profitetur enim Alliacensis, se non tantùm ex Universitatis mandato hæc proferre, verùm etiam juxta ejus doctrinam; id enim significant ea verba: *documentis innitimur.*

Anno MCCCCXVIII. Celebrata est sessio quadragesima quinta Concilij Constantiensis, in qua omnibus Concilij Patribus ac præsertim Gallis præsentibus, qui maximam ejus Synodi partem agebant, Constitutio Martini V. nullo omninò Patrum reclamante, & consequenter nullo non consentiente (quis enim nescit silentium pro consensu esse, quando loqui oporteret) publicis Concilij actis inserta est in hæc verba: *Nulli fas est, à supremo Judice videlicet Apostolica Sede seu Romano Pontifice appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquàm majores ad Ipsum & Sedem Apostolicam referenda sunt) declinare.*

Dices: Reclamâsse Johannem Gersonem scripto contra illud Decretum prolixo opere.

Resp. Aliud est Gerson, aliud Patres Concilij Constantiensis; hos ego suffragatos esse illi Constitutioni contendo, isti enim suffragium ferebant, isti partes illius Synodi, & ideò Spiritus Sanctus per istorum ora loquebatur. Gerson privatus tantùm Doctor, nec ad Patres Concilij, de quibus mihi tantùm sermo, spectabat. Non enim ideò Concilium invalidum, aut ejus Decreta possunt in dubium revocari, quia aliquis Doctorum in ea declamavit; alioquin quid erit in Concilijs satis tutum & firmum, cùm nunquàm hisce floribus crabrones defuerint? & quis Gerson, quantâvis doctrinâ,

ut

ut toti Concilio præponas? præsertim cùm metus Schismatis trium Pontificum ambitione excitati, prolatique in longum tempus, Gersonem urgeret Pontificiæ auctoritati in arctum cogendæ? Ergo Zelus magis Gersonem,& cupiditas Ecclesiam quovis modo juvandi, quàm ratio agebant; quæ causa fuit, ut remedia corriperet ipsis morbis pejora, truncato videlicet capite, aut lethaliter saucio, quò corpori mederetur: & verò etiam præcipuos sanctitate ac doctrinâ viros, cùm obtentu pietatis & Zeli, privatis sententijs nimiùm animos laxarent, in errores incidisse ab ijs ipsis posteà agnitos, defletósque, exempla Cypriani & Hilarij plùs satis ostendunt. Erravit ergo Gerson, nec mihi ejus errores pro exemplis proponi patiar.

Anno MCCCCXLI. Comparuit in Florentino Concilio Legatio Caroli VII. Francorum Regis, ac Concilij Bituricensis, cujus Legationis Princeps Episcopus Meldensis sui Regis, Gallorúmque Episcoporum nomine, quæ Basileense Concilium contra supremam Pontificis & Monarchicam auctoritatem decreverat, eam Concilijs submittendo, penitus improbavit; admisit verò, séque amplecti professus est, quæ pro eadem Monarchica, supremáque ac omni Concilio superiore potestate Florentinum Concilium statuerat; sicque Pontificiæ infallibilitati insigne testimonium præbuit, verba Meldensis Episcopi coram sacro, purpuratóque senatu perorantis hæc sunt: *Nimio fervore resistendi Basileenses ad hanc vesaniam devenerunt, quòd supremam potestatem in uno supposito consistere negent, sed eam in multitudine* (nota, quæso, quo elogio Galli eorum sententiam insigniant, qui supremam de rebus fidei judicandis potestatem non *uni supposito*, hoc est, Pontifici, *sed multitudini*, hoc est, Concilio tribuunt, quæ citò in diversa scinditur) *collocant,& sic pulcherrimam Monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos hucúsque tenuit in unitate fidei, in una Professione Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in ijsdem ceremonijs Divini cultûs, atque pacem, & tranquillitatem asseruit, nunc abolere & supprimere contendunt, nobilissimam politiam ad Democratiam vel Aristocratiam redigentes..... & hoc animadvertens præfatus Rex Christianissimus vehementi dolore ingemiscit, ac consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientum regni sui videtur sibi, quòd nullum est aptius remedium ad hoc Schisma extirpandum, quàm evellere ac disperdere duas ex-*

tremitates, ad quod faciendum necessarium est Concilium Generale. Porrò Concilium Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit. Concilium autem Florentinum benè hanc veritatem lucidavit, ut patet in Decreto Græcorum, sed pro regulando usum hujus potestatis nihil edidit, &c. Amabò te, poterant Galli supremam & Monarchicam Pontificis potestatem, ex qua necessariò irreformabilitas, & consequenter Infallibilitas resultat, pluribus & pulchrioribus verbis testatam facere? Poterant apertiùs enixiúsque Basileensis Synodi sententiam detestari, hanc ipsam supremam & irreformabilem potestatem Pontifici adimentis, & transferentis in Concilium? Poterant rotundiùs, clariúsque Florentini Concilij Decreto subscribere, quo hæc ipsa suprema & irreformabilis auctoritas luculentissimè asserta est? Quòd verò *regulari usum hujus potestatis* Galli petant, moderata, prudénsque postulatio fuit, eo præsertim tempore, quo ambitione luxúque Pontificum discordiæ flagrabant, & ideò Concilium Tridentinum hunc ipsum usum Pontificiæ Potestatis sanctissimis Decretis intra honestum coërcuit. Neque id obstat sententiæ nostræ, qui non de usu aut abusu loquimur, sed de ipsa potestate, quæ cum aut sine abusu esse potest, nec ullus negat posse Romanum Pontificem non tantùm à Concilio, sed à quovis Episcopo moneri, dirigíque regulis tantæ moli sustinendæ paribus, quemadmodùm id S. Bernardus cum Eugenio fecit: quantò ergo magis id Concilium poterit à Pontifice confirmatum? tunc enim non tam Concilij, quàm Pontificis auctoritas erit.

Anno MDXXVII. Concilium Senonense in Gallijs celebratum est, præside Senonensi Archiepiscopo Galliarum Cancellario. Sexdecim in illo Decreta edita sunt contra Lutheri hæreses, in eorum uno, ubi de auctoritate Sedis Apostolicæ, hæc habentur: *Universos, qui aliter quàm Romana credit, & docet Ecclesia credere & pertinaciter asserere tentant; ejusdem Concilij auctoritate veluti hæreticos & pertinaces à Communione Fidelium declaramus separatos.* Quid rogo est Papam infallibilem esse, si hoc non est?

Anno MDLXXIX. Celebratum est in Gallijs Concilium Melodunense, in quo ita Patres loquuntur: *Operam dabunt ij, quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet, & eorum Vicarij, ut in omnibus Synodis omnes*

omnes & singuli tam Clerici, quàm Laici amplectantur, & apertâ Professione eam fidem pronuntient, quam sancta Romana Ecclesia, Magistra Columna & firmamentum veritatis profitetur & colit; ad hanc enim propter suam principalitatem oportet omnes convenire Ecclesias.

Anno MDCXXVI. Peracta est Synodus Parisiensis, in qua Ecclesia Gallicana tam eleganter, diffusèque hanc ipsam infallibilitatem explicavit, totique Clero commendatam & inculcatam voluit, ut non credam vel Romæ, in ipsóque Pontificis sacrario id aliquandò luculentiùs factum esse. Sic enim articulo 137. loquitur sub hoc Titulo: *Advis de l' Assemblée generale du Clergé de France à Messieurs les Archevesques & Evesques de ce Royaume.* Hoc est. Monita Conventûs Generalis Cleri Gallicani ad Dominos Archiepiscopos & Episcopos hujus Regni. Latinè reddam, quidquid illic Gallicè habetur: *Nullum majus argumentum veri erga DEUM amoris exhiberi à nobis potest, quàm si debitâ veneratione eos prosequamur, quos ipse ad necessitates, animásque nostras curandas Vicarios, Legatósque suos constituit. Id verò cùm præcipuè átque ante omnes Episcopos Romano Pontifici conveniat, æquum omninò est, ut ÿdem Episcopi & se Pontifici subjectos agnoscant, & alÿs omnibus eximiæ in illum venerationis ac reverentiæ exemplum præferant. Hortamur igitur Episcopos omnes, ut sacram Apostolicam Sedem, Romanámque Ecclesiam, utpote in DEI sponsione infallibili, & Apostolorum ac Martyrum sanguine fundatam, omniúmque Ecclesiarum Matrem omni honore, cultúque prosequantur. Ipsa enim, ut cum Beato Athanasio loquamur, est sacrum illud Caput, à quo in omnes Ecclesias velut in totidem membra omnis spiritus diffunditur, quo nutriuntur ac conservantur. Sanctissimum quóq; Patrem & Pontificem nostrum, quippe Ecclesiæ Universalis Caput visibile; Deiq; in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum, & Patriarcham Patriarcharũ honore afficient, is enim successor est Petri, à quo omnis Episcopus initium átq; Originem duxit, & super quem Christus JESUS Ecclesiam suam fundavit, quando illi Claves Regni Cœlorum, atque Donum infallibilitatis (NB.) in causis fidei reliquit: quam fidem non sine ingenti miraculo durare in ejus successoribus immobilem illibatámque videmus; unde ingens illa, in Romanorum Pontificum Decretis, mandatísque amplectendis apud omnes fideles & Orthodoxos observantia profecta est. Hæc verò, ut nihil detrimenti capiat, Episcoporum munus erit, curabúntque eorum improbitatem coërceri, qui obsequij omnis, legúmque impatientes, sacram hanc tot Divinis humanísque legibus sancitam auctoritatem revo-*

care in dubium, cassámque reddere conantur: útque alios efficaciùs ad id permoveant, primi ipsi exemplo præibunt, &c. &c.

XI. *Anno MDCL.* Clerus Gallicanus in Comitijs Generalibus epistolâ ad Innocentium X. ita scribit. *Scimus ubi Caput Ecclesiæ, ibi totius fidei arcem, totius & disciplinæ Metropolim esse.*

Anno MDCLIII. Galliæ Episcopi Octoginta quinque, litteras ad Innocentium X. dedêre, quibus Jansenij propositiones damnari petebant, simúlque Pontificiam infallibilitatem insigni testimonio confirmârunt. Verba eorum sunt. *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquàm deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. Decennium est, ex quo gravissimis turbis Gallia magno nostro mærore commovetur ob librum posthumum & doctrinam Reverendi Cornelij Jansenij Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat, tum Concilij Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, quam Urbanus VIII. adversùs Jansenij dogmata pronuntiavit, & Decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Bajum edita confirmavit. Atq; hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vendicâsti, sed quia nulli sigillatim propositioni certa Censuræ nota inusta fuit; locus etiamnum aliquis quorundam cavillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitùs speramus, si ut precamur sanctitas Tua, quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctéque definiat. Experta est nuper Beatitudo Tua, quantum Apostolicæ Sedis in gemino errore profligando Ecclesiæ Capitis valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus Beatissime Pater, ut clarâ, firmáque de propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ, cui Reverendus ipse Jansenius morti proximus opus suum subjecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem restituas, &c.* En Galliæ Præsules fatentur: *In Sede Apostolicâ fidem Petri nunquàm defuisse: Summi Pontifices è cathedra pronuntiantu Decreta hujusmodi esse, ut omnibus cavillis & effugijs locum penitùs intercludant: esse vocem & imperium Christi: illis ventos & mare obedire: illis omnem caliginem discuti, animos fluctuantes componi, dissidia prohiberi, &c.* Planè evidens omninò est, hæc elogia tam seriò ac meditatò, nec ab adulantibus, sed ab Episcopis, repetita, constare non posse, nisi admissâ infallibilitate. Quomodo enim sententia Pontificis est vox Christi, si erronea? an vox Christi errori est obnoxia? quomodo dissidia omnia & animos fluctuantes componit, si dubia & incerta? Quâ ratione dici potest, illi *ventos*

&

& mare obedire, si fideles in causis fidei non tenentur ante Concilium Oecumenicum imperanti, & decidenti acquiescere ? an verò major in Romanum Pontificem ventis & mari, quàm Gallis Obedientia, ut cui venti & mare obediunt, obtemperare Galli non teneantur, majórque istis, quàm duobus illis nunquàm sibi constantibus elementis sit adversandi licentia ? Denique quî fieri potest, ut fides Petri *nunquàm in Sede Apostolica defecerit*; si Sedes & Cathedra Apostolica in causis fidei decidendis errare & falli potest, imò aliquando erravit? Agnoverunt ergo Galli, altéque professi sunt Pontificiam infallibilitatem.

Eodem Anno MDCLIII. Galliæ Antistites Lutetiæ congregati numero triginta præeunte Cardinali Mazarino clarissimè hanc ipsam infallibilitatem & agnoverunt, & scriptis consignârunt. Idque sub Innocentio X. hoc est, sub Pontifice Gallis haud quaquàm grato, & cujus electioni, ut notum est, palàm adversati sunt, adeò, ut Antonius Barberinus gratiâ excideret, quòd electionem promovisset. Mazarini quóque Cardinalis cum Aula Romana & Pontifice dissidia notiora sunt, quàm ut commemorari debeant, & tamen eo tempore, sub eóque Pontifice, cui Galli palàm offensi erant, præpotuit veritas indignationi, & præclarissimum testimonium etiam ab iratis expressit. Sic ergo in litteris ad Innocentium X. datis, postquam Jansenij propositiones damnaverat ; Galliæ Antistites decimâ nonâ Julij inter alia scripsêre : *Quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodùm ad Episcoporum Africæ relationem Innocentius I. hæresin Pelagianam damnavit olim ; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresin ex adverso Pelagianæ oppositam Innocentius X. auctoritate suâ proscripserit. Enim verò vetustæ illius ætatis Ecclesia solâ cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta Pelagianæ hæresis damnationi ábsque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex pollicitatione Christi Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Apollinarem & Macedonium nondum ab ulla Synodo Oecumenicâ damnatos, à Damaso paulò ante jactis, judicia pro sancienda Regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis Relationis sententiam ponant, sive omittant) Divinâ æq, ac summâ per Universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quóque mentis obsequium præstare tenentur. Eâ nos quóque sententiâ ac fide imbuti Romanæ Ecclesiæ præsentem,*

sentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem, &c. Circa hanc Gallorum Præsulum epistolam observanda sunt aliqua, *Primò.* Gallicanos Antistites hisce litteris Pontificiam Infallibilitatem apertissimè professos esse, cùm enim dicunt: *Sententiâ Innocentij hæresin Jansenianam proscriptam esse; omniúmque Pontificum Romanorum sententias pro sanctenda regula fidei Summâ Divináque per Universam Ecclesiam auctoritate niti, eíque omnes Christianos ex officio ipsius mentis obsequium præstare teneri.* Planè nihil aliud dicunt, quàm Pontificem in sancienda Regula fidei *auctoritatis esse infallibilis:* Auctoritas enim fallibilis, non est *Divina,* non est *suprema* (cùm corigi ab alia majori auctoritate possit) non est *Regula fidei*, nec illi *omnes Christiani mentis obsequium præstare tenentur*, alioquin omnes Christiani, & consequenter etiam tota Ecclesia errare posset. *Secundò* fatentur ijdem Gallicani Patres, sententias Pontificum non ideò esse certas, quia Ecclesia illas recipit; sed potiùs *Ecclesiam teneri eas recipere*, idque quia *sanciunt regulam fidei, & quia suprema ac Divinâ auctoritate nituntur*, sicque antecedenter ad Ecclesiæ consensum certas & infallibiles esse. *Tertiò.* Docent quóque contra Maimburgi anilem exoletámque cantilenam, hanc de Pontificis Romani infallibilitate sententiam, non esse novam, recénsque in scholis natam; ut ille comminiscitur; sed jam, *a tempore Damasi Papæ Apollinarem damnantis* (id verò contigit anno Christi 373.) *in veteri Ecclesia receptam, imò à sponsione Christi Petro facta.* Quid posset rogo efficaciùs dici? tamen Maimburgus hæc omnia silentio tegit ignoranti similis.

XII. *Anno MDCLX.* Patres Societatis Collegij Claremontani publicè theses proposuêre, quibus Infallibilitatem Summi Pontificis, non tantùm in quæstionibus juris, sed etiam in quæstionibus facti defendendas suscepêre. Thesis ita sonat: *Christum ita Caput Ecclesiæ agnoscimus, ut illius regimen, dum in Cœlos abijt, primùm Petro, tum deinde successoribus commiserit, & eandem, quam habebat ipse Infallibilitatem concesserit, quoties ex Cathedra loquerentur. Datur ergo in Ecclesia Romana Controversiarum fidei Judex infallibilis etiam extra Concilium generale, tum in quæstionibus juris, tum facti; unde post Innocentij X. & Alexandri VII. constitutiones credi potest librum, cui titulus: Augustinus Jansenij, esse hæreticum, & quinque ex eo propositiones decerptas esse Jansenij, & in sensu Jansenij damnatas.* Sic paucos ante annos Patres Societatis sentiebant, scribebántque,

que, nec præsumi de illis potest tam prudentibus, támque circumspectis, voluisse Parisijs propositionem tueri, quam doctrinæ Gallicanæ adversam crederent.

Dices. At Patres Societatis jam mutârunt sententiam.

Resp. Non tam mihi curæ esse, quid jam in Gallijs sentiatur, quàm quid olim senserit Ecclesia Gallicana; néque enim decet, ut novi recentésque antiquis præferantur, præsertim cùm tam multa jam in Gallijs contigerint, quæ aut prodere veritatem, aut celare compulerint. Cur eo tempore Galliam interrogas, cùm loqui non sinitur? interroga liberam, pænísque ac metu solutam, qualis videlicet fuit tot retrò elapsis sæculis. Patres societatis, quod attinet, non in Gallijs tantùm, sed toto terrarum Orbe Infallibilitati subscripsisse adeò notum est, ut nullâ probatione indigeat. Post Regiam verò declarationem certum est, Patres societatis nunquàm induci potuisse, ut contra Infallibilitatem Pontificiam aliquid docerent, licèt id Regio edicto caveretur. Quòd verò siluerint, nec calamum pro Pontifice strinxerint; id fortè tempori datum, expectatúmque, dum torrens laberetur, & morâ periculum vanesceret, nam & lusciniæ cantum hyeme abrumpunt, vernis solibus repetituræ; æstatem ergo societas expectat hyemi succes-suram, & tunc canet.

Eodem Anno MDCLX. Die nonâ Decembris Sorbona eandem infallibilitatem in publica Disputatione defendit hujusmodi propositâ Thesi: *Romanus Pontifex Controversiarum Ecclesiasticarum constitutus est Judex à Christo, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promisit.* Ita testatur de Marca nominatus Parisiensis Archiepiscopus mox citandus.

Anno MDCLXII. Petrus de Marca nominatus Archiepiscopus Parisiensis in observationibus supra dictas theses Claremontanas (quas ultimum ejus opus fuisse doctissimus Saluzius testatur) numero 22. 31. & 34. ita scribit: *Hæc opinio* (quæ videlicet Infallibilitatem Pontifici Romano asserit) *est illa, quam unicè Hispania, Italia, aliæq; omnes Christianitatis Provinciæ docent; ita ut illa, quam sententiam Parisiensium Doctorum vocant, ad classem earum opinionum revocanda sit, quæ solùm tolerantur..... Auctoritas infallibilem sententiam in causis fidei pronuntiandi est Romanis Pontificibus omnium Universitatum consensu acquisita, exceptâ tamen*

antiquâ Sorbonâ. Imò hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus; nam duodecimâ mensis Decembris anno 1660. in Sorbona publicè hæc thesis defensa est videlicet, Romanus Pontifex Controversiarum Ecclesiasticarum est constitutus Judex à Christo, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promisit. Eandem thesin in Universitate Navarica septimâ Decembris propugnatam scimus. Et infrà, numero 34. circa finem de Doctoribus Galliæ: *Pars major non solùm Theologiæ, sed etiam Juris Doctorum communi opinioni adhæret, utpotè fundamentis nixæ solutu difficillimis; ridétque antiquæ Sorbonæ opiniones.* Vides Doctissimum hunc Virum fateri, sententiam de Infallibilitate Pontificis esse omnium Universitatum Christianitatis, imò omnium ferè Doctorum Universitatis Parisiensis, *exceptâ antiquâ Sorbonâ*, imò hujus opinionem à reliquis rideri. Ut verò intelligas, quid nomine *antiquæ Sorbonæ* de Marca intelligat; sciendum est, Collegium Sorbonicum fuisse à quodam Roberto Sorbon (qui sancto Ludovico Regi à sacris confessionibus & eleemosynis erat) anno 1253. fundatum; quo tempore in Ecclesia Gallicana sententiam de Romani Pontificis infallibilitate viguisse jam suprà monstratum est. Sequenti posteà sæculo hoc est anno 1373. inflammari cœpit diuturnum illud, & obstinatum Schisma, quo nihil funestius Ecclesiæ: & quia nulla in Pontificibus spes erat illius extinguendi, imò istorum ambitione magis magisque accendebatur; cogitatum fuit de inducenda majori aliqua auctoritate, cui Pontifices obtemperare tenerentur: ea verò à Gersone, Almaino, alijsque paucis in Concilium collata est; id enim oportunum credebant evertendis in futurum Schismatibus, si videlicet aliqua in Ecclesia potestas esset, quam etiam ipsi Pontifices revereri tenerentur. Vetus ergo Sorbona tempore Constantiensis & Basileensis Conciliorum vigebat, constabátque ut dixi Gersone, Almaino, istorúmque discipulis. Imò si quando inter Pontifices, Regésque Galliæ dissidium aliquod oriretur; mox in Parisiensi Universitate ab aliquo Doctorum hæc Gersonis machæra expromebatur terrendo Pontifici; ita sub Sixto V. sub Julio II. & Alexandro VII. factum est. Hæc ergo est Vetus Sorbona, quam à plerisque Theologiæ & Juris in Gallia Doctoribus irrisam esse Marca testatur: nam alioquin Universitatem Parisiensem pro infallibili auctoritate Pontificis stetisse paulò post ostendemus.

XIII. *Anno*

XIII. *Anno denique MDCLXXI.* Editi sunt in lucem Gallico idiomate Maimburgi sermones; in quorum uno secundâ Quadragesimæ hebdomadâ, die Martis pro hac ipsa Infallibilitate ita loquitur: *Obligamur sub pœna æternæ damnationis nos submittere Decisionibus Cathedræ S. Petri; tùncque naufragium fidei patimur, cùm doctrinas amplectimur ab hac Cathedra damnatas, rejectásque. Frustrà verò, qui hanc submissionem non habet, protestatur se Cathedram Petri pro prima, præcipuáque habere, ac fidei ab Ecclesia, à Patribus, Conciliisq; traditæ adhærere.* Hæc Maimburgus è suggestu. Ignorabat enim tunc temporis, quid Ecclesia Gallicana sentiret, non Patres, non Concilia, non scripturas legerat, quæ modò contra Pontificem tam clara esse contendit. Ergo cùm è cathedra diceret, licèt tot annis in societate studiisque exegisset, rudis tamen erat, indoctúsque, ac recens ex ovo lapsus; & tunc modò aliquid sapere, & Theologus esse cœpit, cùm Pontifici irascebatur, cùm aulam, Regémque captabat, ac præmia ostendebantur adulationi parata; ergo tunc primùm veritatem agnovit, cùm cœpit Romam odisse. Amabò te quisquis hæc legis, animo tecum reputa, an fieri potuisset, ut Maimburgus Parisijs, ac de suggestu, totáque Galliâ audiente sententiam proponeret doctrinæ Cleri Gallicani adversam? imò totam Gallicanam Ecclesiam *æternæ damnationi* addiceret, cui obnoxium esse dicit, quisquis Pontificem infallibilem esse non credit, quoties è Cathedra pronuntiat.

Et hactenus quidem longâ & perpetuâ annorum serie à temporibus sancti Irenæi Episcopi Lugdunensis usque ad præsentem ætatem ostendimus, perpetuam in Ecclesia Gallicana Traditionem fuisse de Pontificis Romani suprema & infallibili auctoritate, quoties in causis fidei sententiam dicit. Tantóque certior hæc traditio evadit, quòd omni testimoniorum genere à nobis probata sit, Regum videlicet, Doctorum, Episcoporum, Conciliorum Universalium, Universitatum, ac præcipuè totius Cleri Gallicani idipsum non semel tantùm, sed repetitis vicibus profitentis. Qua in re illud semper advertas licèt, quantùm nostra traditio differat à Mamburgi traditionibus. Hic enim in tractatu, quem impugnamus, sibi proposuerat, imò solito more magnificè lectori spoponderat; se ostensurum, perpetuam, constantémque in Ecclesia Romana traditionem fuisse, posse in rebus fidei decidendis Ponti-

ficem errare: inchoátque hanc traditionem à Leone Primo (qui sæculo quarto obijt) & prolato ejus testimonio, mox transit ad Leonem X. qui sæculo decimo quinto Ecclesiam gubernavit. Egregiam enim verò traditionem, mille tantum & centum annorum spatijs interruptam! At nos tam in superiori, quàm in præsenti paragrapho de sæculo ad sæculum testimonijs omni exceptione majoribus ostendimus, tam Ecclesiæ Universali, quàm etiam in specie Ecclesiæ Gallicanæ Pontificiam infallibilitatem persuasam fuisse.

XIV. Ut verò tantò perfectior sit hæc Demonstratio, ostendendum est, etiam Universitatem Parisiensem pro Pontifice semper stetisse.

Id verò multis modis, evidentérque probari potest. Nam *primò.* Certum est, Universitatem Parisiensem nunquàm doctrinam tradituram esse, quam sciret doctrinæ omnium Patrum, ac ipsius Gallicanæ Ecclesiæ adversam esse: at adversa est, quæ dicit, Papam cùm è Cathedra pronuntiat, errare, fallíque posse, ut suprà ostendimus. *Secundò.* Præcipui hujus Universitatis, ac celebratissimi Doctores, à quorum vestigijs alij minorísque nominis nunquàm deflexerint, infallibilitatem admisére. Ji sunt Alcuinus Caroli Magni Præceptor, & primus Parisiensis Universitatis Auctor, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura à nobis suprà citati. Quis credat à tam præclaris Doctoribus, & quibus majores Gallia non habuit, voluisse Universitatem Parisiensem deviare? *Tertiò.* Longâ consuetudine in Parisiensi Universitate receptum est, ut quicunque in hac Universitate ad primos gradus promoventur, hanc ipsam infallibilitatem profiteantur. De hac consuetudine Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus, & in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor testis omni exceptione major in suo tractatu de potestate Ecclesiastica, quam in lucem edidit Anno 1604. quámque duo alij Parisienses Doctores Jo. G. J. Bocher, & J. Ruhe approbârunt, ita loquitur: *Laudabilis in Academia Parisiensi viget consuetudo, quâ Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solemniter responsuri protestationem præmittunt, se nolle quidquam contra Decreta sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non sanctæ Sedis Apostolicæ & Romanæ asserere, aut defendere, & si quid adversùs ejus Decreta in æstu disputationis illis exciderit; vel ignorantiæ, vel immemoria,*

vel

vel linguæ præcipitantiæ attribuendum velle. Quartò. Gravissimi in Gallia Doctores, testésque oculati hanc ipsam esse Universitatis Parisiensis mentem ac sententiam apertè confitentur; proinde Marca Archiepiscopi Tholosani testimonium jam suprà recitavimus. Theophilus Raynaudus, & ipse Gallus in opusculo, cui titulus: αὐτὸς ἔφα, allegatis quàmplurimis ex schola Parisiensi Doctoribus: *Quotquot*, inquit, *ante Concilium Constantiense floruerunt, possent omnes Theologi produci; nam non nisi à tempore Concilij Constantiensis & Basileensis revocata est in controversiam hæc veritas apud Catholicos; sed omnes anteriores unanimiter docuerunt, Definitiones Pontificias etiam absque Concilio Generali editas facere rem de fide.* Josephus quóque Gibalinus *lib. 5. de jure Canonico cap. 3. §. 15.* ex professo tuetur, latéque demonstrat, hanc esse & fuisse semper doctrinam scholæ Theologicæ Parisiensis, tam in definitionibus & censuris editis ab ipsa in unum congregata, quàm in scriptis singulorum ipsius Universitatis Doctorum. Pater Augustinus à Virgine Maria Carmelita Gallus Provinciæ Turonensis in anno tertio cursûs Theologici tract. de fide dist. 10. *Præter paucos jam citatos Doctores hucúsque alios ex illa Facultate probatos Auctores non habemus, qui typis defendant sententiam nostræ oppositam. Quintò.* Sed nemo magis quàm ipsa Parisiensis Universitas mentem suam explicaverit.

Anno MCCCLXXXVII. Sic per Petrum Alliacensem Universitatis Cancellarium Clementem VI. alloquitur: *Emendari à te cupimus, qui Petri Sedem, & fidem tenes, non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam Hieronymo teste Ecclesia est fundata, de qua sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est. Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: hæc est igitur, ad quam determinatio fidei & approbatio Veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.* Eadem Universitas Anno 1554. *Omnes*, inquit, *& singuli Obedientiæ filij ipsum Romanum Pontificem ut Summum & Universalem Christi JESU Vicarium, & Universalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis à Christo data est, cui omnes utriúsque sexûs obedire, cujus Decreta pro se quisque tueri, & conservare tenetur, ut semper agnoverunt, & confessi sunt.* Hæc clara sunt: si enim Pontificum Decreta tanquàm errori subjecta, corrigià Concilio, ac reformari possent; ergo plenitudo potestatis non jam Pontifici, sed Concilio data esset. Et si errare Pontifices possent, ac consequenter aliquando de facto errent;

Christi fideles non utique tenebuntur Pontificijs Decretis fidem adhibere; si enim Innocentius X. jubeat, ut propositiones Jansenij pro hæreticis habeam, & illæ hæreticæ non sint; quæ rogo vel in cœlis, vel in terris potestas est, quæ imperare mihi possit, ut fidem mendacio, aut errori habeam? Eadem Universitas adversùs errores Johannis de Montesono hunc articulum statuit: *Ad sanctam Apostolicam Sedem pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire.* Videri potest hic articulus apud Duvallium Doctorem & Professorem Sorbonicum. *Tract. de Romano Pontifice p. 2. fol. 766. Sexto.* Denique eandem Universitatem Parisiensem Infallibilitati Pontificiæ subscribere ex præcipuis ejusdem Universitatis Doctoribus patet, qui eandem sententiam docuêre. Ji sunt S. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura locis suprà citatis. Dominicus de Raconis Doctor Sorbonicus & Episcopus Vaurensis *de suprema Petri potestate sectione 1. cap. 5. fol. 249.* Nicolaus Cœffrellus Doctor Parisiensis & Episcopus Massilienſis *opere de sacra Monarchia lib. 2. cap. 5.* Michaël Nauclerus Doctor Sorbonicus *de Monarchia lib. 8. cap. 6. p. 4.* Ludovicus Bail Doctor Parisiensis & Propœnitentiarius. Edmundus Richerius Doctor Theologus, qui cùm multa contra auctoritatem Pontificiam scripsisset, tandem uno ante obitum anno scriptorum pœnitens Sedem Apostolicam *Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem Veritatis judicem* agnovit, & professus est teste Duvallio initio sui operis de Pontificis potestate, ubi Richerij chirographum exhibet. Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus & Professor in Parisiensi Universitate opere *de suprema Pontificis Potestate præsertim part. 2.* Johannes de Arti Regius Professor *Tractatu de Beneficijs cap. 3.* Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus locis paulò antè notatis. Henricus Spondanus Apamearum Episcopus, *ad annum Christi 33. n. 5.* Johannes à Celaia Doctor Parisiensis *in 3. sentent. dist. 25. p. 4.* Johannes Puteanus Professor Regius in Academia Tolosana *in 2. 2. S. Th. q. 1. a. 6.* Leonardus Coquæus in Universitate Parisiensi Doctor Theologus in Antimornæo *tomo 1. fol. 83.* Herveus Armoricus, Henricus Gandavensis, alijque, quorum nomina apud alios reperies.

Ex hactenus toto hoc paragrapho dictis patet, quæ Gallicanæ Ecclesiæ mens & sententia fuerit, quámque immeritò illius auctoritate

ctoritate sibi Maimburgus blandiatur, cùm constet nostram esse. Nec obstat declaratio in ultimo Parisiensi Conventu edita, quæ hanc infallibilitatem evertit. Nam & pauci Episcopi erant, si numeres, qui aberant, imò ex industria delecti, quos constabat nihil opposituros. Sonabant catenæ, carceres, exilia, spolia, & quidquid homines terrere potuit, nisi præscripta loquerentur; nec libera vota, sed spe aut metu extorta, aut saltem vindicandi cupidine ob minaces Pontificis litteras. Roma quóque, quidquid in eo Conventu actum, planè resciderat; si ergo ne quidem Oecumenicæ Synodo ulla auctoritas Pontifice improbante, quantò minùs privato Conventui, qualis Parisiensis? & denique demus, Parisiensi senatui nihil defuisse; cur rogo ipsius Decreta Decretis tot Conciliorum Oecumenicorum, tot Patrum, totiúsque Ecclesiæ Gallicanæ, imò totius Orbis præponas? Aut semper totóque Orbe Christiano, aut semel Parisijs erratum est, utrùm tibi facilius creditu videtur? Sed jam in prima dissertatione ad auctoritatem Conventûs Parisiensis respondi, quò lectorem remitto. Nunc sufficiat supra quadraginta testimonijs omni exceptione majoribus mentem, sententiámque Gallicanæ Ecclesiæ, quæ Pontificiam Infallibilitatem tenuit, ostendisse; nunc ad dissolvenda, quæ Maimburgus objectat, procedamus.

§. III.

§. III.

Respondetur ad ea, quæ Maimburgus Infallibilitati Pontificiæ opponit. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

SUMMARIA.

1. Ostenditur, pro Maimburgi sententia militare pauciſsimos, pro noſtra omnis Regionis, ætatis, & ordinis Patres & Doctores.

2. Petrum errâſſe, non in doctrina, ſed in converſatione & exemplo.

3. Diſsidium Victoris Papæ cum Aſiæ Epiſcopis infallibilitati Pontificis Rom. eximiè patrocinari demonſtratur teſtimonijs Euſebij, Sozomeni, Irenæi, & Concilij Nicæni.

4. Ex Cypriani Hiſtoria Infallibilitatem Pontificiam potiùs firmari, quàm everti ſex evidentibus argumentis eluceſcit.

5. Liberij metu doliſque circumventi cauſam infallibilitati Pontificiæ fruſtra opponi, quatuor ſolidis argumentis evincitur.

I.

Opponit primò Maimburgus: ſententia, quæ Infallibilitatem profitetur, paucorum eſt: & fermè eorum tantùm, qui trans montes habitant, Italiæ, Romæque vicini: quique veſtigijs Cajetani, Baronij ac Bellarmini Cardinalium inhæsêre. Ubi ex adverſo infinita eſt acies aliorum, qui ex omnibus Italiæ, Poloniæ, Belgij, Germaniæque Univerſitatibus, ac Galliæ præſertim, infallibilitati adverſantur.

Reſp

Resp. Hæc est prima Maimburgi velitatio, majori semper arte, quàm virtute pugnantis. Auget suarum partium copias, nostrarum premit. Cajetanum, Bellarminum, Baronium quasi nostri agminis Duces ostentat, purpurâ videlicet & novitate suspectos, perinde ac si isti sententiæ nostræ auctores essent. At verò tantum abest, ut istos inter Duces habeamus, ut ne quidem inter milites receperimus. Quando enim toto hoc opere, ubi tot Doctorum nomina recitavimus, vel semel Cajetani, aut Bellarmini, aut Baronij auctoritate usi sumus? Tanta est fiducia causæ nostræ, ut ne omnibus quidem purpuratis, quamvis doctrinâ præcipuis locus in castris nostris sit. Magnus utique Bellarminus, magnus Cajetanus, & quibus Maimburgus vix fimbriam sustentet; & tamen cùm de Pontifice agimus, nihil eorum auctoritati tribuimus. Irenæus, Ignatius, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Patrésque Chalcedonenses, & quidquid antiquæ illi ac florenti Ecclesiæ ornamento fuit, momenta nostra & rationes sunt; Antiquitate, sanctitate, & doctrinâ non qualicunque, sed supremi fastigij nitimur, nec quidquam purpuræ aut Dignitati damus, victoriâ extra fastum contenti. Gallicanæ Ecclesiæ ac Parisiensis Universitatis quænam mens ac sententia fuerit, jam suprà ostendimus. Si Gallicanæ Ecclesiæ nomine nuperum Parisiensem Conventum intelligat, vicit Maimburgus. Si verò Gallicana Ecclesia ea sit, quæ in Concilio Lugdunensi ac Lateranensi locuta est, quæ ad Innocentum X. scripsit; quæ Synodis Turonensi, Aurelianensi, Trecensi, Pontigonensi, Melodunensi, ac Parisiensi fidem explicavit, quæque temporibus Irenæi, Aviti, Caroli Magni, ac Bernardi efflоruit, si, inquam, hæc dicenda est Ecclesia Gallicana; multóque illi præferenda, quæ paucos ante annos Parisijs convenit metu perculsa, libertatis expers; vicimus nos, Galliæque Ecclesiam sub nostris signis habemus. *Sed*, inquit Maimburgus, *Infiniti sunt Doctores, qui negant Pontificem infallibilem esse.* Amabo te, ex infinitis illis aliquos mihi exprome, & nominatim appella. *Gersonem*, inquit, *Almainum, Dionysium Carthusianum, Toſtatum, Illyricum, Cardinalem Cusanum, Cameracensem, Florentinum, Æneam Sylvium, & Adrianum VI.* Hoc est totum Maimburgi agmen; nam quod de Episcopis Galliæ ac Universitate adjungit, jam in superiori paragrapho invictis testimonijs ostendi,

Galliam pro nobis esse; & nota Maimburgum Heroas suos nominâsse; quos cùm pauciſſimos habeat, imò subornatos, ut posteà videbimus, supplet numerum jactantiâ verborum; additque *infinitos alios esse.* Sed singulos, quos nominat, expendamus. *Dyonisius Carthusianus* apertè infallibilitatem agnoscit, nam in ea verba: *Ego pro te rogavi &c. Lucæ 2. Ex his verbis*, inquit, *sumitur argumentum, quòd fides Romanæ Ecclesiæ, quam in ea Petrus plantavit, sit in ea úsque in finem duratura.* Tostatum quod attinet; Concilio Basileensi adhuc juvenis, & necdum infulâ insignis interfuerat, & Senis Theses viginti ex intima Theologia depromptas Eugenio coram defenderat; sed cùm illis errores aliquos aspersisset, eósque Eugenius diplomate notâsset, adeò impotenter id tulit, ut scripto in suarum thesium defensionem libro, cui titulus defensorium: *In Pontificiam auctoritatem etiam invectus est, & cùm non obtinuisset, quod petijt (ea est fragilitas præstantium ingeniorum, ut cùm eorum placitis resistitur, animi offensionem concipiant) non potuit adeò ingenio imperare, ut non acerbius rem in contrarium egerit.* Ita loquitur Spondanus. (a) Cœterùm ubi primus impetus defervbuit, succesítque juventuti prudentior ætas; sententiam Tostatus mutavit, & cum veritate in gratiam redijt, ac Pontificiæ auctoritati subscripsit; sic enim scribit: (b) *Quia Petrus erat Pastor, & populus debet talem tenere fidem, qualem Pastor confitetur, & Petrus futurus erat Universalis Pastor; voluit Christus, quòd confessio esset per Petrum solùm, ut innuatur, quòd talis fides tenenda est, qualem prædicat Romana Sedes, quæ est Caput & Mater Ecclesiarum, cui Petrus præfuit.* Ergo Abulensis quóque saltem infulatus, purgatóque passionibus animo noster est; & si adolescens, ac iratus cum Maimburgo sensit, maturâ tamen ætate, pacatáque errorem correxit. Thomas Illyricus ex seraphica familia Doctor nostrarum quóque partium est, sic enim scribit: (c) *In qua (sacra videlicet scriptura) si minùs peritè aut parùm cautè aliquid fortè dixerim, emendari cupio à te, qui Petri fidem & sedem tenes. Si autem libellus meus Apostolatûs tui judicio improbabitur; quicunque me inculpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum comprobabit.* Cardinalem Cusanum quod attinet; illum quóque torrens Basileensis aliquandiu rapuit, sed tandem sibi ac veritati restitutus, egregiè apertéque pro illa scripsit,

(a) Spondanus ad ann. 1443. n. 10. (b) Tostatus in Evang. Matth. c. 16. q. 56.
(c) Thomas Illyr. in clyp. adv. Luth. epistolâ ad Adrianum VI.

ſcripſit, ſic enim loquitur: (a) *Cùm unus ſit per Orbem Principatus, qui ſuo priori adhærere debeat, Romanæ videlicet Sedi, erit neceſſariò Catholica Eccleſia illa, quæ primæ Sedi Petri adhæret. Quare in ea ſaluti noſtræ neceſſaria remanſit hactenùs & remanebit veritatis Columna.....nullus de Romana Eccleſia, aut quòd ipſa unquàm à fide erraverit, aut per quamcunque ſedem fuerit reducta, comperiet: ſed ſicut aliæ ab ipſa aliquoties receſſerunt, in errorémque inciderunt, ita per Principatum fortiſſimum Petri debiles demùm confortati in fide ad ejus Unionem reducti ſunt: unde infallibilitati refugium eſt in unione eſſe cum Principe in Eccleſia.* Petrus Alliacenſis, quem Maimburgus Cardinalem Cameracenſem appellat, non ſuo tantùm, ſed totius Univerſitatis nomine pro Pontificia infallibilitate egregiè peroravit, cujus verba paulò antè à nobis producta ſunt. *Æneas Sylvius*, quæ juvenis & factionibus Baſileenſium implicitus ſcripſerat, ante & poſt Pontificatum revocavit, ut ex ejus Bulla, (b) cujus ſuprà fragmentum dedimus, manifeſtiſſimum eſt.

Ex omnibus ergo Doctoribus, quos Maimburgus adſtipulari ſuæ cauſæ gloriatur; tres tantùm ſuperſunt, videlicet, Adrianus VI. cùm adhuc Lovanij doceret: Johannes Gerſon, & Almainus. En totam Maimburgi familiam! Adrianus non ex propoſito hanc quæſtionem tractat; ſed incidenter tantùm, & vix tribus lineis reſpondendo ad objectionem. Almainus eo tempore ſcripſit, quo inter Julium II. & Ludovicum XII. diſcordiæ flagrabant, ſicque facile fuit, ut Almainus calamum in eam partem flecteret, quæ Principi gratior, maximè totâ Galliâ in Pontificem armatâ, & certatim non militibus tantùm, ſed etiam Theologis ad ſtipendia currentibus: ídque ſolemne jam ſcholis eſt; quot enim calamis pro Ludovico Bavaro, pro Henrico Navarreo, pro Ludovico XIV. contra Vaticanum pugnatum eſt? quippe omnibus piſcari aliquid in turbido volentibus. Unus Gerſon eſt, cujus pietati & doctrinæ nihil objici poteſt: ſed & iſtum nimius Zelus abripuit; cùm enim videret Pontifices ſuâ poteſtate abuti, ideóque Eccleſiam infinitis malis conflictari; hoc unum remedium credidit, ſi illos coërceret, & in arctum redigeret injecto fræno, metúque Concilij. Eâ fermè ratione, quâ Romani, cùm Reges nimiâ licentiâ graſſarentur,

(a) Cardinalis Cuſanus de uſu calic. ad Bohem. epiſt. 1. (b) Pij II. Bulla retractatoria, quæ reperitur in Bullario.

statum Monarchicum in Democraticum transtulêre, pejori remedio, quàm malo; nunquàm enim gravioribus casibus jactati sunt, donec consumerentur civili bello, & pro uno Rege tot Principes passi, quot Cives novarum rerum avidos.

At, inquit Maimburgus, *Infiniti alij sunt, qui asserunt Pontificem falli posse.* Ego credam Maimburgo infinita memoranti, quando ne decem quidem bonâ fide recitavit? Sed age videamus, unde *infiniti* illi Maimburgo superstint. Noster est Angelicus Doctor cum toto Dominicanorum ordine. Noster Seraphicus cum tota Seraphica familia. Noster Anselmus cum tota Benedictina Schola. Nostra Societas tota cum innumeris ex ea Doctoribus. Nostra Germania, Italia, Hispania, Gallia (adeò ut ante Concilium Constantiense nemo non infallibilitatem è Gallis docuerit teste Archiepiscopo Marca superiùs citato, & Theophilo Raynaudo) nostri Patres; quorum ne unum quidem pro se Maimburgus citavit inopiâ testium, quos alioquin diligentissimè collegit. Unde ergo infiniti illi, quos suos esse Maimburgus jactavit? & si infiniti; cur tres solùm producti, qui Maimburgo adhærent, illíque extra Gersonem ferè ultimæ sortis inter Doctores? quis enim est Carthusianus, & Adrianus, qui Thomæ Aquinati, Bonaventuræ, Anselmo, Bernardo, & tot alijs in Gallia Synodis non dico præponi, sed ne quidem æquari possint? Quantò meliori, majoríque ratione dicere possumus, idque non nostro, sed aliorum indubitato testimonio, infinitos esse, qui nobiscum sentiant? Id enim Suarezius (a) asserit, quo in Societate nemo doctior, modestiórque: *Veritas Catholica est*, inquit, *Pontificem definicentem ex Cathedra fidei Regulam esse, quæ errare non potest. Ita docent hoc tempore omnes Catholici Doctores, & censeo rem de fide esse certam.* Gregorius quóque de Valentia: (b) *Hæc veritas adeò continet summam & Caput totius Christianæ Religionis, ut nemo Catholicus esse possit, qui illam non amplectitur.* Theophilus Raynaudus Gallus: (c) *Frustrà plures Theologos conquiram, cùm omnes numerari possint, quotquot ante Concilium Constantiense floruêre, nam anteriores unanimiter docuêre, Definitiones Pontificias etiam ábque Generali Concilio editas facere rem de fide.* Marca Archiepiscopus

(a) Suarez. de fide. d. 5. sect. 8. n. 4. (b) Valentia tomo 3. Th. d. 1. p. 7.
(c) Raynaudus in opusc. αὐτὸς ἔφα p. 11.

piſcopus Toloſanus, & poſteà nominatus ad Epiſcopatum Pariſienſem dicit (a) hanc eſſe *opinionem generaliter receptam & approbatam à Romana Eccleſia, & ſcholis Chriſtianitatis, quæque in Italia, Hiſpania, alijſq; Provincijs Chriſtiani Orbis docetur, exceptâ ſolâ antiquâ Sorbonâ; imò jam quóque in Sorbona doceri.* Ex his omnibus palàm eſt, quàm pauci ſint illi, qui Maimburgi ſententiæ ſubſcribunt, & quantum abſit à veritate, cùm innumeros eſſe dicit.

II. *Opponit 2.* Pontifices Romani ſunt Petri ſucceſſores; nec majori privilegio donati, quàm ipſe Petrus. At Petrus in fide erravit. Id enim S. Paulus ad Galatas 2. teſtatur his verbis: *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat ..... ſed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus: ſi tu, cùm Judeus ſis, cogis Gentes judaizare, &c.*

Reſp. Multis modis hoc argumentum peccat; nam *primò* petitum eſt ex pharetra hæreticorum; Cerinthi videlicet, Porphyrij, Gnoſticorum, & Lutheranorum, quibus millies à Catholicis etiam primitivæ Eccleſiæ, Hieronymo videlicet, Tertulliano, alijſque reſponſum eſt: quis verò pudor, copias, & ſigna cum hæreticis jungere impugnando Vaticano, ac repetere toties rejecta? aut quis non ſuſpecta habeat argumenta, non tantùm profana, ſed etiam impiâ manu ſuggeſta, atque à Patribus improbata? Sed hoc ſolemne Maimburgo, vix enim aliquid reperies ex proprio depromptum, & non à Centuriatoribus mendicatum, vivit alienâ, imò profanâ quadrâ. *Secundò.* Procedit quóque ex incertis, cùm tamen certiſſima promiſiſſet: incertum enim, quis ille ſit Cephas, nam multi negant eſſe Petrum. Incertum quóque an tota illa Pauli reprehenſio, Petríque ſimulatio non ex condicto fuerit inter utrúmque Apoſtolum, ut videlicet, cùm Judæi viderent Petrum reprehendi, eúmque acquieſcere, ſecum reputarent, non eſſe ijs, qui Chriſtianam Religionem ſuſciperent, convictu, cibíſque Gentilium abſtinendum; & ita quàmplurimi Patrum præſertim Græcorum, & inter Latinos S. Hieronymus (b) hoc diſſidium explicant. Nec verò inter ſanctos hujuſmodi ſimulatæ culpæ & reprehenſiones novæ & inauditæ ſunt. Sic in vitis Patrum de

(a) Marca dans la memoire pour defendre le theſes du College de Clermont en l'année 1662. (b) V. S. Hieronym. epiſt. 89. ad Auguſtin.

S. Arsenio legimus; is ex aula recens pede in alterum genu conjecto cum Monachis sedere consueverat: indecens id reliquis visum, nec tamen audebant tantillæ rei tantum hominem admonere: alium ergo ex primarijs Monachorum subornant, qui eumdem gestum inter sedendum exhiberet, & in hunc velut incompositum, rudémque disciplinæ, graviter Abbas invectus est, Arsenio, qui propè assederat, rubore suffuso, ac pedem sensim demittente. Idem ab Apostolis factum Patres Græci agnoscunt Judæis corrigendis. Meruit igitur Petrus reprehendi, ut Monachus, de quo diximus; at culpâ subornatâ, meréque externâ. Sed hæc Hieronymi, aliorúmque Patrum, non mea est sententia, & solùm eo fine producta, ut ostendam Maimburgum ex incertis procedere. *Tertiò.* Sed quidquid de errore Petri fuerit, verus an simulatus, nihil hoc exemplum ad rem facit. Malè Petrus fecerit, at non malè docuit, nec Paulus eum reprehendit, quòd *non rectè ad veritatem Evangelij docuerit, sed quòd non rectè ad veritatem Evangelij ambulaverit:* hoc est, vitam & mores instituerit; & ideò Tertullianus hæreticis hoc ipsum objicientibus respondit: *Hoc fuisse vitium Conversationis, non verò Prædicationis:* sed nos non de moribus & vita quærimus, sed de doctrina; & in hanc solam negamus cadere errorem posse. Possunt Pontifices malè vivere, possunt alios exemplo corrumpere; sed non possunt malè & contra fidem docere, & ideò *jubemur facere, quæ dicunt, non quæ faciunt.* Nec Christus oravit pro Petro, ut ejus sanctitas, sed ut ejus fides non deficeret. Cùm ergo non teneantur fideles mores Pontificum imitari, sed tantùm doctrinæ & præceptis acquiescere, mirum non est, voluisse Christum, ut moribus quidem labi possent, at non fide. Malè ergo Maimburgus causam fidei, morúmque miscuit, & vitia morum transtulit ad vitia fidei, qui paralogismus ferè perpetuus est in omnibus Maimburgi argumentis, adeò ille aut quæstionem non intellexit, aut intelligere non voluit, ut securiùs falleret.

III. *Opponit 3.* (a) Dissidium Victoris Papæ, cum Asiæ Episcopis. Res sic habuit. Romæ, totóque Occidente ex traditione à S. Petro accepta festum Paschæ Lunâ decimâ quartâ Martij, aut post illam agebatur, semper tamen Dominicâ die, quâ Christus revixisse creditur.

(a) Maimb. §. 8.

creditur. At Asiæ Episcopi, juxta traditionem uti dicebant S. Johannis Apostoli, Pascha Lunâ decimâ quartâ Martij celebrabant ex præscripto Mosaicæ legis, quacunque die incidisset, etiam extra Dominicam, idque ut Synagogæ jam exauctoratæ aliquid deferrent honoris, in re haud adeò magna; & Summi Pontifices, qui ante Victorem sederant, Anicetus videlicet, Pius, Hyginus, Telesporus, Sixtus, hunc Asianorum morem æquo animo tulerant. Sed Victor Primus coactâ Romæ Synodo (a) abrogandum censuit; ratio, quæ Victorem ad id faciendum permovebat, ea potissimùm fuit: *tum* quòd Quartadecimani hanc permissionem teste Nicephoro (b) in necessitatem ac præceptum verterent, damnaréntque erroris Occidentales: *tum* quòd hâc occasione Montanistæ, aliique etiam Romæ *Judaismum latenter inducere conarentur*, ut ait Tertullianus. (c) Has ergo ob causas Victor (quem Maimburgus alibi *egregium & admirabilem Pontificem* vocat, cùm videlicet necdum Romæ indignaretur) Asianis Episcopis præcipit, ut Dominicâ die juxta Romanam traditionem festum Paschatis peragant, anathema minatus, nisi obediant. Tantóque major eos excommunicandi causa subesse videbatur, quòd nollent totius ferè Orientis & Occidentis sententiæ & Decretis acquiescere, quæ in omnibus toto Orbe Synodis sancita erant procurante Victore, sic enim testatur fragmentum Synodi Palæstinæ sub Theophilo apud Bedam tom. 2. libro de celebratione Paschæ. Irenæus præsertim idem cum Victore sentiebat, videlicet festum Paschatis Dominicâ die obeundum esse (id enim significant ea Eusebij verba: (d) *Illud quidem defendit solo Dominico die Resurrectionis Domini Mysterium esse celebrandum*) non cessavit tamen repetitis litteris, donec Victorem permovit, ut jam latam excommunicationem suspenderet; Polycratem enim Episcopum Ephesinum (qui maximè Victori repugnabat) & cum eo Asiaticos Episcopos fuisse à Victore anathemate percussos, tam clarè ab Eusebio asseritur, ut negari vix possit. Sed tamen & illud liquet, fuisse operâ studióque Irenæi pacem inter Polycratem & Victorem compositam, revocatásque censuras, & Asianos suis ritibus permissos, eâ tantùm conditione, ne uti priùs Romanam consue-

(a) Anno 199. (b) Nicephor. lib. 4. cap. 30. (c) Tertullian. de præscr. cap. 53.
(d) Euseb. lib. 5. cap. 24.

consuetudinem hæresis damnarent. Id Sozomenus (a) testatur: *Porrò*, inquit, *exortam olim controversiam sapientissimè mihi videtur dissolvisse Victor tunc temporis Romanorum Episcopus, & Polycarpus Smirnensis* (error est Typographi, & legendum Polycrates: Polycarpus enim jam viginti annos ante Pontificatum Victoris Martyrio obierat) *ut singuli festum, prout consueverant, celebrantes, à mutua inter se communione nequaquàm discederent.* Cæterùm cùm procedente tempore huic consuetudini Asiaticæ se iterùm error misceret, ejúsque prætextu induci Judaismus inciperet; Patres Concilij Nicæni hanc consuetudinem hæresi Quartadecimanæ adscripserunt. Jam ex hoc Victoris cum Asiaticis dissidio, ita Maimburgus argumentatur. Asiani Episcopi Ductore Polycrate, Victori obtemperare noluerunt, quamvis seriò imperanti, minantíque censuras, imò & infligenti, nec tamen inter hæreticos ante Concilij Nicæni sententiam habiti sunt; non ergo tunc temporis credebant Pontificem infallibilem esse; cur enim non obtemperarent, si crederent errare non posse? imò hanc solius esse Concilij prærogativam, nam modò post Concilij Decretum hæresis damnati sunt.

Resp. Multifariam solvi potest hæc Maimburgi Oppositio, quamvis non tam sit Maimburgi, quàm Launoij, & Protestantium, qui hoc ipso Polycratis exemplo cum Victore dissidentis usi sunt.

Primò igitur tantum abest, causam nostram exemplo Victoris destrui, quin potiùs validè adjuvetur. Pugnabant contra Victorem non Asiæ tantùm Episcopi, sed etiam Joannis Apostoli, Philippi Diaconi, Polycarpi, Trasææ, Sagaris, aliorúmque Episcoporum & Martyrum exempla, ac traditiones, Paschæ Lunâ decimâ quartâ celebrantium. Vicit tamen Romani Pontificis sententia, ostenditque eventus, ac Nicæni Concilij Decretum, non Pontificem errâsse, sed eos, qui tantis exemplis utebantur, nec cogitabant claves Regni Cælorum, ac custodiam fidei non Joanni, nec Philippo, aut Polycarpo, sed Petro ejúsque successoribus commissam; quandò ergo Pontifex errabit, si tunc non erravit, quando præter tot Episcoporum ac Martyrum exempla, illius etiam auctoritate convinci videbatur, qui supra pectus Domini recubuerat, cui omnia Divina secreta sunt revelata? eritne aliquandò auctoritas major,

(a) Sozomen. lib. 7. cap. 19. Idem fatetur de Marca lib. 3. cap. 9.

major, quæ Pontifici opponi possit, quàm Johannis Apostoli? & & si hæc contra Pontificis Decreta nihil valuit, quæ alia valebit? quis credat aliquandò casurum, quem immotum videt, cùm tam validè impelleretur? Exemplum ergo Victoris causæ nostræ egregiè patrocinatur.

Secundò. Victoris sententia aut vera, aut falsa fuit? si falsa; non solus Victor, sed totus cum illo Occidens, Oriénsque (Asiâ exceptâ) imò Concilium Nicænum erravit, quod cum Victore decrevit. Si vera; non ergo Victor erravit, sed qui Victori repugnabant: quod ergo argumentum ab eorum auctoritate duci potest, quos constat errâsse? aut apud quas gentes falsis ac errantibus testibus causa aliqua non tantùm probata est, sed etiam vicit? Planè in nulla logica, multóque magis in nullo Tribunali hæc consequentia probabitur: *Papa errare potest, quia hoc dicunt falsi & erronei testes.*

Dices. Nemo Asianos pro hæreticis habuit, quòd nollent Pontifici obtemperare, ergo extra hæresin licet credere, aut etiam facto profiteri, Pontificem errare posse.

Resp. In sententia Asianorum duo considerari ac distingui oportet: primum, quòd decimaquartâ Lunâ Pascha celebrarent etiam extra Dominicam. Secundum, quòd huic ritui errorem miscerent, dicerentque id ad fidem pertinere, & qui aliter agerent, fidei derogare. Id certum est ex epistola Polycratis ad Victorem, quam recitat Eusebius: (a) *Isti*, inquit, *omnes* (Johannes videlicet, Philippus, &c.) *diem Paschatis decimâ quartâ Lunâ celebrabant ex Evangelij præscripto, & secundùm regulam ac normam fidei ..... his quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minimè conturbor; mei enim majores dixerunt, oportere magis DEO obedire, quàm hominibus.* Ubi vides Polycratem hunc morem asserere tanquàm *ex Evangelij præscripto, præceptôque Divino, ac secundùm regulam fidei provenientem.* Ex quo consequebatur, Occidentales, imò plerósque Orientalium, contra *legem Evangelicam, præceptum Divinum, normámque fidei agere*, qui planè error contra fidem erat, & ut talis à Victore damnatus, átque anathemate percussus: pergit enim Eusebius: *His ita gestis, Victor Romanæ Urbis Episcopus omnes Asiæ, vicinarúmque Provinciarum Episcopos tanquàm contraria rectæ fidei sentientes à Communione abscindere conatur.* Vibrato anathemati intercessit Irenæus, effecítque apud Polycratem,

(a) Eusebius lib. 5. cap. 23.

lycratem, ut hunc errorem deponeret, néque eum ritum ad fidem crederet pertinere. Apud Victorem verò, ut Asiaticam consuetudinem ferret errore jam liberam: & utrúmque persuasit: convenítque inter Victorem & Polycratem; sic enim Sozomenus scribit: (a) *Porrò exortam olim controversiam sapientissimè mihi videtur dissolvisse Victor tum temporis Romanæ Ecclesiæ Episcopus, & Polycarpus Smirnensis* (lege Polycrates ut suprà memini) *nam ex communi consilio placuit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes, à mutua inter se communione nequaquam discederent.* Ergo post Victoris aut intentatas, aut vibratas Censuras, Irenæo præsertim agente, resipuit Polycrates, cessavítque contumacia; & Victor quóque passus est eam consuetudinem retineri, postquàm desijt cum errore misceri. Jam ergo ad Maimburgi oppositionem facilè respondeo: non ideò Polycratem cæterósque Episcopos Asiæ pro hæreticis habitos non esse, quòd Ecclesia crederet, Pontificem falli posse, ac illi impunè resisti; sed quia, ut vidimus, resipuit Polycrates, cessavítque contumacia, ac Victor consuetudinem ferendam censuit errore purgatam. Quemadmodùm pari omninò ratione, Communio sub una specie, ac Consecratio in fermentato sunt ritus innocentes, nec fidei adversantur, & ideò diu multúmque in Ecclesia usurpati, prohibiti verò, ubi in hæresin desierunt. Cœterùm Irenæus, qui eo tempore florebat, pacémque inter utrámque Ecclesiam composuit, non solùm Pontificis Decreto quàm primùm accessit, verùm etiam Pontificiæ infallibilitati insigne testimonium præbuit, simúlque, qui tunc primæ illius Ecclesiæ sensus esset, egregiè aperuit; sic enim loquitur: (b) *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem Principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos, qui ubíque sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Nihil ergo Asiatica concertatio contra nos facit, sed plurimùm pro nobis; ex illa enim constat, jam primo seculo, & recenti adhuc ac illibatâ Apostolicâ doctrinâ sanctissimo Pontifici ac Martyri Victori, apud quem nihil adulatio aut fastus poterant, certum, fixúmque fuisse, teneri fideles in rebus ad disciplinam, fidémque spectantibus Decretis Pontificijs acquiescere, & nisi facerent, arceri ab Ecclesia posse, non expectatâ Concilij sententiâ, & quamvis Polycrates, aliique

(a) Sozom. lib. 7. cap. 19. (b) S. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 3.

aliíque Asiatici initio restiterint, constat tamen istos errâsse, ac tandem veritate convictos esse.

IV. *Opponit 4.* (a) Exemplum S. Cypriani Episcopi & Martyris Carthaginensis, aliorúmque quàm plurium Africæ Episcoporum, qui Decretum Stephani Papæ de hæreticis non rebaptizandis nullo modo recepêre; néque tamen aut Cyprianus, aut Firmilianus, aut Dionysius Alexandrinus, Athanasius, Optatus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, aliíque Asiæ, Africæque Episcopi pro hæreticis habiti sunt; donec in Arelatensi, Nicæno, ac Constantinopolitano Concilijs Baptisma hæreticorum repeti prohiberetur. Constat ergo Patres, tertij, quarti, quintíque sæculi ejus sententiæ fuisse, ut crederent, ultimum ac Decretorium de causis fidei judicium non penès Pontificem, sed Concilium esse. Ita Maimburgus ex Launoio & Centuriatoribus argumentatur, quod ferè perpetuum apud hunc Auctorem. Addítque S. Augustinum (b) apertè testari, S. Cyprianum, qui Stephano Pontifici non cesserat, *cessurum tamen fuisse, si eo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium fuisset.* Censuit ergo non tantùm S. Cyprianus, sed etiam S. Augustinus, in causis fidei dirimendis majorem esse Concilij, quàm Pontificis auctoritatem, ultimúmque judicium non ad hunc, sed ad Concilium pertinere.

Resp. Supersedeo historiâ Cypriani pertexendâ, quam in Regali Sacerdotio (c) fusè prosecutus sum, & ad solam Maimburgi argumentationem respondebo. Nam *Primò* mirari lubet hujus hominis inconstantiam. Quandiù nulla Galliam inter Romámque simultas erat; nemo extollendæ Pontificum Majestati Maimburgo flagrantior. Imò hoc ipso Cypriani exemplo confutandis Calvinistis utitur: (d) *Ab eo*, inquit, *tempore, quo Stephanus rebaptizari hæreticos vetuit, error Cypriani in hæresin transijt, &c.* Ubi verò oriri inter Romam, Galliámque dissidia cœpêre, Pontifice Ecclesiasticam libertatem contra Regios Ministros protegente; Maimburgus continuò nullâ curâ causæ melioris ad Regios transire, & hoc ipsum Cypriani exemplum, quo nuper pro veritate, nunc contra veritatem urgere.

(a) Maimb. §. 10. (b) S. Augustin. lib. 1. de Bapt. contra Donat cap. 4. (c) Regale Sacerdot. lib. 3. §. 9. n. 4. (d) Maimb. dans sa 2. lettre sous le nom de Francois Romain.

O fidem temporum, non Evangeliorum! ut cum Beato Hilario exclamem. Quis non videt Maimburgum hac agendi, scribendique ratione corrupisse, quidquid olim contra Calvinistas disputaverat? quam enim fidem præstabunt contraria differenti? Ergo Maimburgus jam Gallus, jam Romanus, jam Hispanus est, jam totus, jam ex dimidio Catholicus, ac in omnem vultum compositus, utcúnque aulæ placuerit; at veritas semper est eadem. *Secundò.* Idem Cyprianus, quem Maimburgus Romanæ Cathedræ opponit, cùm tranquillo animo esset, nec indignatione agitato, egregiè pro ejusdem Cathedræ infallibili auctoritate scripsit; sic enim epistolâ 55. ad Cornelium loquitur: *Navigare audent & ad Petri Cathedram, úsque ad Ecclesiam principalem, unde Unitas Sacerdotalis exorta est, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Hæc Cyprianus serenâ adhuc facie: at perturbatâ contrarium scripsit: quæro ergo, cur malis Cypriano credere irato & offenso, quàm integro, pacatóque? *Tertiò.* Cyprianum, omnésque, qui illi contra Stephanum Papam adhærebant, certum est, errâsse, ac posteà mutatis sententijs resipuisse; de Cypriano id clarè S. Augustinus insinuat *epist. 48. ad Vincentium, & lib. 2. contra Donatistas.* De Dionysio verò, aliisque Episcopis, qui priùs cum Cypriano senserant, mutâsse sententiam certum est, ex testimonio ejusdem Augustini, (a) Dionysij ipsius Patriarchæ Alexandrini, ac præsertim S. Hieronymi, qui ita scribit: *Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum ipso statuerant* (hoc est cum Cypriano) *ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere Decretum.* Habemus ergo Cyprianum (aut saltem Cypriani sectatores) & errantem, & erroris pœnitentem, quæro ergo cur malit Maimburgus, Pontificiam auctoritatem cum Cypriano errante impetere, quàm cum Cypriano pœnitente defendere? non agnoverit Cyprianus Cathedræ infallibilitatem: esto; at tunc erravit, quis verò prudens errorem in exemplum, ac imitationem sibi proponat? & quàm misera est causa, quæ sustineri alijs rationibus non potest, quàm exemplis errantium? *Quartò.* Sed & nimium hoc argumentum probat, quippe illo contra intentionem Maimburgi sequeretur, non Pontificem tantùm, verùm etiam Universale Concilium errare

(a) S. August. contra Cresc. lib. 3. cap. 3. Dionys. apud Euseb. lib. 7. cap. 9. S. Hieron. in Dialog. contra Lucifer.

errare posse. Scribit enim Maimburgus etiam post Arelatense & Nicænum Concilium, sententiam de rebaptizandis hæreticis fuisse ab Athanasio, Basilio, Cyrillo Hierosolymitano aliisque defensam. Et quidem de Basilio res est clara; nam Concilium Nicænum statuerat *canon. 19.* omnium hæreticorum baptisma validum, nec repetendum esse, exceptis Paulianistis: idque etiam testatur S. Hieronymus contra Luciferianos; & ratio est, quia ut notat S. Innocentius I. *epistolâ 22. cap. 5.* Paulianistæ non baptizabant in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti, & tamen nihil obstante Decreto Nicæno negari vix potest tam S. Basilium, quàm S. Athanasium omnium Arianorum Baptismum respuisse, quamvis in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti Baptismum conferrent. Verba S. Athanasij hæc sunt: (a) *Ariani in periculum veniunt, ne amittant integritatem Mysterij, de Baptismo autem loquor; Patrem enim verum illi non pronuntiant, eò quòd negant aliquid ex ipso existere simile ipsius substantiæ: negant quóque verum filium, alitúmque ex non entibus sibi comminiscentes in Baptismo proferunt ..... non enim in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore & Creatura. Sicut ergo Creatura diversum quid à Filio est, ita diversum quid à vero Baptismate est, quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris & Filij, quia illa in scripturis vident, simulent se nominare; non enim, qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, & veram fidem habet ..... Ita quóque, qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquantúrque ipsa nomina, frustrantur, illudúntque eis, qui ab ipsis Baptismum accipiunt.* Vides hîc S. Athanasium apertè profiteri, nullum esse Baptismum Arianorum; quia licèt Evangelicâ formulâ baptizarent, non tamen Evangelicâ fide. Sed adhuc clariùs loquitur S. Basilius; sic enim habet epistolâ ad Amphilochium canon. 47. *Encratitæ, Saccophori, & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, sicut Novationi; quia de illis editus est canon, etsi diversus; nos autem unâ, eâdémque ratione eos omnes baptizamus. Si autem prohibita est apud nos hæc rebaptizatio, sicut & Romanis alicuius Oecumenicæ Synodi gratiâ, nostra tamen ratio vires obtineat. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptisma baptizati fuerint. Ne dicant in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum baptizati sumus, qui quidem DEUM malorum effectorem esse existimant.* Vides Basilium post Concilium non solùm Arelatense, sed etiam Nicænum credidisse rebaptizandos esse hæreticos

(a) S. Athanas. serm. 3. contra Arian.

reticos, quantumvis rectâ formâ Baptismi usos. Si ergo ex Maimburgi sententia ideò Pontifex falli posse credendus est, quia post ejus Decretum nihilominùs Cyprianus, aliique ab Hæreticis baptizatos iterùm tingebant; an non æquè concludi poterit, etiam Concilia Oecumenica falli posse, quia post Nicænum Decretum Athanasius & Basilius baptismum repetebant? & planè duo illi Athanasius & Basilius, si doctrinam, peritiámque scripturarum æstimes, centum Cyprianis anteponi debent; Cyprianus enim inter Gentilium sacrilegia consenuerat, & provectâ jam ætate, ac Neophytus Episcopatum adeptus est, tenuítque annos decem. Si ergo Conciliorum infallibilitati nihil derogat, Athanasium, Basilium, aliósque à Maimburgo numeratos sententiam docuisse, imò & in opus deduxisse, Nicænis Canonibus adversam; ita nihil Pontificiæ infallibilitati adimitur, si contra Stephani Decreta Cyprianus, aliique Africæ Episcopi moliti aliquid sunt. Quidquid ergo Maimburgus pro Concilio responderit, ego pro Pontifice respondebo. Si dicat errâsse Basilium; dico ego errâsse Cyprianum. Si dicat, credidisse Basilium, Nicænum Canonem ad Oeconomiam, hoc est, ad disciplinam, non fidem spectare, sicque pro more Regionum mutari posse, ac propterea nec ipsum Basilium, nec Athanasium hæresis damnatos esse; dicam ego idem censuisse Cyprianum, eamdémque ob causam, quamvis Stephani Decretis aliquandiù obsisteret, nunquàm tamen fuisse hæresis postulatum, idque S. Augustinus quàm plurimis locis in eo commendat, quòd videlicet sententiam suam ita defenderit, ut tamen contrariam nec damnandam crediderit, nec propterea à Romana Communione secesserit: Stephanus ergo Papa ita hæreticos baptizari prohibuerit, ut tamen, qui eos baptizarent, hæresis non damnaret; quòd si Cypriano, aliisque Episcopis, qui cum illo sentiebant, anathema indixit, contumaciæ hæc pœna, & quòd antiquam Ecclesiæ consuetudinem everterent, non hæresis fuit. *Quintò.* Imò ex hac ipsa Cypriani historia Majestas, ac auctoritas Pontificia omni ratione superior, omnisque expers erroris vehementer elucescit. Quantus Cyprianus? quàm eloquens, quàm sanctus, quot Synodorum, átq; Episcoporum, qui posteà Martyrio defuncti sunt, auctoritate munitus, quantisque rationibus ex sacris litteris succinctus? & tamen

quàm-

quàmprimùm ſuas opiniones, quantumvis veritatem apprimè imitarentur, Romanæ ſententiæ prætulit, in errores prolapſus eſt totâ Eccleſiâ damnatos; unicum Stephani Decretum paucis verbis conceptum omnibus illis argumentorum, Epiſcoporum, Synodorum, Martyrúmque cohortibus præpotuit, Româ iterùm Carthaginem, Africámque vincente. Si ergo etiam Cypriani, etiam integræ, pluréſque Synodi clariſſimis Epiſcopis átque ſanctiſſimis inſtructæ agminatim cadunt, imò Africa tota errore involvitur, quoties Romanæ faci oculos claudit, quid rogo de alijs erit, qui nihil habent, quod cum Cypriani ingenio, doctrina, eloquentia, ſanctitate componi poteſt? Omnes Africæ, Mauritaniæ, Numidiæ, Ægypti, Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, Phrygiæque Epiſcopi Ductore Cypriano hallucinantur, quàmprimùm à Pontifice Romano ſecedunt; quis ergo erroris ſecurus erit? Evolve totam hiſtoriam Eccleſiaſticam, paucos reperies, qui noluerint acquieſcere Romæ definitis; & iſti pauci ſemper errárunt; fruſtrà ergo extra hunc portum ſalutem quæris, ubi omnes nauffragium paſſi. Errat Polycrates, errat Cyprianus, errat Polycarpus, errat Firmilianus, errat Dionyſius, errant denique cadúntque, quotquot cum hac palma luctantur; quis neget invictam eſſe immotámque? ſtetit, vicítque jam mille ſexcentos annos, millies concuſſa, millies quaſſata, quis neget perpetuam fore? ſi vitrum, non adamas eſſet, dudum ceſſiſſet tot malleos experta. *Sextò.* Ex quibus omnibus facilè jam colligas, quid Maimburgo reſponderi debeat Cypriani caſu exultanti. *Reſtitit Pontifici.* Fateor, ſed ideò erravit, ac poſteà pœnituit. *Non credidit Pontificem infallibilem eſſe.* Concedo, at æquè non credidit Baptiſmum, quem hæretici conferunt, validum eſſe. Si ergo non ideò Baptiſmus hæreticorum invalidus eſt, quia Cyprianus credidit invalidum eſſe; ita non ideò Papa fallibilis eſt, quia Cyprianus fallibilem eſſe credidit. Quod ſi error Cypriani nihil nocet Baptiſmo, ita error Cypriani nihil nocet Pontifici. Et ſi teſte Auguſtino, ideò Cyprianus circa Baptiſmum erravit: *Quia illo tempore quæſtionis iſtius veritas nondum eliquata & declarata per Univerſale Concilium fuerat, cui & ipſe ſine dubio crederet.* Idem ego de Pontificis auctoritate infallibili dicam; eo enim tempore, quo Cyprianus tanto æſtu, quantus Martyrem non decuit, in Pontificem ferebatur;

tur; quæstionis istius veritas de Pontificis infallibilitate nondum eliquata & declarata per Concilium Universale fuit, videlicet Chalcedonense, Constantinopolitanum, utrúmque Lugdunense, Florentinum, ac Lateranense, nondum unanimi Patrum consensu; quibus omnibus & ipse Cyprianus cederet, si jam viveret. *Sed nemo Cyprianum fuisse hæreticum dixit.* Meritò, nam nec Stephanus dogma fidei constituit, sed solùm prohibuerat, *contra Antiquam Ecclesiæ consuetudinem aliquid innovare.* An parùm tibi videtur errare, qui Pontificem non audit, nisi etiam hæreticus sit? Quid miraris errâsse Cyprianum circa hanc quæstionem, cùm nondum discussa, exactéque librata fuerit, quando ipse Augustinus (a) fatetur, etiam Concilia errare: *Nisi primò diutiùs per Orbis terrarum Regiones multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata fuerint.* Ubi nota loqui Augustinum de Concilio plenario. Cùm verò S. Augustinus, quoties hoc argumentum, factúmque Cypriani præmanibus habet, videtur Concilium plenarium requirere: optimo jure id facit, quamvis enim sola Pontificis auctoritas de Cathedra loquentis sufficiat decidendæ veritati, non sufficit tamen ijs revincendis, qui Pontificis auctoritatem pro suprema & infallibili non agnoscunt. Quemadmodum scriptura omninò erroris expers est, sufficitque omni dubio expungendo; si quis tamen scripturas, aut humani ingenij partum esse dicat, falsóque obnoxias: alijs argumentis, aliisque auctoritatibus, quàm ex scriptura petitis opus fuerit. Papa ergo infallibilis; si quis tamen infallibilem neget (negabit verò omnis, qui defendendo errori animum obstinaverit) ei convincendo Concilijs opus erit; quamquàm qui semel Pontificem excluserit, non tam Concilium amat, quàm hujus obtentu moras, induciásque errori, & forsan hæc ipsa mens Cypriano fuit, nullum aliud in terris judicium præter Divinum admittentis; sic enim scribit: (b) *Habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquàm judicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alium judicare; sed expectemus Universi judicium Domini Nostri* JESU *Christi, qui unus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.*

Opponit 5.

(a) S. August. de Baptis. contra Donatist. lib. 2. cap. 4. (b) S. Cyprian. in Conc. Carthag. Anno 256. aut secundùm alios 258.

Opponit 5. Liberij casum. Victus exilij tædio Arianæ hæresi subscripsit, Athanasium damnavit, vocem homousij expunxit; duásque epistolas, alteram ad Constantium Imperatorem Arianæ hæresis Protectorem: alteram ad Semi-Arianos Episcopos, quibus eorum doctrinam vehementer commendat. Et ideò tam S. Hilarius, quàm S. Hieronymus Liberium Semi-Arianæ hæresis postulant. Imò Ecclesia Romana tanquàm hæresis manifestum Pontificatu dejicit, surrogátque Felicem. Postquàm Maimburgus hæc de Liberio dixisset, insultat, illudítque, non victori tantùm, sed etiam hostem calcanti similis, nullâ Dignitatis reverentiâ. Pergit enim dicere: *Neminem Arianam hæresin altiùs professum esse: ex fastigio in abyssum procidisse: ab Hilario punctim cæsímque anathemate percussum esse:* Et mille alia, superbo potiùs, ac impotente adversario, quàm historico digna, etiamsi vera essent; quantò igitur indigniora, cùm palàm falsa? Vix inter ipsos Calvinistas reperias acerbiùs, amariúsque insultantem Pontifici.

Resp. Hæc Maimburgi Oppositio tria complectitur: quorum primum verum quidem est, sed nihil ad rem ac propositum facit. Reliqua verò tam falsa, ut magis non esse possint. Verum est, Liberium peccâsse; sed hæreticum fuisse, aut hæresin ex Cathedra professum esse, plusquàm alienum à veritate, quod ex dicendis patebit. Nam *primò* ipse Maimburgus in historia Arianismi, ubi ex proposito Liberij casum examinat, fatetur: (a) *Liberium nullo modo Semi-Arianorum hæresi subscripsisse, imò constantissimè Filij consubstantialitatem propugnâsse, ídque tam clarum esse, ut nemo prudens de hoc dubitare possit.* Quid amabo ab eo tempore, quo Maimburgus historiam Arianismi scripsit, Liberius deliquit, ut quem nuper hæresis purum, nunc reum faciat? Historiam Maimburgus, an fabulam & Comœdiam scripsit, toties vertente Theatro? an forsan opinionum probabilitas, quæ hactenus Theologiam, nunc quóque historiam in Protheum vertit, ut quæ nuper vera, nunc falsa appareant? *Secundò.* Quòd si daremus, Liberium hæresi subscripsisse; quandò formulæ Sirmiensi subscripsit, damnavítque Athanasium; quid aliud sequeretur, quàm Pontifices si metu, pœnísque urgeantur, absítque Libertas decidendi, posse in errorem labi? at de hoc nobis nulla est quæstio;

(a) Maimburg. lib. 4. dell' Arianismo.

quærimus enim de Pontifice libero, suíque juris, nec inter pœnas, ac tormenta loquente, nam nec Leges Romanæ confessionem admittunt, supplicijs expressam. De Liberio autem ita loquitur Athanasius: (a) *Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus.* Et S. Hieronymus: (b) *Liberius tædio victus exilij, &c.* Si ergo erravit Liberius, metu erravit, de quo casu nulla nobis est quæstio, nam metus etiam Concilia corrupit, quæ tamen Maimburgus vult omnis erroris expertia. Concilium Ariminense quantumvis quadringentis Episcopis frequens, à Romano Pontifice convocatum, ejusdémque Sedis præsidentibus Legatis nunquid multò magis Liberio, quàm Ariano errori favit, non omissâ tantùm, sed penitùs exterminatâ voce Consubstantialis? tanto utriúsque Orbis, Occidentis videlicet, ac Orientis consensu, ac Catholicorum partim luctu, partim pudore, ut S. Hieronymus in hæc verba proruperit: (c) *Tunc Usiæ nomen abolitum, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est, tunc ingemuit totus Orbis, & se Arianum esse miratus est.* Et Severus Sulpitius: (d) *Hilarius*, inquit, *ubi advertit extremum fidei periculum, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci, &c.* Taceo alia Conciliorum errantium, nec à Sede Romana approbatorum exempla. Quæro quid istis Concilijs defendendis dicturus sit Maimburgus, quod defendendo Liberio non æquè, multóque magis sufficiat? nam si metum prætexat, multò is major in Liberio fuit, quàm in Synodo Ariminensi, in hac enim quadringenti cum metu pugnârunt, victíque sunt; at Liberius unus & solus fuit; multò verò faciliùs unius fugam, quàm multorum excuses. *Tertiò.* Sed demus Liberium Arianam hæresin animo recepisse (quod tamen falsum esse paulò post ostendemus) num ideò illam ex Cathedra docuit? hoc est juxta explicationem Maimburgi à me verbatim hîc ex Gallico redditam: (e) *Num*, inquam, *tanquàm magister ac Doctor omnium fidelium, & causâ in pluribus Congregationibus, Consistorijs, Synodóque suorum suffraganeorum, Cardinalium ac Doctorum examinatâ, ac petitis etiam Universitatum Consilijs.* Sed præcipuè *per solemnes, publicásque preces Spiritûs Sancti gratiâ & assistentiâ definivit, decrevit, imperavítque omnibus Christi fidelibus*, ut Arianam fidem amplecterentur, nega-

(a) S. Athanasius epist. ad Solitarios. (b) S. Hieronym. in Chron. (c) S. Hieron. contra Lucifer. (d) Sev. Sulp. lib. 2. sacræ histor. (e) Maimb. ch. 6. initio.

negarentque Filium esse Patri æqualem ? Audeat ne hoc Maimburgus dicere? & si non audet, quî ergo Liberij exemplo dici potest, Papam ex Cathedra docentem errare posse; cùm ex cathedra docere, sit omnia illa præstare, quæ modò ex Maimburgo recensuimus, & quæ nunquam præstitit Liberius? Ubi enim Synodi? Ubi Collegia Cardinalium ? ubi Bullæ & imperia Divinitatem Filio abrogantia ? Liberius inter fastidia exilij, Liberius inter pœnas & supplicia, ac tortorum manus, Liberius dolis, metúque circumventus ; hoc est ex Cathedra docere, & Pontificem agere? Aliud ergo est errare, aliud errorem docere; & de doctrina nobis, non de errore sermo est. Erravit Petrus, cùm Christum negavit, sed non propterea docuit Christum negandum esse. Erravit Marcellinus, cùm thura Idolis incendit; sed non decrevit Idolis adolendum esse. Erravit quóque Liberius, cùm Athanasium damnavit, cùm Sirmiensi formulæ subscripsit, nec metu purgari potest, vix privatis permisso: sed nego Liberium Arianam labem ex Cathedra docuisse, multò minùs imperâsse, & in hoc tamen tota quæstio versatur. *Quartò.* Causa ergo Liberij sic habuit. Nulla hæresis, ut Ariana, speciosiùs incessit, ac pluribus dolis velata adeò, ut cautissimos falleret. Quis enim nescit, & Constantinum Principem aliàs æqui amantissimum, & Concilia Hierosolymitanum, Mediolanense, Ariminense, & alia doctissimis Episcopis referta Arianis fraudibus circumventa, ac simili ferè culpâ, quæ Liberium involvit, decepta fuisse ? adeò ut S. Hieronymus testetur, totum Orbem, quamvis ignarum, invitúmque ingemuisse, Arianum se factum. Quid ergo mirum, unum hominem ijs retibus cecidisse, quibus tot millia capta fuerint? præsertim exilijs, ærumnisque fractum, & ideò facilè pro honestis captantem, quæcunque simul prodessent. Simulabant Ariani se Catholicos esse, ac pristinis erroribus renuntiâsse : Filium DEI, non esse Creaturam, sed DEUM, æternum, Patri per omnia similem : & denique quidquid Catholici vellent, à quibus etiam sibi formulas fidei præscribi patiebantur. Id solùm poscebant, ut Orthodoxi eâ voce *Consubstantialis* abstinerent, & Athanasius condemnaretur. Id ut persuaderent, hæ rationes in medium producebantur. *Vocem Consubstantialis nec in Scripturis, nec in Patrum commentarijs reperiri : indignum esse unius vocula pretio*

tot corporum & animarum millia perire, ac Religionem civili bello consumi. Quid referret unam vocem & novam, & hactenus inauditam, nec necessariam taceri, si de re ipsa constaret? an verò Religio de vocibus, & non potius de rebus esset? Præsertim cùm ea vox evertendæ potius quàm fulciendæ Religioni serviret, eâ quippe Sabellianos abuti, ac Personarum unitatem inducere. Hæc non absque ratione dici videbantur, habebántque faventes Imperatores; & quid dico Imperatores? ipse S. Augustinus, (a) quo nemo cum Ariana hæresi feliciùs conflixit adversùs Pascentium Arianum agens; profitetur se illius fidei subscripturum, si nullâ aliâ re erret, quàm omissione vocis Consubstantialis. Athanasium quod attinet, criminationes ei impositæ tot coloribus veritatem imitantibus obducebantur, ac tam multis Conciliorum Cæsarúmque præjudicijs adjutæ erant, ut mirum esset non credi, fallerentque prudentissimos; præsertim cùm illi ipsi Episcopi Athanasium accusarent, quos constabat fidissimos amicorum fuisse; quæ causa fuit, ut Constantinus illum Treviros deportaverit interceptæ annonæ reum. Hæc Liberium permovêre. Cùm enim Arianam hæresin, eósque omnes, qui Filium DEI esse, ac per omnia Patri similem, anathemate damnâsset, credidit publicæ paci unius Athanasij ac voculæ exilio innocenter litari posse. Subscripsit ergo primæ formulæ Sirmiensi. Nihil eâ specioſius dici legíque poterat, nec ullo mendacio, hæresíque fœdabatur. Omittebat tantùm vocem *Consubstantialis*. Hoc Liberij delictum; quia tamen communi Catholicorum sensu causa Athanasij cum causa fidei conjungebatur, & vox homousij tessera erat, quæ Catholicos, Arianósque distinguebat; hinc à multis creditum est, Liberium Arianæ hæresi consensisse. Quæro jam ex Maimburgo, qua in re Liberius hæreticus fuerit? Quòd Athanasium damnaverit? at damnare innocentem injustitia est, non hæresis; nec Liberius ob fidem Athanasium, sed ob alia damnavit, quæ illi objectabantur, & ferè qualia superioribus annis Alectensi & Apamiensi Episcopis: Athanasium enim pertinaciæ, superbiæ, seditionis, imò & Magiæ, & cædium postulabant. Quòd cum Arianis communicaverit? at Catholicos se simulabant, Ario, ejúsque hæresi abjuratis; non ergo tamquàm cum Arianis, sed cum Catholicis societatem junxerat. Quòd deceptus

(a) S. Augustinus epist. 174.

ceptus sit, & pro Catholicis habuerit, qui hæretici erant? at decipi non hæresis est, sed imprudentia: num solum Liberium, & non potiùs totum Orbem deceperant? & quæ tam cauta innocentia, ut falli non posſit? nemo Chrysostomum hæreticum dixit, quòd Monachos Origenistas, Catholicam Religionem egregiè mentitos tantâ curâ contra Epiphanium defenderit, sinúque exceperit. Si quis Calvinista Catholicum se ferat, néque id tantùm voce, sed etiam corollâ precatoriâ de manu pendente, cruce fronti impressâ, sacrâ bullâ ad collum demissâ, aliisque Catholicorum ritibus: túque hâc specie, pompáque pietatis deceptus eum pro Catholico habeas, cum eóque communices; quis propterea Calvinistam te dicat? tantùm nec ampliùs fecit Liberius, species illum, colórque decepit, mendacio veritatem imitante. Quòd vocem *Consubstantialis* omitti silerique permiserit? at eâdem ratione Augustinum tantum Arianorum hostem damnaveris, quippe eandem silere paratum: nec silentium veritatis dici hæresis potest, præsertim cùm quis rem ipsam fatetur, nec enim fides de vocibus, sed rebus est: & Liberius eâ ratione omiserat, quòd persuasus esset, eâ Sabellianos abuti eliminandæ Personarum distinctioni. Non negabat Liberius Filium ejusdem esse cum Patre substantiæ, imò qui hoc negaret, anathemate percusserat; sed sileri tantùm eam vocem ferebat tamquàm novam, in scripturis non repertam, Sabellianis propitiam, facémque discordiarum, ut Ariani jactabant, quæ quidem omnia aut falsa erant, aut malignè explicata, sed fallentium culpâ, non decepti. Non excuso Liberium, quippe aut incautum, aut mollem & fastidio pœnarum pacem præ bello amantem; sed aliud est improvidum, inconstantem, mollémque, aliud hæreticum esse. Hoc nunquàm Maimburgus de Liberio probabit, illa non excuso. Et hæc quidem de Liberio sufficerint. Pergit Maimburgus de Vigilio & Honorio, de Bonifacio VIII. Adriano VI. & Pio II. dicere, quæ non solùm in Regali Sacerdotio, verùm etiam in superiori dissertatione à nobis refutata sunt, & ideò repetere non vacat.

§. IV.

Respondetur ad alias Maimburgi oppositiones à capite 13.

SUMMARIA.

1. *Respondetur ad Decretum Cœlestini III.*
2. *Et ad Definitionem Innocentij III.*
3. *Et ad errores Johannis XXII.*
4. *Et denique ad sermonem Pauli IV. in consistorio habitum.*

I.

Opponit 6. Cœlestinus III. Papa definivit in Decretali: *laudabilem. de Conversione infidelium.* Solvi fidelium matrimonia, quoad vinculum, altero Conjugum hæresin amplectente, ac innocenti liberum esse novas nuptias inire. Contrarium Innocentius III. in capitulo quarto de Divortijs definivit.

Resp. Nihil ad rem facit hoc argumentum, & ne quidem quæstionem tangit. Cœlestinus nihil definierat, sed mentem tantùm suam ut privatus Doctor exposuerat, communem illius temporis opinionem secutus; quod apertè Innocentius illis verbis insinuat: *Et si quidem Prædecessor noster aliter sensisse videatur.* Aliud est sentire, aliud definire: præsertim cùm Cœlestinus non ex proposito, sed incidenter, aliudque agens ad eum casum respondeat. Nimis verò in sacris Canonibus peregrinus est, qui nescit non omnia, quæ Decretalibus continentur, ad fidem pertinere; aliud enim

enim est responsum juris, aliud Dogma ac Decretum fidei : hoc totam Ecclesiam respicit, & quidem cum imperio ad omnes fideles directo, quo obligantur sub pœna hæreseos & anathematis illud recipere, nec aliter credere : id nunquàm Cœlestinus fecit, imò néque Innocentius, qui Cœlestinum corrigit : *Credimus*, inquit, *aliter respondendum.* Sunt hæc verba definientis, & non potiùs disputantis ? sed parcendum Maimburgo solius historiæ gnaro, Theologiæ verò, Canonúmque rudi, quod ex omnibus ferè illius operibus elucet; nihil enim infelicius, cùm Theologum agit, Jurisveperitum, & alieno calceo incedit, cadenti, quam eunti similior. Pudet me immorari tam absurdis.

II. *Opponit. 7.* Refert Cæsarius, Innocentium III. jam Pontificem solemnem Definitionem ex consilio sacri Cardinalium Senatûs, ad eóque ex Cathedra edidisse, quæ omninò fidei adversatur, & ab ipso posteà Innocentio improbata est. Res sic habuit : Monachus quidam se Sacerdotem finxerat, ac quotidie sacris operabatur. Tactus pœnitentiâ sacrilegium in Confessione Abbati exponit. Is jubet deinceps sacrificio abstinere. At Monachus pergere, veritus, ne ab alijs notaretur. Abbas animi incertus, cùm & timeret arcana confessionis retegere, nec sacrilegium ferre posset quotidie oculis expositum, rem ad Capitulum generale defert suppresso nomine. Capitulum ad Pontificem Romanum, hic ad Cardinalium Senatum, ex cujus consilio : *Scripsit*, inquit, *Cæsarius* (a) *sequenti anno Capitulo, quod fuerat à se determinatum, & à Cardinalibus approbatum in hæc verba : Ego dico in tali articulo esse prodendum, quia talis Confessio non est Confessio, sed Blasphemia, nec debet Confessor Blasphemiam tantam ac insaniam celare.* At verò in Concilio Lateranensi, cui Innocentius præfuit, contrarium omnino definitur, ubi: *Caveat Sacerdos, ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem : & qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.* En Innocentium contraria decernentem ! semel in Senatu Cardinalium Ecclesiam Romanam repræsentante, semel in Concilio Generali: hic verum, illic falsum decernit; ergo Pontifex in Concilio Generali erroris expers est: extra falli potest. *Resp.*

(a) Cæsar. lib. 3. cap. 22.

Resp. Tota hæc narratio Cæsarij auctoritate nititur: quàm fragilem basin tantæ moli ferendæ! quis enim nescit, multa à Cæsario narrari fabulis simillima? & quæ ipse profitetur, aliorum tantùm narratione accepta? ergo æquum Maimburgo videbitur, totam retrò ab Irenæo antiquitatem, tot Patres, tot Concilia Oecumenica falsi arguere unius Cæsarij testimonio? præsertim cùm is audita, non visa narret, imò ne ab ullo quidem scriptore consignata, nec inter epistolas Innocentij reperta; & mirum est, rem tantam omnium silentio premi. Si post Innocentij Decretum Lateranense Concilium contrarium tanquàm fidei dogma definivit, ut ait Maimburgus; ergo Cæsarius hæreticus est, qui non obstante Concilij definitione se Innocentij sententiæ adhærere profitetur: quam ergo fidem Cæsario adhibebimus perfidiæ & hæresis reo? Dicam ergo errâsse Cæsarium, quippe aliena, incomperta, inaudita ac incredibilia narrantem. Quod si absurdum Maimburgo videbitur, Cæsarium in mero facto, historiáque errâsse, in qua tam multi, præstantésque errârunt; quantò absurdius erit, in rebus ad fidem, æternámque salutem spectantibus errâsse, aut errare Pontificem, errare Magistrum, Pastorémque Ecclesiæ, errâsse Cathedram veritatis, errâsse Patres, errâsse Concilia, errâsse Ecclesiam Gallicanam, omnésque Ecclesiæ scholas, quæ Romano Pontifici tanto consensu infallibilitatem tredecim & ultrà sæculorum decursu attribuêre? Quantò minori dispendio errâsse, deceptúmque Cæsarium esse dicemus, quàm istos omnes? Sed demus vera esse à Cæsario narrata, nihil adhuc obstant veritati. Quando enim Innocentius Cistertiensi Capitulo scripsit, nihil definivit, nec præcepit pro fidei dogmate habendum, nec contrariam sententiam doceri prohibuit, cæcidítque anathemate, in quo solo casu, qui proprius Pontificis est, convenítque Magistro Ecclesiæ, infallibilem esse dicimus.

III. *Opponit 8.* Exemplum Johannis PP. qui nihil non egit, ut opinio in Ecclesia reciperetur, quam animo suo impresserat, animas vid. justorum non admitti post mortem ad Visionem Beatificam, ante Resurrectionem corporum. Hanc enim sententiam & in publicis & inprivatis congressibus, imò & è suggestu docuit, omnémque lapidem movit, ut eam Universitati Parisiensi per-

perſuaderet: denique ut ſcribit Adrianus VI. *publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ &c.* Et tamen hanc ſententiam hæreticam eſſe, non ſolùm Pariſienſis Univerſitas, ſed etiam Benedictus XII. & Concilium Florentinum definivit.

Reſp. Imò hoc maximè exemplo apparuit, quantum DEO curæ ſit, ne Cathedra Petri aliquo errore inquinetur, quicúnque tandem Pontifex eam Cathedram inſideat. Certum eſt, Johannem in erroneam ſententiam de animabus corpore ſolutis maximè propendiſſe, DEO tamen nunquàm annuente, ut hunc errorem è Cathedra promulgaret, & tanquàm fidei Dogma recipi totâ Eccleſiâ juberet. Id verum eſſe, multifariàm apertiſſiméque ex ipſo etiam Maimburgo oſtenditur. Nam *primò* permiſit Johannes, (a) ut cuilibet pro arbitrio liceret de hac re ſentire, rogavítque Philippum Regem, ut utríque ſententiæ locus & libertas in Gallia eſſet, non tamen impetravit. Nihil ergo definierat Johannes, alioquin libertas opinandi ſublata eſſet. *Secundò.* Nunquàm Conſtitutionem reperias, in qua Johannes tanquàm fidei Dogma hanc opinionem ſuam admitti à fidelibus voluerit. *Tertiò.* Ipſemet Johannes cùm videret novellâ hâc ſententiâ turbari Galliam, indignaríque, vocato Cardinalium, Prælatorum, Doctorúmque Cœtu, qui Avenione morabantur, proteſtatus eſt, (b) ſe quidquid pro ſententia ſua hactenus dixerit, non definiendi, ſed veritatem examinandi, inquirendíque causâ à ſe dictum fuiſſe. *Quartò.* Ipſi Pariſienſes Doctores eodem anno, quo hanc Johannis opinionem erroris damnârunt, anno videlicet MCCCXXXIII. (c) ſecundâ Januarij palàm apertéque profeſſi ſunt, eam ſententiam à Johanne in medium productam eſſe, non quòd veram crederet, multóque minùs, quòd definire eam vellet, ſed ſolùm indagandæ veritatis gratiâ. *Quintò.* (d) Idem Johannes profeſſus eſt, ſe nihil in hac cauſa poſitivè affirmare velle: ejúſque ſententiam non tanquàm Pontificis, ſed privati Doctoris cenſuit Rex Philippus ſententiæ Pariſienſis Univerſitatis poſtponendam eſſe, teſte ipſo Maimburgo. *Sextò.* Teſte

(a) Epiſtola Johan. ad Philippum Valeſ. à Calend. Decembr. (b) Maimb. de la Decadenze liv. 6. J. Willanus lib. 10. c. ult. Wading. ad Annum 1333. (c) Spondanus ad Ann. 1333. Hiſtoria Univerſ. Pariſ. ad eund. ann. (d) Maimb. cit. fol. 601. & Wading. in Regeſto Anno 1333.

Wadingo, (a) cùm Franciscanorum Generalis Parisijs Johannis sententiam ex suggestu defendisset, Pontifex juramento contestatus est, tantum abesse, Generalem id mandato suo fecisse, ut ne quidem de hac re cogitaverit. *Septimò.* Anno denique MCCCXXXIV. tertio Decembris idem Johannes morti vicinus (quando præter æterna nihil amplius speratur, timetúrque) editâ ultimâ constitutione professus est, justorum animas statim, ut peccatorum reliquijs purgatæ sunt, in Cœlum admitti, ubi Beatâ DEI Visione facie ad faciem perfruuntur, *& hanc sententiam se habere, & antehac habuisse*; quæ verò de hac re præteritis annis dixerit, scripserítque, omnia Ecclesiæ, suorúmque successorum Pontificum judicio ac censuræ subjecta velle. Ita Willanus (b) & Wadingus (c) testantur, nec Maimburgus lib. 6. de Imperij Occasu diffitetur. Constat ergo, nihil definivisse Johannem ex Cathedra, nihil ergo privatus illius error Cathedræ Infallibilitati nocet. Frustrà ergo Maimburgus laborat, invitâ non solùm veritate, sed etiam conscientiâ. Agnovit enim Johannis innocentiam, imò & defendit libro citato. Nunc verò aut Romæ iratus, aut aulæ devinctus, aut utróque affectu perversus, maluit falsa quidem & indigna cum lucro scribere, quàm gratis, nullóque pretio veritatem.

IV. *Opponit 9.* Paulum IV. PP. anno 1557. cùm ab eo peteretur dissolutio Matrimonij per verba de præsenti inter Marescallum Momorantium, nobilémque Virginem contracti, nullo tamen maritali amplexu secuto; causâ ad Collegium Purpuratorum delatâ sic prælocutum esse: *Quærimus, num Matrimonium de præsenti contractum, quod est verum Sacramentum, auctoritate nostrâ dissolvi possit, cùm carnalis conjunctio nulla intercessit. Perspicite, an Decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili Matrimonij vinculo disquirimus. Non dubito, quin ego & Decessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc, verùm etiam in alijs rerum generibus.* Fatetur ergo Paulus, Romanos Pontifices etiam in causis Sacramenta spectantibus errori subjectos esse.

Resp. Quæro ex Maimburgo, quem hujus historiæ, sermonisque à Paulo habiti testem auctorémque proponat? nihil enim in Annalibus eorum temporum, nihil in Constitutionibus Pauli reperimus. Quem ergo Auctorem facit? *Dominum*, inquit, *de la Haye.*

(a) At

(a) Wading. in Reg. cit. (b) Wilan. lib. 11. cap. 9. (c) Wading. cit.

(a) At hic nomine ſponſi diſpenſationem urgebat, recuſatámque ægerrimè tulerat, nec ſermoni Pontificis in Conſiſtorio perorantis interfuerat, ſed tantùm ab alijs relatum acceperat; quantam ergo fidem habebimus teſti & offenſo, & audita tantùm narranti? Sed ita res ſe habeat, quid rogo conſequitur? planè nihil aliud, quàm Paulum credidiſſe, Pontifices Romanos in concedendis Diſpenſationibus, præſertim circa Matrimonia, aliquando aut humano reſpectu, ac Principes demerendi causâ, aut cupiditate, aut cauſarum ignorantiâ, aut dolo ſupplicantium errâſſe, deceptóſque eſſe; ſicque cùm de hujuſmodi indulgentijs agitur, laxandóque præſertim vinculo Matrimonij, non tam exemplis priorum Pontificum, quàm à legibus à DEO ſancitis, atque in ſacris litteris Eccleſiæ propoſitis agendum eſſe. Quæ omnia veriſſima ſunt, átque à nobis ſponte conceſſa; nec enim in hujuſmodi cauſis errare Pontifices poſſe, imò frequenter errâſſe, haud inficiamur. Illud ergo monſtrandum à Maimburgo fuerat, Dixiſſe Paulum: *Superiores Pontifices re maturè agitatâ ſolemni Decreto definiviſſe, totíque Eccleſiæ tanquàm fidei articulum credendum propoſuiſſe, vinculum matrimonij rati ſolvi à Pontifice poſſe, & tamen hanc definitionem falſam eſſe.* Id, inquam, oportuit à Paulo Pontifice dici, ut hujus teſtimonium aliquid ad rem faceret: at nunquàm hoc Paulus dixit: imò ſi dixiſſet, quid tandem eſſet? num quidquid Pontifices in Conſiſtorio perorant, id continuò Decretum eſt fidei, & oraculum ex Cathedra? at nos de hoc tantùm quærimus.

Ex hactenus dictis facilè judicabit Lector, exempla hactenus à Maimburgo, aut ex libris Proteſtantium, aut ex Launoij collecta (nihil enim ex ſuo præter formulas illas jactantiæ & vanitatis plenas) non tantùm nihil probare, ſed ne quidem ad ſtatum quæſtionis pertinere: probat, quæ nos ipſi concedimus; omittit, quæ negamus, & ex quovis trunco Mercurium facit. Nihil ergo ab eo timeas, qui non tantùm non ferit, ſed ne tangit quidem.

(a) Relatio Johann. Hay.

INDEX TERTIÆ DISSERTATIONIS.

§. I. Refelluntur Maimburgi argumenta ab exemplis Leonis, Vigilij, Honorij, Silvestri Pontificum, & Concilij Arelatensis petita. fol. 1

SUMMARIA.

1. Concilia si Acephala sint, aut Pontifici opposita, aut ab eo non confirmata, non esse certa Spiritûs Sancti organa, nec erroris expertia, idque testimonio Patrum, ipsiúsque Maimburgi, & rationibus probatur. 2
2. Majorem esse Pontificis, quàm Concilij auctoritatem, verbis exemplísque probatur Leonis Magni, frustra Maimburgo circa unum, alterúmve Leonis verbum rixante. 9
3. Pertexitur Vigilij historia. Nestorij mores, promotio, hæreses, damnatio, extrema. 14
4. Nestorij libri edicto Theodosij flammis cremati, eorum loco à Nestorij Clientibus Theodori Mopsvesteni scripta varijs linguis evulgantur. 16
5. Eutychetis error, & Concilium Chalcedonense, in quo Theodorus Cyri, & Ibas Edessæ Episcopi absoluti, & quas ob causas? 17
6. Bellum tribus Capitulis indictum odio Eutychianorum Concilio Chalcedonensi adversantium. Vigilius consilij anceps in omnem se partem versat, fugítque Thessalonicam. 21
7. Concilium Constantinopolitanum. Vigilij pro tribus Capitulis Constitutum, & rationes. Tria capitula in Concilio Constantinopolitano damnata, cui & Vigilius subscripsisse fertur concordiæ studio. 24
8. Causam trium Capitulorum nihil ad fidem spectâsse, Gregorij, & Pelagij Pontificum, & totius ferè Occidentis testimonio, exemplóque probatur, qui in causa trium capitulorum obluctari Concilio Constantinopolitano non prius destitit, quàm Pontificum auctoritate vinceretur. Nec Vigilium mutatis toties sententijs errâsse. 26
9. Honorij PP. innocentia multis modis ostenditur: ac etiam si admittas hæreticum fuisse, nihil contra Pontificum auctoritatem concludi. 34
10. Ex Concilio Arelatensi nihil contra Pontificis auctoritatem colligi, sed multa pro illa, ubi etiam Maimburgi errores notati; & luculentissimum Zosimi Pontificis testimonium. 43
11. Siricij quóque Exemplum nihil contra Pontificis auctoritatem, sed pro illa potiùs militare. 55
12. Ex Gerberti Historia stabiliri potiùs Pontificis auctoritatem, quàm everti; & quàm malâ fide eam recitet Maimburgus. 62

§. II. De Appellationibus tanquam ab abusu. fol. 66

SUMMARIA.

1. Quinque Parisienses propositiones eò pertinere, ut omnes causæ spirituales Par-

Parlamento prophanísque Tribunalibus subdantur, ídque testimonio Maimburgi palàm fieri, Appellationes ab abusu Concilio Oecumenico substituentis, fol. 66
2. Appellationes ab abusu recentes esse, & præteritis retrò annis ignotas, ídque testimonijs Constantini & Theodorici ostenditur. 67
3. Earum Appellationum injustitia tum ex ipso Appellationis nomine, tum ex gradibus, quibus provectæ sunt, probatur. 68
4. Et ex querelis Cleri Gallicani, eas Appellationes improbantis. 70
5. Et ex varijs rationibus. 71
6. Respondetur ad Regiorum argumenta. 73

§. III. Respondetur ad auctoritatem Concilij Pisani. fol. 75

SUMMARIA.

1. Auctoritas Concilij Pisani à Maimburgo adducta. 76
2. Hujus Concilij auctoritatem multis ex capitibus dubiam esse & incertam, evidentibus argumentis ostenditur, & auctoritate ipsius Concilij Constantiensis, ac etiam Maimburgi testimonio. 77
3. Nec tamen aliquid in Concilio Pisano aut decisum, aut factum, quod Pontificum in Concilia auctoritati derogare possit; & quæstionem in Concilio toto cœlo ab ea distinctam esse, quæ modò inter nos vertitur. 83
4. Mala fides Maimburgi sententiam Parisiensis Universitatis pervertentis. 87

§. IV. Agitur de Concilio Constantiensi, & argumentis ex eo petitis respondetur. fol. 89

SUMMARIA.

1. Exhibentur Concilij Constantiensis Acta suis temporibus distincta. 89
2. Patres Constantienses circa auctoritatem Concilij in quinque sententias divisi, quarum ultima & pejor, ac votis infrequentior Johannis Gersonis. 95
3. Octo argumentis invictísque ostenditur, Decreta 4. & 5. Sessionum necessario examine ac deliberatione caruisse, nec posse dici conciliariter facta. 104
4. Eadem Decreta ne in ipso quidem Constantiensi Concilio, nec à Patribus pro Decretis Oecumenici Concilij habita esse; testimonijs gravissimorum auctorum, qui Concilio intererant, ac etiam Gallorum alijs novem argumentis demonstratur. 107
5. Sed nec præfata 4. & 5. Sessionum Decreta à Martino V. Pontifice Max. esse confirmata. 115
6. Imò Concilium Constantiense pro nobis esse quatuor argumentis evincitur. 118

§. V. Respondetur ad reliquas Maimburgi Objectiones. fol. 122

SUMMARIA.

1. Respondetur ad ea, quæ Maimburgus Codicibus Manuscriptis opponit. 123
2. Et ad Gersonis Auctoritatem. 124
3. Et ad Concilij Pisani. 124
4. Et ad argumentum ex titulo Oecumenici Concilij sumptum, 132

§. VI. Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij, & Universitatis Parisiensis. fol. 137

SUMMARIA.

1. Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij. 138
2. Frustra Ecclesiæ Gallicanæ Auctoritatem in auxilium vocari, imò eam pro Pontifice stetisse multis exemplis ostenditur, ac etiam confessione ipsius Maimburgi. 146
3. An ex eo, quòd totum sit majus suâ parte, concludatur, Concilium esse supra Papam? ubi cavillationes Maimburgi refutantur. 157
4. Insignis Maimburgi fallacia in citando Pij II. testimonio. 160

INDEX QUARTÆ DISSERTATIONIS.

§. I. Ex praxi, usúque Ecclesiæ, ac Phrasi, modóque loquendi omnium SS. Patrum ostenditur Pontificis Romani infallibilitas. fol. 166

SUMMARIA.

1. Summum Pontificem Infallibilem esse, ex omnium SS. Patrum Elogijs ostenditur. 167
2. Ex inductione omnium sæculorum, quibus quicunque Romano Pontifici obtemperabant, pro Orthodoxis 172
3. Eos verò, qui non obtemperabant, pro Atheis & Hæreticis habitos esse demonstratur. 184
4. Ex usu & Praxi Pontificum, multa fidei Dogmata sine Concilio decidentium. 191
5. Ac hæreses pleráque absque concursu Concilij Oecumenici damnantium; quod inductione probatur, Cerdonis, Valentini, Theodoti, Montanistarum, Cataphrygum, Origenis, Cypriani. 197
6. Necnon Apollinaris, Joviniani, Ruffini, Pelagij, Nestorij, 200
7. Adstipulante ipsâmet Synodo Chalcedonensi. 210
8. Præterea ex damnatione Petri Cnaphæi Eutychiani, Monothelitarum, Iconoclastarum, Photij, Berengarij, Abaillardi, Lutheri, Michaëlis Baij, Jansenij. 220
9. Ac novissimè Ludovici de Molines sub Innocentio XI. Moderno PP. 243
10. Tandem testimonio Bernonis Mon. S. Galli, postea Abbatis Augiensis. 246

§. II. Irrefragabilibus Patrum, Doctorum, & Universitatum Galliæ testimonijs Romani Pontificis Infallibilitas probatur. fol. 248

SUMMARIA.

1. Perpetuâ annorum serie infallibilitatem Pontificis Romani universæ Ecclesiæ Gallicanæ persuasam fuisse ostenditur, & primò testimonio S. Irenæi Episcopi Lugdunensis. 249
2. Edicto Valentiniani III. Imperatoris. 250
3. Auctoritate S. Aviti Episcopi Viennensis. 251
4. Secundæ Synodi Aurelianensis, & secundæ Turonensis. 251

5. S. Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini, Caroli Magni, & Alcuini. 251
6. Jeſſe Epiſcopi Ambianenſis, Ludovici Pij Imperatoris, & alterius Synodi Turonenſis, Servati Lupi, & Rheginonis Abbatis Prumienſis. 252
7. Concilij Trecenſis, & Pontigonenſis. Hincmari Archiepiſc. Rhemenſis. 252
8. SS. Anſelmi, Ivonis Carnotenſis, Petri Cluniacenſis, Bernardi, & Petri Cellenſis poſteà Epiſcopi Carnotenſis. 254
9. Concilij Lugdunenſis primi & ſecundi, SS. Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, & Auguſtini Triumphi. 256
10. Ex ſententia Petri Alliacenſis Epiſc. Cameracenſis, Concilij Conſtantienſis, & Florentini, Senonenſis, & Melodunenſis, ac tandem Pariſienſis. 257
11. Ex litteris Cleri Gallicani ad Innocentium X. 262
12. Ex theſibus PP. Societatis in Collegio Claremontano, & in Sorbona propugnatis, & præſertim teſtimonio Petri de Marca Archiepiſc. Pariſienſis. 264
13. Ex aſſertione ipſius P. Maimburgi in ſermonibus impreſſis. 267
14. Tandem ex auctoritate & conſuetudine antiquiſſima ipſius Univerſitatis Pariſienſis, & ſcholæ Sorbonicæ. 268

§. III. Reſpondetur ad ea, quæ Maimburgus Infallibilitati Pontificiæ opponit. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 272

SUMMARIA.

1. Oſtenditur, pro Maimburgi ſententia militare pauciſſimos, pro noſtra omnis Regionis, ætatis, & ordinis Patres & Doctores. 272
2. Petrum erràſſe, non in doctrina, ſed in converſatione & exemplo. 277
3. Diſſidium Victoris Papæ cum Aſiæ Epiſcopis infallibilitati Pontificis Rom. eximiè patrocinari demonſtratur teſtimonijs Euſebij, Sozomeni, Irenæi, & Concilij Nicæni. 278
4. Ex Cypriani Hiſtoria Infallibilitatem Pontificiam potiùs firmari, quàm everti ſex evidentibus argumentis eluceſcit. 283
5. Liberij metu doliſque circumventi cauſam infallibilitati Pontificiæ fruſtra opponi, quatuor ſolidis argumentis evincitur. 289

§. IV. Reſpondetur ad alias Maimburgi oppoſitiones à capite 13. fol. 294

SUMMARIA.

1. Reſpondetur ad Decretum Cœleſtini III. 294
2. Et ad Definitionem Innocentij III. 295
3. Et ad errores Johannis XXII. 296
4. Et denique ad ſermonem Pauli IV. in conſiſtorio habitum. 298

FINIS.

Collegii Soeti Jesu Padiborna
1697.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



C. S.

Gallia
Vindicata
G III

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

C. S.

Gallia
Vindic.
G III
37

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

C. S.

Gallia
Vindic.
G III
13


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN